

13:1

PUBLII OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBRI XV.

Interpretatione & Notis

ILLUSTRAVIT

DANIEL CHRISPINUS HELVETIUS

AD USUM

Sereniſſimi Delphini.

In hâc EDITIONE decem notarum pars expungitur, quarum loco adjiciuntur aliæ: Et INTERPRETATIO paſſim emendatur.

LONDINI:

Impenſis W. GINGER & SON, G. G. & J. ROBINSON, R. BALDWIN, J. JOHNSON, F. & C. RIVINGTON, M. POTE & WILLIAMS, T. N. LONGMAN & REES, VERNOR & HOOD, H. BALDWIN, J. SCATCHERD, H. GARDNER, J. SEWELL, RICHARDSON & Co., G. WILKIE, OGILVIE & SON, & C. LAW;

A D. BYE & H. LAW, ST JOHN'S SQUARE, CLERKENWELL.

1800.

INDEX

EORUM QUÆ IN UNOQUOQUE

LIBRO ET FABULA METAMORPHOSEON OVIDII CONTINENTUR.

LIBER I.

METAMORPHOSEOS.

CHAOS in quatuor Elementa FAB. 1
Cœlum & terra quinque distincta zonis 2
Quatuor ventorum regiones
Hominis origo
Quatuor ætatum descriptio 3, 4, 5
Gigantum sanguis in homines crudeles 6
Lycaon in Lupum 7
Lactei circuli descriptio
Jovis oratio de Lycaone
Diluvii descriptio 8
Lapides in homines
Terra in varias animalium figuras 9
Pythonis serpentis cædes
Pythii ludi
Cupidinis sagittarum descriptio 10
Daphne in laurum
Tempes descriptio 11
Io in vaccam
Mercurius ad Argum missus 12
Syrinx nympha in calamum 13
Argus in caudam pavonis
Io vacca in humanum formam 14
Phaëtontis Epaphique contentio

LIBRI II.

REgiæ Solis descriptio FAB. 1
Quatuor anni partes
Solis currûs descriptio
Equorum Solis nomina
Terræ incendium
Telluris querelæ
Phaëtontis casus
Heliades in populos 2
Heliadum lachrymæ in electrum 3
Cygnus rex Ligurum in olorem 4
Calisto Lycaonis filia in ursam 5
Arcas cum Calisto matre in sidera 6
Corvus ex candido niger 7
Coronis in cornicem 8
Erichthonius sine mare natus
Nyctimene in noctuam 9
Ocyroë Chironis filia in equam 10
Apollo in pastorem
Battus in lapidem indicem 11

Agraulos Cecropis filia in saxum Fab. 12
Invidiæ domûs descriptio
——effictio
Jupiter in taurum
Europa ex Phœniciâ in Cretam advecta

Libri III.

Draconis dentes in viros armatos Fab. 1
Cadmus Bœotiæ conditor 2
Actæon in Cervum
Bacchus ex Semele Cadmi filiâ 3
Juno in anum
Bacchi educatio
Tiresias in fœminam 4
——in marem
Echo in vocem 5
Narcissus in florem 6
Pentheus contra Bacchum furens 7
Bacchus in puerum 8
Tyrrheni nautæ in delphinos 10
Penthei mors

Libri IV.

Bacchi nomina Fab. 1.
Dercetis Babylonia in piscem
Semiramis in columbam
Naïs in piscem
Mora ex albis nigra Pyrami & Thisbes sanguine effecta 2
Veneris cum Marte adulterium 3
Leucothoë in thuris arborem
Clytie in heliotrop. herbam 4
Daphnis Idæus in saxum 5
Scython in fœminam 6
Celmis puer in adamantem 7
Crocus cum Smilace in flores 8
Salmacidis fontis natura 9
Hermaphroditus cum Salmacide Nymphâ copulatus
Minyeïdes in vespertiliones 10
Ino Athamantis uxor in Deam 11
Viæ ad inferos descriptio
Juno ad inferos
Melicerta in Deum marinum
Comites Inûs in saxa & aves 12
Cadmus cum uxore in anguem 13
Jupiter in aurum 14
Persei gesta
Guttæ sanguinis Medusæ capitis in serpentes
Atlas in montem 15
Andromeda ceto exposita 16
Vigulta in coralia
Andromedæ Perseique nuptiæ 17
Pegasus equus alatus è sanguine Medusæ
Medusæ capilli in serpentes

Libri V.

Cephenei Perseum oppugnantes in saxa Fab. 1.
Cephenûm tumultûs descriptio
Phineus Cephei frater in statuam
Proteus in lapidem 2
Polydectes in saxum 3
Hippocrenes fontis descriptio 4
Pyrenei sacrilegium
Musæ in aves
Gigantomachiæ descriptio 5
Jupiter in arietem
Apollo in corvum
Bacchus in caprum
Diana in felem
Juno in vaccam
Venus in piscem
Mercurius in ibim 6
Cereris laudes
Proserpinæ raptus
Pergusæ lacûs descriptio
Cyane Nympha in stagnum
Puer temerarius in stellionem 7
Ascalaphus in bubonem 8
Sirenes in aves 9

Arethusa nympha in fontem 10
Lyncus rex Scytharum in lyncem 11
Pierides in picas 12

Libri VI.

ARachnes cum Pallade certamen Fab. 1
Pallas in vetulam
Telarum Palladis Arachneſque deſcriptio 2
Hæmus & Rhodope in montes
Pygmæa in gruem
Antigone in ciconiam
Cinaræ filiæ in ſaxa
Jupiter in taurum
———in aquilam
———in cygnum
———in ſatyrum
———in Amphitryonem
———in aurum
———in ignem
———in paſtorem
———in ſerpentem
Neptunus in juvencum
———in Enipeum fluvium
———in arietem
———in equum
———in delphinem
Apollo in paſtorem
———in accipitrem
———in leonem
Bacchus in uvam
Saturnus in equum
Arachne in araneam 3
Niobes filiorum mors 4
Amphionis exitus
Niobe in marmor
Lycii ruſtici in ranas 5
Marſias in fluvium 6
Eburneus Pelopis humerus 7
Tereus in upupam 8
Procne in hirundinem
Philomela in luſciniam
Orithyiæ raptus 9
Zetes & Calaïs alati

Libri VII.

DRaconis dentes in homines armatos Fab. 1
Jaſonis in Colchos expeditio
Phinei calamitas
Medeæ amores
Tauri ignem efflantes
Pervigilis draconis ſopor
Æſon ex ſene juvenis 2
Aridus olivæ ramus in viridem
Guttæ aquæ in flores
Nutrices Bacchi ex vetulis juvenes 3
Aries ſenio confectus in agnum
Peliæ cædes 4
Cerambus in avem 5 & 6
Draco in ſaxum 7
Juvencus in cervum
Coæ mulieres cornutæ 10
Telchi viſu omnia mutantes 11
Hyries filius in cygnum 13
Hyrie in lacum 14
Combe in avem 15 & 16
Fungi in homines 20
Phineus in avem
Periphas in avem
Polyphemonis filia in avem
Medea ad Ægeum 22
Cerberi ſpuma in aconitum
Theſei geſta 23
Scironis latronis oſſa in ſcopulos
Minois bellum in Athenienſes 24
Sithonis in monedulam
Ægina inſula quæ & Oenona 25
Æaci filii
Peſtis deſcriptio
Formicæ in homines
Cephali & Procridis fabula 26
Vulpes & canis in ſaxa 27
Procridis mors 28

Libri VIII.

Nisus in haliæetum avem Fab. 1
Scylla in Cyrim avem
Labyrinthi Cretensis descriptio 2
Ariadnæ corona in sidus
Dædali volatus 3
Icari mors
Talus puer, ferræ circinique inventor, in perdicem
Dædalus ad Cocalum 4
Apri Calydonii descriptio
Atalantæ Forma
Altheæ fratres à Meleagro cæsi
Stipes in quo Meleagri vita
Meleagri mors
——sorores in aves Meleagridas
Naïades in Echinadas insulas 5
Perimele nympha in insulam 6
Oppidum in stagnum 7
Jupiter cum Mercurio in homines
Caia in templum 8 & 9
Philemon cum Baucide uxore in arbores
Proteus in varias formas 10
Erisichthonis impietas 11
Famis patria
——descriptio 12
Metra Erisichthonis filia in varias figuras
Fœdus Erisichthonis exitus

Libri IX.

Achelois Herculisque lucta Fab. 1
Achelous in anguem
——in taurum
Copiæ cornu
Nessi centauri cædes 2
Tunica à Deianira ad Herculem missa 3
Herculis labores
Lichas in scopulum
Hercules in Deum 4
Galanthis in mustelam 6
Dryope in arborem
Iolaus senex in juvenem 9
Callirrhoës pueri in juvenes 10
Miletus Mileti urbis conditor 11
Byblis Mileti filia in fontem
Caunus Byblidos frater, Cauni urbis conditor
Iphis puella in marem 12

Libri X.

Orphei Euridicesque nuptiæ Fab. 1
——ad inferos descensus
Atys in pinum 2
Cyparissus in cupressum 3
Jupiter in aquilam 4
Hyacinthus puer in florem 5
Cerastæ in tauros 6
Hyacinthia festa
Propetides in saxa 7
Statua eburnea in virginem 8
Myrrha Cinyræ filia in arborem 9
Hippomenes in leonem 10
Atalanta in leænam 11
Adonis in florem 11 & 12
Minthe nympha in mentam 12&13

Libri XI.

Serpens in saxum Fab. 1
Orphei cædes
Bacchæ Thraciæ in arbores 2
Midæ stoliditas 3
Contacta à Midâ in aurum
Arena Pactoli in aurum
Midæ aures in asininas 4
Cannæ vocales 5
Apollo cum Neptuno in homines 6

Heſionæ Laomedontis filiæ liberatio
Thetis in varias formas 7
Dædalion in accipitrem 8
Lupus in ſaxum 9
Alcyone & Ceyx in aves 10
Somni domûs deſcriptio
Dei ſomni affictio
Morpheus in homines
Phobetor in animalia bruta
Phantaſos in inanimata
Morpheus in Ceycem
Æſacus in mergum

Libri XII.

SErpens in ſaxum FAB. 1
Iphigenia Agamemnonis filia in cervam 2
Famæ domûs deſcriptio
Proteſilai cædes 3
Cygnus puer in avem
Cænis in avem 4 & 5
Cænis puella in marem
Pirithoi & Hippodamiæ nuptiæ
Lapitharum Centaurorumque prœlia
Periclymenus Nelei filius in varias figuras 6
Achillis mors 7

Libri XIII.

AJax in hyacinthum florem FAB. 1
Armorum Achillis judicium
Ajacis oratio
Artificioſiſſima Ulyſis oratio
Hecuba in canem 2
Polydori cædes
Polyxenæ immolatio
Polymeſtoris Thraciæ regis excæcatio
Memnonis cineres in aves 3
Æneæ in Latium navigatio 4
Anii filiæ, omnia ſuo tactu in frumentum, vinum, oleumve convertentes, in columbas
Duo juvenes ex rogi favillâ 5
Index in ſaxum 6 & 7
Siciliæ deſcriptio 8
Scylla in monſtrum
Acis in fluvium
Polyphemi cantilena
Glaucus in Deum marinum 9

Libri XIV.

SCyllæ inguina in canes FAB. 1
Cercopes in ſimias 3
Sibylla in vocem 4
Socii Ulyſſis in porcos 5 & 6
——in priſtinam formam
Picus in avem 7
Pici comites in feras 8
Canens Pici uxor loci nomen 9
Apulus paſtor in oleaſtrum 11
Æneæ naves in Nymphas 12
Navis in ſcopulum 13
Ardea in avem 14
Æneas in Deum Indigetem 15
Albani reges 16
Vertumnus in varias figuras
——in vetulam
Anaxarete puella in ſaxum 17
Urbis Romæ conditores 18 & 19
Aquæ frigidæ in calidas
Romulus in Deum
Herſilia, Romuli uxor, in Deam Horam 20

Libri XV.

CAlculi albi in nigros FAB. 2
Numa ad Pythagoram
Pythagoræ dogmata 2
———ſermo
———metempſychoſis 3

Pythagoras in Euphorbum
Omnium rerum viciſſitudinem eſſe
Annus in quatuor partes
Quatuor hominis ætates
Sperma hominis in hominem
Ex quatuor elementis omnia fieri 4
Omnia in quatuor elementa reſolvi
Terra in mare
Mare in terram
Mira Lyci fluminis natura 5
Eriſinus fluvius 6
Caycus fluvius 7
Amaſenus fluvius 8
Anigrus fluvius 9
Hippanis fluvius 10
Inſulæ in continentem 11
Ex continenti inſulæ 12
Helicæ Buraque urbes ſubmerſæ 13
Ex planitie montes 14
Crathis & Sybaris fluvii 18
Salmacidis fontis natura 19
Æthiopiæ lacus 20
Clitorii fluvii natura 21
Lynceſtus fluvius 22
Arcadiæ lacus 23
Ortygia inſula immobilis 24
Symplegades inſulæ olim inſtabiles
Ætnæ montis incendium 25
Homines in aves 26
Scythicæ mulieres in aves 27
Apes ex vitulis 28
Crabrones ex aquis 29
Scorpius ex cancro 30
Tineæ agreſtes in papiliones 31
Limus in ranas 32
Informis caro in urſum 33
Apes ſine pedibus 34
Aves ex ovi medio 35
Hominis ſpinæ medulla in anguem 36
Phœnix ex ſeipſo 37
Hyenam feram modò marem, modò fœminam eſſe 38
Mira chamæleontis natura 39
Lyncurium ex lyncûm urinâ 40
Coralium ex molli durum 41
Gentium viciſſitudines 42
Trojæ ruina
Spartæ
Mycenæ
Athenæ
Thebæ
Romæ origo 43
Numæ regnum 44
Hippolytus in virbium 45
Egeria Numæ uxor in fontem 46
Gleba in puerum 47
Haſta Romuli in arborem 48
Cippi cornua 49
Æſculapius in anguem
——Romam advectus 50
Julius Cæſar in cometem
Auguſti laudes
Metamorphoſeos commendatio.

P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSEON

LIBRI XV.

LIBER I.

ARGUMENTUM.

PRINCIPIO Chaos in elementa quatuor distinguitur. Quibus cùm sui darentur singulis incolæ; homo ex terrâ & aquâ creatus est. Secutæ sunt ætates hominum quatuor. In quarum postremâ de Gigantum sanguine nati sunt homines: qui cùm essent impii, Jupiter, quamvis antea Lycaonem in lupum mutâsset, generali nihilominus supplicio diluvium inducens, omnia in aquam convertit. Hic soli relinquuntur superstites Deucalion & Pyrrha. Qui post redditam terram, jactis post terga lapidibus humanum reparârunt genus. Nam reliqua quidem animalia sponte suâ ex humore & calore prodierunt; interque ea & Pytho serpens. Quem cùm Apollo interemisset, Pythios ludos in rei memoriam instituit. In quibus victores esculeâ coronâ donabantur: nondum enim extiterat laurus, donec in eam Daphne quella fuit conversa. Quod cùm accidisset, tum ad patrem ejus Peneum, cùm reliqui fluvii sive congratulandi, sive etiam consolandi gratiâ convenissent; solus desideratus est Inachus; quod de filiâ suâ Ione sollicitus esset, quam Jupiter post stuprum in juvencam mutârat. Ea cùm ab Argo custodiretur, Mercurius eum, narratâ priùs Nymphæ Syringis in arundinem transformatione, occidit. Cujus oculi deinde à Junone in pavonem collati fuerunt. Tum Io, pristinâ mulieris formâ receptâ, Epaphum parit.

P. Ovidii Nasonis

METAMORPHOSEON

LIBER I.

IN nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Dî cœptis (nam vos mutâstis & illas)
Adspirate meis: primâque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

INTERPRETATIO.

Mens mea cupit cantare formas versas in novâ corpora. Dii (nam vos quoque convertistis illas) favete meis ausis, & deducite poëma continuum à primo exordio orbis ad meam ætatem.

NOTÆ.

1. *In nova*] Omnium poëtarum laudatissimo more hîc noster scitè, & brevitèr, totius operis sui proponit argumentum.

Ib. *Formas mutatas*] Hypallage ad scopum aptissima, pro *corpora mutata in novas formas*; consultò & eleganter à poëtâ factum judicat Ger. Vossius; ut qui de corporum conversione esset dicturus, à verborum conversione auspicaretur.

2. *Nam vos*] Conjunctio & vim habit Emphaticam, quæ prorsùs perit, si altera interpretatio admittatur. *Sc. nam mutastis vos, & illas*; quando vos ista *illas* includit, etiam ipsas deorum mutatas formas.

3. *Adspirate*] Metaphora à navigantibus, quibus adspirantes venti maximo sunt auxilio.

Ib. *Ab origine*] A judæis ad Ægyptios, ab Ægyptiis ad Græcos, alias deinde gentes quasi per manus pervenit Patriarcharum traditio; ut, licet variis fabularum involucris obscuratam, ipsissimam tamen veritatem sæpissimè retinuisse etiam ethnicos nullus non possit jure suspicari. Cæterùm haud scio (quanquam ex Platonicis, Hesiodo, aliis, plurima hauserit noster) an non ex Judæis ipsis multa surripuerit.

4. *Perpetuum*] *Continuum, nusquam interruptum.* Quæ summa laus est tum ingenii, tum artificii poëtæ, qui tot fabulas tam reconditas, tam varii argumenti, continuâ serie, & quasi contiguâ structurâ, ad modum annulorum in torque aut catenâ consertorum, ab orbe usque condito, ad Augusti tempora, tam aptè contexuerit.

Ib. *Deducite*] Voci *perpetuum* verbum aptissimè respondens; metaphorâ à lanam trahentibus, seu fila ducentibus, sumptâ.

FABULA I.

I. *Mare & terra, & cœlum, quod involvit cætera, fuerant priùs una facies naturæ in mundo universo, quam vocaverunt Chaos*; quæ quidem fuit *massa crassa & confusa, nec aliud quàm pondus ignavum, & semina dissidentia rerum malè cohærentium in unam coacta. Nullus sol ministrabat adhuc lucem orbi; nec luna renovabat nova cornua crescendo, nec terra pendebat in aëre circumfluo sustensa suâ gravitate; nec mare extenderat brachia, longâ terrarum extremitate: & quâ parte fuit terra, ibidem & mare & aër* fuerunt. *Eo modo terra non erat solida, nec aqua natabilis* aut fluida; *aër* erat *luce carens: nulli sua forma constabat. Atque se invicem impediebant, quia in eâdem mole frigida certabant cum calidis, humida cum aridis; mollia cum duris; gravia cum levibus. Deus & æquior natura, composuit hanc discordiam. Separavit enim terram à cœlo, & aquam à terrâ, & se junxit ætherem puriorem ab aëre crasso. Quæ postquam expedivit, & extraxit obscurâ congerie, ea locis suis distincta & separata amicè composuit.*

ANte mare & tellus, &, quod tegit omnia, cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre Chaos; rudis indigestaque moles;
Nec quicquam, nisi pondus iners; congestaq; eôdem
Non bene junctarum discordia semina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan;
Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe;
Nec circumfuso pendebat in aëre tellus,
Ponderibus librata suis; nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quáque fuit tellus, illìc & pontus & aër:
Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aër. Nulli sua forma manebat.
Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.
Hanc Deus, & melior litem Natura diremit.
Nam cœlo terras, & terris abscidit undas:
Et liquidum spisso secrevit ab aëre cœlum.
Quæ postquam evolvit, cæcoque exemit acervo,
Dissociata locis concordi pace ligavit.

NOTÆ.

6. *Unus*] Antequam mundi partes erant distributæ, latuerunt rerum semina inerti mole promiscuè confusa, quam *Chaos* poëtæ; *primam* autem *materiam* indigitârunt philosophi. Ὁ δ' ἠερνός τε γαία τ' ἦν μορφὴ μία, Euripid. Menalippa. Quæ lucem præfert sequentibus; *Quâque erat et tellus*, &c.

9. *Semina*] Elementa quatuor.

10. *Titan*] Sol est, à patre Hyperione, ex Titanibus uno, sic appellatus.

11. *Phœbe*] Luna est, à fratre Phœbo seu Sole sic dicta.

13. *Librata*] Ita sustentata, ut nullâ ex parte sursum versùs trudi posset. Sed in imo semper sidat. Consule Cartesianos.

Ib. *Brachia*] Aquas oceani intelligit, quibus veluti brachiis universam terram (quæ in *medio* aquarum sita est) amplectitur. Sic noster lib. II. Met. *Æquora medias cingentia terras.*

14. *Amphitrite*] Neptuni uit uxor, quæ hîc pro mari terram circumferente & alluente ponitur, παρὰ τὸ ἀμφιτρίζειν.

16. *Instabilis*] *Mobilis.* Significat enim nulli elementorum in illo Chao propriam fuisse naturam.

18. *Obstabat*] Quia contrariæ qualitates erant in eodem subjecto.

21. *Natura*] Nihil autem aliud est natura, ut Seneca ait, quàm deus & divina quædam ratio toti mundo & partibus ejus inserta. Proinde particulam & expositivè hic accipiunt grammatici; quasi dicas, deus, sive natura, vel, ut vulgò loquuntur, deus, i. e. natura.

23. *Cælum*] Pro æthere posuit, qui purissimus est, & clarissimus.

24. *Cæco*] Chao, &. *Cæcum* παθητικῶς poëtis, quod non cernitur.

25. *Concordi pace ligavit*] Composuit elementorum discordiam; priùs enim dixit.

Frigida pugnabant calidis, &c.

Ignea

Ignea convexi vis & sine pondere cœli
Emicuit, summâque locum sibi legit in arce.
Proximus est aër illi levitate, locoque;
Densior his tellus: elementaque grandia traxit;
Et pressa est gravitate sui. Circumfluus humor
Ultima possedit, solidumque coërcuit orbem.
II. Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum,
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit;
Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.
Tum freta diffundi, rapidisque tumescere ventis
Jussit, & ambitæ circumdare littora terræ:
Addidit & fontes, immensaque stagna, lacusque;
Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis:
Quæ diversa locis partim sorbentur ab ipsâ;

Igneus impetue convexi cœli & sine gravitate exiliit, & sibi elegit sedem in parte supremâ. Aër est illi proximus levitate & sede: terra est spissior istis, & sumpsit principia crassiora: & depressa est suo pondere. Aqua circumfusa ultimam sedem obtinuit, & continuit durum terrarum orbem.

II. *Postquam deorum aliquis (quicunque is fuit) eo modo divisit & ordinavit acervum & divisum in partes reduxit, primò rotundavit terram in modum ingentis globi, ne non esset æqualis ab omni parte. Deinde imperavit maria diffluere, & turgescere ventis præcipitibus, & circumcingere oras telluris circumdatæ. Adjecit etiam scaturigines, & vasta stagna, & lacus; & repressit amnes defluentes ripis sinuosis: qui quidem sedibus dissiti partim absorbentur ab ipsâ terrâ.*

NOTÆ.

26. *Convexi*] Eo nomine appellatur corpus in orbem figuratum, cùm extrinsecus consideratur; intrinsecus *Concavum* dicitur.

Ib. *Ignea convexi vis*] Periphrasis est ætheris atque ignis qui supremum propter levitatem sibi locum vendicavit.

28. *Proximus est aër*] Aër, inquit, & levitate & loco proximè ad ignem ætheremque accedit. Nam aër, si terræ, aquæve comparetur, levis est; si ætheri, gravis.

Ib. *Proximus est*] *Jovis* nomine æther, sive ignis; *Junonis* aër μυθολογικῶς significatur. Et quoniam calor ille ætherius agit in aërem, cujus summa pars ad æthereum paritatem propiùs accedit; hinc Junonem Jovis & *sororem & conjugem* dixerunt.

29. *Elementaque grandia traxit*] Hoc est, partes graviores ex illo acervo secum traxit: vi enim naturali omnia gravia & ponderosa deorsum trahuntur.

30. *Humor*] De aquæ elemento loquitur.

31. *Ultima*] Non dixit *infima*, quod Philosophis falsum fuisset; nam secundum eorum opinionem, terra gravissima & in centro posita; quod apertè indicat poëta, cùm humorem dicit *circumfluum*. Per ultima igitur intelligit *extima*, qui sensus congruit sequenti;

——*Solidumque coërcuit orbem.*

32. *Dispositam*] Per sectionem & divisionem, *scilicet*. Non secuit dispositam, sed per sectionem disposuit.

Ib. *Quisquis*] Innuit deum hunc creatorem majorem aliquem potentioremque fuisse iis, qui vulgò pro dîis habiti sunt.

33. *Congeriem*] De chao loquitur.

Ib. *Membra*] Elementa *scilicet*.

35. *Magni glomeravit*] Effecit in similitudinem magni globi & pilæ; ita tamen, ut aqua simul cum terrâ sumatur.

37. *Ambitæ*] Non omni quidem parte, sicuti aëre undiquaque terra simul & aquis cingitur; sed tamen ita, ut in illis quasi fluitet. Cæterûm pleonasmus est in verbis *ambitæ & circumdare*, cujusmodi sæpe utitur Naso.

36. *Obliquis*] Propter terræ flexuosam neque versùs eandem partem continuatam declivitatem; quâve fluenti aquæ serpentis in modum necesse est flexus capere.

40. *Sorbentur*] Talem memorat in Peloponneso Alpheum, Virg. Æn. 3. Talis est in Hispaniâ citeriore Anas; in tali navigavimus nostro Rhodano, quanquam non ita sorbentur à terrâ isti fluvii, quin post aliquod spatium renascantur, & aperto alveo in mare recurrant.

partim in mare devolvuntur, & recepti æquore liberiori, pro ripis obstrepunt littoribus. Imperavit etiam planitiem porrigi, valles ima petere, nemora vestiri foliis, montes saxosos eminere. Et sicuti duo cingula dividunt cœlum à dextra parte, & totidem à sinistrâ, quintum est fervidius illis; ita dei providentia divisit molem inclusam pari numero; & totidem terræ tractus urgentur. Quorum qui medius est, non potest coli propter ardores: nives cumulatæ tegunt duos: posuit totidem inter utrumque: & temperavit calore cum frigore conjuncto: Aër imminet istis, qui tantò est gravior igne, quantò gravitas aquæ est minor gravitate terræ.

In mare perveniunt partim, campoque recepta
Liberioris aquæ, pro ripis littora pulsant.
Jussit & extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes.
Utque duæ dextrâ cœlum, totidemque sinistrâ
Parte secant Zonæ, quinta est ardentior illis;
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura dei: totidemque plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu:
Nix tegit alta duas: totidem inter utramq; locavit;
Temperiemque dedit mistâ cum frigore flammâ.
Imminet his aër, qui, quantò est ponderè terræ
Pondus aquæ levius, tantò est onerosior igni.
Ille & nebulas, illìc consistere nubes
Jussit, & humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
His quoq; non passim mundi fabricator habendum

Voluit etiam nubes & nebulas illìc locum habere, & tonitrua concussura mentes hominum, fulminaque & ventos procreantes frigus. Atque orbis conditor non illis dedit aërem passim pro libitu possidendum.

NOTÆ.

41. *Campo*] Æquor dicit aut mare.

42. *Liberioris*] Quia non angustis ripis in mari aqua coarctatur, prout antea cùm alveo suo retinebatur.

Ib. *Littora*] Distinguit poëta inter littus & ripam, ut hæc sit fluminum, illud maris: quanquam non semper observatur hæc differentia.

45. *Utque duæ dextrâ*] *Dextra* pars mundi hìc accipienda est de Septentrione; *Sinistra* de Meridie. Vide Turneb. lib. XVIII. cap. 35. Dividunt cœlum astronomi secundum latitudinem in quinque zonas, mediam inter tropicos *Torridam* vocant; duas extremas, polis subjectas, hanc ad polum Arcticum *Dextram*, illam ad Antarcticum *Sinistram*. Inter has & *Torridam* alterutrinque *Temperatam* statuunt, cui divisioni & terram subjacentem respondere volunt. Mediam, sive *Torridam* propter solis ardores antiqui credebant inhabitabilem, ut duas extremas propter frigus. Habent autem nomina circuli, vel à regione cœli, ut *Arcticus & Antarcticus*; vel à causis, ut *Tropicus Æstivalis*, *Tropicus Hyemalis*, sive Hybernus, & *Æquinoctialis*: nam sub hoc existente sole æquinoctia fiunt, sub illis, *Solstitia*, quas Græci τρόπας vocant,

Quinque tenent cœlum Zonæ: quarum una coruscо
Semper sole rubens, & torrida semper ab igni;
Quam circùm extremæ dextrâ lævâque trahuntur
Cæruleâ glacie concretæ, atque imbribus atris.
Has inter mediamque, duæ mortalibus ægrè
Munere concessæ Divum.——

47. *Onus*] Terram dicit, cujus partes non imperitè dixerunt astronomi partibus cœli oppositis, & ejus virtutibus respondere: quanquam eâ sapientiâ deus omnia attemperavit, ut etiam sub sole, & in ipsis ardoribus, quod veteres non satis cognoverunt, jucundissimam vitam brutis & hominibus liceat agitare.

Ib. *Numero*] Zonarum *scilicet*.

48. *Cura dei*] Pro deo ipso, Græcorum more venustissimo poëtis familiari.

Ib. *Plagæ*] Quæ cœli respectu dicuntur Zonæ, eæ in se sunt plagæ aut terræ partes, quas cœlum premit.

49. *Quarum*] Ita verò illi crediderunt, qui ventis, terræ situ, aliisque plurimis nesciverunt inexperti temperari solis ardores.

50. *Duas*] Quæ sunt versus polos.

51. *Mista*] Temperatas dicit Zonas ab utroque latere torridæ; quæ solis radiis illustrantur quidem; non ita tamen, ut non polorum frigus participent.

57. *Non passim*] Qui alter ab ortu, alius ab occasu spirat, *&c.*

Aëra permisit. Vix nunc obsistitur illis,
Cùm sua quisque regant diverso flamina tractu,
Quin lanient mundum; tanta est discordia fratrum.
Eurus ad Auroram, Nabathæaque regna recessit,
Persidaque, & radiis juga subdita matutinis.
Vesper, & occiduo quæ littora sole tepescunt,
Proxima sunt Zephyro: Scythiam Septemq; trionem
Horrifer invasit Boreas; contraria tellus
Nubibus assiduis, pluvioq; madescit ab Austro.
Hæc super imposuit liquidum & gravitate carentem
Æthera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem.
Vix ea limitibus dissepserat omnia certis;
Cùm, quæ pressa diu masså latuêre sub illâ,
Sidera cœperunt toto effervescere cœlo.
Neu regio foret ulla suis animantibus orba:
Astra tenent cœleste solum, formæque deorum:
Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ:
Terra feras cepit: volucres agitabilis aër.

Ægrè jam illis resistitur, quandoquidem singuli moderentur suos flatus aliâ plagâ, quò minus orbem discerpant, tanta est fratrum dissensio. Subsolanus profugit ad Auroram & regionem Nabathæam & Persidem, & montes subjectos radiis matutinis. Vesper, & oræ quæ calescunt sole occidente, juxta Favonium positæ sunt. Terribilis Aquilo occupavit Scythiam & Septentrionem. Terra opposita humida est à Noto pluviali, & nubibus perpetuis. Collocavit super hæc ætherem fluidum & destitutum pondere, nec tenentem quicquam terrestris sedimenti. Vix disjunxerat ea omnia constitutis terminis, cùm

astra, quæ oppressa diu occultata fuerant sub illâ mole, cœperunt radiare toto cœlo. Et ne ulla ora esset expers suis animalibus, astra & formæ deorum occupant sedes cœlestes: aquæ fuerunt nitidis piscibus frequentandæ: terra excepit feras; aër mobilis alites.

NOTÆ.

60. *Fratrum*] Ventorum, Auroræ, & Astræi gigantis, filiorum. Hes. Theog.

61. *Auroram*] Pro oriente posita est, unde spirat ventus *Eurus* seu *Subsolanus*, dictus.

Ib. *Nabathæaque*] Regio est Arabiæ, quam suo nomine appellâsse volunt filium Ismaelis *Nabath*; quæ regio ad ortum respectu Italiæ est porrecta.

62. *Persidaque*] Est persis Asiæ regio notissima.

Ib. *Radiis*] Periphrasis est terrarum, quæ solem orientem respiciunt, habitâ ratione Græcorum & Italorum, à quibus ad nos pervenerunt scientiæ.

64. *Proxima*] Ita ut ad Zephyri seu Favonii ditionem spectent, qui ab illâ parte spirat.

Ib. *Scythiam*] Scythia Asiæ ferocissimis populis notissima regio est.

Ib. *Septemque trionem*] Borealem plagam, frigore horridam, per signum cœleste describit, quod ursam majorem vocant. *Septentriones* verò aut *septem Trionum* dictum est hoc signum, quia plaustri refert speciem cum septem bobus aratoriis stellarum dispositio, quæ illud signum constituunt; quos quidem boves aratorios *Trionnes* prisca linguâ dixerunt. Gell. lib. II. c. 21.

65. *Contraria*] Meridionalis, Antarctica *scilicet* septentrionali opposita.

66. *Pluvio*] Qui Auster seu Notus, à mari perflans Italiam, Galliamque & ejus tractûs provincias, nubes quæ in aquam solvuntur secum volvit. Cæterùm plurimi sunt venti intermedii, quos ex nautis præsertim licet cognoscere, de quibus poëtam loqui non decuit.

67. *Liquidum*] *Purum & ab omni fæce remotum.*

70. *Massâ*] Chao, *scilicet.*

71. *Sidera*] Sidus est, quod Græci ἄστρον vocant, signum ex multis stellis compositum, ut Aries, Taurus; stellæ enim sunt singulares ac solæ, qui ἀστέρες à Græcis appellantur, ut sunt planetæ.

73. *Astra*] Adeóque in Platonicorum descendit opinionem, qui astra & deos inter animantia recensent.

Ib. *Solum*] Eo nomine dicitur quicquid rem aliquam sustinet; atque ita mare piscium *solum*; cœlum astrorum, &c.

74. *Cesserunt*] *In orbis divisione piscibus obtigerunt, & in jus eorum venerunt.*

Desiderabatur adhuc animal sanctius his, & capacius excelsæ mentis, & quod posset imperium exercere in reliqua. Homo ortus est: seu ille rerum artifex, fons mundi præstantioris, illum genuit divino semine; seu terra nova, & modò à sublimi æthere discreta servabat semina cœli congeniti. Quam dilutam aquis fluvialibus filius Iapeti efformavit ad imaginem deorum omnia gubernantium. Et cùm reliqua animalia inclinata intueantur humum, fecit homini vultum elatum, & imperavit cœlum respicere, & erigere sublimem faciem ad astra. Sic terra quæ nuper fuerat inculta atque informis, immutata sumpsit formas hominum nondum cognitas.

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.
Natus homo est. Sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina cœli.
Quam satus Iapeto, mistam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantûm cuncta deorum.
Pronaque cùm spectent animalia cætera terram;
Os homini sublime dedit: cœlumque tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.
Sic, modò quæ fuerat rudis, & sine imagine tellus
Induit ignotas hominum conversa figuras.

III. *Aurea prima fata est ætas, quæ vindice nullo, sponte suâ sine lege fidem rectumq; colebat. Pœna metusque aberant: Nec verba minacia fixo Ære legebantur: nec supplex turba timebant Judicis ora sui: sed erant sine vindice tuti.*

III. Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,
Sponte suâ sine lege fidem rectumq; colebat.
Pœna metusque aberant: Nec verba minacia fixo
Ære legebantur: nec supplex turba timebant
Judicis ora sui: sed erant sine vindice tuti.
Nondum cæsa suis, peregrinum ut viseret orbem,
Montibus, in liquidas pinus descenderat undas:
Nullaque mortales, præter sua littora, nôrant.

Nondum abies ex montibus suis desecta descenderat in aquas fluidas, ut terras alienas adiret: & nulla littora nisi sua hominibus perspecta. Mulcta & timor procul erant; nec voces minas intentantes legebantur in æra affixo: nec supplex multitudo metuebant vultum sui judicis; sed securi erant absque ultore.

NOTÆ.

76. *Sanctius*] Hîc ferè pro positivo ponitur comparativus, ut admirandum & suspiciendum dicat hominem.

77. *Deerat*] Cui antè à sapientissimo opifice omnia in usum parata, quàm crearetur.

78. *Divino semine*] Est istud ex Platonis academiâ & Zenonis porticu ortum; quibus philosophis anima humana est scintilla cœlestis, & ut ait Hor.

—— *Divinæ particula auræ.*

79. *Origo*] A quo omnia bona orta sunt.

81. *Cognati*] Simul nati. Nam terra unà cum cœlo ex illo acervo, quod *Chaos* vocârunt nata perhibetur. Vel etiam revera *cognati*, quoniam in eâdem confusione, eâdemque massâ cum illo permixta fuerat.

Ib. *Semina*] *Vim quandam eadem producendi, quæ in cœlo essent.*

82. *Satus Iapeto*] Prometheus est, qui universi generis humani artifex, eo ipso tempore quo alterius filius, à poëtis dicitur. Ridiculè, si fabulam spectes, & in veritatis integumento hæreas; appositè, si agrestes & sævos homines ad humanos mores informâsse, eosdemque ignis inventionem & usum, multa alia insuper docuisse Prometheum, virum à providentiâ sermone Græco sic dictum, satis intelligas.

82. *Mistam*] Terram aquâ temperavit, ut ea in humanam speciem formanda facilius tractaretur.

88. *Conversa*] In figuram, quam habet, commutata.

89. *Aurea*] In quatuor ætates hominum vitam partiti sunt Ethnici, quas metallorum nomine, auri, argenti, æris, & ferri, prout illi à nativâ probitate ad omnem nequitiam desciverunt, non imperitè inscripserunt. Quam fabulam ex statuâ per somnum Nebuchodonosori oblata, de quâ aliquid inaudierant Græci, derivatam volunt; Daniele illam de quatuor imperiis explicante.

Ib. *Vindice*] *Punitore.* Nulli enim tum erant judices, nulli lictores, nulli rerum capitalium vindices, nec ulli carceres.

91. *Minacia*] Intelligit leges æreis tabulis inscriptas & loco conspicuo affixas, ut publicè legerentur: hinc figere & refigere, pro leges ferre, & abrogare.

94. *Orbem*] Pro orbis parte posuit, synecdochicè.

Nondum

Nondum præcipites cingebant oppida fossæ:
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis, erant. Sine militis usu
Mollia securæ peragebant otia gentes.
Ipsa quoque immunis rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus:
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes.
Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant:
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

IV. Postquam, Saturno tenebrosa in Tartara misso,
Sub Jove mundus erat; subiit argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior ære.
Jupiter antiqui contraxit tempora veris:
Perque hyemes, æstusque, & inæquales autumnos,
Et breve ver, spatiis exegit quatuor annum.

Nondum fossæ præaptæ circumdabant urbes; neque tuba æris oblongi, neque cornua æris curvi, neque cassides erant, neque gladius. Animi tranquilli fruebantur almâ pace à militibus liberi. Ipsa quoque terra libera & rastro illæsa, nec ullo aratri dente vulnerata, sponte cuncta præbebat: & læti esculentis natis sine omni culturâ, carpebant fructus arbuteos, & fraga montana, & corna, & mora nascentia in asperis rubetis, & glandes quæ defluxerant vastâ arbore Jovis. Ver erat perpetuum, & Favonii mites statibus temperatis blandiebantur floribus ortis sine semine. Statim etiam terra inculta proferebat fruges; nec requietus ager (novale) albicabat plenis aristis. Fluvii currebant nunc lactis, nunc nectaris; & mella crocea fluebant de virenti quercu.

IV. *Postquam orbis fuit sub Jove, Saturno deturbato in obscura Tartara, progenies argentea successit, pejor aureâ, melior ahenea. Jupiter minuit spatium veteris veris, & divisit annum in quatuor partes per hyemem, æstatem, autumnos varios, & ver contractum.*

NOTÆ.

103. *Cogente*] Qui agros colit, cogere ipsos videtur, ut fructus emittant.

105. *Cornaque*] Poma sunt rubicunda, quæ propter nucleorum duritiem *Lapidosa* à Virgilio dicuntur.

106. *Jovis arbore*] Quercu Jovi sacrâ; sicuti laurus Apollini, Marti fraxinus, Herculi populus, Baccho vitis, Plutoni cupressus, Minervæ olea, Veneri myrtus, &c.

107. *Ver erat*] Nullæ tunc, inquit, erant temporum variationes, sed Zephyri assiduè flantes ita fovebant flores sine ullo semine nascentes, ut *ver æternum* esse videretur.

110. *Renovatus*] Novale dicitur ager qui alternis annis seritur, quo genere nihil opus fuit hominibus, cùm sponte è terrâ nascerentur omnia.

111. *Nectaris*] *Nectar* dicitur deorum potio suavissima perpetuam fovens juventutem, quam ipsa Hebe juventæ dea ministrabat.

113. *Saturno*] Saturnum, qui primam ætatem tam suaviter administraverat, filius Jupiter sequentibus ætatibus imperaturus de solio dejecit; & in Latio, quod Virgilius, ipse etiam Naso alibi scribit, *latere* coëgit. Quæ omnia, quo modo quâve causâ facta fuerint, si tanti est singulatim cognoscere, apud omnes reperias Mythologos.

114. *Proles*] Ætas argenti nomine insignita, aureâ durior.

116. *Antiqui*] Semper ante virentis, & *æterni*.

117. *Inæquales*] Temperie & tempestate incertos, modò calore æstuantes, modò frigore rigentes; atque hinc morbidos.

Tum

Tum primùm aër fervens aridis caloribus ignitus est, & glacies ventis conveta pependit. Tum primùm homines ingressi sunt domos: domus fuerunt spelunceæ, itemque spissi frutices, & rami colligati cortice. Tum primùm frumentaria semina operta sunt longis sulcis, & juvenci jugo oppressi gemuerunt.

Tum primùm siccis aër fervoribus ustus
Canduit: & ventis glacies adstricta pependit.
Tum primùm subière domos. Domus antra fuerunt,
Et densi frutices, & vinctæ cortice virgæ.
Semina tum primùm longis Cerealia sulcis
Obruta sunt, pressique jugo gemuêre juvenci.

V. Tertia post illas successit ahenea proles, Sævior ingeniis, & ad horrida promptior arma; Nec scelerata tamen. De duro est ultima ferro, Protinus irrumpit venæ pejoris in ævum Omne nefas: fugêre pudor, verumque, fidesque: In quorum subière locum fraudesque dolique: Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi. Vela dabat ventis, nec adhuc bene noverat illos Navita: quæque diu steterant in montibus altis, Fluctibus ignotis insultavêre carinæ. Communemqué priùs, ceu lumina solis & auræ, Cautus humum longo signavit limite mensor. Nec tantùm segetes, alimentaque debita, dives Poscebatur humùs; sed itum est in viscera terræ: Quasque recondiderat, Stygiisq; admoverat umbris, Effodiuntur opes irritamenta malorum. Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum

V. Tertia ab illis secuta est ætas ænea crudelior animis, & paratior ad arma terribilia; nec tamen scelesta. Postrema est de ferro rigido. Continùo scelus omne irruit in sæculum venæ deterioris: verecundia, veritas, & fides recesserunt: in quorum locum & fraudes, & doli, & insidiæ, & violentia, & detestandum possidendi studium irrepserunt. Nauta pandebat carbasa ventis, quos nondum bene noverat: & naves, quæ diu erectæ fuerant in excelsis montibus, impetum fecerunt in undas gnotas. Et peritus mensor distinxit productis termino terram antea communem, ceu lumen, sous, & aër. Neque modò fruges & cibi debiti petebantur à terrâ opulentâ: sed ventum est in ejus præcordia: & divitiæ incitamenta scelerum, quas abdiderat, & removerat ad umbras Stygias, eruuntur. Jamque ferrum noxium, & aurum perniciosius ferro exierat:

NOTÆ.

119. *Tum,*] Post expulsum à Jove Saturnum.

Ib. *Fervoribus*] Æstatis veri succedentis.

123. *Longis*] *In longum aratro ductis.*

Ib. *Cerealia*] Quæ, vel quorum usum & serendi modum Ceres docuit, ut ipse postea docebit Ovidius.

125. *Ahenea proles*] Ætas est præcedente adhuc durior, cui ab ære, viliori metallo, nomen inditum.

128. *Venæ*] Metalli deterioris, quod per venas in terræ visceribus distributum invenitur.

131. *Habendi*] Diteſcendi. Sic Phædrus;
Quamvis in ipsâ natus sim pœne schola,
Curamque habendi *penitùs corde eraserim*, &c.

132. *Nec adhuc bene*] Ut hinc hominum corda prorsùs invasisse avaritiam intelligas.

133. *Steterant*] Non naves quidem, sed arbores ex quibus confectæ sunt.

135. *Lumina solis & auræ*] Quibus nihil potest esse communius. Ita Virg.

—Cunctis undæque auræque patentes.

136. *Longo*] Sunt verò agrorum limites seu termini longi; attamen per limites intelligi malim hoc in loco sulcos majores, seu fossas, quibus agri discernuntur.

137. *Debita*] Propter culturam & hominis laborem; cujus causâ debet terra laboranti sudoris præmium.

138. *Itum est*] *Video*, inquit sen. VII. lib. Benef. cap. 10. *ferrum ex iisdem tenebris prolatum, quibus argentum & aurum: ne aut instrumentum in cædes mutuas deesset, aut pretium.*

139. *Stygiisque umbris*] Id est, in terræ profundissimas speluncas abdiderat. Est enim Styx fluvius aut palus inferorum, ubi niger deus habitat, & umbris imperat.

Prodierat:

Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque:
Sanguineâque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto. Non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero: fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti;
Lurida terribiles miscent aconita novercæ;
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet pietas; & virgo cæde madentes
Ultima cœlestûm terras Astræa reliquit.

bellum exit, quod utroque ad pugnam utitur, & ciet arma strepentia cruentâ manu. Prædâ vescuntur. Hospes non est tutus ab hospite; non socer à genero; amor etiam fratrum est rarus. Maritus invigilat perniciei uxoris, illa mariti: sævæ novercæ miscent venena nigricantia: filius scisitatur ante tempus ætatem patris. Pietas neglecta destituitur; & virgo Astræa deseruit postrema terras sanguine infectas.

VI. Neve foret terris securior arduus æther;
Affectâsse ferunt regnum cœleste Gigantas,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subjecto Pelio Ossam.
Obruta mole suâ cùm corpora dira jacerent,
Perfusam multo natorum sanguine terram

VI. *Et ne æther sublimis esset tutior tellure, aiunt Gigantes appetisse cœleste imperium, & erexisse ad astra montes in cumulum coactos. Tum pater omnipotens protrivit Olympum fulmine intorto, & dejecit Ossam Pelio substrato. Cùm immania* Gigantum *corpora suâ prope mole victa caderent; dicunt terram delibutam multo cruore filiorum.*

NOTÆ.

142. *Utroque*] Acriùs tamen auro; nam ut elegantissimè scripsit Horat. Car. lib. III. Ode 19.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

147. *Lurida*] *Luridum* dicitur esse, quod eo est colore, qui in corporibus loro vexatis apparet, atque adeò ab effectu aconitum, herba venenosa, *luridum* dicitur; nisi magis ad ipsius plantæ folio sufflava autor respexit.

Ib. *Novercæ*] Quæ plerumque in privignos sæviunt, non tantùm ut suis liberis faveant, sed fortè arcano quodam in illorum matres odio.

148. *Ante diem*] Sortilegos consulit filius, utrum multos annos pater sit victurus, an paucos.

149. *Victa jacet*] Pietas ab impietate superata jacet, i. e. *contemnitur, in nullo est pretio.*

150. *Ultima*] Quia spretis diis, necesse tamen fuit utcunque brutis hominibus aliquam inter se, utilitatis causâ, servare justitiam.

Ib. *Astræa*] Filia fuit Astræi gigantis, vel Jovis, ut aliis placet; quæ propter insignem justitiam pro ipsâ sumitur.

151. *Neve foret*] Transitio est ad gigantum fabulam, quos immensæ molis & similis matri filios Terra produxit, & quorum magnitudinis par exarsit audacia.

152. *Gigantas*] Nati fuerunt gigantes Terrâ & Cœli sanguine à Saturno castrati, ut plurimis visum; omnes staturæ excelsissimæ, draconum pedibus horribiles, qui adversus Jovem etiam bellum ausi movêre. Quorum fabulam alii ad res naturales spiritusque terram concutientes, aut ex terrâ in cœlum ascendentes, à quibus fulgura & tonitrua, referunt; alii de quibusdam impiis hominibus, exponunt; alii alia excogitant. A Nimrodo, seu Nembrotho strenuo venatore, seu potiùs rege belli videtur derivata.

154. *Pater omnipotens*] Jupiter, qui audacissimorum monstrorum frustraneos conatus elusit.

Ib. *Olympum*] Montem in confinio Thessaliæ, & Macedoniæ, quem Pelio & Ossæ, ut ita in cœlum ascenderent, gigantes imposuerant.

155. *Pelio*] Est Pelion mons Thessaliæ, ad Pelasgicum sinum vergens, inter quem & Olympum tertius Ossa porrigitur.

Imma-

Immaduiſſe ferunt, calidumque animâſſe cruorem:
Et, ne nulla feræ ſtirpis monumenta manerent,
Infaciem vertiſſe hominum. Sed & illa propago
Contemptrix ſuperûm, ſævæque avidiſſima cædis,
Et violenta fuit: ſcires è ſanguine natos.
VII. Quæ pater ut ſummâ vidit Saturnius arce,
Ingemit: & facto nondum vulgata recenti
Fœda Lycaoniæ referens convivia menſæ,
Ingentes animo & dignas Jove concipit iras;
Conciliumque vocat. Tenuit mora nulla vocatos.
Eſt via ſublimis, cœlo manifeſta ſereno,
Lactea nomen habet; candore notabilis ipſo.
Hâc iter eſt Superis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum. Dextrâ lævâque Deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
Plebs habitant diverſa locis. A fronte potentes
Cœlicolæ, clarique ſuos poſuêre penates.
Hic locus eſt; quem, ſi verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixiſſe palatia cœli.
Ergo ubi marmoreo ſuperi ſedêre receſſu,
Celſior ipſe loco, ſceptroque innixus eburno,
Terrificam capitis concuſſit terque quaterque

immaduiſſe, & animâſſe ſanguinem æſtuantem: & ne nulla ind ſæve ſobolis ſupereſſent, mutâſſe in formam humanam. Verum illa etiam progenies fuit impia, & cupidiſſima feræ ſtragis, & truculenta: cognoſceres ortos fuiſſe ex ſanguine.

VII. *Quæ ut parens Saturnius cognovit ex arce ſupremâ ingemit: & revolvens animo horrendas epulas menſæ Lycaoniæ, nondum in vulgus prolatas, quia modò admiſſum, ciet iras maximas & dignas Jove; & concilium cogit. Nulla cunctatio detinuit accitos. Eſt callis excelſus, apertus cœlo ſereno; Lacteus dicitur, albore ipſo conſpicuus. Hâc patet via divis ad limina magni Jovis, & domum regiam. A dextrâ & ſiniſtrâ frequentantur atria majorum deorum, portis patentibus. Vulgus habent ſedes locis diſſitas. Diî potentes & illuſtres ſtatuerunt ſuas domos à fronte. Hic locus eſt, quem, ſi licentia condonetur vocabulis, non reformidem appellâſſe palatia vaſti cœli. Poſtquam igitur diî conſederunt marmoreo ſeceſſu, ipſe* Jupiter *ſede ſublimior, & incumbens ſceptro eburno, terque quaterque agitavit tremendam comam,*

NOTÆ.

162. *Scires è ſanguine*] Nimirum à crudelitate & barbarie.

163. *Pater Saturnius*] Jupiter Saturni filius.

164. *Facto*] De inſidiis loquitur, quas Lycaon Jovi ipſi paraverat, ſicuti ipſe idem Jupiter mox narraturus eſt.

165. *Convivia*] In quorum ferculis Lycaon Pelaſgi filius, ſæviſſimus rex Arcadiæ, hoſpitum trucidatorum carnes convivis apponebat.

167. *Concilium*] Majorum Gentium deos, quos vocant & ſelectos; vel ex iis Conſentes duodecim in maximis rebus Conſiliarios, Jupiter advocavit.

168. *Via*] Lacteus circulus ſplendorem cepit ex lacte, quod Hercules, cum ſatìs ſuperque ex Junonis mammâ hauſiſſet, totum continere non potuit: quod cecidit, inter ſidera fuſum eſt, ex quo fulgor natus. Ariſtoteles verò è ſtellarum ſplendore ortum ait. Utramque opinionem complexus eſt Manilius lib. I. Aſtronom.

172. *Nobilium*] Majorum Gentium.

173. *Plebs*] Dii minores, adſcriptitii, indigetes.

Ib. *Potentes*] Quales Conſentes duodecim, quos duobus his verſibus comprehendit Ennius:

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Dianā, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Ib. *A fronte*] Intellige quoſdam nobiles deos in aditu hujus viæ habitare. Vide Alex. ab Alex. lib. VI. cap. 4.

176. *Palatia*] Ad imperatorum alludit ædes magnificas, quæ à monte Palatino, Palatii nomen obtinuerunt.

179. *Concuſſit*] Indignationem ſignificans. Deſcriptionem hanc irati Jovis ab Homero expreſſit, Il. α.

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρυσὶ νεῦσε Κρονίων,
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο Ἄνακτος,
Κράτος ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Cæſariem

Cæsariem; cum quâ terram, mare, sidera movit.
Talibus inde modis ora indignantia solvit:
Non ego pro mundi regno magis anxius illâ
Tempestate fui, quâ centum quisque parabat
Injicere anguipedum captivo brachia cœlo.
Nam, quanquam ferus hostis erat, tamen illud ab uno
Corpore, & ex unâ pendebat origine bellum.
Nunc mihi, quâ totum Nereus circumtonat orbem,
Perdendum mortale genus. Per flumina juro
Infera, sub terras Stygio labentia luco,
Cuncta priùs tentata: sed immedicabile vulnus
Ense recidendum; ne pars sincera trahatur.
Sunt mihi Semidei, sunt rustica numina Nymphæ,
Faunique, Satyrique; & monticolæ Silvani:
Quos quoniam cœli nondum dignamur honore;
Quas dedimus, certè terras habitare sinamus.
An satis, ô Superi, tutos fore creditis illos,
Cùm mihi, qui fulmen, qui vos habeoque, regoque,

cum quâ concussit terram, mare, astra. Tum aperuit os iratum hoc modo: Ego non fui magis sollicitus pro orbis imperio eo tempore, quo quisque Gigantum *anguipedum conabantur immittere centum lacertos cœlo domito. Quamvis enim hostis ferus esset, tamen illud bellum imminebat ab unâ societate, & ex unâ causâ: Nunc tota progenies humana est mihi delenda, quâ Oceanus concutit universum terrarum ambitum. Juro per fluvios infernos fluentes sub terras, per silvas Stygias, omnia jamdudum experta sunt: sed malum insanabile resecandum est gladio, ne pars integra corrumpatur. Habeo Semideos, habeo Nymphas deas ruricolas, & Faunos & Satyros, & Sylvanos montanos: quos, siquidem nondum cœli gloriam impertimur, certè partiamur incolere terram, quam iis sortiti sumus. An existimatis, ô Dii, illos futuros satis tutos, cùm Lycaon immanitate cognitus paraverit perniciem mihi, qui fulmen, qui vos* etiam *tempero?*

NOTÆ.

184. *Anguipedum*] Gigantibus, ob naturæ & morum pravitatem, draconum, à poëtis, pedes ascribuntur.

Ib. *Captivo*] Quod captivum reddere cupiebant. Affingnat Jupiter rationem, cur magis nunc sollicitus sit, quàm cùm gigantes cœlum affectârunt. Nam quamvis gigantes essent fortissimi, mihi tamen bellum minimè cum toto hominum genere suscipiendum fuit, sed cum unâ solùm gigantum progenie.

186. *Corpore*] Gigantum sodalitio. Ita. Cic. in Phil. 2. ait, *Reip. corpus.*

Ib. *Origine*] Causâ. Alii sic; exponit id, quod *ab uno corpore* dixit; ab unâ enim gigantum *progenie* bellum fuit Jovi indictum.

187. *Nereus*] Deus est marinus, qui sæpe pro oceano ponitur, terram ambiente, undarumque mugitibus illi obstrepente.

188. *Flumina*] Stygem dicit, inferorum fluvium aut paludem, cujus nomen nullo jurejurando, nec diis ipsis violare licet, ut Virg.

Dii cujus jurare timet & fallere numen.

Quia Styx conjuratorum contra Jovem deum, cùm ipsum vincire voluerant, insidias patefecerat, hanc illi dignitatem concessit, ut dii jusjurandum per Stygem sanctissimum haberent.

190. *Vulnus*] Hâc similitudine colligit universum genus humanum, esse perdendum, cùm totum corruptum, ne Satyri, Fauni, &c. (qui sunt *pars sincera*, incorrupta) *trahantur*, in corruptionem ducantur, *scil.* hominum sceleribus inquinati.

192. *Nymphæ*] Terrestres fuerunt nymphæ Dryades & Hamadryades in quercubus, aut cum iis natæ à quibus etiam apud Græcos nomen acceperunt: Oreades seu Montanæ, quæ montium, Napeæ, quæ saltuum convalliumque curam gesserunt. Fuerunt item marinæ & fluviales, ex quibus illæ Nereides à Nereo, & Oceanitides ab Oceano patribus; hæ Naiades à fluendo Græcâ Etymologiâ dictæ sunt.

194. *Nondum dignamur*] Si quis objiceret, si times semideis, &c. ab humano genere in cœlum transferas: at, inquit Jupiter, Nondum censeo dignos, qui in cœlum recipiantur.

Struxerit

cum indignatione assentiunt cuncti; & requirunt flagrantibus desideriis eum qui tam atrocia esset conatus. Eo modo, cum scelesta caterva furore impulsa, ausa est eruere nomen Romanum cæde Cæsaris, gens humana perculsa est tanto pavore repentini exitii; & totus mundus confremuit. Nec, Auguste, pietas tuorum tibi minùs fuit accepta quàm illa fuit Jovi. Qui postquam voce & manu tumultum, omnes præstiterunt silentium. Ut sedatus fuit fremitus, repressus dignitate moderantis, Jupiter frangit denuo silentium his verbis: Ille equidem luit pœnas, ne amplius sitis solliciti: & tamen narrabo quodnam sit flagitium, & quæ sit ultio. Dedecus seculi, pervenerat ad nostras aures;

Struxerit insidias notus feritate Lycaon?
Confremuêre omnes: studiisque ardentibus ausum
Talia deposcunt. Sic, cùm manus impia sævis
Sanguine Cæsareo Romanum extinguere nomen,
Attonitum tanto subitæ terrore ruinæ
Humanum genus est; totusque perhorruit orbis.
Nec tibi grata minùs pietas, Auguste, tuorum,
Quàm fuit illa Jovi. Qui postquam voce manuque
Murmura compressit; tenuêre silentia cuncti.
Substitit ut clamor pressus gravitate regentis;
Jupiter hoc iterum sermone silentia rumpit;
Ille quidem pœnas (curam dimittite) solvit;
Quod tamen admissum, quæ sit vindicta, docebo.
Contigerat nostras infamia temporis aures:
Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo,
Et Deus humanâ lustro sub imagine terras.
Longa mora est, quantum noxæ sit ubique repertum,
Enumerare: minor fuit ipsa infamia vero.
Mænala transieram latebris horrenda ferarum,
Et cum Cylleno gelidi pineta Lycæi.

quod fictum exoptans, descendo à supremo cœlo, & deus percurro terras sub formâ humanâ. Prolixum esset recensere quantum sceleris sit inventum ubique. Infamia illa quam audivi *minor erat, quàm re ipsâ inveni. Præterieram* montem *Mœnalum terribilem latibulis ferarum & pineta Lycæi frigidi, & Cyllenum.*

NOTÆ.

199. *Confremuêre*] Simul omnes fremuêre, facinoris immanitate commoti, & testantes assensum cum indignatione.

200. *Deposcunt*] Ad supplicium.

Ib. *Manus impia*] Conjurantium in Augustum, quorum meminit Suetonius, c. 19. Neque enim placet intelligere de Julio Cæsare, qui conjurationi non superfuit.

207. *Substitit*] Postquam cessavit clamor, Jovis (omnia *regentis*) auctoritate cohibitus.

210. *Admissum*] Lycaonis crimen dicit.

211. *Infamia temporis*] *Rumor aut fama de perditissimis hominum moribus:* quo propemodum modo non Jovem, sed Jehovam locutum Gen. xviii. legimus; *Descendam*, inquit, *& videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint; an non sit ita, ut sciam.*

212. *Olympo*] Est propriè Olympus mons inter Thessaliam & Macedoniam, qui propter excelsitatem, pro ipso cœlo positus: à quo Jupiter ipse *Olympius* dictus est.

215. *Minor*] Atque adeò in pejori statu omnia reperit Jupiter, quàm fama didicerat.

216. *Mœnala*] Est Mœnalus, seu Mœnala plurali numero, mons Arcadiæ celeberrimus, à Mœnalo Arcadis filio denominatus: à quo & urbs eodem nomine dicta.

217. *Cyllene*] Est Cyllene, seu Cyllenus, mons Arcadiæ Mercurio (unde *Cyllenius* appellatur) dicatus: cujus regem prolepticè *Arcada* poëta nominat; cùm postea ab Arcade filio Callistûs, quæ filia erat Lycaonis, Arcadia (antea Pelasgis, Parrhasia, &c.) cognominata fuerit.

Ib. *Lycæi*] Mons est Arcadiæ, Pani sacer.

Arcad-

Arcados hinc ſedes & inhoſpita tecta tyranni
Ingredior, traherent cùm ſera crepuſcula noctem.
Signa dedi veniſſe Deum; vulguſque precari
Cœperat. Irridet primò pia vota Lycaon.
Mox ait, Experiar, Deus hic, diſcrimine aperto,
An ſit mortalis; nec erit dubitabile verum.
Nocte gravem ſomno nec opinâ perdere morte
Me parat. Hæc illi placet experientia veri.
Nec contentus eo, miſſi de gente Moloſsâ
Obſidis unius jugulum mucrone reſolvit:
Atque ita ſemineces partim ferventibus artus
Mollit aquis, partim ſubjecto torruit igni.
Quos ſimul impoſuit menſis; ego vindice flammâ
In domino dignos everti tecta Penates:
Territus ille fugit: nactuſque ſilentia ruris
Exululat, fruſtráque loqui conatur: ab ipſo
Colligit os rabiem, ſolitæque cupidine cædis
Vertitur in pecudes: & nunc quoq; ſanguine gaudet:
In villos abeunt veſtes, in crura lacerti;
Fit lupus, & veteris ſervat veſtigia formæ;
Canities eadem eſt, eadem violentia vultu:
Idem oculi lucent: eadem feritatis imago.
VIII. Occidit una domus: ſed non domus una perire

Inde ſubeo regnum & feram domum Arcadici tyranni, quo tempore tardè crepuſcula reducerent noctem. Feci indicium deum adveniſſe; & plebs cœperat orare. Primò Lycaon contemnit religioſa vota: deinde dicit, Experiar, an hic deus ſit, an mortalis, evidenti periculo; nec veritas erit incerta. Aggreditur me per noctem ſomno gravatum inopinâ morte opprimere. Hæc exploratio veri illi arridet. Neque eo expletus, jugulavit cultro unum obſidem miſſum de gente Moloſsâ: atque ita partim concoquit membra ſemiviva aquis bullientibus, partim aſſat igne ſuppoſito. Quæ ut primùm appoſuit menſis, ego flammâ ultrici ſubrui domum in penates tam impio domino dignos. Ille tremefactus exiit; & natus ſolitudinem agrorum exululat, & nequicquam tentat loqui: rictus ſumunt feritatem ab ipſo, & ruit in pecudes deſiderio ſtragis conſuetæ; & nunc etiam lætatur cruore. Amictus mutantur in pilos, brachia in crura; fingitur in lupum, & habet indicia antiquæ naturæ. Canities eſt eadem, eadem ſævitia in ore, iidem oculi rubent, eadem forma immanitatis.

VIII. *Unda domus diruta eſt; ſed non una tantùm domus.*

NOTÆ.

218. *Arcados*] Lycaonis regis Arcadiæ. Genitivus Græcus.

219. *Crepuſcula*] Eo nomine appellatur lux illa dubia, quæ ſolis exortum præcedit, ejuſdemque occaſum ſequitur.

226. *Molaſsâ*] Fuerunt Moloſſi Epiri populi ad Ambracii ſinûs partem orientalem, qui bello victi obſides Lycaoni dederant; quorum unum hic impius mactavit, Jovique epulandum appoſuit. Quam quidem fabulam planè aliter tractant alii; & apud Hyginum, Apollodorum, alioſque legere poteris.

227. *Reſ.avit*] *Aperuit.*

231. *Dignos*] Sunt Penates dii maximè regioni, urbi aut domui cuipiam proprii, qui in penetralibus, id eſt, penitis, & maximè domûs abditis partibus colebantur. In hos Lycaonis pravos, qui tali monſtro faverent, ſe domum evertiſſe teſtatur Jupiter.

232. *Territus*] Ædium ruinâ.

234. *Colligit os*] Lupin oris rubiem à Lycaonis internâ rabie eſſe dicit: ut hinc, ex characteribus externis ad intima cordis aditum eſſe, quivis poſſit colligere.

238. *Canities*] Scilicet in proverbium abiit *Lupi ſenectus, & pravitas.*

240. *Domus*] Lycaonis; cujus & aliorum ejuſmodi monſtrorum causâ terras Jupiter inviſerat, quas poſtea, cognitâ hominum nequitiâ, diluvio perdere conſtituit.

Ib. *Non una*] Imò omnes, quia perditiſſimorum latronum latebræ, & ſpeluncæ.

Digna

meruit occidere. Quatunquè tellus extenditur, vitium & crudelitas dominatur. Credas vovisse in nefas. Exsolvant statim omnes pœnas, quas digni sunt ferre, ita constitui. Pars assentiuntur verbis sententiæ Jovis, & instigant furentem: alii nutibus assensum significant. Interim exitium humanæ gentis molestum est omnibus; & petunt quæ figura, quis status futurus sit terræ, cùm vacua fuerit hominibus; quis sit præbiturus thura altaribus; an velit homines feris devorandos permittere? Rex deorum probibet exquirentes talia metuere, se omnia curaturum dicit, & pollicetur progeniem à priori discrepantem stupendâ procreatione. Jamque erat immissurus fulmina per omnes terras; verùm reformidavit, ne fortè æther incenderetur tot ignibus, & longus mundi axis arderet. Recordatur etiam esse in fatis futurum tempus, quo mare, quo terra, & cœli arces comburerentur, & orbis gravis machina premeretur. Fulmina facta manibus Cyclopum deposita sunt.

Digna fuit. Quà terra patet, fera regnat Erinnys.
In facinus jurâsse putes. Dent ocyùs omnes,
Quas meruêre pati, sic stat sententia, pœnas.
Dicta Jovis pars voce probant, stimulosque frementi
Adjiciunt: alii partes assensibus implent.
Est tamen humani generis jactura dolori
Omnibus: &, quæ sit terræ mortalibus orbæ
Forma futura, rogant; quis sit laturus in aras
Thura; ferisne paret populandas tradere gentes?
Talia quærentes, sibi enim fore cætera curæ,
Rex superùm trepidare vetat; sobolemque priori
Dissimilem populo promittit origine mirâ.
Jamque erat in totas sparsurus fulmina terras;
Sed timuit, ne fortè sacer tot ab ignibus æther
Conciperet flammas, longusque ardescerit axis.
Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat; & mundi moles operosa laboret.
Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.

NOTÆ.

241. *Erinnys*] *Feritas, impietas, inhumanitas.* Erinnys enim dicitur furia infernalis, discordiâ, bello, contentioneque gaudens. Sunt autem Erinnyes deæ tres (Alecto, Tisiphone, & Megara) ultrices illorum, qui sunt impii erga parentes. Dictæ sunt ϖαρὰ τὸ ἐν τῇ ἔρᾳ νεῖσθαι quòd in *terris habitent*, hominum facta speculantes. Eædem & Eumenides dicuntur Græcis per Antiphrasin; & σεμναὶ Θεαὶ apud Atticos, ubi & ara illarum quædam fuit.

242. *Facinus*] Posses, inquit, putare omnes homines, se mala omnia perpetraturos, conjurâsse.

243. *Stat*] Fixa est, & immota.

244. *Pars*] Deorum: Atque ad curiam Romanum alludisse videtur poëta, in quâ majorum gentium patres, vel à censoribus in senatum lecti, sententiam dicebant; minorum verò, vel nondum in senatum lecti, in aliorum sententias pedibus ire solebant; ex quo, vel eo quòd pedibus in senatum venirent, Pedarii dicti. A. Gel. lib. III. c. 18. Hinc Laberii Versus.

Caput sine linguâ Pedaria sententia est.

252. *Mirâ*] Sc. ex lapidibus.

255. *Longus*] Axem dicunt mathematici lineam rectam, quæ ab unâ orbis extremitate ad aliam per centrum porrigitur: finxerunt etiam circa ejusmodi lineæ extremitates, seu cardines, quibus totus orbis innitatur, eundem verti.

256. *Fatis*] Nihil aliud per fatum intellige, quàm quòd à deo constitutum est, ut necessariò eveniat; vel indeclinabilem rerum seriem & catenam.

258. *Ardeat*] De hâc ultimâ orbis per ignem, priorique per aquam devastatione, non modò multa à patribus ethnici audiverunt, sed & multa fabularum titulo scripserunt: de conflagratione autem extat Sibyllæ carmen.

Ib. *Operosa*] Multi operis.

259. *Cyclopum*] Sunt illi monoculi Vulcani in subigendo ferro, & Jovis fabricandis fulminibus, &c. administri, Neptuno & Amphitrite nati, vel, ut Hesiode placet, Cœli & Terræ filii.

Pœna placet diversa: genus mortale sub undis
Perdere, & ex omni nimbos dimittere cœlo.
Protinus Æoliis Aquilonem claudit in antris,
Et quæcunque fugant inductas flamina nubes:
Emittitque Notum. Madidis Notus evolat alis,
Terribilem piceâ tectus caligine vultum.
Barba gravis nimbis; canis fluit unda capillis;
Fronte sedent nebulæ; rorant pennæque, sinusque.
Utque manu latâ pendentia nubila pressit,
Fit fragor, hinc densi funduntur ab æthere nimbi.
Nuncia Junonis varios induta colores
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus adfert.
Sternuntur segetes, & deplorata coloni
Vota jacent; longique labor perit irritus anni.
Nec cœlo contenta suo Jovis ira; sed illum
Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis.
Convocat hic amnes. Qui, postquam tecta tyranni
Intravêre sui, Non est hortamine longo
Nunc, ait, utendum: vires effundite vestras.
Sic opus est. Aperite domos: ac mole remotâ
Fluminibus vestris totas immittite habenas.
Jusserat. Hi redeunt, ac fontibus ora relaxant:
Et defrænato volvuntur in æquora cursu.
Ipse tridente suo terram percussit: at illa

Supplicium aliud probatur: extinguere scilicet *gentem humanam in aquis, & dimittere imbres ex toto cœlo. Continuò boream cœrcet in speluncis Æoliis, & ventos omnes qui depellunt nubes inductas*(ceu velum)*terræ: & laxat austrum. Auster prorumpit alis humidis, velatus faciem horrendam nigris tenebris. Barba onusta imbribus: aqua decurrit albâ comâ; nebulæ sparguntur per frontem; & pennæ, & amictus exudant. Et postquam compressit vastâ manu nubes suspensas, erumpit sonitus: inde spissi imbres sparguntur ab æthere. Iris, ministra Junonis ornata diversis coloribus haurit aquas, & ministrat pabula nubibus: Sata proteruntur, & spes inanes agricolæ prostigatæ sunt; & opera prolixi anni evanescit sine omni fructu. Neque Jovis indignatio expleta suo cœlo; sed illi frater Neptunus aquas suas in auxilium accommodat. Hic arcessit fluvios; qui postquam subierunt domum sui regis, Nunc, inquit, non est opus prolixâ hortatione: exhaurite opes vestras. Ita expedit. Reserate domos: & sublatis impedimentis laxate tota fræna vestris fluviis. Imperavit. Illi revertuntur, & resolvunt ora scaturiginibus: & ruunt in campos cursu indomito: Ipse impulit terram suo tridente: & illa*

NOTÆ.

260. *Diversa*] Omnino, siquidem non igne, sed aquâ genus mortale delere destinat Jupiter. Quod diluvium, regnante Deucalione, in Thessaliâ, anno mundi 1437, 219 ante universale Noëticum accidit, ut quibusdam placet; nisi, quod probabilius est, per Deucalionem Noam ipsum intelligas, siquidem Lucianus in libro de deâ Syriâ, & Deucalionis arcam, & ejus uxorem, & filios, & columbam nunciam, & bina animalia ex omni genere memoret; quæ omnia vix quisquam de diluvio aliquo particulari possit exponere.

261. *Nimbos*] Eo nomine appellatur pluvia cum impetu ruens.

262. *Æoliis*] Æoli ventorum regis, Jovis filii.

Ib. *Claudit*] Quia nubes depellit, cœlumque serenat ventus ab axe septentrionali furens.

264. *Notum*] Ventum meridionalem Italis, & iis, qui ex illorum parte Mediterraneo mari sunt subjecti, aquæ nuncium.

265. *Tectus vultum*] Phrasis Græca pro *tectum habens vultum*.

268. *Pressit*] Hoc verbum aquarum descendentium copiam exprimit. Nubes enim, veluti spongia ebria compressa, aquam effundebant.

269. *Fragor*] Ex præcipitatis aquis, aut nubibus.

270. *Nuncia*] Pluvias siquidem denunciat, quæ in aëre, quem Juno suo nomine designat, concipiuntur: seu quoniam è nubibus fiunt, quibus Juno præest, ut Servius ait.

279. *Mole*] Obice quocunque.

Ib. *Domos*] *Fontes*, ubi habitant fluviorum Dii.

280. *Habenas*] Metaphora ab equis quâ, ut rapidissimo curru in terras sæviant, flumina hortatur Neptunus.

282. *Æquora*] *Camporum planitiem.*

283. *Tridente*] Est tridens Neptuni sævum gestamen, quo sceptri vice utitur, potest. temque suam exercet. Quâ etiam terram concutit, unde apud Homerum dicitur ἐννοσίγαιος & ἐννοσίχθων.

concussa est, & mota aperuit recessus aquarum. Fluvii vagi impetum faciunt in vastos campos; & auferunt arbusta una cum segetibus, & pecudes & homines, & domos, & penetralia cum suis sacris. Si qua domus stetit, & valuit obniti non obruta tantâ calamitate; nihilominus aqua altior occulit ejus fastigium, & turres submersæ vacillant sub aquarum congerie. Jamque nulla erat differentia inter æquor & terram. Omnia erant mare, & mare carebat littoribus. Hic invadit collem, alter sedet in curvo navigio, & ibi movet remos, ubi nuper araverat. Ille navigat supra sata, aut fastigia villæ absorptæ: hic invenit piscem in supremâ ulmo. Anchora fortè jacitur in prato virente: aut naves aduncæ radunt vineta subjecta. Et quâ parte macilentæ capellæ nuper carpserunt gramen, nunc ibi turpes phocæ demittunt sua corpora. Nereïdes admirantur lucos sub aquâ & oppida, & domos: & delphines possident nemora & feruntur in excelsos ramos, & impingunt in quercus concussas. Lupus natat inter oves: aqua rapit rufos leones: aqua rapit tigres. Nec dentes fulminei juvant aprum, nec pedes celeres cervum undarum impetu *abreptum. Atque avis vaga labitur in mare, alis defessis, postquam diu lustravit terras, ubi liceat quiescere. Immoderata licentia maris texerat colles, & inusitatæ undæ alluebat fastigia montium.*

Intremuit, motuque sinus patefecit aquarum.
Expatiata ruunt per apertos flumina campos;
Cumque satis arbusta simul, pecudesque, virosque,
Tectaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris.
Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto
Indejecta malo; culmen tamen altior hujus
Unda tegit, pressæque labant sub gurgite turres.
Jamque mare & tellus nullum discrimen habebant.
Omnia pontus erant. Deerant quoque littora ponto.
Occupat hic collem: cymbâ sedet alter aduncâ,
Et ducit remos illic, ubi nuper arârat.
Ille supra segetes, aut mersæ culmina villæ,
Navigat: hic summâ piscem deprêndit in ulmo.
Figitur in viridi (si Fors tulit) anchora prato:
Aut subjecta terunt curvæ vineta carinæ.
Et, modò quà graciles gramen carpsêre capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocæ.
Mirantur sub aquâ lucos, urbesque, domosque,
Nereïdes: silvasque tenent delphines, & altis
Incursant ramis, agitataque robora pulsant.
Nat lupus inter oves: fulvos vehit unda leones;
Unda vehit tigres. Nec vires fulminis apro,
Crura nec ablato prosunt velocia cervo.
Quæsitisque diu terris, ubi sidere detur,
In mare lassatis volucris vaga decidit alis.
Obruerat tumulos immensa licentia ponti,
Pulsabantque novi montana cacumina fluctus.

NOTÆ.

286. *Satis*] Sata dicuntur frumenta, præsertim postquam in herbam eorum germen erupit.

287. *Sacris*] Penatibus, quos suprà in penetralibus coli diximus.

292. *Omnia pontus erant*] *Egregiè & pro rei magnitudine dixit*, inquit Seneca. Malè autem, redundat altera pars carminis, minùs enim dicit quàm priùs dictum est.

300. *Phocæ*] Vituli sunt marini.

302. *Nereïdes*] Maris nymphæ, Nerei filiæ.

304. *Nat lupus*] Hic pro more suo in diluvii descriptione nimiùm moratur: id tamen iniquè reprehendit Seneca, quod ingenio suo lasciviè & pueriliter indulgeat: non enim, ut illi visum est, nugatur, & *quod oves & lupi faciant, curat*, sed seriò dicit lupum prædæ oblitum, utpote qui de suâ jam vitâ tuendâ magis erat sollicitus. Ita summus poëta in 3 Georg. sæviissimam pestem describens, ait:

Nec lupus insidias explorat ovilia circum, &c. nimirum.

——— *Acrior illum*
Cura domat.———

305. *Fulminis apro*] Utrum ab exertis utrinque dentibus fulminis cuspides referentibus? an quia ut fulmen, *obliquâ præstringit lumina flammâ*; sic & Aper *obliquo latrantes dissipat ictu?* lib. VII. ver. 344.

306. *Ablato*] Alii *alato*.

308. *Vaga*] Tum vaga præsertim: quæ nullos sibi notos nec campos, nec arbores videat.

Maxima

Maxima pars undâ rapitur : quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.
Separat Aonios Actæis Phocis ab arvis,
Terra ferax, dum terra fuit ; sed tempore in illo
Pars maris, & latus subitarum campus aquarum.
Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,
Nomine Parnassus, superatque cacumine nubes.
Hîc ubi Deucalion (nam cætera texerat æquor)
Cum consorte tori parvâ rate vectus adhæsit ;
Corycidas nymphas, & numina montis adorant,
Fatidicamque Themin ; quæ tunc orac'la tenebat.
Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit, aut illâ metuentior ulla deorum.
Jupiter ut liquidis stagnare paludibus orbem,
Et superesse videt de tot modò millibus unum,
Et superesse videt de tot modò millibus unam ;
Innocuos ambos, cultores numinis ambos ;
Nubila disjecit : nimbisque Aquilone remotis,
Et cœlo terras ostendit, & æthera terris.
Nec maris ira manet. Positoque tricuspide telo
Mulcet aquas rector pelagi, supraque profundum
Extantem, atque humeros innato murice tectum
Cæruleum Tritona vocat ; conchæque sonaci

Maxima pars aufertur aquâ : jejunia illos vincunt cibi indigentiâ, quibus aqua inclusit. Phocis solum fertile, quamdiu solum fuit, sed tunc pars maris, & vastus campus aquarum repentinarum divisit Aonios ab agris Atticis. Ibi mons excelsus, nomine Parnassus, porrigitur ad sidera duobus cacuminibus, & excedit nubes vertice. Postquam Deucalion huc (nam mare obruerat alia omnia) appulit cum uxore, vectus exiguâ navi, venerantur nymphas Corycidas, & deos montanos, & Themin fatidicam, quæ tunc habebat oracula. Nullus vir fuit melior, nec magis addictus justitiæ illo ; aut ulla magis pia, quàm illa fuit. Dum Jupiter videt mundum demersum liquidis paludibus, & unum restare de tot millibus, & unam restare de tot millibus : ambos insontes, ambos pios ; nubes dispersit ; & imbribus à Boreâ fugatis, patefacit terras cœlo, & cœlum terris. Neque æstus maris durat : & moderator ponti mitigat aquas, remoto telo trisulco : & arcessit glaucum Tritonem eminentem super mare, & obductos habentem humeros conchis congenitis ; & conchâm personantem

NOTÆ.

313. *Aonios*] Est Aonia Bœotia regio montana.

Ib. *Actæis*] Atticâ regione, quæ olim Actæa dicta est ab ἀκτη littus.

Ib. *Phocis*] Regio est inter Bœotiam & Atticam, à Phoco denominata, in quâ mons Parnassus.

316. *Verticibus*] Parnassus Mons biceps est, alter vertex *Tichoreum*, alter *Hyampeum* dicitur ; hic Baccho, ille Musis, & Apollini sacer.

——*Gemino petit æthera colle*
Mons Bromio, Phœboque sacer ——

319. *Consorte*] Pyrrhâ, *scilicet*.

320. *Corycidas*] Nymphæ fuerunt antri Corycii, sic dicti à nymphâ Corycià, ex quâ Apollo genuit Lycorum, à quo urbs nominata est Lycorea. Atque hinc Lucianus in Timone ait, Arcam appulisse ad Lycorim montem.

Ib. *Numina montis*] Deos topicos adorare advenis moris erat.

321 *Fatidicamque Themin*] Arcana fatorum prædicentem. Themis Cœli Terræque fuit filia, quam Jupiter nuptias suas fugientem in Macedoniâ assecutus compressit, Minervamque sustulit. Dea fuit, quæ præcipiebat hominibus, ut à diis peterent quod *fas* esset, unde etiam nomen accepit. Nam Θέμις *fas*, ac justum significat. Oracula ante Apollinem Delphis edidit, ut patet ex Sidonio, & Am. Marcellino.

332. *Murice*] Est murex concha ex cujus sanguine purpureus color conficitur, qui sæpe per muricem intelligendus : Tritonis autem humeris ingenitas conchas volunt, pro squamis honoris causâ.

333. *Tritona*] Erat Triton Neptuni filius, comes ejusdem, & tubicen, ore hominem, caudâ piscem referens.

mperat inflare & confestim revocare undas & fluvios signo dato. Ille corripit cornu cavum & intortum, quod auctum est in amplitudinem ab infimo orbe: quod quidem, *ut spiritu inflatum est in medio mari, pervadit sonitu littora porrecta sub utroque sole. Tum etiam, postquam admotum est ad ora dei madidâ barbâ stillanti, & inflatum indicavit jussos regressus, pervasit ad omnes fluctus terræ & maris; & repressit omnes, ad quos penetravit. Nunc mare habet littus: fossa continet fluvios cumulatos, amnes deprimuntur: olivi videntur prodire: Terra apparet: loca augentur aquis defluentibus: Postque dies aliquot, arbores exhibent fastigia spoliata, & habent lutum adhærens ramis. Mundus restitutus erat. Quem ut Deucalion vidit vacuum, & terras afflictas latè silere, hoc modo alloquitur Pyrrham lachrymis prorumpentibus: O soror, ô uxor, ô mulier sola superstes, quam sanguis idem cum meo, & origo patruelis, deinde lectus consociavit; nunc ipsa pericula consociant: nos duo sumus frequentia terrarum, quaqunque oriens & occidens aspicit. Mare absorbuit reliqua. Nunc etiam nondum satis est tuta vita nostra: nubes etiamnum concutiunt animum. Quis nunc tibi sensus esset ô misera, si tuisses liberata fatis sine me? Quomodo posses tolerare metum sola? quo leniente dolores? Namque ego, fidem mihi habe, siquidem jam mare te teneret, te comitarer, & mare me quoque haberet.*

Inspirare jubet; fluctusque & flumina signo
Jam revocare dato. Cava buccina sumitur illi
Tortilis, in latum quæ turbine crescit ab imo:
Buccina, quæ medio concepit ut aëra ponto,
Littora voce replet sub utroque jacentia Phœbo.
Tum quoque, ut ora dei madidâ rorantia barbâ
Contigit, & cecinit jussos inflata receptus,
Omnibus audita est telluris & æquoris undis:
Et quibus est undis audita, coërcuit omnes.
Jam mare littus habet: plenos capit alveus amnes:
Flumina subsidunt: colles exire videntur:
Surgit humus: crescunt loca decrescentibus undis:
Postque diem longam nudata cacumina silvæ
Ostendunt, limumque tenent in fronde relictum.
Redditus orbis erat. Quem postquam vidit inanem,
Et desolatas agere alta silentia terras,
Deucalion lachrymis ita Pyrrham affatur obortis:
O soror, ô conjux, ô fœmina sola superstes,
Quam commune mihi genus, & patruelis origo,
Deinde torus junxit; nunc ipsa pericula jungunt:
Terrarum, quascunque vident occasus & ortus,
Nos duo turba sumus. Possedit cætera pontus.
Nunc quoque adhuc vitæ non est fiducia nostræ
Certa satis: terrent etiamnum nubila mentem.
Quid tibi, si fine me fatis erepta fuisses,
Nunc animi, miseranda, foret? quo sola timorem
Ferre modo posses? quo consolante dolores?
Namque ego, crede mihi, si te modò pontus haberet,
Te sequerer, conjux, & me quoque pontus haberet.

NOTÆ.

334. *Signo dato*] Signo intellige quod det Triton, buccinâ solitus aquas increpare.

336. *Quæ turbine*] Quæ ab ore angusto incipit, & in amplum desinit ad turbinis speciem.

337. *Medio*] Quo possit commodiùs ex omni parte à marinis fluctibus, velut animatis, exaudiri.

Ib. *Cœpecit*] Buccinam eam inflante Tritone.

338. *Sub utroque*] *Oriente & occidente:* quæ hyperbole est; maxima audita est buccina, aquis cunctis receptui.

346. *Longam*] Post multos dies, imò & menses, anni denique spatium, si de diluvio universali intelligas.

Ib. *Nudata*] Scilicet & fructus & folia deciderant.

351. *Soror*] Patruelis, non germana.

352. *Patruelis origo*] Quippe Deucalion Promethei, Pyrrha Epimethei; Prometheus & Epimetheus Iapeti soboles.

358. *Erepta fatis*] Ut sola superstes fuisses.

O utinam

O utinam poſſem populos reparare paternis
Artibus; atque animas formatæ infundere terræ!
Nunc genus in nobis reſtat mortale duobus.
Sic viſum Superis: hominumque exempla manemus.
Dixerat, & flebant. Placuit cœleſte precari
Numen; & auxilium per ſacras quærere ſortes.
Nulla mora eſt; adeunt pariter Cephiſidas undas,
Ut nondum liquidas, ſic jam vada nota ſecantes.
Inde ubi libatos irroravêre liquores
Veſtibus, & capiti; flectunt veſtigia ſanctæ
Ad delubra Deæ; quorum faſtigia turpi
Squallebant muſco; ſtabantque ſine ignibus aræ.
Ut templi tetigêre gradus, procumbit uterque
Pronus humi, gelidoque pavens dedit oſcula ſaxo.
Atque ita, Si precibus, dixerunt, numina juſtis
Victa remolleſcunt, ſi flectitur ira deorum;
Dic, Themi, quâ generis damnum reparabile noſtri
Arte ſit, & merſis fer opem, mitiſſima, rebus.
Mota Dea eſt; ſortemque dedit: Diſcedite templo;
Et velate caput; cinctaſque reſolvite veſtes;
Oſſaque poſt tergum magnæ jactate parentis.
Obſtupuêre diu: rumpitque ſilentia voce
Pyrrha prior: juſſiſque Deæ parere recuſat:
Detque ſibi veniam, pavido rogat ore: pavetque

O utinam mihi liceret renovare humanum genus calliditate patris; atque immittere animas luto effictio! Nunc gens humana ſupereſt in nobis duobus: Sic diis placitum: & ſumus exemplaria hominum. Abſolverat, & lachrymabantur. Libuit orare potentiam divinam; & opem petere per ſacra oracula. Sine cunctatione deſcendunt ſimul ad aquas Cephiſidas, quemadmodum nondum puras, ſic tamen nunc pervadentes notum alveum. Tum poſtquam infuderunt aquas delibatas veſtimentis & capiti, iter inſtituunt ad templum ſacræ deæ; cujus cacumina turpiter muſcoſcebant; & foci erant ſine ignibus. Ut tetigerunt gradus templi, uterque pronus humi ſternitur, & timidus deoſculatus eſt petram frigidam. Atque ita locuti ſunt: Si dii ſuperati flectuntur æquis precibus, ſi ira eorum temperatur; dic, Themi, quomodò exitium noſtræ gentis ſit medicabile, &, ſuaviſſima, ſuccurre rebus obrutis. Dea victa eſt; & reſponſum dedit: Amolimini vos à templo; & tegite caput; & diſcingite amictus adſtrictos; & mittite poſt dorſum oſſa magnæ matris. Diu admirati ſunt: & Pyrrha prior locuta eſt: & negat ſe objecturam mandatis deæ: & precatur ore timido, ſibi ignoſcat: & veretur

NOTÆ.

363. *Paternis*] Promethei, quem antea hominem ex luto finxiſſe, eumque igne cœlitus ſurrepto animâſſe vidimus.

368. *Sortes*] Oracula & deorum reſponſa. Turneb. lib. V. cap. 21.

369. *Cephiſidas*] Cephiſi amnis, ex Parnaſſo manantis, & præterfluentis Delphos. Lucan. lib. III. v. 177.

——*Quos impiger ambit*
Fatidicâ Cephiſos aquâ——

370. *Nondum liquidas*] Imò limo turbidas.

Ib. *Vada nota ſecantes*] Quia intra alveum continebantur.

371. *Irroravêre*] Solemni ſacra facientium more, aquæ vivæ, id eſt, fluentis, & Themidi ſacræ aſpergine ſeſe luſtraverunt. Antiqui enim templum ingreſſuri, deoſque precaturi, priùs ſe aquâ aſpergebant, & lavabant.

373. *Deæ*] Themidis, cui ſacer Cephiſus.

376. *Pavens*] Præſentis numinis horrore correpti ſunt.

381. *Templo*] Templum eſt locus Auguris manu vel lituo deſignatus.

Ib. *Diſcedite*] Iſtud ex veteribus ritibus curioſiùs exponunt nonnulli, quod ſimpliciter accipiendum arbitror.

382. *Velate caput*] Iſtud jam ex diſciplinâ veteri: Nempe velato capite deos adorabant, humiles ſe & indignos confeſſi, aut veriti, ne quid mali ominis ſacra interturbaret, id docente Plutarcho. Unde Helenus Æneid. III. ad Æneam.

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne quâ inter ſanctos ignes in honore deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.
Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto:
Hâc caſti maneant in religione nepotes.

Ib. *Cinctaſque*] Piaculum enim in ſacrificio erat aliquid eſſe religatum.

violare manes matris, ossibus jactatis. Interea revolvunt secum voces dati responsi obscuras arcanis mysteriis, & inter se excutiunt. Postea Promethei filius solatur Pyrrham lenibus verbis, & inquit, Aut me animus fallit, aut responsa deæ sunt pia, & nullum nefas suadent. Terra est magna mater; opinor saxa vocari ossa in corpore terræ: jubemur ea mittere pone dorsum. Quamvis Titania tacta est conjecturâ mariti, tamen spes fluctuat: adeò utrique diffidit jussis cœlestibus. Verùm quid obest periculum facere? Descendunt, & caput operiunt, & laxant vestes, & post terga jaciunt saxa præscripta ab oracula ita jacturi. *Lapides (quis istirei fidem adhibeat, nisi antiquitas probet?) cœperunt omittere sucum duritatem, & suum rigorem; & emolliri tempore, & emoliti sumere formam. Mox ubi aucti sunt, & natura lenior illis data est, ut aliqua dignosci possit figura hominis, sic non evidens, sed ut de marmore sumto, non satis accurata, & similima statuis impolitis. Quæ tamen pars ex illis fuit madida aliquo humore; & terrestris, mutata est in substantiam corporis: Quod durum est, & nequit molliri, transit in ossa: quod modò fuit vena, perstitit sub eodem nomine. Atque brevi, deorum dono, lapides jacti manibus viri induerunt formam masculam; & fœmina restituta est jactu fœmineo.*

Lædere jactatis maternas ossibus umbras.
Interea repetunt cæcis obscura latebris
Verba datæ sortis secum, inter seque volutant.
Inde Promethides placidis Epimethida dictis
Mulcet, &, Aut fallax, ait, est solertia nobis:
Aut pia sunt, nullumque nefas oracula suadent.
Magna parens terra est: lapides in corpore terræ
Ossa reor dici: jacere hos post terga jubemur.
Conjugis augurio quamquam Titania mota est;
Spes tamen in dubio est. Adeo cœlestibus ambo
Diffidunt monitis. Sed quid tentare nocebit?
Descendunt; velantque caput, tunicasque recingunt;
Et jussos lapides sua post vestigia mittunt;
Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)
Ponere duritiem cœpêre, suumque rigorem;
Mollirique morâ, mollitaque ducere formam.
Mox, ubi creverunt, naturaque mitior illis
Contigit, ut quædam, sic non manifesta, videri
Forma potest hominis; sed utì de marmore cœpto
Non exacta satìs, rudibusque simillima signis.
Quæ tamen ex illis aliquo pars humida succo,
Et terrena fuit, versa est in corporis usum.
Quod solidum est, flectique nequit, mutatur in ossa:
Quod modò vena fuit, sub eodem nomine mansit.
Inque brevi spatio, Superorum munere, saxa
Missa viri manibus faciem traxêre virilem;
Et de fœmineo reparata est fœmina jactu.

NOTÆ.

387. *Umbras*] *Animas*; quas lædi credebat antiquitas illata cadaveribus, aut tumulis injuriâ.

388. *Latebris*] Latebat verò sensus sub obscurorum verborum ambage.

390. *Promethides*] Deucalion Prometheifilius.

1b. *Epimethida*] Pyrrham Epimethei filiam.

395. *Augurio*] *Interpretatione*, sanè felici.

1b. *Titania*] Pyrrha Iapeti Titanis neptis.

404. *Ut quædam*] Lapides dicit, qui projecti fuerant, quanquam aliquam post moræ tantillum formam induissent, imperfectam tamen habuisse, ut nondum constaret quid essent.

405. *Cœpto*] *Inchoato, & nondum ad simulacri alicujus perfectam formam expolito.*

408. *Corporis*] *Carnis*, quæ tamen propriè de animalibus mortuis dicitur.

410. *Vena*] Habent etiam lapides suo modo venas, quas & oculis licet deprehendere.

413. *Fœmineo*] Pyrrhæ, quæ lapides post terga etiam projecerat.

Inde genus durum sumus, experiensque laborum ;
Et documenta damus, quâ simus origine nati.
IX. Cætera diversis tellus animalia formis
Sponte suâ peperit, postquam vetus humor ab igne
Percaluit Solis ; cœnumque, udæque paludes
Intumuêre æstu ; fœcundaque semina rerum
Vivaci nutrita solo, ceu matris in alvo
Creverunt, faciemque aliquam cepêre morando.
Sic ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus, & antiquo sua flumina reddidit alveo,
Æthereoque recens exarsit sidere limus ;
Plurima cultores versis animalia glebis
Inveniunt ; & in his quædam modò cœpta sub ipsum
Nascendi spatium : quædam imperfecta suisque
Trunca vident numeris : & eodem in corpore sæpe
Altera pars vivit ; rudis est pars altera tellus.
Quippe ubi temperiem sumsêre humorque, calorque,
Concipiunt : & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cùmque sit ignis aquæ pugnax ; vapor humidus omnes
Res creat, & discors concordia fœtibus apta est.
Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti
Solibus æthereis, altoque recanduit æstu,
Edidit innùmeras species : partimque figuras
Retulit antiquas : partim nova monstra creavit.

Hinc progenies sumus aspera & patiens laborum ; & sumus indicio, quo simus principio orti.

IX. Terra produxit ultro reliqua animalia variis formis, postquam vetus succus incaluit à radiis solis ; & lutum, & humidæ paludes inflatæ sunt calore ; & semina fœcunda rerum in terrâ vegetâ aucta sunt, sicut in utero matris, & induerunt aliquam formam tempore. Sic ubi Nilus septemfluus destituit campos humidos, & reduxit suas undas in veterem fossam, & cœnum novum incaluit sole ; agricolæ reperiunt multa animalia cespitibus inversis ; atque inter ea nonnulla primùm inchoata in ipso generationis tempore : vident alio nondum absoluta, & destituta suis partibus : & in eodem corpore pars altera vivit ; pars altera est terra crassa. Nempe ubi calor & humiditas temperati sunt, concipiunt : & omnia initium habent ab istis duobus. Et cùm calor sit contrarius humiditati ; calor humidus creat res omnes, & discors concordia est idonea ad generationes. Postquam igitur terra cœnosa nuperâ eluvie incaluit sole æthereo, & intensis caloribus, emisit species infinitas : & partim reddidit formas antiquas : partim formavit nova monstra.

NOTÆ.

416. *Cætera*] Falsò quidem hoc dicit ; nam vel de insectis etiam, num sine semine aliquo generentur, non sine causâ dubitant nonnulli : sunt ergo hæc pura poëtarum figmenta.

417. *Vetus*] Ex diluvii aquis.

419. *Intumuêre*] Ut prægnantes solent.

420. *Vivaci solo*] Terrâ vitam submini-strante.

422. *Septemfluus*] Quia per septem ostia præcipua in mare erumpit Nilus, qui singulis annis Ægyptum, regionem alioqui siccam, inundat & fœcundat.

424. *Sidere*] Sole.

425. *Animalia inveniunt*] Quæ per se sine semine, *scil.* natura produxerit ; quod & Mela historicus refert. Cæterùm insecta quidem ex corruptione nasci plerique concedunt ; perfecta animalia sine semine generari posse naturaliter, non is sum qui credam.

427. *Imperfecta*] Inchoatis equidem perfectiora, sed quæ omnibus membris nondum constiterint, terramque inanimatam secum traxerint, nondum numeris omnibus absoluta.

430. *Temperiem*] Quæ est medium siccitatis & frigiditatis participans, ex caloris & humiditatis pugnâ conflatum.

431. *Concipiunt*] Ex humidi & calidi-temperie fieri docet generationem : quam quidem sine illâ dari posse, vix quisquam ausit affirmare.

432. *Vapor*] Pro calore sumiter ; quomodo & Virgilius, aliique sunt locuti.

Illa quidem invita, sed produxit te quoque eo tempore, maxime Python; & eras horror recentibus populis, serpens ignote: tantam tegebas partem montis. Deus arcu insignis, & nunquam usus antea ejusmodi telis, nisi adversus damas & capreas fugaces, interfecit hunc impeditum mille sagittis, pharetrâ, propemodum exinanitâ, tabo exhausto per atra vulnera: Et ne tempus posset oblivioni mandare gloriam facti, instituit sacros ludos claro certamine, dictos Certamina *Pythia à nomine serpentis interfecti. Quicunque adolescentum victor discesserat pugilatu, cursu, aut curru, reportabat coronam ex ramis esculi. Laurus nondum extabat; & Apollo redimibat dequâvis arbore tempora insignia prolixâ comâ.*

Illa quidem nollet, sed te quoque, maxime Python,
Tum genuit: populisque novis, incognite serpens,
Terror eras: tantum spatii de monte tenebas.
Hunc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis
Antè, nisi in damis, capreisque fugacibus, usus,
Mille gravem telis, exhaustâ penè pharetrâ,
Perdidit effuso per vulnera nigra veneno.
Neve operis famam posset delere vetustas;
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia de domiti serpentis nomine dictos.
His juvenum quicunque manu, pedibusve, rotâve
Vicerat; esculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum lauris erat; longoque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.

X. Primus amor Phœbi Daphne Peneïa; quem non
Fors ignara dedit, sed sæva Cupidinis ira.

X. *Daphne Pencia fuit primus amor Apollinis, quem non fortuna insicia, sed atrox ira cupidinis movit.*

NOTÆ.

438. *Python*] Serpens fuit miræ magnitudinis, ex terræ corruptione, post diluvium, natus, quem Apollo interfecit. Quâ fabulâ graviſſimas à diluvio exhalationes radiis ſuis ſolem attenuâſſe ſignificare voluerunt Mythologi: quanquam alia alii, ad libitum quiſque, comminiſcuntur.

441. *Arcitenens*] *Apollo* eſt ſeu *Sol*, jaculandi peritiâ, & radiantibus ſuis ſagittis poëtis decantatiſſimus.

443. *Gravem* Al. gravi; *i. e.* gravida, plena. *Gravem telis*] Quæ in ipſum ſerpentem Apollo conjecerat.

444. *Nigra*] Propter circumfuſum ſanguinem nigrum.

446. *Instituit sacros*] Vide Scal. poët. lib. I. cap. 23. A Diomede tamen Pauſanias in Corinthiacis Pythia inſtituta ſcribit; ab Eurylocho Theſſalo. Pindari interpres: ab Apolline, noſter poëta. Apud Græcos nobilitata ſunt quatuor ludorum genera. Olympiaci, Pythii, Iſthmii, Nemeæi; de quibus Pauſanias, lib. II. cap. 3.

448. *Manu*] Id eſt, pugilatu, curſu, pedeſtri, & curuli. Quanquam & certamina, & victorum præmia, & tempora variè immutata fuiſſe, hinc inde, ut eſt fabularum præſertim, & veteris hiſtoriæ, itemque hominum ingenium, apud varios legere poteris.

449. *Esculeæ*] Ex eſculi arboris fronde confectâ coronâ donabantur victores; quæ quidem eſculus ex glandiferarum eſt genere, ita dicta, autore Servio, quòd ejus glandibus, ante fruges inventas, mortales, pro *eſcâ* uterentur.

450. *Longo*] Ira verò pingebatur, & pingi decuit propter radios.

452. *Primus*] Lauri, aut ex eâ arbore confectæ coronæ, quâ donabantur victores, occaſione, ad Phœbi erga Daphnen amores poëta deſcendit, quæ in laurum, ejus nominis arborem, mutata eſt.

Ib. *Daphne*] Penei fuit Theſſaliæ fluvii (vel, ut aliis placet, Ladonis) filia, cujus conſitæ ripæ lauris: unde locus datus fabulæ: nam lauris Græcè Daphne dicitur.

453. *Cupidinis*] *Amoris*, Jovis & Veneris filii, ut nonnullis placet; vel, ut alii volunt, Martis & Veneris; vel Cœli & Terræ, *&c.*

Delius

Delius hunc, nupèr victâ serpente superbus,
Viderat adducto flectentem cornua nervo:
Quidque tibi, lascive puer, cum fortibus armis?
Dixerat: ista decent humeros gestamina nostros;
Qui dare certa feræ, dare vulnera possumus hosti;
Qui modò pestifero tot jugera ventre prementem
Stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis.
Tu face nescio quos esto contentus amores
Irritare tuâ: nec laudes assere nostras.
Filius huic Veneris: Figat tuus omnia, Phœbe;
Te meus arcus, ait: quantóque animalia cedunt
Cuncta tibi, tantò minor est tua gloria nostrâ.
Dixit: & elisso percussis aëre pennis,
Impiger umbrosâ Parnassi constitit arce;
Eque sagittiferâ promsit duo tela pharetrâ
Diversorum operum. Fugat hoc, facit illud amorem.
Quod facit, auratum est, & cuspide fulget acutâ:
Quod fugat, obtusum est, & habet sub arundine plumbum.
Hoc Deus in nymphâ Peneïde fixit; at illo
Læsit Apollineas trajecta per ossa medullas.
Protinus alter amat; fugit altera nomen amantis,
Sylvarum latebris, captivarumque ferarum
Exuviis gaudens, innuptæque æmula Phœbes,
Vitta coercebat positos sine lege capillos.
Multi illam petière: illa aversata petentes,

Apollo, elatus ob nupèr superatam serpentem, viderat hunc curvantem arcum nervo adducto: & dixerat. Quid tibi cum duris armis, puer lascive? Ista gestamina conveniunt nostris humeris: qui possumus certas plagas inferre feris & hostibus: qui nuper occidimus infinitis spiculis Pythonem influtum, tegentem tot jugera ventre venenato. Tibi satis sit incendere nescio quos amores face tuâ: nec tibi arroga nostram gloriam. Filius Veneris huic respondit: Apollo, arcus tuus cætera transverberet, meus te figat: & quantò animalia omnia sunt te minora, tantò minores sunt tuæ laudes nostris. Absolverat, & celer, aëre percusso alis agitatis, pedem posuit in cacumine umbroso Parnassi, & sumsit duas sagittas ex pharetrâ variorum effectuum. Hæc excutit, illa inducit amorem. Quæ inducit aurata est, & splendet mucrone acuminato; quæ excutit est hebes, & habet plumbum sub cannâ. Deus immisit hancce in nymphan Peneïdem; at vulneravit illâ medullas Apollinis per ossa transfixa. Continuò alter amat; altera odit nomen amantis, sese oblectans antris silvarum, & spoliis ferarum captarum, & imitans Dianam virginem, vitta retinebat comam incomtam. Plurimi illam concupiverunt: illa exosa ambientes,

NOTÆ.

454. *Delius*] Apollo est, in Delo Ægæi maris insulâ, unà cum Dianâ sorore natus.

455. *Flectentem cornua*] *Sagittas arcu emittentem.* Cornua autem, quæ ad arcûs extremitatis aptantur, pro ipso arcu posuit.

458. *Qui dare*] Vide annon magnificè hæc omnia, & ut decuit mox superbiâ suâ periturum.

461. *Nescio quos amores*] Cum quodam contemptu hæc dicuntur; ac si diceret, leves, molles, & hominibus negligendos.

Ib. *Face*] Faces videmus in amoribus, sicut & sagittas, arma Cupidinis.

467. *Arce*] Pro cacumine posuit Parnassi.

469. *Diversorum operum*] Id est, quorum contrarius erat effectus.

471. *Arundine*] Est arundo aquaticus frutex, quo fiebant sagittæ: unde pro ipsis persæpe sumitur.

472. *Nympha*] Daphnen plumbo armatâ sagittâ tetigit.

474. *Fugit altera*] Fingitur Daphne Apollinem (seu Solem) fugere, quòd laurus umbram & loca opaca amet.

476. *Phœbes*] *Dianam* dicit Phœbi sororem, quæ virgo incorrupta & venatrix.

477. *Vitta*] Fascia est, quâ matronæ pudicæ, virgines, vestalesque crines coërcebant, & caput ornabant; sæpius pro pudicitiâ indicandâ Ovidius utitur.

478. *Multi*] Proci *sollicet.*

impatiens & expers mariti percurrit loca devia & intercepta silvarum: neque cogitat quid sit Hymen, quid sit amor, quid sint conjugia. Parens dixit sæpe: Nata, debes mihi generum. Parens dixit sæpe: Nata, debes mihi posteros. Illa aversata faces nuptiales, tanquam flagitium erubescit venusto ore; & amplectens collum patris mitibus brachiis, dixit, Concede mihi, pater suavissime, indelibatâ virginitate frui: Parens istud concessit antea Dianæ. Ille equidem annuit: verùm ista elegantia prohibet esse quod voves: & tua pulchritudo facit contra tuum desiderium. Apollo amat; & optat conjugia visæ Daphnes: & sperat quæ optat, & sua responsa illum decipiunt. Et quemadmodum levis culmus comburitur sublatis aristis; quemadmodum sæpes flagrant tædis, quas fortè viator vel nimis admovit, vel jam deseruit sub die; sic deus conflagravit; sic æstuat totis visceribus, & alit sperando vanum amorem. Videt comam incomtam lapsam super collo. Et dicit, Quid si componatur? Videt oculos radiantes luce pares astris. Videt os; quod non est satis vidisse. Probat digitos & manus, & brachia, & lacertos plus dimidiâ parte nudos.

Impatiens, expersque viri, nemorum avia lustrat;
Nec quid Hymen, quid Amor, quid sint connubia curat. 480
Sæpe pater dixit: Generum mihi, filia, debes.
Sæpe pater dixit: Debes mihi, nata, nepotes.
Illa velut crimen tædas exosa jugales,
Pulchra verecundo suffunditur ora rubore;
Inque patris blandis hærens cervice lacertis, 485
Da mihi perpetuâ, genitor carissime, dixit,
Virginitate frui: dedit hoc pater antè Dianæ.
Ille quidem obsequitur: sed te decor iste, quod optas,
Esse vetat: votoque tuo tua forma repugnat.
Phœbus amat; visæque cupit connubia Daphnes: 490
Quæque cupit, sperat: suaque illum oracula fallunt.
Utque leves stipulæ demtis adolentur aristis;
Ut facibus sepes ardent, quas fortè viator
Vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit;
Sic deus in flammas abiit: sic pectore toto 495
Uritur, & sterilem sperando nutrit amorem.
Spectat inornatos collo pendere capillos.
Et, Quid si comantur? ait. Videt igne micantes
Sideribus similes oculos. Videt oscula; quæ non
Est vidisse satis. Laudat digitosque, manusque, 500
Brachiaque, & nudos mediâ plus parte lacertos.

NOTÆ.

480. *Hymen*] Fuit Hymen sive Hymenæus deus nuptiarum præses, Liberi patris & Veneris, vel, ut aliis placet, Uraniæ filius; qui etiam pro ipsis nuptiis sumitur.

483. *Tædas jugales*] *Nuptias.* Novis enim nuptis (quæ in maritorum domum nocte deducebantur) quinque faces præferebantur; ut scribit Plutarchus in Problematicis.

486. *Da mihi perpetuâ*] Ita Diana ipsa apud Callimachum.

Δός μοὶ παρθενίην αἰώνιον, ἄτλα, φυλάσσειν.

487. *Pater*] Jupiter: quod jam sæpe vidimus.

488. *Ille*] Peneus filiæ obtemperans.

1b. *Sed te*] Daphnem ipsam alloquitur poëta, ingenii sui non immemor.

489. *Repugnat*] Quia à multis expetuntur quæ pulchræ sunt.

491. *Suaque*] Notiora sunt Apollinis oracula, quàm ut toties recantata narrare instituamus. Negat Naso sibi potuisse consulere Apollinem, qui aliis ipsorum fata aparuerit.

492. *Demtis*] *Postquam pars major paleæ unà cum aristis collecta est, manente in campo stipulâ.*

494. *Reliquit*] Viatores, adventante luce, facem nullius jam usûs objiciunt negligenter; unde sepibus incendium.

Semustamque facem vigilatâ nocte viator
Ponit.—Fast. lib. IV. ver. 164.

496. *Sterilem*] Vanum, ex quo nullam voluptatem est habiturus.

499. *Non est vidisse*] Quia enim non tantùm parva ora videre, sed ea osculari cupiebat.

Si

Si qua latent, meliora putat. Fugit ocyor aurâ
Illa levi: neque ad hæc revocantis verba resistit:
Nympha, precor, Peneïa, mane: non insequor hostis.
Nympha, mane. Sic agna lupum, sic cerva leonem,
Sic aquilam pennâ fugiunt trepidante columbæ;
Hostes quæque suos. Amor est mihi causa sequendi.
Me miserum! ne prona cadas, indignave lædi
Crura secent sentes; & sim tibi causa doloris.
Aspera, quâ properas, loca sunt. Moderatiùs, oro,
Curre, fugamque inhibe: moderatiùs insequar ipse.
Cui placeas, inquire tamen. Non incola montis,
Non ego sum pastor: non hîc armenta, gregesve
Horridus observo. Nescis, temeraria, nescis
Quem fugias: ideoque fugis. Mihi Delphica tellus,
Et Claros, & Tenedos, Patareaque regia servit.
Jupiter est genitor. Per me quod eritque, fuitque,
Estque, patet. Per me concordant carmina nervis.
Certa quidem nostra est; nostrâ tamen una sagitta
Certior, in vacuo quæ vulnera pectore fecit.
Inventum medicina meum est; opiferque per orbem
Dicor; & herbarum subjecta potentia nobis:
Hei mihi, quòd nullis amor est medicabilis herbis:
Nec prosunt domino, quæ prosunt omnibus, artes!
Plura locuturum timido Peneïa cursu
Fugit; cumque ipso verba imperfecta reliquit:
Tum quoque visa decens. Nudabant corpora venti,

Si quædam occultantur, credit formosiora. Illa celerior vento levi properat: neque remoratur ad hæc verba revocantis: Nympha Peneïa, quæso, expecta, inquit Apollo: *non persequor infensus: Nympha, expecta. Sic agna fugit lupum, sic cerva leonem, sic columbæ sese surripiunt ab aquilâ alis timidis; singulæ suos hostes. Amor est mihi causa insequendi. Me infelicem! ne labaris prona, & vepres lacerent pedes inmeritos vulnerari; & sim tibi causa mœroris. Loca quà festinas, sunt difficilia: curre, quæso, leniùs, & cohibe fugam: ipse persequar leniùs. Quære tamen cui grata sis. Ego non sum monticola, non sum pastor; non hîc custodio hirsutus armenta vel greges. Nescis, inconsulta, quem vites: ideoque vitas. Terra Delphica, & Claros, & Tenedos, & regia Patareæa mihi paret. Jupiter pater est. Quodcunque fuit, est, & erit, apparet per me. Per me versus consonant chordis. Nostrum quidem spiculum certum est; attamen unum certius, quod læsit cor liberum. Medicina est reperta à me, & vocor auxiliaris per mundum; & vires plantarum nobis subjiciuntur. Hei mihi, quòd amor nullis herbis est sanabilis: neque scientia, quæ omnes, juvat magistrum: Daphne fugit cursu pavido plura dicturum; & destituit verba incompleta cum ipso: Tum etiam visa est pulchra: aura detegebat corpus,*

NOTÆ.

505. *Sic agna*] Non minùs Phœbum Daphne fugiebat, quam agna lupum, &c.

507. *Amor*] Verba sunt Phœbi Daphnen fugientem sequentis.

515. *Delphica*] Fuit urbs *Delphi* Phocidis in Achaiâ, ad Parnassum, Apollinis oraculo clarissima.

516. *Claros*] Oppidum fuit Ioniæ, ubi mons & lucus Apollini sacer: itemque insula in mari Myrtoo, de quâ hîc sermonem esse voluerunt nonnulli.

Ib. *Tenedos*] Insula fuit è regione Trojæ, in mari Ægæo.

Ib. *Patareaque*] Sita fuerant Patara juxta mare Lycium in minore Asiâ, ubi delubrum fuit Apollini sacrum oraculorum fide celeberrimum.

518. *Concordant*] Quia musicæ & lyræ inventor.

519. *Certa quidem nostra*] Se peritum quidem sagittarium profitetur; sed Cupidinem, à quo erat percussus, peritiorem esse ait.

520. *Vacuo*] Libero ab amoris affectu.

522. *Herbarum*] Quia medicinæ inventor. Herbas autem in medicinâ potentes sol (seu Apollo) è terrâ elicit. Hinc Apollo dicitur medicinæ inventor.

526. *Imperfecta*] Quæ nondum Apollo plura dicturus, absolverat.

Obviaque

& venti oppositi agitabant amictus reluctantes: & lenia flamina rejiciebant in humeros comam incomtam: & forma speciosior fuit fugâ. Verùm juvenis deus non potest amplius profundere sua blandimenta: & pro impulsu ipsius amoris sequitur vestigia festino gressu. Quemadmodum canis Gallicus, cùm vidit leporem in campo aperto; & hic quærit rapinam pedibus, ille incolumitatem: alter similis correpturo, jam jamque credit apprehendere, & instat vestigiis porrecto rostro: alter dubitat, an sit correptus; & avellitur ipsis morsibus; & destituit rictus pertingentes. Sic deus & puella est: hic spe velox, illa metu. Qui tamen persequitur, sustentatus pennis amoris, celerior est, neque dat spatium respirandi: & instat tergo fugaci: & ventilat spiritu capillos diffusos per collum. Illa expalluit viribus exhaustis, & superata labore celeris fugæ aspiciens aquas Peneïdas, dixit, Genitor succurre; si vos fluvii habetis aliquam potestatem. Vel hisce, ô Terra, in quâ nimis grata fui, vel dele formam, quæ causa est ut offendar, eam transformando. Vix absolutâ oratione, gravis stupor coërcet membra: tenera viscera coarctantur subtili cortice. Capilli augentur in frondes, lacerti in ramos: Pes, modò tam celer, affixus est segnibus radicibus: fastigium habet vultus: solus splendor supereſt in illâ. Apollo amat etiam hanc: & manu admotâ trunco,

Obviaque adversas vibrabant flamina vestes:
Et levis impexos retro dabat aura capillos:
Auctaque forma fugâ est. Sed enim non sustinet ultra
Perdere blanditias juvenis deus: utque movebat
Ipse amor, admisso sequitur vestigia passu.
Ut canis in vacuo leporem cùm Gallicus arvo
Vidit; & hic prædam pedibus petit, ille salutem:
Alter inhæsuro similis, jam jamque tenere
Sperat, & extento stringit vestigia rostro:
Alter in ambiguo est, an sit deprênsus: & ipsis
Morsibus eripitur; tangentiaque ora relinquit.
Sic deus, & virgo est: hic spe celer, illa timore.
Qui tamen insequitur, pennis adjutus amoris
Ocyor est, requiemque negat: tergoque fugaci
Imminet: & crinem sparsum cervicibus afflat.
Viribus absumtis expalluit illa: citæque
Victa labore fugæ, spectans Peneïdas undas,
Fer, pater, inquit, opem; si flumina numen habetis.
[Quâ nimiùm placui, tellus, aut hisce, vel istam,
Quæ facit ut lædar, mutando perde figuram.]
Vix prece finitâ, torpor gravis alligat artus:
Mollia cinguntur tenui præcordia libro.
In frondem crines, in ramos brachia crescunt:
Pes modò tam velox pigris radicibus hæret:
Ora cacumen obit: remanet nitor unus in illâ.
Hanc quoque Phœbus amat: positâq; in stipite dextrâ

NOTÆ.

530. *Auctaque forma*] Amantium more, qui omnia putant decere, ut ait Lucret. lib. IV.

Hoc faciunt homines plerumque cupidine capti,
Et tribuunt ea, quæ non sunt his commoda verè.

533. *Vacuo*] *Patente*, ubi nec arbores, nec segetes, in quibus sese lepus occultare posset: non enim vertagi, aut canes Gallici, odore feras investigant.

541. *Tergo*] Fugientis Daphnes.

544. *Peneïdas*] Patris Peneï Thessaliæ fluvii: nam alius fuit Elidis in Peloponneso.

545. *Numen*] *Potestatem & benefaciendi potentiam.*

546. *Quâ nimiùm*] Hi duo versus tollendi sunt, quippe qui non sunt Ovidiani. *Heinsius* legit inverso ordine.

Quæ facis, ut lædar, tellus, aut hisce, vel istam,
Quâ nimiùm placui, mutando perde figuram.

549. *Libro*] *Cortice*: nam ea est primaria vocis significatio; quamvis posteaquam in libris seu arborum tenuissimis corticibus scribi cœptum, frequentiùs pro ipsis voluminibus usurpetur.

553. *Amat*] Atque etiam Apollini dicata est laurus: ut paulo infrà,

Arbor eris certè, dixit, mea. ——

Sentit

Sentit adhuc trepidare novo ſub cortice pectus.
Complexuſque ſuis ramos, ut membra, lacertis,
Oſcula dat ligno: refugit tamen oſculà lignum.
Cui deus, At conjux quoniam mea non potes eſſe,
Arbor eris certè, dixit, mea. Semper habebunt
Te coma, te citharæ, te noſtræ, laure, pharetræ.
Tu ducibus Latiis aderis, cùm læta triumphum
Vox canet; & longæ viſent Capitolia pompæ.
Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis; mediamque tuebere quercum.
Utque meum intonſis caput eſt juvenile capillis;
Tu quoque perpetuos ſemper gere frondis honores.
Finierat Pæan. Factis modò laurea ramis
Annuit: utque caput, viſa eſt agitâſſe cacumen.

XI. Eſt nemus Hæmoniæ, prærupta quod undique claudit
Silva: vocant Tempe. Per quæ Penëus ab imo
Effuſus Pindo ſpumoſis volvitur undis,
Dejectuque gravi tenues agitantia fumos
Nubila conducit, ſummaſque aſpergine ſilvas

ſentit pectus micare adhuc ſub recenti libro. Et amplexus ramos ſuis brachiis, tanquam artus, deoſculatur lignum: lignum tamen oſcula refugit. Quam deus ſic alloquitur, At ſiquidem non potes eſſe uxor, protectò eris mea, arbor mea. Tu, Laure, capillos, citharam, pharetram noſtram ſemper ornabis. Tu comitaberis imperatores Latinos, cùm triumphi cantu celebrabuntur; & productæ pompæ aſcendent in capitolium. Eadem effigeris cuſtodia certiſſima poſtibus Auguſtis ante portam; & defendes mediam quercum. Et quemadmodum caput meum eſt juvenile comâ intonsâ; tu etiam habe ſemper gloriam illibatam foliorum. Apollo finem fecerat. Laurus annuit ramis modò creatis; & viſa eſt movere verticem tanquam caput.

XI. Eſt nemus Theſſaliæ, quod ſilva alta circumdat undique, dicitur Tempe; per quæ Peneus defluens à radicibus Pindi, fluctibus ſpumoſis fertur, & vehementi lapſu devolvit nebulas facientes ſubtilem rorem, & arbores extremas irrigatione

NOTÆ.

556. *Refugit*] Quia magis in locis umbroſis, nec tam ſolis radiis oppoſitis, vireſcit.

558. *Habebunt*] Solebant poëtæ, itemque muſici, & duces, caput, & ſua pleraque lauri ramis decorare.

559. *Te citharæ*] Hinc laureati in ſcenâ citharœdi.

560. *Triumphum*] Mos erat triumphantibus acclamare, cùm in capitolium & Jovis templum ſacrificaturi aſcenderent, *Io Triumphe*, Vide *Alex. ab Alex. lib.* VI. *cap.* 6.

561. *Longæ pompæ*] Captivorum, ac rerum omnium pretioſarum, in bello captarum; imaginem præterea urbium expugnatarum, &c.

562. *Cuſtos*] Quia in veſtibulo ædium Auguſti imperatoris laurus fuit poſita, in quâ corona querna (quæ ob ſervatos cives *Civica* dicebatur) ſuſpenſa eſt. Vid. Dion. lib. LIII. De hâc ita Plinius lib. XV. cap. ult: *Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratiſſima domibus janitrix Cæſarum, pontificumque quæ ſola & domos exornat, & ante limina excubat*, &c.

564. *Intonſis*] Fingitur Apollo comatus & imberbis; quâ re radiorum ſolarium vigor nunquam ſenescens ſignificatur.

566. *Pæan*] Eo nomine Græcis dictus eſt Apollo παίων ſagittis, id eſt, radiis feriens; vel παιών ſedans, & coërcens morbos, vel ab acclamatione matris dum Pythonem interficeret ἰὴ παιὰν, *Jace fili.*

Ib. *Laurea*] *Laurus*; quanquam pro ipſis foliis propriè *laurea* ſumitur.

568. *Eſt nemus*] Tempe amœniſſimam Hæmoniæ vallem deſcribit poëta, quo commodiùs Ius, Inachi amnis filiæ, Metamorphoſin in juvencam cum ſuperiore connectat. Nam juxta Tempe eſt ſpelunca Penei fluvii, Daphnes patris, ad quem conſolandum omnes vicini amnes convenerunt, præter Inachum, qui amiſſam filiam lugebat.

Ib. *Hæmoniæ*] *Theſſaliæ*, ab Hæmone Pelaſgi filio ita dictæ.

569. *Tempe*] Cujus loci amœnitas, multis, Æliano præſertim venuſtiſſimè decantata, in proverbium abiit, ut pro locis amœnis ſumatur Tempe.

570. *Pindo*] Pindus mons eſt Theſſaliæ, aut certè eam terminans.

Ib. *Spumoſis*] Exaquæ curſu præcipiti cum multo ſaxorum latentium colliſu.

571. *Fumos*] Minutiſſimas dicit aquæ partes, quæ fluminis impetu diſperſæ nubis aut fumi ſpeciem referunt.

Impluit;

madefacit; & gravis est strepitu pluribus quàm propinquis locis. Hæc regia, hæ sedes, hæc sunt penetralia magni fluvii; habitans hanc speluncam de saxis paratam, aquis imperabat, & nymphis frequentantibus aquas. Fluvii vicinæ regionis illuc concurrunt; dubitantes primò gratulenturne, an consolentur patrem: advenit *multæ populi ferax Spercheus, & concitatus Enipeus, & senex Apidanus, & mitis Amphrysus, & Æas: & statim cæteri fluvii: qui, quà rapiditas illos impulit, devolvunt in æquor aquas lassas flexosis cursibus. Solus Inachus desideratur: & latens specu profundissimâ, crescere facit aquas lacrymis: & infelicissimus deflet filiam Io, tanquam perditum. Ignorat vivatne, an sit apud inferos. Verùm nullibi credit esse quam nullibi reperit; atque secum timet graviora. Jupiter intuitus erat Io venientem à fluvio patrio: & dixerat, O puella digna Jove, & tuo lecto nescio quem felicem redditura, accede ad umbras excelsarum silvarum (& ostenderat umbras silvarum) dum æstus est, & sol est sublimis medio cœlo. Quòd si vereris subire sola latibula ferarum; secura ingredieris recessus silvarum deo duce; nec deo de infimo ordine, sed qui tracto sceptra cœlestia ampla manu; sed qui jacio fulmina vaga.*

Impluit; & sonitu plùs quàm vicina fatigat.
Hæc domus, hæ sedes, hæc sunt penetralia magni
Amnis: in hoc residens facto de cautibus antro,
Undis jura dabat, Nymphisque colentibus undas.
Conveniunt illuc popularia flumina primùm,
Nescia gratentur, consolenturne parentem;
Populifer Spercheos; & irrequietus Enipeus,
Apidanusque senex, lenisque Amphrysos, & Æas:
Moxque amnes alii: qui, quà tulit impetus illos,
In mare deducunt fessas erroribus undas,
Inachus unus abest: imoque reconditus antro
Fletibus auget aquas: natamque miserrimus Io
Luget, ut amissam. Nescit vitâne fruatur,
An sit apud manes. Sed quam non invenit usquam,
Esse putat nusquam; atque animo pejora veretur.
Viderat à patrio redeuntem Jupiter Io
Flumine: &, O virgo Jove digna, tuoque beatum
Nescio quem factura toro, pete, dixerat, umbras
Altorum nemorum (& nemorum monstraverat umbras)
Dum calet, & medio sol est altissimus orbe.
Quòd si sola times latebras intrare ferarum;
Præside tuta Deo, nemorum secreta subibis;
Nec de plebe Deo, sed qui cœlestia magna
Sceptra manu teneo; sed qui vaga fulmina mitto.

NOTÆ.

574. *Domus*] Habebant aquarum numina, poetarum beneficio, domos suas in ipsis fontibus & scaturiginibus.

576. *Nymphis*] Nymphæ fluminum propriè dicuntur *Naiades*.

578. *Nescia gratentur*] Quia filiam Peneus quanquam amisit. Apollini adamatam, & dei cumulatam beneficiis cognoscit.

580. *Senex*] Quia lenis & tardus ejus lapsus. Sunt verò hæc Thessaliæ fluviorum nomina.

Ib. *Amphrysos*] Juxta hunc Admeti regis armenta pavit Apollo.

Ib. *Æas*] Aliis dicitur *Aous* qui ex iisdem prope montibus cum Peneo prodiens, longè diversissimas terras alluit, ad occasum in Adriaticum mare sese exonerans, cùm ille in Ægæum ad ortum cursum suum dirigat.

582. *Erroribus*] *Errores* vocat flexuosos, & obliquos fluminum cursus. Et cùm *errare* undas dicat, non mirùm si eâdem libertate *fessas* vocat: nam qui erant in itineribus, fatigantur.

583. *Inachus*] Fluvius Achaiæ ab Inacho rege dictus.

584. *Io*] Accusativus est Græcus, ab Io Ûs.

586. *Sit apud manes*] *Sit mortua.* Per Manes enim sæpe dii inferi, itemque animæ è corporibus egressæ intelliguntur.

587. *Animo pejora veretur*] *Gravissima omnia præ timore suspicatur.* Vel fortè, *timet graviora pericula veris*, ut alibi loquitur poëta.

596. *Vaga*] Non quidem sit ad Jovem respicies, cujus ictus certissimi; sed habitâ ratione hominum, quibus fortuiti videntur fulminis tactus.

Ne

Ne fuge me. Fugiebat enim. Jam pascua Lernæ,
Consitaque arboribus Lyrcæa reliquerat arva:
Cùm Deus inductâ latas caligine terras
Occuluit, tenuitque fugam, rapuitque pudorem.
Interea medios Juno despexit in agros:
Et noctis faciem nebulas fecisse volucres
Sub nitido mirata die, non fluminis illas
Esse, nec humenti sentit tellure remitti:
Atque, suus conjux ubi sit, circumspicit; ut quæ
Deprensi toties jam nôsset furta mariti.
Quem postquam cœlo non reperit; Aut ego fallor,
Aut ego lædor, ait. Delapsaque ab æthere summo
Constitit in terris; nebulasque recedere jussit.
Conjugis adventum præsenserat, inque nitentem
Inachidos vultus mutaverat ille juvencam.
Bos quoque formosa est. Specimen Saturnia vaccæ,
Quanquam invita, probat: nec non & cujus, & unde
Quove sit armento, veri quasi nescia, quærit.
Jupiter è terrâ genitam mentitur, ut auctor
Desinat inquiri. Petit hanc Saturnia munus.
Quid faciat? crudele, suos addicere amores:
Non dare, suspectum. Pudor est, qui suadeat illinc;
Hinc dissuadet amor. Victus pudor esset amore:
Sed leve si munus sociæ generisque, torique
Vacca negaretur; poterat non vacca videri.
Pellice donatâ, non protinus exuit omnem
Diva metum; timuitque Jovem, & fuit anxia furti,
Donec Aristoridæ servandam tradidit Argo.

Ne vita me. Nam vitabat. Jamque præterierat pascua Lernæ & campos Lircæos plenos arboribus; cùm deus involvit vastas terras tenebris immissis, & repressit fugam, & abstulit pudicitiam. Interea Juno oculos convertit in latam planitiem; & mirata nebulas celeres induxisse speciem noctis sub luce clarâ, cognoscit eas non esse fluvii, nec reddi ab humidâ terrâ: atque exquirit ubi sit suus maritus; ut pote quæ jam perspecta haberet adulteria ejus toties deprehensi. Quem cùm non invenit in cœlo; Vel, inquit, ego decepta, vel injuriâ affecta sum. Et postquam descendisset à supremo cœlo, pedem fixit in terris; & imperavit nubila discuti. Ille præviderat accessum uxoris, & transformaverat faciem filiæ Inachi in nitidam vaccam. Vacca quoque pulchra est. Filia Saturni, quamvis reluctante animo laudat elegantiam vaccæ, & quasi incerta veritatis, petit cujus sit, & unde, & ex quo armento. Jupiter fingit à terrâ ortam esse, ne dominus ulteriùs petatur. Juno hanc poscit dono. Quid agat? Durum in alterius potestatem tradere suos amores; non tradere suspectum. Pudor illinc sollicitat, hinc amor. Pudor fuisset superatus amore; sed si juvenca donum tam exiguum recusaretur & quæ pariter soror est & uxor; videretur non esse juvenca. Pellice traditâ dea non ponit statim omnem timorem; & metuit Jovem, & fuit sollicita de adulterio, usque dum dedit Io custodiendam Argo Aristoris filio.

NOTÆ.

597. *Lernæ*] Fuit Lernæ palus in Peloponnesi agro Argivo, ubi vixit Hydra serpens, quam Hercules occidit juxta Inachum fluvium.

598. *Lyrcæa*] Urbs fuit ejus nominis in Arcadiâ, itemque mons, ex quo Inachus amnis decurrebat. Pausanias scribit in Corinthiacis Δυρκαΐαν opp. unicâ mutatâ literâ, dictam esse postea Lyrcæam, à Lyrco abantis notho, qui eam occupavit.

603. *Fluminis*] Physici aiunt, nebulas aut à fluviis, aut à vaporibus terræ generari.

608. *Lædor*] Mariti perfidiâ, qui furtivos quærat concubitus.

611. *Inachidos*] Ius Inachi filiæ, à quo Inachis dicta.

612. *Saturnia*] Juno Saturni filia.

615. *E terrâ*] *Ignotis parentibus natos, terræ filios nominamus*, Lactant. Sic Pers. Sat. 6. *Progenies terræ*. Contra quorum virtutem miramur, *de cœlo cecidisse dicimus*. Quod & Cicero, *quasi cœlo delapsus*, scribit.

621. *Poterat non vacca*] Quod ne cognosceret Juno, Jovi maximè cautum.

623. *Anxia*] Ne fortè ad simulatæ vaccæ consuetudinem rediret Jupiter.

Centum

Argus habebat caput circumdatum centum oculis: ex quibus duo suo ordine quiescebant; reliqui officio suo invigilârunt. Quocunque modo stetit, conversus erat ad Io: habebat Io præ oculis, quamvis ab eâ faciem averteret. De die ad pastum ducit: cùm sol sub terrâ est, includit, & vinculo cingit collum vinculo *indignum: Vescitur foliis arbuti, & herbâ amarâ: & miserâ sternitur in terrâ non semper herbosâ pro lecto, & bibit undas lutulentas. Illa etiam supplex, cùm vellet porrigere brachia Argo; non habuit brachia quæ porrigeret Argo: & mugivit ore volente conqueri: & metuit sonos: & tremefacta est voce propriâ. Descendit quoque ad ripas, ubi consueverat sæpe sese oblectare; ad ripas Inachidas: &, ut vidit insolita cornua in aquâ, exhorruit, & timore perculsa sese voluit effugere. Naïades nesciunt, ipsa Inachus nescit quæ sit. At illa sequitur patrem & sorores: & sinit se tangi & exhibet se laudantibus. Senex Inachus obtulerat gramina revulsa; illa lambit & deosculatur manus patris; nec reprimit lachrymas: &, si voces prodirent, auxilium peteret, & proferret nomen suum & infortunia. Vice verborum, littera, quam pes signavit in pulvere, dedit mœstum indicium transformati corporis. Me infelicem! exclamat pater Inachus: & ingeminat me infelicem! affixus cornibus & collo vaccæ candidæ conquerentis. Tune es quæsita à me, filia, per omnes terras? tu, nondum inventa, eras mœror tolerabilior, quàm jam cùm reperta es. Siles: nec reddis voces reciprocas nostris. Emittis tantùm suspiria ex imo corde: & quod solum licet, remugis ad mea dicta. At nescius ego tibi nuptias parabam.*

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat:
Inde suis vicibus capiebant bina quietem:
Cætera servabant, atque in statione manebant.
Constiterat quocunque modo, spectabat ad Io:
Ante oculos Io, quamvis adversus, habebat.
Luce finit pasci: cùm sol tellure sub altâ est,
Claudit, & indigno circumdat vincula collo.
Frondibus arbuteis, & amarâ pascitur herbâ:
Proque toro, terræ non semper gramen habenti
Incubat infelix, limosaque flumina potat.
Illa etiam supplex Argo cùm brachia vellet
Tendere; non habuit, quæ brachia tenderet Argo:
Conatoque queri mugitus edidit ore:
Pertimuitque sonos: propriâque exterrita voce est.
Venit & ad ripas, ubi ludere sæpe solebat,
Inachidas ripas: novaque ut conspexit in undâ
Cornua, pertimuit, seque externata refugit.
Naïdes ignorant, ignorat & Inachus ipse,
Quæ sit. At illa patrem sequitur, sequiturque sorores:
Et patitur tangi, seque admirantibus offert.
Decerptas senior porrexerat Inachus herbas;
Illa manus lambit, patriisque dat oscula palmis;
Nec retinet lachrymas: &, si modò verba sequantur,
Oret opem; nomenque suum, casusque loquatur.
Littera pro verbis, quam pes in pulvere ducit,
Corporis indicium mutati triste peregit.
Me miserum! exclamat pater Inachus: inq; gementis
Cornibus, et niveæ pendens cervice juvencæ,
Me miserum! ingeminat. Tune es quæsita per omnes,
Nata, mihi terras? Tu non inventa repertâ
Luctus eras levior. Retices: nec mutua nostris
Dicta refers. Alto tantùm suspiria prodis
Pectore; quodq; unum potes, ad mea verba remugis.
At tibi ego ignarus thalamos, tædasque parabam:

NOTÆ.

625. *Centum luminibus*, &c.] Fabulæ hujus sensum quod attinet, alii ad historiam, quidam ad mores, plurimi ad physicam referunt. Vid. Nat. Com. Mythol. lib. VIII. cap. 18.

627. *In statione*] Militum more qui agunt excubias. *Oculi tanquam speculatores in arce collocati.* Cic. de Nat. Deor.

653. *Ingeminat*] Exclamationem illam, *Me Miserum!* duplicat, repetit.

655. *Luctus eras levior*] Quia pejus erat vaccam inveniſſe, quàm omnino non reperiſſe; nec verò filiam invenerat, qui eam in vaccam mutatam cognoverat.

657. *Remugis*] *Reſpondere volens, non hominum, ſed boum more id præſtas.*

Spesque

Spesque fuit generi mihi prima, secunda nepotum.
De grege nunc tibi vir, nunc de grege natus habendus.
Nec finire licet tantos mihi morte dolores;
Sed nocet esse deum; præclusaque janua leti
Æternum nostros luctus extendit in ævum.
Talia mœrenti stellatus submovet Argus,
Ereptamque patri diversa in pascua natam
Abstrahit. Ipse procul montis sublime cacumen
Occupat, unde sedens partes speculetur in omnes.
XII. Nec superûm rector mala tanta Phoronidos ultra
Ferre potest: natumque vocat; quem lucida partu
Pleïas enixa est: letoque det, imperat, Argum.
Parva mora est, alas pedibus, virgamque potenti
Somniferam sumsisse manu, tegimenque capillis.
Hæc ubi dispposuit, patriâ Jove natus ab arce
Desilit in terras. Illîc tegimenque removit,
Et posuit pennas: tantummodo virga retenta est.
Hâc agit, ut pastor, per devia rura capellas,
Dum venit, abductas: & structis cantat avenis.
Voce novæ captus custos Junonius artis,
Quisquis es, hoc poteras mecum considere saxo,
Argus ait; neque enim pecori fœcundior ullo
Herba loco est; aptamque vides pastoribus umbram.

& spes mihi fuit prior generi, altera nepotum. Nunc maritum habes de armento, nunc filius habendus de armento. Nec mihi concessum est tanto mœrori moriendo finem imponere; sed obstat esse deum; & porta mortis obserata producit nostros planctus in æternùm. Argus oculatus subducit filiam patri querenti talia, & agit abstractam in dissita pascua. Ipse procul verticem excelsum montis insidet, ex quo circumspiciat in omnes partes.

XII. *Neque rex deorum sustinet pati amplius tanta infortunia Phoronidos: & accersit filium, quem Pleïas splendida emisit partu; & jubet ut interficiat Argum. Sine cunctatione accommodat alas pedibus, & caduceum somniferum potenti dextræ, & pilcum comæ. Postquam filius Jovis ista aptavit, delabitur ab arce patris in terras. Ibi deposuit velamen, & sustulit alas: retinuit solùm caduceum. Eo cogit, ut pastor, cùm revertitur, capellas abstractas per campos devios; & canit compositis calamis. Argus pastor Junonius, delinitus sono inauditæ artis, dixit, Quisquis es, licet consistere mecum in hâc rupe: nam neque herba copiosior est ullibi pecori; & cernis umbram utilem pastoribus.*

NOTÆ.

668. *Phoronidos*] Phoronei nepotis. Phoroneus Inachi pater fuit.

669. *Quem*] *Mercurius* est, Jovis ex Majâ filius.

Ib. *Lucida*] Sunt Pleiades seu Virgiliæ stellæ septem in Tauro, ita inter se constipatæ, ut vix distingui possint: quas, priusquam in cœlum reciperentur, plurimi Atlantis & Pleiones volunt fuisse filias. Sunt verò illæ diversa inter se magnitudine, Maia præsertim præclaro lumine illustrata, quia Mercurii mater est.

670. *Leto*] Unde ille nomen Ἀγελειφόντης.

671. *Alas*] Alata talaria; quæ idcirco Mercurio attribuuntur, quia omnium planetarum videtur velocissimus.

Ib. *Virgam*] Quæ *Caduceus* dicitur, duobus implicata serpentibus, quâcum animas ab inferis revocare, somnum inducere, multa alia, de quibus poëtæ, posse creditur.

672. *Tegimen*] Petasum, & pileum alatum, quem *Causiam* dicunt.

673. *Patriâ arce*] *Cœlo*, quo Jovis patris Mercurii sede.

677. *Abductas*] *Mercurius* deus furacissimus.

Ib. *Structis cantat avenis*] Pastoritio more carmen modulatur, calamis inæqualibus simul compactis (ut ipse Ovid. ait, lib. VIII. v. 191.) in alæ formam. Hujusmodi fistula Virg. Ecl. 2. dicitur,

—— *Disparibus septem compacta cicutis,*

& expressius Tibull. lib. II. El. 5.

Fistula cui semper decrescit arundinis ordo,
Nam calamus cerâ jungitur usque minor.

678. *Novæ*] Non modò noviss*i*mè inventæ: sed quâ etiam novo & suaviss*i*mo modo *Mercurius* uteretur.

Mercurius consistit, & fefellit diem labentem confabulationibus, multa narrando; & conatur sopire oculos vigiles cantando calamis cerâ *conjunctis. Ille tamen nititur superare lenem soporem; & quamvis somnus est admissus parte oculorum, parte tamen experrectus est. Petit etiam quomodo fistula sit inventa, namque recens inventa erat.*

Sedit Atlantiades, & euntem multa loquendo
Detinuit sermone diem; junctisque canendo
Vincere arundinibus servantia lumina tentat.
Ille tamen pugnat molles evincere somnos:
Et, quamvis sopor est oculorum parte receptus;
Parte tamen vigilat. Quærit quoque, namque reperta
Fistula nuper erat, quâ sit ratione reperta.

XIII. *Tum deus respondit, Una Naïas fuit notissima inter Hamadryadas Nonacrinas in montibus frigidis Arcadiæ. Nymphæ appellabant Syringa. Sæpe illa fefellerat & Satyros persequentes, & quoscunque deos seu nemus opacum, seu campus fertilis habet. Venerabatur deam Ortygiam votis, & ipsâ virginitate; imo cinctu more Dianæ quovis deciperet, & posset fumi pro ipsâ, nisi arcus esset corneus huic, nisi esset aureus illi.*

XIII. Tum Deus, Arcadiæ gelidis in montibus, inquit,
Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas
Naïas una fuit. Nymphæ Syringa vocabant.
Non semel & Satyros eluserat illa sequentes,
Et quoscunque Deos umbrosave silva, feraxve
Rus habet. Ortygiam studiis, ipsâque colebat
Virginitate Deam. Ritu quoque cincta Dianæ
Falleret, & credi posset Latonia, si non
Corneus huic arcus, si non foret aureus illi.
Sic quoque fallebat. Redeuntem colle Lyceo
Pan videt hanc, pinuque caput præcinctus acutâ,
Talia verba refert. Restabat verba referre,
Et precibus spretis fugisse per avia Nymphan;
Donec arenosi placitum Ladonis ad amnem

Ita etiam decipiebat. Pan spectat revertentem monte Lyceo, & redimitus caput pinu aculeatâ hujusmodi habet orationem: supererat voces repetere, & nymphan sese furripuisse per avia precibus neglectis, donec, ad pulchrum fluvium arenosi Ladonis

NOTÆ.

682. *Atlantiades*] *Mercurius*, cui mater Maia, Atlantis filia.

684. *Servantia lumen*] Oculos observantes & custodientes vaccam.

Ib. *Vincere lumina*] Donec cantûs suavitate somno opprimerentur.

689. *Tum Deus*] Artificiosissimè Syringis fabulam præcedenti inserit poëta.

Ib. *Arcadiæ*] Fuit Arcadia Peloponnesi provincia, per quam totam, præsertim verò in Lyceo & Mænalo montibus, Pan deus colebatur.

690. *Hamadryadas*] Sunt propriè Hamadryades nymphæ, simul cum quercubus genitæ, quæ cum iis pariter interire crederentur. Ex ἁμὰ & δρῦς.

Ib. *Nonacrinas*] *Arcadias*: Nonacris enim mons est & oppidum Arcadiæ.

692. *Satyros*] Sunt illi capripedes, agrestes, dii falaciissimi.

693. *Quoscunque*] Faunos dicit, Sylvanos, nomine ferè à Satyris diversos, Terminos, &c.

694. *Ortygiam Deam*] *Dianam* dicit, quæ in Delo insulâ nata: insulâ, inquam, Græcè ob coturnicum copiam, Ortygia dictâ.

Ib. *Studiis*] Quia venatrix, & sylvis gaudens.

696. *Latonia*] *Diana* Latonæ filia.

699. *Pan*] Pastorum fuit ac nemorum deus, semicaper, hirsutus, cornutus, &c. descriptionem ejus vide apud Servium ad Virg. Ecl. 2.

Ib. *Pinuque*] Coronâ è pinu, quæ illi deo arbor sacra.

700. *Restabat*] Supererat, inquit poëta, ut Mercurius verba, quibus Pan nympham allocutus est, & reliquam fabulam Argo narraret; sed is interim obdormivit.

702. *Ladonis*] Ansam fabulæ dedit natura fluvii, quem Dionysius vocat, Εὐκαλάμου ποτάμου. Σύριγξ Græcè significat *fistulam* pastoritiam, à συρίζω sibilo.

Et Zephri cava per calamorum sibila primùm
Agrestes docuêre. —— &c. Lucr. lib. V.

Venerit.

Venerit. Hîc illi curſum impedientibus undis,
Ut ſe mutarent, liquidas oraſſe ſorores:
Panaque, cùm prênſam ſibi jam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphæ calamos tenuiſſe paluſtres:
Dumque ibi ſuſpirat, motos in arundine ventos,
Effeciſſe ſonum tenuem, ſimilemque querenti:
Arte novâ, vociſque Deum dulcedine captum,
Hoc mihi concilium tecum, dixiſſe, manebit:
Atque ita diſparibus calamis compagine ceræ
Inter ſe junctis nomen tenuiſſe puellæ.
Talia dicturus vidit Cyllenius omnes
Succubuiſſe oculos, adopertaque lumina ſomno.
Supprimit extemplo vocem; firmatque ſoporem,
Languida permulcens medicatâ lumina virgâ.
Nec mora; falcato nutantem vulnerat enſe,
Quâ collo confine caput: ſaxoque cruentum
Dejicit: & maculat præruptam ſanguine cautem.
Arge, jaces: quodque in tot lumina lumen habebas,
Exſtinctum eſt: centumque oculos nox occupat una.
Excipit hos, volucriſque ſuæ Saturnia pennis
Collocat; & gemmis caudam ſtellantibus implet.
XIV. Protinus exarſit, nec tempora diſtulit iræ;
Horriferamque oculis animoque objecit Erinnyn
Pellicis Argolicæ, ſtimuloſque in pectora cæcos
Condidit, & profugam per totum terruit orbem.
Ultimus immenſo reſtabas, Nile, labori:

pervenerit. Hîc rogâſſe ſorores fluidas ut ſe transformarent, fluctibus prohibentibus illi fugam: & Pana, cùm arbitraretur Syringem jam ſibi correptam, apprehendiſſe arundines paluſtres pro corpore nymphæ: & dum ibi ſuſpirat, auras agitatas inter calamos reddidiſſe ſonum humilem & ſimilem mœrenti: Deum motum arte inauditâ & ſuavitate ſoni dixiſſe, Hæc erit mihi conjunctio tecum: atque ita arundinibus inæqualibus inter ſe connexis coagmentatione ceræ, eas ſervâſſe nomen virginis. Mercurius ejuſmodi narraturus advertit cunctos Argi *oculos victos, & lumina clauſa eſſe ſopore. Tacet illicò, & ſomnum aggravat, deliniens oculos ſopore graves ferulâ incantatâ. Et ſine cunctatione ferit nutantem acinace,* ex eâ parte *quâ caput jungitur collo; & devolvit à rupe ſanguine infectum; & tingit cruore ſaxum præceps. Proſtratus es, Argе, & lux, quâ fruebaris per tot oculos, oppreſſa eſt: & una caligo tenet centum oculos. Juno hos colligit, & inſerit pennis ſuæ avis, & plenam reddit caudam gemmis radiantibus.*

XIV. *Continuò excanduit, nec ſpatium concedit excandeſcentiæ; & immiſit furiam terribilem oculis & menti pellicis Argolicæ; & occultavit ignotos aculeos in corde, & metu perculit exulem per univerſum mundum. Nile, poſtremus ſupereras immoderatæ pœnæ.*

NOTÆ.

704. *Sorores*] Nymphas Ladonis incolas.

710. *Concilium*] Hoc me tibi conciliabit. *Concilio* contrarium *diſſidium.* Lucret. lib. II.

Conciliis & diſſidiis exercita crebris.

712. *Nomen*] Græci nam.e fiſtulam *Syringa* vocant.

713. *Cyllenius*] *Mercurius* eſt, à Cyllene Arcadiæ monte, ubi natus, ſic dictus.

716 *Medicatâ*] *Medicaminum vim habente.*

722. *Volucriſque*] De pavone loquitur, Junoni ave ſacrâ.

725. *Erinnyn*] Furia eſt, rabies, aut furoris æſtrum.

726. *Pellicis Argolicæ*] Iûs, Inachi Argivorum regis filiæ.

728. *Nile*] Eſt Nilus Ægypti fluvius, apud quem Jovis commiſeratione formam priſtinam recuperâſſe Ió vaccam, quæ deinceps Api regi nupſerit, & ſub Iſidis nomine pro deâ culta ſit, voluerunt veteres.

Quem cùm primùm attigit, & procubuit genibus flexis ad extremam ripam, & elato collo reflexo, erigens ad astra faciem solam, quam potuit, visa est cum Jove expostulare gemitu, & fletibus, & lugubri mugitu, & poscere finem dolorum. Ille amplexus brachiis collum suæ uxoris, orat ut denique finem imponat supplicio: &, ait, Excute omnem timorem, hæc nunquam tibi erit causa mœroris: & imperat Stygias paludes ista advertere. Postquam placata est dea, illa sumit veteram formam: & fit quod fuit priùs. Villi cadunt ex corpore: cornua evanescunt: globus oculi contrahitur: os coarctatur: humeri & manus renovantur: & ungula divisa in quinque ungues tollitur. Nihil restat in illâ de vaccâ, nisi nitor formæ: & nympha, contento auxilio duorum pedum, assurgit: & timet fari, ne mugiat ad modum bovis: & timidè reiterat voces interruptas. Jam dea clarissima adoratur à turbâ linigerâ. Denique Epaphus, procreatus ex semine magni Jovis, putatur esse huic filius: & habet per urbes delubra conjuncta delubris matris. Phaëton, Solis filius, illi par fuit ferocitate & ætate, quem olim magnifica proferentem, nec sibi concedentem, & elatum patre

Quem simul ac tetigit, positisque in margine ripæ
Procubuit genibus, resupinoque ardua collo,
Quos potuit, solos tollens ad sidera vultus,
Et gemitu, & lachrymis, & luctisono mugitu
Cum Jove visa queri est, finemque orare malorum.
Conjugis ille suæ complexus colla lacertis,
Finiat ut pœnas tandem, rogat: Inque futurum
Pone metus, inquit, nunquam tibi causa doloris
Hæc erit: & Stygias jubet hoc audire paludes.
Ut lenita Dea est, vultus capit illa priores:
Fitque quod antè fuit. Fugiunt è corpore setæ:
Cornua decrescunt: fit luminis arctior orbis:
Contrahitur rictus: redeunt humerique, manusque:
Ungulaque in quinos dilapsa absumitur ungues.
De bove nîl superest, formæ nisi candor, in illâ
Officioque pedum nymphe contenta duorum
Erigitur: metuitque loqui, ne more juvencæ
Mugiat; & timidè verba intermissa retentat.
Nunc Dea linigerâ colitur celeberrima turbâ.
Huic Epaphus magni genitus de semine tandem
Creditur esse Jovis: perque urbes juncta parenti
Templa tenet. Fuit huic animis æqualis & annis
Sole satus Phaëton: quem quondam magna loquentem,
Nec sibi cedentem, Phœboque parente superbum,
Non tulit Inachides: Matrique, ait, omnia demens
Credis; & es tumidus genitoris imagine falsi.
Erubuit Phaëton, iramque pudore repressit:
Et tulit ad Clymenen Epaphi convicia matrem.
Quóque magis doleas, genitrix, ait: ille ego liber,
Ille ferox tacui. Pudet hæc opprobria nobis
Et dici potuisse; & non potuisse refelli.
At tu, si modò sum cœlesti stirpe creatus;
Ede notam tanti generis: meque assere cœlo.

Apolline, Inachides non sustinuit: & inquit, Fidem adhibes matri, in omnibus insane: & superbus opinione ficti patris. Phaëton pudore suffusus est, atque eo coërcuit dolorem: & renunciavit matri Clymene opprobria Epaphi. Et quò magis irascaris, mater, inquit, ego illic effræmus, ille asper obmutui. Erubesco hæc convicia potuisse jaci in nos; & non potuisse redargui. At tu, siquidem saltem sum ortus generi cœlesti, fac indicium tantæ originis, & me vindica de cœlo ortum.

NOTÆ.

731. *Solus*] Quia manus habeat nullas.

737. *Stygias*] Quas diis ipsis perjurio nefas violare: ut jam sæpe diximus.

747. *Linigerâ*] Lino enim, ab Iside invento, omnati Isidis sacerdotes, quam plerique Lunam esse voluerunt: sicuti Osirin seu Apin ipsum Solem. Al *Niligena*.

748. *Epaphus*] Hunc Herodotus in Euterpe Apin esse dicit.

753. *Inachides*] Epaphus Inachi nepos.

756. *Clymenen*] Quæ nympha dicta est Oceani & Tethyos filia.

Dixit;

Dixit; & implicuit materno brachia collo:
Perque ſuum, Meropiſque caput, tædaſque ſororum,
Traderet, oravit, veri ſibi ſigna parentis.
Ambiguum, Clymene precibus Phaëtontis, an irâ
Mota magìs dicti ſibi criminis; utraque cœlo
Brachia porrexit: ſpectanſque ad lumina ſolis,
Per jubar hoc, inquit, radiis inſigne coruſcis,
Nate, tibi juro, quod nos auditque, videtque;
Hoc te, quem ſpectas, hoc te, qui temperat orbem,
Sole ſatum. Si ficta loquor, neget ipſe videndum
Se mihi; ſitque oculis lux iſta noviſſima noſtris.
Nec longus patrios labor eſt tibi nôſſe penates:
Unde oritur, terræ domus eſt contermina noſtræ.
Si modò fert animus; gradere, & ſcitabere ab ipſo.
Emicat extemplo lætus poſt talia matris
Dicta ſuæ Phaëton; & concipit æthera mente.
Æthiopaſque ſuos, poſitoſque ſub ignibus Indos
Sidereis, tranſit; patrioſque adit impiger ortus.

Dixit; & amplexus eſt lacertis collum matris: & rogavit per ſuum caput, & Meropis, & nuptias ſororum, uti ſibi patefaceret verum patrem. Dubium eſt, an Clymene ſit magìs tacta oratione Phaëtontis, an dolore criminis ſibi objecti; ambos lacertos tetendit ad cœlum: & reſpiciens lucem ſolis, Juro tibi, ait, per iſtum ſplendorem ſpectabilem radiis micantibus, qui nos audit & intuetur, te ortum iſto ſole quem vides, te iſto ortum, qui regit mundum. Si vana dico, ipſe prohibeat ſe ſpectandum mibi, & iſte dies ſit ultimus noſtris oculis. Neque eſt tibi difficile certiorem te facere de domo paternâ: Domus unde oritur ſita eſt juxta noſtram terram. Si ſaltem cupis; vade, & ipſum interrogabis. Illico Phaëton hilaris proſilit poſt talia verba matris ſuæ; & cœlum animo præſumit. Et pervadit ſuos Æthiopes, & Indos ſitos ſub caloribus ſidereis; & gnavus pervenit ad ortus patris.

NOTÆ.

763. *Meropiſque*] Qui Merops Clymenen uxorem duxit.

Ib. *Tædaſque ſororum*] Quos matri curæ eſſe noverat.

766. *Dicti ſibi*] Cùm adhuc inupta eſſet, credit ſibi crimen objici, ſi diceretur Epaphum ex alio præter deum habuiſſe.

774. *Domus*] Solis regia, quæ in Oriente, ultra Indos eſſe fingitur.

Ib. *Noſtræ*] Æthiopiæ, non quidem ſtricto ſenſu intellectæ, prout definiverunt recentiores geographi, quibus accuratiùs poſt tam multas navigationes, terrarum ſitus cogniti; ſed lato modo, quo, uſque ad Suſianam etiam Æthiopiæ fines veteres promoverunt.

776. *Emicat*] Exilit. Nam *emicare* cum ſubſiliente corpore lætitiam notat.

——*Juvenum manus* emicat *ardens*
Littus in Heſperium. Virgil.

777. *Æthera*] Maxima quælibet, etiam patris currum aſcendere.

778. *Ignibus ſidereis*] *Sole ipſo*, ſub quo Indi vitam degunt.

LIBER II.

ARGUMENTUM.

QUI cùm aliquando Phaëtonti Apollinem, ut falsum ac suppositium patrem, objecisset; ille currus Solaris imperium ad diem unum à patre in pignus veræ stirpis petit. Quo impetrato, terra ab eo tota accenditur, & inter cætera nigrescunt Æthiopes. Phaëtontem deinde fulmine percussum dum lugent sorores, & unà cognatus Cygnus; illæ in arbores, hic in cygnum mutatur. Tum Jupiter, lustrato terrarum orbe ac pristino vigori restituto, in Callistonem incidit, eamque, sumptâ Dianæ formâ, stupravit. Ob id irata Juno, Callistonem in ursam convertit: quam postea Arcas filius transfixurus fuerat, nisi utrumque Jupiter inter sidera retulisset. Quâ de re cùm apud Oceanum Juno conqueśta esset, in cœlum relata fuit humeris pavonum, qui nuper variegati fuerunt: sicut & corvus nuper ex albo niger erat redditus, cùm Cornicis monitis, quæ illi tum suam in cornicem, tum Nyctimenes in noctuam mutationem explicaret, non obtemperâsset, sed audacter Coronidis adulterium ad Apollinem detulisset. Ejus deinde filio, Æsculapio, cùm futura prædiceret Ocyroë, in aquam irâ divinâ vertitur. Tum Chiron pater, Apollinis auxilium frustrâ invocavit: quòd ille jam inde Elide pastor factus, aliud ageret, neglectis etiam bobus. Id quod Mercurio illos furandi occasionem dedit; qui deinde Batti, cùm is solus esset furti conscius, perfidiâ se commutando deprehensâ, in indicem lapidem eum convertit. Inde in Atticam ingressus, Herce, Cecropis filiâ, potitur. Cui dum invidet soror Aglauros, in saxum obrigescit. Postea Jupiter, cùm ipsum boves Agenoris ad littus advertere jussisset, sumptâ tauri specie, Europam per mare in Cretam transvexit.

P. Ovidii Nasonis

METAMORPHOSEON

LIBER II.

REGIA Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasque imitante pyropo:
Cujus ebur nitidum fastigia summa tegebat:
Argenti bifores radiabant lumine valvæ.
Materiem superabat opus; nam Mulciber illîc
Æquora cælârat medias cingentia terras,
Terrarumque orbem, cœlumque quod imminet orbi.
Cæruleos habet unda Deos; Tritona canorum,
Proteaque ambiguum, balænarumque prementem
Ægæona suis immania terga lacertis,
Doridaque, & natas: quarum pars nare videntur,
Pars in mole sedens virides siccare capillos;
Pisce vehi quædam. Facies non omnibus una,

INTERPRETATIO.

Regia Solis erat excelsa columnis altis, insignis auro radiante, & pyropo scintillante: cujus culmen ebur splendidum tegebat: Valvæ duplices micabant splendore argenti. Ars vincebat materiam: nam Vulcanus ibi sculpserat maria ambientia medias terras, & ambitum terrarum, & cœlum quod orbi super impositum est. Aqua habet deos glaucos, Tritonem buccinatorem, & Proteum mutabilem, & Ægæonem urgentem suis brachiis vasta terga balænarum, & Doridem, & filias: quarum pars videntur nare, pars sedens super rupe exsiccare glaucam comam, & aliæ vehi à piscibus. Vultus non est idem omnibus,

NOTÆ.

1. *Regia*] Sunt qui hîc Augusti templum Apollini dicatum, aut Latini regiam describi volunt; sed rectiùs Farn. ait, cum Phaëtonte suo *Æthera concepisse* poëtam, & ex ingenio suo hanc regiæ Solis descriptionem hausisse.

2. *Micante*] *Per intervalla lucente.*

Ib. *Pyropo*] Carbunculum intellige lapillum, eo, quem vocant *Rubinum*, pretiosiorem.

5. *Opus*] Omne id quod artificiosissimè Vulcanus in valvis cælaverat, adeóque artificium ipsum pretiosiùs argento.

7. *Orbi*] Terrarum & aquarum.

8. *Tritona*] Quem antea Neptuni tubicinem fuisse diximus.

9. *Protea*] Antea etiam hunc marinum deum vidimus, phocarum seu vitulorum marinorum pastorem; quem voluerunt poëtæ quascunque libuisset posse formas inducere: adeóque eum *ambiguum* vocat poëta.

10. *Ægæona*] Quem cum Briareo unum & eundem facit Homerus; alii deum marinum Ponti & Terræ dicunt filium: quod quidem hîc secutus est Ovidius.

11. *Doridaque*] Est Doris nympha Oceani & Tethyos filia, Nereï conjux, ex quâ nymphæ ortæ plurimæ, quas de patris nomine Nereïdas vocaverunt.

nec tamen omnino absimilis, qualis debet esse sororum. Tellus fert homines, & urbes, & nemora, & feras, & fluvios, & nymphas, et reliquos deos agrestes. Figura cœli splendentis est constituta super hæc: et sex constellationes valvis dextris, totidemque lævis. Quò statim atque filius Clymenes pervenit arduâ viâ, et subiit domum patris incerti; continuò dirigit gressus versus ejus faciem, et gradum fixit procul: neque enim ferre poterat lucem propiorem. Apollo positus erat in solio radiante pellucidis smaragdis, tectus amictu purpureo: à dextrâ et sinistrâ dies, et Mensis, et Annus, et Sæcula, et Horæ distributæ paribus intervallis: ver etiam novum aderat redimitum sertis florentibus: æstas adstabat nuda, et gestabat coronam spiceam: stabat insuper autumnus turpis uvis pressis: et hyems frigida hispidos gerens et albos capillos. Sol in medio positus inde intuitus est oculis, quibus intuetur omnia, adolescentem perculsum rebus insolitis. Et, inquit, Quænam est tibi causa itineris, fili Phaëton patri non abnegande? quid quæsisti in hâc arce? Ille respondet: O lux communis vasti orbis, Apollo pater si finis me appellare te *eo nomine; neque Clymene tegit crimen mendacio; fac indicia, pater, per quæ ego exsistem verus tuus filius, et tolle hoc dubium ex mente nostrâ. Abjolverat. At pater removit radios splendentes circum totum caput et imperavit adire propius: et postquam complexus esset: Neque, inquit, meritus es a me negari, et Clymene* tibi *nuciavit veram originem. Et ut minùs incertus sis; posce quodvis donum, ut illud*

Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.
Terra viros, urbesque gerit, silvasque, ferasque,
Fluminaque, & nymphas, & cætera numina ruris.
Hæc super imposita est cœli fulgentis imago:
Signaque sex foribus dextris, totidemque sinistris.
Quò simul acclivo Clymeneïa limite proles
Venit, & intravit dubitati tecta parentis;
Protinus ad patrios sua fert vestigia vultus,
Consistitque procul: neque enim propiora ferebat
Lumina. Purpureâ velatus veste sedebat
In solio Phœbus claris lucente smaragdis:
A dextrâ lævâque, Dies, & Mensis, & Annus,
Sæculaque, & positæ spatiis æqualibus Horæ:
Verque novum stabat cinctum florente coronâ:
Stabat nuda Æstas, & spicea ferta gerebat:
Stabat & Autumnus calcatis sordidus uvis:
Et glacialis Hyems canos hirsuta capillos.
Inde loco medius, rerum novitate paventem
Sol oculis juvenem, quibus aspicit omnia, vidit.
Quæque viæ tibi causa? quid hâc, ait, arce petîsti,
Progenies, Phaëton, haud inficianda parenti?
Ille refert, O lux immensi publica mundi,
Phœbe pater, si das hujus mihi nominis usum,
Nec falsâ Clymene culpam sub imagine celat:
Pignora da, genitor; per quæ tua vera propago
Credar, & hunc animis errorem detrahe nostris.
Dixerat. At genitor circum caput omne micantes
Deposuit radios, propiùsque accedere jussit:
Amplexuque dato, Nec tu meus esse negari
Dignus es: & Clymene veros, ait, edidit ortus.
Quóque minùs dubites; quodvis pete munus, ut illud

NOTÆ.

15. *Terra*] In valvis cælata.

18. *Signaque*] Sedebat itaque Phœbus in æquatore; hinc inde zodiaci signis divisis; septentrionalibus ad dextram, australibus ad sinistram.

26. *Horæ*] Quæ Homero cœli janitrices, Solis ministræ, &c.

28. *Nuda*] Fortè quia per id tempus terra frugibus spoliatur.

37. *Falsâ sub imagine*] *Falsa imago* est *falsum* nomen patris, sub *quo* illa crimen celare poterat.

41. *Radios*] Quibus propiùs accedere Phaëton prohibeatur.

43. *Veros edidit ortus*] Hoc est, vel *Clymene narravit tibi veram originem*; vel *edidit*, i. e. *peperit* te *veros ortus*, i. e. veram & legitimam prolem.

Me

Me tribuente feras. Promiſſis teſtis adeſto
Dîs juranda palus, oculis incognita noſtris.
Vix bene deſierat: currus rogat ille paternos,
Inque diem alipedum jus & moderamen equorum.
Pœnituit jurâſſe patrem: Qui terque quaterque
Concutiens illuſtre caput, Temeraria, dixit,
Vox mea facta tuâ eſt. Utinam promiſſa liceret
Non dare! confiteor, ſolum hoc tibi, nate, negarem.
Diſſuadere licet. Non eſt tua tuta voluntas.
Magna petis, Phaëton; & quæ nec viribus iſtis
Munera conveniant, nec tam puerilibus annis.
Sors tua mortalis: non eſt mortale quod optas.
Plùs etiam, quàm quod Superis contingere fas ſit,
Neſcius affectas. Placeat ſibi quiſque licebit;
Non tamen ignifero quiſquam conſidere in axe
Me, valet, excepto. Vaſti quoque rector Olympi,
Qui fera terribili jaculatur fulmina dextrâ,
Non agat hos currus. Et quid Jove majus habemus?
Ardua prima via eſt; & quâ vix manè recentes
Enitantur equi: medio eſt altiſſima cœlo;
Unde mare & terras ipſi mihi ſæpe videre
Fit timor, & pavidâ trepidat formidine pectus.
Ultima prona via eſt; & eget moderamine certo.
Tunc etiam, quæ me ſubjectis excipit undis,
Ne ferar in præceps, Tethys ſolet ipſa vereri.
Adde, quòd aſſiduâ rapitur vertigine cœlum;

à me conſequaris. Palus juranda diis, ignota noſtris oculis, ſit teſtis noſtris promiſſis. Vix bene abſolverat; ille orat currum patris, et poteſtatem et regimen equorum velocium in unum *diem. Pœnituit genitorem quòd jurâſſet: qui movens ter quaterque caput ſplendidum, dixit, Tuis verbis mea facta ſunt inconſiderata. Utinam concederetur non ſtare policitis! agnoſco, fili, recuſarem tibi hoc unum. Licet aliud tibi ſuadere. Votum tuum eſt periculoſum. Rogas magna, Phaëton, et dona quæ nec apta ſint tuis viribus, nec ætati uſque adeò teneræ. Conditio tua eſt mortalis: quod cupis non eſt mortale. Cupis inſuper ignarus ultra quàm liceat diis conſequi. Concedetur ut* deorum *quiſque ſibi plaudat; interim nullius quiſquam, præter me, poteſt permanere in curru ignifero. Moderator etiam cœli magni, qui mittit terribilia fulmina tremendâ manu, non poſſit regere hos currus. Et quid habemus majus Jove? Primus callis præruptus eſt: et quem manè equi alacres vix ſuperent: medio cœlo eſt excelſiſſimus; undè ipſe paveo aſpicere mare et terras, et cor micat trepido pavore. Extremus callis eſt declivis; et opus habet firmo regimine. Tunc etiam ipſa Tethys, quæ me accipit fluctibus ſubſtratis, ſolet metuere ne ruam. Adjice, quòd cœlum auſertur revolutione continuâ;*

NOTÆ.

46. *Palus*] Styx, Deus Deorum: Orcus; *Dî cujus jurare timent, & fallere numen*, ut loquitur Virgilius. Vide lib. I. v. 188.

Ib. *Oculis*] Quia ad inferos, aut Tartara nullum ſolis lumen penetrat.

48. *Alipedum*] Quos & poſtmodum *volucres* appellat, quibuſque pennas aſſignat.

51. *Tuâ*] Ex tuâ petitione patet mea promiſſa fuiſſe temeraria.

Ib. *Utinam promiſſa liceret*] Sed non licet, ut ipſe infra confitetur; *Ne dubita, dabitur; Stygias juravimus undas.*

59. *Axe*] Synecdochicè axem ſeu lignum circa quod rota vertitur, pro toto curru poſuit cui Sol inſidet.

63. *Manè*] Perinde loquitur, ac ſi revera Sol ipſe nocte quieſceret: atque ita deinceps in aliis.

67. *Ultima prona*] Aſcenſus propter acclivitatem laborioſus; medium propter altitudinem terribile; deſcenſus propter caſum, plena metûs ſunt.

Ib. *Eget moderamine*] Quin ſponte ſuâ verùs ruit, quàm equis trahitur currus.

68. *Quæ me ſubjectis*] Videtur verò Sol in mare ſeſe mergere, cùm occidit.

69. *Tethys*] Quam Cœli & Terræ filiam vidimus antea Oceani uxorem, ponitur pro ipſo mari.

70. *Rapitur*] Spatio nempe 24 horarum dicitur primum mobile ſubjectos orbes ab ortu ad occaſum ſuper mundi polos violento motu rapere.

Sideraque

et rapit excelsa astra, et convertit pernici vortice. Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.
Contendo in partem diversam: nec vis, quæ superat reliqua, me rapit; *et sursum feror contra velocem cœli* motum. Nitor in adversum: nec me, qui cætera, vincit
Impetus: & rapido contrarius evehor orbi.
Suppone concessos tibi *currus.* Finge datos currus. Quid agas? poterisne rotatis
Quid facias? poterisne obviàm ire polis circumactis, ita ut Te cœlum rapidum non abripiat? Obvius ire polis, ne te citus auferat axis? 75
forte animo fingas illic esse lucos et urbes deorum, et templa ditata muneribus: Forsitan & lucos illîc, urbesque deorum
at nil tale est. *Via est per insidias et figuras ferarum.* Concipias animo; delubraque ditia donis
Et quamvis sequaris callem, neque aberres; nihilominus incedes per cornua Tauri oppositi, et arcus Thessalos et Esse. Per insidias iter est, formasque ferarum.
Utque viam teneas, nulloque errore traharis;
Per tamen adversi gradieris cornua Tauri, 80
arcus Thessalos Hæmoniosque arcus, violentique ora Leonis,
et ictus sævi Leonis, et Scorpium flectentem fera brachia vasto ambitu, et Cancrum diverso modo flectentem brachia. Sævaque circuitu curvantem brachia longo
Scorpion, atque aliter curvantem brachia Cancrum.
Nequit equos feroces ille ignibus, quos gerunt in pectore, & emittunt ore & naribus, tibi Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illis
Quos in pectore habent, quos ore & naribus effl-
ant, 85

NOTÆ.

72. *Nitor in adversum*] Cœlum namque ab oriente in occidentem volvitur, secumque trahit & solem, & reliquos planetas. Sol verò cum reliquis planetis, suo ac naturali motu; hoc est, cum quodam nisu & conatu movetur.

Ib. *Nec me*] Neque me sub ecliptică lineâ manentem moratur illa primi mobilis impetuosa rotatio; sicut deviant cæteri planetæ retrogadi, citiùs aut tardiùs moventes, propter apsides.

75. *Axis*] Celerrima illa rotatio cœli, quam hic *citum axem* nominat; ut supra *axem* pro curru. Alioqui *axis* est linea recta, per centrum sphæræ ad illius circumferentiam transiens, circa quam sphæra ipsa volvitur.

78. *Formasque*] Placuit enim astronomis, Scorpionis etiam & Leonis nomine, quædam signa cœlestia posteris inculcare, per quæ soli zodiacum percurrenti transire necesse sit.

80. *Gradieris*] Neque verò ignoravit Ovidius anni spatio, non uno die, omnia zodiaci signa solem percurrere: sed perinde loquentem solem induxit, ac si uno die cuncta illa perlustraret, quia ad ipsius temerarium filium, omni indiscriminatam periculo sese objicientem, verba spectant, si fortè imperitum à proposito valeant revocare.

Ib. *Tauri*] Est Taurus signum in zodiaco orientem spectans; dicitur ergo sol per *adversum* taurum tendere, quia diurno motu tendit ad occasum. Cæterum aspectu terribiliora signa Phœbus enumerat, ut ab improbâ currum suum regendi cupiditate Phaëtonta filium deterreat.

81. *Hæmonios*] Per Hæmonios, Thessalos intellige; per *arcus*, Sagittarium ipsum, signum cœleste in zodiaco; quem Sagittarium, alii, in quibus Ovidius, Centaurum Chironem, Thessalum; alii Crotum seu Crotonem filium Euphemes nutricis Musarum, suo tempore Parnassi aut Heliconis accolam, volunt fuisse.

Ib. *Leonis*] Hic Nemæus creditus, quem Hercules interfecit, Junonis beneficio inter astra relatus.

82. *Longo*] Brachia usque adeò porrigit, ut Libram, aliud signum, comprehendat.

83. *Scorpion*] Signum est cœleste ex Scorpio ortum, quem adversus Orionem Terra immisit, indignata quòd quæcunque ex eâ orirentur se posse interficere, gloriaretur; quem Scorpium Jupiter in cœlum assumsit.

Ib. *Aliter*] Contra quam Scorpius; hic scilicet Occasum versus, ille Orientem spectat. Aut quia Cancer non tam latè divaricat brachia, ac Scorpio.

In

In promptu regere eſt. Vix me patiuntur, ut acres
Incaluêre animi; cervixque repugnat habenis.
At tu, funeſti ne ſim tibi muneris auctor,
Nate, cave: dum reſque ſinit, tua corrige vota.
Scilicet, ut noſtro genitum te ſanguine credas,
Pignora certa petis. Do pignora certa timendo:
Et patrio pater eſſe metu probor. Aſpice vultus
Ecce meos: utinamque oculos in pectora poſſes
Inſerere, & patrias intus deprêndere curas!
Denique quidquid habet dives circumſpice mundus:
Eque tot ac tantis cœli, terræque, mariſque,
Poſce bonis aliquid: nullam patiere repulſam.
Deprecor hoc unum; quod vero nomine pœna,
Non honor eſt: pœnam, Phaëton, pro munere poſcis.
Quid mea colla tenes blandis, ignare, lacertis?
Nec dubita; dabitur (Stygias juravimus undas)
Quodcunque optaris: ſed tu ſapientiùs opta.
Finierat monitus. Dictis tamen ille repugnat:
Propoſitumque tenet: flagratque cupidine currûs.
Ergo, quà licuit genitor cunctatus, ad altos
Deducit juvenem, Vulcania munera, currus.
Aureus axit erat, temo aureus, aurea ſummæ
Curvatura rotæ; radiorum argenteus ordo.
Per jura chryſolithi, poſitæque ex ordine gemmæ,
Clara repercuſſo reddebant lumina Phœbo.
Dumque ea magnanimus Phaëton miratur, opuſque
Perſpicit: ecce vigil rutilo patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, & plena roſarum

eſt facile moderari. Ægrè me ferunt, cùm violenti animi ſunt accenſi; & collum reſiſtit habenis. At tu, fili, tibi proſpice, ne ſim tibi cauſſa doni luctuoſi; & dum res patitur, corrige tua deſideria. Nimirum poſcis indubitata indicia, ut ſcias te eſſe ſatum noſtro genere. Do ſigna certa metuendo: & aſſeror pater timore paterno. En contemplare meam faciem; atque utinam liceret immittere lumina in cor, & videre ſollicitudinem paternam intus! Selige tandem quicquid orbis opulentus continet: & pete aliquid ex tot & tanta bonis cœli, terra & maris: nihil denegabitur. Hoc unum averto, quod proprio nomine eſt ſupplicium, non gloria: Phaëton, petis ſupplicium pro dono. Quamobrem, inſcie, implicas meum collum mitibus brachiis? Ne ſis incertus (juravimus aquas Stygias) quodcunque cupiveris concedetur: ſed tu expete ſapientiùs. Abſolverat hortationes. Illè tamen adverſus monita nititur: & perſtat in ſententiâ ſuâ: & ardet deſiderio currûs. Pater igitur moratus quantùm potuit, deducit adoleſcentem ad excelſos currus, quos donavit illi Vulcanus. Axis erat aureus, temo aureus, orbis rotæ extremæ aureus; radii omnes argentei. Chryſolithi diſperſi per juga, & gemmæ ordinatæ remittebant clara lumina ſoli reflexo. Et dum animo elatus Phaëton admiratur, & perluſtrat opus: ecce Aurora experrecta aperit ab ortu rubicundo purpureas fores, & roſis ſparſa

NOTÆ.

92. *Vultus*] Aſpice, inquit, vultum meum (namque antea radios depoſuerat) in quo paterni affectus indicia deprehendes.

109. *Juga*] Cave pro equis accipias, qui nondum aderant. Potiùs per *juga*, ipſam currûs ſellam intelligas; quomodo in navibus tranſtra, ſeu remigum ſedilia, *juga* etiam vocantur. Virg. Æn. VI.

——*per juga longa ſedebat.*

Ib. *Chryſolithi*] Eſt Chryſolithus lapis pretioſus, qui auri colore quia nitet, ab eo apud Græcos nomen illud accepit.

110. *Repercuſſo Phœbo*] *Solis radiis à gemmarum ſolido corpore repulſis.*

112. *Patefecit Aurora*] Aurora ſiquidem dicitur lumen illud quod ſolis ortum antevertit, venuſtiſſimè certè cœlum aperire fingitur.

113. *Roſarum*] Roſeo colore perfuſa eſt Aurora, eique roſas dicavit antiquitas.

Atria.

atria. Stellæ recedunt: quarum Lucifer ante se agit exercitus, & ultimus cœli ſtationem relinquit. At Sol *pater, ut cernit terras & orbem rubere, & extremitates cornuum Lunarium quaſi evaneſcere; jubet Horas celeres admovere equos currui. Citæ Deæ exequuntur mandata, & ducunt ab excelſis ſtabulis quadrupedes effiantes ignem, plenos ſucco Ambroſiæ; & aptant fræna tinnientia. Tum genitor unxit faciem ſui filii ſacro medicamento; & reddidit firmam adverſus flammam fervidam. Et addidit radios capillis: atque ingeminans ex pectore anxio ſuſpiria prænuncia mœroris, dixit: Si jam ſaltem obſequi vis præceptis paternis, omitte, adoleſcens, inſtigare* equos *meos; & attrahe fortiter habenas.*

Atria. Diffugiunt ſtellæ: quarum agmina cogit
Lucifer, & cœli ſtatione noviſſimus exit.
At pater, ut terras, mundumque rubeſcere vidit,
Cornuaque extremæ velut evaneſcere Lunæ;
Jungere equos Titan velocibus impera. Horis.
Juſſa Deæ celeres peragunt: ignemque vomentes
Ambroſiæ ſucco ſaturos præſepibus altis
Quadrupedes ducunt; adduntque ſonantia fræna.
Tum pater ora ſui ſacro medicamine nati
Contigit; & rapidæ fecit patientia flammæ.
Impoſuitque comæ radios: præſagaque luctûs
Pectore ſollicito repetens ſuſpiria, dixit:
Si potes hîc ſaltem monitis parere paternis,
Parce, puer, ſtimulis; & fortiùs utere loris.
Sponte ſuâ properant: labor eſt inhibere volentes.
Nec tibi directos placeat via quinque per arcus.
Sectus in obliquum eſt lato curvamine limes,
Zonarumque trium contentus fine, polumque
Effugit auſtralem, junctamque aquilonibus Arcton.
Hâc ſit iter: manifeſta rotæ veſtigia cernes.

Ultro feſtinant; difficile eſt coërcere ultro currentes. Neque teneas iter per quinque zonas directas. Callis eſt porrectus in obliquum veſto volumine, qui contentus limite trium circulorum, deflectit à polo auſtrali, & urſa conjuncta Boreæ. Hanc inſiſte viam: videbis ſigna aperta rotæ.

NOTÆ.

114. *Diffugiunt*] Quia, ob majorem ſolis lucem, non apparent.

115. *Lucifer*] Venus ita dicta, quoniam aſſidua ſolis aſſecla prima poſt illius obitum, ultima ante ortum apparet; unde poëta dicit eam cæterarum ſtellarum agmen claudere, & quaſi cogere.

Ib. *Statione*] Tranſlatio à militibus ſtationariis. Videntur enim ſidera noctum vigilare atque excubias agere.

118. *Horis*] Horæ ſuprà ad v. 26. dictæ ſunt ſolis miniſtræ, quippe quæ ex illius motu pendent, ab illo menſurantur, & diſtinguuntur.

120. *Ambroſiæ*] Eſt Ambroſia deorum cibus, ſicuti nectar eorum potus; quanquam confunduntur aliquando. Ambroſiam etiam deſcribit Plinius herbam odore non injucundo.

124. *Radios*] Coronam radios emittentem, quam ſol ipſe ſolet geſtare, ut videre eſt ex v. 40. ſupra.

129. *Nec tibi*] Phaëtontem filium hortatur Sol, ne eat per circulos parallelos, ſed per zodiacum, qui æquatorem obliquè interſecat.

Ib. *Quinque per arcus*] Æquinoctialem dicit circulum, duos Tropicos, Cancri, & Capricorni, cum Arctico & Antarctico.

130. *Limes*] Qui eſt zodiacus.

131. *Zonarum*] Cœlum & terram in quinque partes diviſerunt mathematici, quas *zonas* ſeu *cingula* vocaverunt, prout diverſè ſolaribus radiis ſubjiciuntur.

Ib. *Fine*] Duos Tropicos Cancri & Capricorni, qui fines ſunt duarum zonarum temperatarum, quos ſol non tranſgreditur. Tertiæ autem zonæ limes, quem dicit ſolem attingere, æquator eſt.

132. *Auſtralem*] Quem communiter vocant *Antarcticum*, id eſt, Arctico oppoſitum.

Ib. *Arcton.*] Per Arcton ſeu Urſam, quæ ſignum eſt cœleſte in plagâ ſeptentrionali, vel boreali, polum Arcticum intellige, aut partem cœli quæ ultra Tropicum Cancri porrigitur. Eſt autem Urſa eadem quæ ante Calliſto fuerat Lycaonis filia à Junone in Urſum mutata, deinde à Jove in cœlum tranſlata. Aquilonibus junctam dicit poëta, quia ex eâ cœli parte, quâ poſita eſt Urſa, ſpirant venti Septentrionales.

Utque

Utque ferant æquos & cœlum & terra calores,
Nec preme, nec summum molire per æthera currum.
Altiùs egressus, cœlestia tecta cremabis;
Inferiùs, terras: medio tutissimus ibis.
Neu te dexterior tortum declinet in anguem
Neve sinisterior pressam rota ducat ad aram:
Inter utrumque tene. Fortunæ cætera mando;
Quæ juvet; & meliùs, quàm tu tibi, consulat, opto.
Dum loquor, Hesperio positas in littore metas
Humida nox tetigit. Non est mora libera nobis:
Poscimur. Effulget tenebris Aurora fugatis.
Corripe lora manu: vel, si mutabile pectus
Est tibi, consiliis, non curribus, utere nostris,
Dum potes, & solidis etiamnum sedibus adstas;
Dumquè malè optatos nondum premis inscius axes.
Quæ tutus spectes, sine me dare lumina terris.
Occupat ille levem juvenili corpore currum:
Statque super; manibusque datas contingere habenas
Gaudet; & invito grates agit inde parenti.
Interea volucres Pyroeis, & Eous, & Æthon
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusq; repagula pulsant.
Quæ postquam Tethys fatorum ignara nepotis
Reppulit; & facta est immensi copia mundi:
Corripuêre viam, pedibusque per aëra motis
Obstantes findunt nebulas, pennisque levati

Et ut cœlum & terra fruantur æquis caloribus, neque deprime, neque age currum ad supremum cœlum. Sublimiùs si tendas, incendes domos cœlestes; si inferiùs, terras: securiùs veheris medio. Neve rota dextra deveha: te ad serpentem sinuosum; neve lævè trahat ad aram depressum: tende iter inter utrumque. Committo reliqua fortunæ, quæ opem ferat; & meliùs (precor) prospiciat tibi, quàm tu ipse prospicis. *Dum verba facio, nox madida pervenit ad terminos sitos in littore occiduo. Non licet cunctari: vocamur. Aurora splendet, tenebris discussis. Sume habenas manu, vel si cor habes flexile, utere monitis nostris, non curribus, dum licet, & insistis adhuc sedibus firmis: dumque nescius nondum insides currui studiè desiderato. Patere me immittere terris lucem, quâ fruaris securus. Ille prosilit in currum levem corpore alacri: & infidet, & exultat apprehendere manibus concessa lora; deinde gratias agit patri repugnanti. Interea equi Solis alati Pyroeis, & Eous, & Æthon, & quartus Phlegon, implent aërem hinnitibus igniferis, & quatiunt carceres pedibus. Quos ut Tethys nescia fatorum nepotis removit; & apertus est vastus orbis: velocissimè iter carpserunt, & pedibus agitatis per aërem diffindunt nubila opposita, et sustentati pennis*

NOTÆ.

138. *Anguem*] Draconem dicit, signum cœleste, olim Hesperidum aurea mala custodientem, quem Hercules interfecit; Juno inter duas Arctos seu Ursas ita collocavit, ut utramque corporis flexibus comprehendat.

139. *Aram*] Sidus australe, constans 7 stellis non longè à caudâ Scorpii; Latus autem mundi Australinum depressius; Boreale, nobis sublime; zodiacus medius.

142. *Hesperio*] Id est *Atlantico*, ab Hespero Atlantis fratre sic dicto. Cæterùm per Atlanticum littus occidentale intellige, quò cùm nox pervenit, necesse est dies, adeòque sol ad orientale pervenerit.

150. *Occupat*] Celeritatem notat.

153. *Pyroeis & Eous, &c.*] Nomina quatuor equorum à Græcâ origine derivantur. Pyroeis ab igne, Eous ab Aurorâ, Æthon & Phlegon ab urendo sic dicti.

155. *Repagula*] Ad carceres alludit, è quibus, in ludorum celebratione, equi emittebantur.

156. *Tethys*] Oceani conjux, & Clymenes mater, apud quam sol pernoctare creditur, quia in mare, cùm occidit, sese videtur immergere.

Prætereunt

antevertunt subsolanos qui ex eâdem plagâ oriuntur. Sed onus erat parvum, & quod equi solis non potuerunt jenere: & jugum carebat pondere consueto: Et sicuti aduncæ naves sine onere convenienti vacillant, atque incertæ fluctuant nimiâ levitate; sic currus saltat in aëre sine pondere solito, & sursum valde concutitur; & est similis vacuo. Quod statim atque equi quadrijugi advertunt, exiliunt, & deserunt viam calcatam: nec currunt eodem ordine quo antea. Ipse tremit, neque novit quà torqueat lora sibi concredita, neque viam, quâ sit insistendum: neque si cognoscat, regere queat illos. Tum primùm frigidi Triones intepuerunt radiis, & conati sunt incassùm mergi in mari prohibito. Et anguis, qui situs est juxta polum gelidum, antea iners rigore, neque metuendus cuiquam, arsit: & nova ira fervuit per calores. Dicunt etiam, Boote, te trepidum celeriter discessisse: tametsi lentus esses, & tuus currus te remoraretur.

Prætereunt ortos iisdem de partibus Euros.
Sed leve pondus erat; nec quod cognoscere possent
Solis equi: solitâque jugum gravitate carebat.
Utque labant curvæ justo sine pondere naves,
Perque mare instabiles nimiâ levitate feruntur;
Sic onere assueto vacuos dat in aëra saltus,
Succutiturque altè; similisque est currus inani.
Quod simul ac sensêre, ruunt, tritumque relinquunt
Quadrijugi spatium: nec quo priùs, ordine currunt.
Ipse pavet; nec quà commissas flectat habenas,
Nec scit, quà sit iter: nec, si sciat, imperet illis.
Tum primùm radiis gelidi caluêre Triones,
Et vetito frustrà tentârunt æquore tingi.
Quæque polo posita est glaciali proxima serpens,
Frigore pigra priùs, nec formidabilis ulli;
Incaluit: sumsitque novas fervoribus iras.
Te quoque turbatum memorant fugisse, Boote;
Quamvis tardus eras, & te tua plaustra tenebant.
Ut verò summo despexit ab æthere terras
Infelix Phaëton, penitùs penitúsque patentes,
Palluit, & subitò genua intremuêre timore:
Suntque oculis tenebræ per tantum lumen obortæ.
Et jam mallet equos nunquam tetigisse paternos:
Jamque agnôsse genus piget, & valuisse rogando:
Jam Meropis dici cupiens; ita fertur, ut acta
Præcipiti pinus Boreâ, cui victa remisit

Cùm autem miser Phaëton intuitus est à supremo æthere terras usque & usque apertas, expalluit, & repentè genua concussa sunt pavore: & caligo occupavit oculos per tantum lumen. Et jam præoptaret nunquam attigisse equos paternos: & jam pœnitet cognovisse stirpem, & vicisse patrem orando: Jam optans appellari Filius Meropis; perinde agitur, ut navis impulsa ruente Aquilone, cui victam permisit

NOTÆ.

171. *Triones*] Ursa est major, cujus septem Lucidiores stellæ plaustri formam referunt, cum bobus (quos veteres Triones à terendâ terrâ ut Varroni videtur, dixerunt.) Quod signum nunquam occidit: quia, si fabulam spectes, Juno pellicem Callisto cœlo receptam indignata, à Tethye Oceani uxore, impetravit ne aquis ejus tingeretur; si veritatem quæras, quia polo ratione nostri situs elevato vicinior est Ursa, quam ut possit sub horizontem descendere.

173. *Serpens*] Signum est; quod jam antè in Boreali plagâ diximus esse.

176. *Boote*] Signum est; qui & Arctophylax dicitur, signum juxta Ursam majorem, quæ bubulci more palustrum sequi videtur. Plaustrum autem, Triones, & Ursam, unum & idem signum esse diximus.

177. *Tardus*] Utpote polo vicinior, adeóque minor illi ambitus.

179. *Penitùs penitúsque*] Hoc est, valde depressas, ac longe à se remotas. Nam geminatum illud adverbium immensum illud intervallum notat, inter cœlum & terras.

181. *Tenebræ*] Vertigo caligans offusa est oculis & animo in luce mediâ, imo in tantâ.

184. *Meropis*] Mallet se homine natum dici & salvum esse, quàm deo satum & perire.

185. *Pinus*] Pro navi ex pinu factâ, metonymicè.

Fræna

Fræna suus rector, quam Dis votisque reliquit.
Quid faciat? multum cœli post terga relictum:
Ante oculos plus est: Animo metitur utrumque.
Et modò, quos illi fato contingere non est,
Prospicit occasus: interdum respicit ortus.
Quidque agat ignarus, stupet; & nec fræna remittit,
Nec retinere valet: nec nomina novit equorum.
Sparsa quoque in vario passim miracula cœlo,
Vastarumque videt trepidus simulacra ferarum.
Est locus, in geminos ubi brachia concavat arcus
Scorpios; & caudâ, flexisque utrinque lacertis,
Porrigit in spatium signorum membra duorum.
Hunc puer ut nigri madidum sudore veneni
Vulneri curvatâ minitantem cuspide vidit;
Mentis inops, gelidâ formidine lora remisit.
Quæ postquam summum tetigêre jacentia tergum,
Expatiantur equi: nulloque inhibente per auras
Ignotæ regionis eunt; quâque impetus egit,
Hâc sine lege ruunt, altoque sub æthere fixis
Incursant stellis, rapiuntque per avia currum.
Et modò summa petunt, modò per decliva, viasque
Præcipites spatio terræ propiore feruntur.
Inferiùsque suis fraternos currere Luna
Admiratur equos: ambustaque nubila fumant.
Corripitur flammis, ut quæque altissima tellus;
Fissaque agit rimas, & succis aret ademtis.
Pabula canescunt: cum frondibus uritur arbos:
Materiamque suo præbet seges arida damno.
Parva queror. Magnæ pereunt cum mœnibus urbes.
Cumque suis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt. Silvæ cum montibus ardent.

nauclerus suus gubernaculum, quam concrediderit dîs & precibus. Quid agat? Magna pars cœli relicta est à tergo: major est præ oculis: mensurat utrumque mente: & nunc è longinquo spectat occasum, quò fata non sinunt illum pervenire: nunc intuetur ortum. Atque nescius quid possit agere, obstupescit: & neque laxat habenas, neque potest tenere: neque scit nomina equorum. Spectat etiam timidus hinc inde prodigia posita in cœlo diversis signis distincto, & imagines magnarum ferarum. Est locus ubi Scorpius flexit lacertos in duos arcus, & extendit artus in spatium duorum siderum, caudâ & brachiis curvatis utrinque. Cùm juvenis intuitus est hunc squalentem sudore veneni atri, intentantem plagas caudâ reflexâ, deficiens animo laxavit habenas frigido timore. Quæ postquam collapsæ sunt equorum *summa in dorsa, equi divagantur: & nemine obstante feruntur per spatia incognitæ plagæ; & quâ furor impulit, hâc currunt sine modo & impetum faciunt in stellas positas sub summo æthere, & abstrahunt currum per avia. Et modò eunt per depressa, & limites præruptos,* aut *loca terræ viciniora. Et Luna stupet equos fratris ire inferiùs suis: & nubes incensæ fumum emittunt. Ut quæque terra sublimior est, accenditur; & divisa hiat, & arida est humore exhausto. Herbæ albicant: arbor ardet cum foliis: & fruges arentes suppeditant pabulum suo incendio. De exiguis* damnis *queror. Vastæ civitates intereunt cum muris: & conflagratio redigit in favillas totas nationes cum suis alumnis. Nemora flagrant cum montibus.*

NOTÆ.

186. *Fræna*] Pro gubernaculo: quod poëtis familiare.

196. *Scorpios*] Signum zodiaci constans stellis 21 duorum penè signorum spatia occupans: Chelæ seu brachia, Libram constituere videntur; Scorpium verò ipsum caudâ recurvâ designat.

197. *In spatium duorum*] Alterum namque brachiis; alterum caudâ facit.

198. *Madidum*] Ex caloris vicinîâ sudantem, æstuantem, fœvientem.

205. *Incursant stellis*] Quippe cum nimiùm jam ascenderent equi.

Ardet

Athos flagrat, & Taurus Ciliciæ mons, & Tmolus, & Œta, & Ida, jam arida, olim nobilissima fontibus; & Helicon virginibus sacer, & Hæmus nondum Œagrius dictus. Ætna flagrat flammis duplicatis sine modo, & Parnassus, in duos vertices divisus, & Eryx, et Cynthus, & Othrys, & tandem Rhodope vacua nivibus, & Mimas, & Dindyma, & Mycale, & Cythæron sacris dicatus. Nec sua frigora opem ferunt Scythiæ: Caucasus flagrat, & Ossa cum Pindo, & Olympus major utroque: & Alpes aëriæ, & Apenninus nubilosus.

Ardet Athos, Tauruſque Cilix, & Tmolus, & Œte;
Et nunc ſicca, priùs celeberrima fontibus, Ide;
Virgineuſque Helicon, & nondum Œagrius Hæmos.
Ardet in immenſum geminatis ignibus Ætne,
Parnaſſuſque biceps, & Eryx, & Cynthus, & Othrys,
Et tandem Rhodope nivibus caritura, Mimaſque,
Dindymaque, & Mycale, natuſque ad ſacra Cithæron.
Nec profunt Scythiæ ſua frigora: Caucaſus ardet,
Oſſaq; cum Pindo, majorq; ambobus Olympus:
Aëriæque Alpes, & nubifer Apenninus.
Tunc verò Phaëton cunctis è partibus orbem
Aſpicit accenſum: nec tantos ſuſtinet æſtus:
Ferventeſque auras, velut è fornace profundâ,
Ore trahit, curruſque ſuos candeſcere ſentit.
Et neque jam cineres ejectatamque favillam

Tunc verò Phaëton ſpectat undum inflammatum ex omnibus partibus: nec patitur tantos ardores: & haurit ore aërem calidum tanquam ex fornace profundâ, & ſentit ſuos currus igneſcere. Et neque jam poteſt ſuſtinere cineres & favillam jactatam:

NOTÆ.

217. *Athos*] Macedoniæ mons altiſſimus.

Ib. *Taurus*] Mons eſt totius Aſiæ maximus, diverſa nomina apud varias gentes in quas dividitur, ſortitus, à Cilicibus *Taurus* dictus.

Ib. *Tmolus*] Mons eſt Phrygiæ, vino, croco, & melle abundans.

Ib. *Œte*] In Theſſaliâ, Herculis rogo & morte celeberrimus.

218. *Ide*] Mons eſt, qui ad Troadem ſpectat, fontibus ſuis inclytus.

219. *Helicon*] Hic Bœotiæ eſt, Muſis ſacer, ideoque à poëtâ *virgineus* dictus.

Ib. *Hæmus*] Mons Thraciæ altiſſimus, in quo Orpheus, Œagri & Calliopes filius, utì quidem voluerunt nonnulli, à Mænacibus, ſeu furentibus Bacchis diſcerptus eſt: unde mons dictus eſt Œagrius.

220. *Geminatis ignibus Ætne*] Nempe tam ſuis quàm incendii Phaëtontæi ignibus; Ætna enim Siciliæ mons flammas evomit.

221. *Parnaſſuſque*] Mons Phocidis in duos vertices diviſus.

Ib. *Erynx*] Hunc, olim Veneri dicatum, habet Sicilia.

Ib. *Cynthus*] In Delo inſula eſt, ubi Apollinem & Dianam Latona peperiſſe dicitur, à quo ille Cynthius, hæc Cynthia appellata.

222. *Rhodope*] Mons Thraciæ perpetuis nivibus horridus.

Ib. *Mimaſque*] Mons eſt Ioniæ, Icario mari oppoſitus. Itemque Thraciæ continuis obſeſſus imbribus.

223. *Dindyma*] Montes Troadis, matri deorum ſacri; unde Cybele Dindyme dicta.

Ib. *Mycale*] Qui Cariæ eſt, è regione Sami inſulæ.

Ib. *Cithæron*] Hic fuit Bœotiæ, Bacchi ſacrificiis notiſſimus, ubi Pantheum Bacchi contemptorem Bacchæ diſcerpſerunt.

224. *Caucaſus*] Scythiæ, regionis ad Septentrionem frigidiſſimæ, mons eſt, ad quem Promotheus fuit religatus.

225. *Oſſa cum Pindo*] Qui ſunt Theſſaliæ.

Ib. *Olympus*] In confinio eſt Macedoniæ & Theſſaliæ, tam altus ut cœlum ipſum pertingere videatur: quare etiam pro ipſo nonnunquam ſumitur.

226. *Alpes*] Montes ſunt excelſi, Italium à Galliâ diſterminantes.

Ib. *Apenninus*] Longiſſimus eſt montium tractus Italiam dividens. A ſublimitate vocat poëta *nubiferum* quaſi ad nubes pertingeret, ita etiam Alpes *aëriæ*, quia in auras alte ſurgunt.

Ferre poteſt: calidoque involvitur undique fumo.
Quóque eat, aut ubi ſit, piceâ caligine tectus
Neſcit; & arbitrio volucrum raptatur equorum.
Sanguine tum credunt in corpora ſumma vocato,
Æthiopum populos nigrum traxiſſe colorem.
Tum facta eſt Libye, raptis humoribus æſtu,
Arida: tum Nymphæ paſſis fonteſque, lacuſque
Deflevêre comis. Queritur Bœotia Dircen,
Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas undas.
Nec ſortita loco diſtantes flumina ripas
Tuta manent; mediis Tanaïs fumavit in undis,
Peneoſque ſenex, Theutranteuſque Caïcus,
Et celer Iſmenos, cum Phocaïco Erymantho,
Arſuruſque iterum Xanthus, flavuſque Lycormas,
Quique recurvatis ludit Mæandros in undis;
Mygdoniuſque Melas, & Tænarius Eurotas.
Arſit & Euphrates Babylonius, arſit Orontes,
Thermodonque citus, Gangeſque, & Phaſis, & Iſter:

& circumfunditur undique fumo fervido. Neque intelligit quò vadat, aut ubi ſit, involutus obſcuris tenebris; & aufertur pro libitu alatorum equorum. Credibile eſt populos Æthiopum tunc ſumſiſſe atrum colorem, ſanguine educto ad extremas partes corporis. Tum Libya facta eſt ſicca, humiditate ſublatâ caloribus: tum nymphæ ejulaverunt capillis ſparſis, & fontes, & lacus. Bœotia conqueritur Dircen, Argos Amymonen, Corinthus aquas Pirenidas exſiccatas eſſe. *Neque fluvii nacti ripas loco diſtitas ſunt ſecuri: Tanaïs fumavit in mediis aquis, & ſenex Peneus, & Caïcus Theutranteus, & rapidus Iſmenus cum Erymantho Phocaïco, & Xanthus iterum deflagraturus, & flavus Lycormas, & Mæander, qui ludit in aquis flexuoſis; & Melas Mygdonius, & Eurotas Tænarius. Euphrates etiam Babylonius incenſus eſt, arſit Orontes, & celer Thermodon, & Ganges, & Phaſis, & Danubius:*

NOTÆ.

237. *Libye*] Africæ eſt pars aridiſſima, inter Mauritaniam, & Cyrenaïcam regionem, cui limites accuratè aſſignare errones populi non ſciverunt.

239. *Dircen,*] Fontem, quo, caloribus jam exhauſto, uti non liceret. Atque in hunc fontem non procul à Thebis mutata fuerat Dirce, Lyci, Thebarum regis, uxor.

240. *Amymonen*] Fuit Amymone Danai filia, in fontem, apud Argos, converſa.

Ib. *Ephyre*] *Corinthus*, ubi fons Pirente Muſis ſacer.

241. *Nec ſortita loco*] *Non exigui modò fontes, ſed latiſſimi fluvii exaruerunt.*

242. *Tanaïs*] Fluvius eſt Scythiæ maximus, Europam ab Aſiâ dividens.

243. *Caïcus*] Fluvius eſt Myſiæ, ideo Theutranteus dictus, quòd ex Theutrantiâ Myſiæ parte Myſus fluvius terrâ hauſtus, deinde Caïcum efficiat.

244. *Iſmenos*] Bœotiæ fluvius in Euripum influens.

Ib. *Erymantho*] Phocidis eſt, aut Phocaïcus hic fluvius, in Arcadiâ, ubi & mons ejuſdem nominis.

245. *Xanthus*] Fluvius eſt Trojæ, qui belli Trojani tempore, iterum Vulcani vi arſit & exaruit. Vide II. φ'.

Ib. *Lycormas*] Evenus eſt Ætolia fluvius, flavas volvens arenas; aliis etiam nominibus appellatus.

246. *Mæandros*] Phrygiæ eſt hic, 600, ut numerant gyris, & ſinuoſis flexibus, ita fluens, ut in fontem ſuum ſæpius recurrere videatur.

247. *Melas*] Fluvius eſt Mygdoniæ, quî oves *nigras* efficere dicitur; μέλας enim *niger* ſignificat.

Id. *Tænarius*] Eurotas Laconiæ fluvius, Tænarius dict. à Tænaro, quod Solinus cap. 12. Laconiæ ſpiraculum dicit.

248. *Euphrates*] Nobiliſſimus eſt Aſiæ fluvius ex Armeniâ, per Meſopotamiam, lotâ Babylone urbe, Perſicum ſinum defluens.

Ib. *Orontes*] Hic Syriæ, ex Libano monte decurrens; *Typhon*, à Typhonte gigante illic fulminato, aliis etiam appellatus nominibus.

249. *Thermodon*] Thraciæ eſt; juxta quem ſedes poſuiſſe volunt Amazones, ex Scythiâ in Europam migrantes.

Ib. *Ganges*] Maximus & notiſſimus Indorum fluvius.

Ib. *Phaſis*] Colchorum eſt, qui Medeæ etiam nomen ſuum dedit.

Ib. *Iſter*] Europæ maximus eſt fluvius, qui & Danubius dicitur, in pontum Euxinum influens.

Alpheos fervet: ripæ Sperchëides flagrant: & aurum quod Tagus volvit suo flumine liquescit per ardores. Et aves fluviatiles, quæ nobilitaverunt ripas Mæonias cantu suo, arserunt in medio Caystro. Nilus tremefactus recessit ad ultimum orbem, & abscondit caput, quod adhuc tegitur. Septem ejus ostia pulvere respersa septem evadunt valles absque flumine. Eâdem sorte exaruerunt Hebrus & Strymon Thracii, itemque Rhenus & Rhodanus ad occasum porrecti, & Tybris; cui mundi *imperium fuit assignatum. Universa terra hiat; & lux pervadit usque ad inferos per fissuras, & terrefacit regem inferum cum uxore. Pelagus etiam coarctatur: & quod jam erat mare, esi vastitas constrata glareâ: & montes, quos profundum mare operuerat, apparent, & Cycladum, quæ latè huc illuc sparguntur,* numerum *augent. Pisces se recipiunt in profundum: neque Delphines pandi audent se efferre super mare in aërem assuetum. Corpora Phocarum super extremam maris faciem inversa*

Æstuat Alpheos: ripæ Sperchïedes ardent:
Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ignibus aurum.
Et, quæ Mæonias celebrârant carmine ripas,
Flumineæ volucres medio caluêre Caystro.
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet. Ostia septem
Pulverulenta vacant septem sine flumine valles.
Fors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat,
Hesperiosque amnes, Rhenum, Rhodanumque, Padumque,
Cuique fuit rerum promissa potentia, Tybrin.
Dissilit omne solum; penetratque in Tartara rimis
Lumen, & infernum terret cum conjuge regem.
Et mare contrahitur: siccæque est campus arenæ,
Quod modò pontus erat: quosq; altum texerat æquor,
Exsistunt montes, & sparsas Cycladas augent.
Ima petunt pisces: nec se super æquora curvi
Tollere consuetas audent Delphines in auras.
Corpora phocarum summo resupina profundo

NOTÆ.

250. *Alpheos*] Arcadiæ est hic in Peloponneso, qui ibi absorptus, intermixtis aquis, ex Græciâ, subter mare & terram currens, se in Siciliâ rursus extollit, ubi Arethusæ fonti immixtus, sese deinde in mare Siculum exonerat. Quam fabulam non modò poëtæ, sed historici etiam scripserunt; de quâ suo loco nostrum quoque audiemus Nasonem.

Ib. *Sperchëides*] Sperchii, Thessaliæ fluvii, qui in Maliacum sinum illabitur.

251. *Tagus*] Hispaniæ fluvius, aureas vehens arenas, quas jam sole liquefactas aquæ ritu devolutas insolenti hyperbole fingit poëta.

252. *Mæonias*] Est Mæonia eadem quæ Lydia, Asiæ minoris regio, in quâ Cayster fluvius cygnis suis à poëtis celebratus.

253. *Volucres*] De cygnis loquitur.

254. *Nilus*] Celeberrimus Ægypti fluvius, cujus fontes quia veteres ignoraverunt, ideo caput condidisse dicit poëta; quod tamen in Lunæ montibus Ptolemæus recentiores ex quibusdam lacubus quos *Zaflan & Zembre* vocant, assignârunt.

256. *Vacant*] Septem dicit alveos, per quos in mare erumpit Nilus, ita exaruisse ut valles apparerent.

257. *Ismarios*] *Thracios*, ab Ismaro, Thraciæ monte. Synecdoche est.

Ib. *Hebrum*] Sunt Hebrus & Strymon duo Thraciæ fluvii in Ægeum mare influentes.

258. *Hesperios*] Id est, qui magis ad occidentalem plagam spectant. Nam Rhenus Germaniæ, Rhodanus Galliæ, Padus seu Eridanus Italiæ, fluvii notissimi.

259. *Cui*] Id est, Romanis, fluminis illius accolis. Metonymia est.

261. *Infernum*] *Plutonem* cum Proserpinâ conjuge.

264. *Cycladas*] Sunt Cyclades Ægæi maris insulæ, in orbem collectæ, quæ hîc pro quibuslibet synecdochicè sumuntur.

Exanimata natant. Ipſum quoque Nerea, fama eſt,
Doridaque, & natas, tepidis latuiſſe ſub antris.
Ter Neptunus aquis cum torvo brachia vultu
Exſerere auſus erat: ter non tulit aëris æſtus.
Alma tamen Tellus, ut erat circumdata ponto.
Inter aquas pelagi, contractoſque undique fontes,
Qui ſe condiderant in opacæ viſcera matris,
Suſtulit omniferos collo tenus arida vultus:
Oppoſuitque manum fronti: magnoque tremore
Omnia concutiens paullùm ſubſedit, & infrà,
Quàm ſolet eſſe, fuit: ſiccâque ita voce locuta eſt:
Si placet hoc, meruique, quid ô tua fulmina ceſſant,
Summe Deûm? liceat perituræ viribus ignis,
Igne perire tuo; clademque auctore levare.
Vix equidem fauces hæc ipſa in verba reſolvo.
(Preſſerat ora vapor.) Toſtos en aſpice crines!
Inque oculis tantum, tantum ſuper ora favillæ.
Hoſne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem,
Officiique refers: quòd adunci vulnera aratri,
Raſtrorumque fero, totoque exerceor anno?
Quòd pecori frondes, alimentaque mitia, fruges
Humano generi; vobis quòd thura miniſtro?
Sed tamen exitium fac me meruiſſe: quid undæ,
Quid meruit frater? cur illi tradita ſorte
Æquora decreſcunt, & ab æthere longiùs abſunt?
Quòd ſi nec fratris, nec te mea gratia tangit;
At cœli miſerere tui. Circumſpice utrumque;
Fumat uterque polus: quos ſi vitiaverit ignis,
Atria veſtra ruent. Atlas en ipſe laborat!
Vixque ſuis humeris candentem ſuſtinet axem.
Si freta, ſi terræ pereunt, ſi regia cœli;
In chaos antiquum confundimur. Eripe flammis,

mortua fluitant. Aiunt etiam ipſum Nereum, & Doridem, & filias ſeſe abdidiſſe in cavernis calidis. Neptunus conatus erat ter emittere aquis lacertos, vultu truci: ter non toleravit ardores aëris. Mitis tamen Terra, ut erat cincta mari, inter aquas pelagi, & fontes undique congeſtos, qui ſeſe receperant in præcordia vaſtæ matris, ſicca extulit faciem omnia ferentem collo tenus: & prætulit manum fronti: & percellens cuncta ingenti pavore paullùm ſubſedit & conſtitit inferiùs quàm ſolet eſſe: & hanc orationem habuit voce aridâ: Siquidem hoc gratum eſt, ô maxime deorum, & digna ſum, quamobrem tua fulmina quieſcunt? Concedatur interitura fervore ignis interire igne tuo; & ſolatium habere exitii ab auctore. Ægrè equidem os aperio in hanc ipſam orationem (calor præcluſerat fauces.) En vide capillos aſſos! & nihil niſi cineres in oculis, & in vultum. Præſtaſne mihi hanc mercedem atque *hunc honorem feracitatis, & ſervitii; quòd patior plagas curvi aratri & raſtrorum, & torqueor toto anno? quòd exhibeo folia pecori, & fruges, cibos dulces humanæ genti; quòd vobis* præbeo *thura? Sed pone tamen me dignam eſſe calamitate: aquæ quid* meritæ *ſunt, quid meritus eſt frater? quamobrem maria illi data ſorte minuuntur, & diſtant longiùs à cœlo? Quòd ſi neque favor fratris, neque meus te movet; at miſerearis cœli tui. Intuere utrumque* polum; *uterque polus fumum emittit: quos ſi ignis corruperit, domus veſtræ cadent. Ecce ipſe Atlas nutat! vixque fert ſuis humeris ardentem polum. Si maria, ſi terræ intereunt, ſi baſilica cœli; ruimus in antiquum chaos. Auſer ex igne,*

NOTÆ.

268. *Nerea*] Fuit Nereus deus maris, vates inſignis, in Ægeo mari præcipuè habitans, qui Doridem uxorem habuit, ex quâ 50 ſuſcepit filias, à patre *Nereïdas* dictas.

273. *Contractos*] Intellige vel calore diminutos, & partim exſiccatos, vel potiùs in matris gremium congregatos & coactos, ut patet ex verſu ſequenti.

275. *Omniferos*] Quia omnia alit Terra, unde Græcis παμμήτωρ dicitur, & Virg. Æn. 6. *Omniparens.*

281. *Auctore*] *Si Jovis potiùs quàm Phaëtontis manu periero.*

296. *Atlas*] Mons Mauritaniæ, qui propter altitudinem cœlum ſuſtinere dicitur; vel quia Atlas rex Mauritaniæ, qui in illum montem fertur tranſmutatus, primus omnium de Aſtrologicâ tractâſſe creditus.

si quid adhuc reſtat: & proſpice ſummæ rerum. Terra hæc locuta erat: nec verò potuit pati diutiùs calorem, nec plura narrare: & recepit ſuum caput in ſe, & ſpeluncas vicinores inferis. At pater omnipotens teſtatus deos, & ipſum Phœbum *qui tradiderat currus omnia peritura luctuoſo fato, niſi ſuccurrat; excelſus aſcendit in ſupremam arcem; unde ſolet immittere nubila vaſtis terris: unde ciet tonitrua, & vibrat fulmina miſſa. Sed neque tum habuit nubila quæ poſſet ſpargere in terras: neque imbres quos à cœlo mitteret. Intonat: & jecit in aurigam* Phaëtontem *fulmen libratum ab aure dextrâ: & deturbavit pariter animâ & rotis, & oppreſſit ignes feris ignibus. Equî attoniti ſunt: & ſaltu retrorſum dato, ſubtrahunt colla jugo, & deſerunt habenas laceratas. Frena illic ſunt ſtrata, illic axis à ſuclus temone; ex hâc parte radii rotarum quaſſatarum; & reliquiæ curruſ fractî ſunt latè diſjectæ. At Phaëton flammâ vaſtante comam flavam fuit præceps, & trahitur per aërem longo tramite; ſicut quandoque ſtella de cœlo puro, quanquam non delapſus eſt, tamen potuit videri decidiſſe. Quem Eridanus maximus recipit longe à patriâ diſſito orbe; & lavit faciem æſtuantem.*

Si quid adhuc ſupereſt: & rerum conſule ſummæ.
Dixerat hæc Tellus: neque enim tolerare vaporem
Ulteriùs potuit, nec dicere plura: ſuumque
Rettulit os in ſe, propioraque Manibus antra.
At pater omnipotens Superos teſtatus, & ipſum,
Qui dederat currus, niſi opem ferat, omnia fato
Interitura gravi; ſummam petit arduûs arcem;
Unde ſolet latis nubes inducere terris:
Unde movet tonitrus, vibrataque fulmina jactat.
Sed neque, quas poſſet terris inducere, nubes
Tunc habuit: nec, quos cœlo dimitteret, imbres.
Intonat: & dextrâ libratum fulmen ab aure
Miſit in aurigam: pariterque, animâque, rotiſque,
Expulit, & ſævis compeſcuit ignibus ignes.
Conſternantur equi: &, ſaltu in contraria facto,
Colla jugo excutiunt, abruptaque lora relinquunt.
Illîc fræna jacent, illîc temone revulſus
Axîs; in hâc radii fractarum parte rotarum:
Sparſaque ſunt latè laceri veſtigia currûs.
At Phaëton, rutilos flammâ populante capillos,
Volvitur in præceps, longoque per aëra tractu
Fertur; ut interdùm de cœlo ſtella ſereno,
Etſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri.
Quem procul à patriâ diverſo maximus orbe
Excipit Eridanus: ſpumantiaque abluit ora.

II. Naïdes Heſperiæ trifidâ fumantia flammâ
Corpora dant tumulo; ſignantque hoc carmine ſaxum;
Hic ſitus eſt Phaëton, currûs auriga paterni:

II. *Naïdes Heſperiæ condunt ſepulcro corpus fumans igne triſculo; & inſcribunt hoc epitaphium ſaxo* ſepulchrali: *hic poſitus eſt Phaëton moderator currûs paterni;*

NOTÆ.

300. *Summæ*] Summa rerum, in quâ rerum maxima pars conſiſtit.

306. *Summam petit arcem*] Cùm ſit altiſſimum in naturâ cœlum, eſt tamen in ipſo aliquid altius illo; verticem cœli vocat Virgilius.

311. *Ab aure*] Qui telum vibrant, illud priùs, ut acriùs emittant, ad aurem adducunt.

313. *Ignibus*] Ὀξυμώρον. Ignis ignem potius auget: verùm flamma valentior minùs valentem oppreſſit, ſicut infirmiora à robuſtioribus in naturâ ſubiguntur in eodem genere.

321. *Stella*] Non ſtella quidem, ſed exhalatio quædam incenſa, ſtellæ ſpeciem referens.

323. *Procul*] Multùm enim diſtat Italia ab Æthiopiâ.

324. *Eridanus*] Fluvius Italiæ, qui & Padus dicitur.

325. *Heſperiæ*] Occidentales & Italiæ: *Heſperia* enim ferè pro Italiâ, ſicut *ultima Heſperia* pro Hiſpaniâ ſumitur. Naïades autem Heſperiæ, Phaethuſa, Lampetie, & Phœbe, ſorores erant Phaetontis.

Ib. *Trifidâ*] *Fulmine*, quod trifidâ cuſpide pingitur.

Quem

Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.
Nam pater obductos luctu miserabilis ægro
Conderat vultus: &, si modò credimus, unum
Isse diem sine Sole ferunt. Incendia lumen
Præbebant; aliquisque malo fuit usus in illo.
At Clymene postquam dixit, quæcunque fuerunt
In tantis dicenda malis; lugubris & amens,
Et laniata sinus, totum percensuit orbem:
Exanimesque artus primò, mox ossa requirens,
Repperit ossa tamen peregrinâ condita ripâ.
Incubuitque loco: nomenque in marmore lectum
Perfudit lachrymis, & aperto pectora fovit.
Nec minùs Heliades fletus, & inania morti
Munera, dant lachrymas: & cæsæ pectora palmis
Non auditurum miseras Phaëtonta querelas
Nocte, dieque vocant: adsternunturque sepulchro.
Luna quater junctis implêrat cornibus orbem:
Illæ more suo (nam morem fecerat usus)
Plangorem dederant: è queîs Phaëthusa sororum
Maxima, cùm vellet terræ procumbere, questa est
Diriguisse pedes: ad quam conata venire
Candida Lampetie, subitâ radice retenta est.
Tertia cùm crinem manibus laniare pararet;
Avellit frondes. Hæc stipite crura teneri,
Illa dolet fieri longos sua brachia ramos.
Dumque ea mirantur, complectitur inguina cortex;
Perque gradus uterum, pectusque, humerosque, manusque,
Ambit: & exstabant tantùm ora vocantia matrem.
Quid faciat mater? nisi, quò trahat impetus illam,
Huc eat, atque illuc? &, dum licet, oscula jungat?
Non satìs est: truncis avellere corpora tentat,
Et teneros manibus ramos abrumpere: at inde

quem si tenere non potuit frustratus est tamen incæptis ingentibus. Nam parens lamentabilis gravi ærumnâ velaverat faciem opertam: & si modò fidem adhibemus, aiunt unum diem præteriisse absque sole. Deflagratio lucem afferebat; & nonnulla fuit utilitas in illo dispendio. At Clymene postquam protulit quæcumque fuerunt proferenda in tantis malis, tristis & furiosa, & scissas vestes habens, perlustravit totum mundum: & exquirens primò membra mortua, mox ossa, invenit ossa quamquam sepulta ripâ exterâ. Et ibi insedit: & irrigavit lachrymis nomen lectum in marmore, & calefecit gremio nudato. Neque minùs solis filiæ præbent morti lachrymas & ejulatus, dena vana: & plangentes pectora manibus explicitis citant nocte & die Phaëtontem non percepturum lamentabiles querimonias: & jacent ad tumulum. Luna quater absolverat orbem cornibus coëuntibus: illæ ex consuetudine suâ (nam usus in consuetudinem abierat) lamentationes continuaverant, è quibus Phaëthusa, grandior natu sororum, cùm cuperet sese in terram mittere, ingemuit pedes induruisse: ad quam cùm alba Lampetie vellet accedere, correpta est radice modò natâ. Cùm tertia vellet lacerare comam manibus; decerpit frondes. Hæc queritur crura correpta esse trunco, illa lacertos suos mutari in productos ramos. Et dum ea stupent, liber involvit inguina; & circumdat paulatim ventrem, & pectus, & humeros, & manus; & supererant tantùm ora citantia matrem. Quid agat mater? nisi feratur huc atque illuc, quo furor illam rapiat; & misceat bestia, dum datur? Non satìs est: nititur eripere corpora stipitibus, & revellere ramos teneros manibus: at inde

NOTÆ.

328. *Excidit*] Magna tamen aggredi ausus est, quod quidem abundè pulchrum atque magnificum est.

329. *Ægro*] Id est, qui ægros facit. Meton.

335. *Percensuit*] Inveniendi filii causâ.

336. *Mox*] Postquam corpus non invenerat.

340 *Heliades*] Solis filiæ, à patre Græcè sic dictæ, quæ & à fratre *Phaëtontiades*. Tres tantùm hîc memorat poëta, alii plures. Hyginus usque ad septem; quæ postquam fratrem per quatuor menses assiduè flevissent, tandem Jovis miseratione in populos, vel, ut aliis placet, in alnos, ipsarum verò lachrymæ in succina seu electra, mutatæ sunt.

344. *Luna quater junctis*] Quatuor menses transierant.

guttæ cruentæ fluunt tanquam de cicatrice. Ignosce, quæso, mater, vociferatur, quæcunque est vulnerata: ignosce, quæso: corpus nostrum discerpitur in arbore. Jamque vale. Liber occupavit os *ultima verba* proferens.

III. *Inde stillant lachrymæ: & electra derivata de novis ramis indurantur sole: quæ fluvius purus excipit, et mittit Italis puellis induenda.*

IV. *Cycnus filius Stheneli adstitit huic prodigio, qui utcumque tibi devinctus sanguine materno, Phaëton, tamen fuit conjunctior* benevolo *animo. Ille neglecto regno (nam imperium tenebat in gentem Ligurum, et amplas civitates) quæstibus impleverat ripas glaucas, et fluvium Eridanum, et nemus amplificatum sororibus cùm vox est imminuta viro: et plumæ candidæ imitantur comam: at collum productum à pectore extenditur, et ligamina committunt* pedum

Sanguineæ manant, tanquam de vulnere, guttæ. 360
Parce, precor, mater, quæcunquæ est saucia, clamat:
Parce, precor: nostrum laniatur in arbore corpus.
Jamque vale. Cortex in verba novissima venit.
III. Inde fluunt lachrymæ: stillataq; sole rigescunt
De ramis electra novis: quæ lucidus amnis 365
Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.
IV. Adfuit huic monstro proles Stheneleïa Cycnus,
Qui tibi materno quamvis à sanguine junctus,
Mente tamen, Phaëton, propior fuit. Ille, relicto
(Nam Ligurum populos, & magnas rexerat urbes)
Imperio, ripas virides, amnemque querelis 371
Eridanum implerat, silvamque sororibus auctam:
Cùm vox est tenuata viro: canæque capillos
Dissimulant plumæ: collumque à pectore longum
Porrigitur, digitosque ligat junctura rubentes: 375
Penna latus vestit: tenet os sine acumine rostrum:
Fit nova Cycnus avis. Nec se cæloque, Jovique
Credit, ut injustè missi memor ignis ab illo.
Stagna colit, patulosque lacus: ignemque perosus,
Quæ colat, elegit contraria flumina flammis. 380
Squallidus interea genitor Phaëtontis, & expers
Ipse sui decoris, qualis, cùm deficit orbem,
Esse solet: lucemque odit, seque ipse, diemque:
Datque animum in luctus: & luctibus adjicit iram:
Officiumque negat mundo. Satis, inquit, ab ævi 385

articulos rubentes. Penna tegit latus, rostrum occupat os sine acumine: Cycnus mutatur in avem novam. Nec se committit cœlo, & Jovi, tanquam recordans fulminis injustè conjecti ab illo. Frequentat stagna, & vastos lacus: & averjatus ignem assumsit flumina contraria flammis, quæ habitet. Interea pater Phaëtontis horridus, & ipse spoliatus sua elegantia, qualis consuevit esse cùm orbem suum *obscuravum habet: & odio habet splendorem, scipsum, & diem; & animum adjicit ad mœrorem: & addit iram mœrori, & recusat officium* suum præstare *orbi. Satis, ait, ab temporum*

NOTÆ.

361. *Parce, precor*] Sic Polydorus apud Virg.

Quid miserum, Æneа, laceras? jam parce sepulto;
Parce pias scelerare manus.——

363. *In verba*] Hoc est, cortex os obducens, verba Heliadum ultima occupavit.

367. *Adfuit huic*] Quo Heliades in arbores populos, & lachrymæ in electra conversæ sunt. Nunca d Cycni Stheneli filii progreditur fabulam qui Phaëtonti sanguine & amicitiâ conjunctus, cùm, relictâ Liguriâ, ad Padi ripas veniisset, multùmque amici casum defleviisset, in avem sui nominis fuit mutatus.

370. *Ligurum*] Sunt Ligures, quibus imperabat Cycnus, Italiæ pópuli, inter Varum & Macram amnes siti, Tuscis ab ortu contermini.

372. *Sororibus*] *Phaëtontis*: Quas ante in populos mutatas vidimus.

375. *Junctura*] Pelliculam dicit rubentem, quâ continentur Cycnorum digiti.

377. *Nec se cæloque*] Naturalem causam petit ex fabulâ.

Ib. *Jovique*] Id est, *aëri.*

382. *Deficit orbem*] Ubi deliquium & eclipsim patitur, opaci lunæ corporis interjectu obscuratus.

385. *Officiumque*] Currum regere, cujus beneficio illustratur orbis.

Sors

Sors mea principiis fuit irrequieta: pigetque
Actorum sine fine mihi, sine honore, laborum:
Quilibet alter agat portantes lumina currus.
Si nemo est, omnesque Dei non posse fatentur;
Ipse agat: ut saltem, dum nostras tentat habenas,
Orbatura patres aliquando fulmina ponat.
Tum sciet, ignipedum vires expertus equorum,
Non meruisse necem, qui non benè rexerit illos.
Talia dicentem circumstant omnia Solem
Numina: neve velit tenebras inducere rebus,
Supplice voce rogant. Missos quoque Jupiter ignes
Excusat, precibusque minas regaliter addit.
Colligit amentes, & adhuc terrore paventes,
Phœbus equos: stimuloque domans & verbere sævit:
Sævit enim, natumque objectat, & imputat illis.

V. At pater omnipotens ingentia mœnia cœli
Circuit: &, ne quid labefactum viribus ignis
Corruat, explorat. Quæ postquam firma, suique
Roboris esse videt: terras, hominumque labores
Perspicit. Arcadiæ tamen est impensior illi
Cura suæ: fontesque, & nondum audentia labi
Flumina restituit: dat terræ gramina, frondes
Arboribus; læsasque jubet revirescere silvas.
Dum redit, itque frequens; in virgine Nonacrinâ
Hæsit; & accepti caluêre sub ossibus ignes.
Non erat hujus opus lanam mollire trahendo;
Nec positu variare comas; ubi fibula vestem,
Vitta coërcuerat neglectos alba capillos,
Et modò læve manu jaculum, modò sumpserat ar-
Miles erat Phœbes: nec Mænalon attigit ulla

initio conditio mea fuit laboriosa: et me pœnitet laborum exactorum sine fine, sine honore. Quivis alius regat currus ferentes lucem. Si nullus est, et omnes dii concedunt se esse impares, ipse regat, ut saltem, dum tractat nostra lora, deponat quandoque fulmina quæ privent parentes liberis. *Tum cognoverit, postquam tentaverit impetum equorum ignipedum, non dignum esse morte qui non bene moderatus fuerat illos. Omnes dii circumdant solem talia proferentem: & orant voce supplice ne placeat immittere caliginem mundo. Jupiter etiam excusat flammas à se conjectas, & adjicit pro imperio comminationes precibus. Sol cogit equos attonitos, et trementes adhuc pavore, et compescens eos aculeo, et scuticâ furit: furit enim, et objicit filium, et eos accusat de ejus morte.*

V. *At Pater omnipotens perlustrat vastum ambitum cœli: et prospicit, ne quid corruptum viribus ignis perierit. Quæ postquam invenit integra, et sibi constantia: intuetur terras, et labores hominum. Magis tamen intendit animum ad suam Arcadiam: et renovat fontes et fluvios nondum ausos fluere: decorat terram herbis, arbores foliis, et imperat nemora vastata revirescere. Dum sæpius meat atque remeat, constitit* defixis oculis *in puellâ Nonacrinâ: et amor medullis receptus incaluit. Non erat hujus pensum lanam trahere et mollem reddere, et variâ positurâ capillos distinguere: postquam fibula collegerat amictus, vitta candida comam fluentem, et nunc corripuerat manu expeditum jaculum, nunc arcum; erat miles Dianæ: neque ulla tetigit Mænalon*

NOTÆ.

390. *Ipse*] *Jupiter*, quem tamen iratus dedignatur appellare.

405. *Arcadiæ suæ*] A se amatæ; sive propter Maim, quæ in Cyllene, ipsius Arcadiæ monte, Mercurium peperit. Vel *suæ* ait poëta, quòd Arcades non minùs, quam Cretenses, apud se natum esse Jovem contendunt. Sic Pausanias in Arcadicis.

409. *Nonacrinâ*] *Arcadicâ*; Synecdochicè. Callisto est Lycaonis filia, cui nomen fecit Mons Arcadiæ *Nonacris*.

412. *Positu variare*] Id est, in varias figuras componere.

413. *Vitta alba*] Quæ pudicitiæ symbolum.

415. *Miles erat*] Id est, Venationi erat dedita: nam & talis fuit Diana.

Ib. *Phœbes*] *Dianæ*, Apollinis seu Phœbi sororis.

Ib. *Mænalon*] Arcadiæ montem, ubi Diana venari solita.

magìs *accepta*, quàm *hæc Triviæ. Sed nulla* gratia aut *potentia eſt durabilis. Sol exceſſus tenebat locum ulteriorem medio, cùm illa intrat ſilvam, quæ nullo tempore deciſa erat. Hic depoſuit pharetram humero, et relaxavit arcum flexilem: et ſtrata erat ſuper terrâ, quam gramen veſtiverat: et ſuſtentabat pictâ pharetrâ caput impoſitum. Cùm Jupiter aſpexit defatigatam, et ſine cuſtode; Certè, dicit, uxor mea ignorabit iſtud ſtuprum: aut ſi cognoverit, ſuntne rixæ, ô ſuntne tanti? Continuò aſſumit vultus et ornatum Dianæ: atque inquit, O puella, pars unâ mearum comitum, in quibus collibus es venata? Puella ſurgit, et ait, Salve numen, meâ ſententiâ, majus Jove, quamvis ipſe* me *audiat.* Ipſe *audit et videt; et lætatur ſe ſibi antecponi; et dat ſuavia, nec ſatis modeſta, nec ſicut à puellâ dari oporteat. Implicat amplexu conantem referre quâ ſilvâ venata ſit; et ſe manifeſtat non ſine crimine. Illa equidem (utinam videres, Juno, eſſes lenior!) Illa equidem contrà nititur quantùm ſaltem puella poſſit: ſed quæ puella, quiſve poterat vincere Jovem? Jupiter voti compos aſcendit in ſupremum cœlum. Hæc edit nemus, et ſilvam conſciam. Unde digrediens oblita eſt ferè colligere pharetram cum ſagittis, et arcum quem appenderat. Ecce Dictynna ſtipata ſuis comitibus ambulans per exceſſum Mænalon, et elata nece ferarum videt hanc, et arceſſit viſam: hæc vocata recedit, et metuit primò, ne Jupiter lateret in illâ.*

Gratior hâc Triviæ. Sed nulla potentia longa eſt.
Ulterius medio ſpatium Sol altus habebat;
Cùm ſubit illa nemus, quod nulla ceciderat ætas.
Exuit hîc humero pharetram lentoſque retendit
Arcus: inque ſolo, quod texerat herba, jacebat;
Et pictam poſitâ pharetram cervice premebat.
Jupiter ut vidit feſſam, & cuſtode vacantem,
Hoc certè conjux furtum mea nefciet, inquit:
Aut ſi reſciverit; ſunt, ô, ſunt jurgia tanti?
Protinus induitur faciem, cultumque Dianæ:
Atque ait, O comitum virgo pars una mearum,
In quibus es venata jugis? de ceſpite virgo
Se levat: &, Salve numen, me judice, dixit,
Audiat ipſe licet, majus Jove. Ridet, & audit;
Et ſibi præferri ſe gaudet; & oſcula jungit:
Nec moderata ſatìs, nec ſic à virgine danda.
Quâ venata foret ſilvâ narrare parantem
Impedit amplexu: nec ſe ſine crimine prodit.
Illa quidem contrà, quantùm modò fœmina poſſit,
(Aſpiceres utinam, Saturnia, mitior eſſes!)
Illa quidem pugnat; ſed quæ ſuperare puella,
Quiſque Jovem poterat? ſuperum petit æthera victor
Jupiter. Huic odio nemus eſt, & conſcia ſilva.
Unde, pedem referens, pœne eſt oblita pharetram
Tollere cum telis, &, quem ſuſpenderat, arcum.
Ecce, ſuo comitata choro Dictynna per altum
Mænalon ingrediens, & cæde ſuperba ferarum,
Aſpicit hanc, viſamque vocat: clamata refugit;
Et timuit primò, ne Jupiter eſſet in illâ.

NOTÆ.

416. *Triviæ*] *Dianæ*; quæ ideo Trivia dicitur, quòd in triviis triformi, & tricipiti ſacra fierent. Vide Faſt. lib. I. Eſt nempe Diana in terris, eadem quæ in cœlo Luna, & inferis Proſerpina, quam in triviis equino, canino, mediòque humano capite repræſentabant.

417. *Ulteriùs ſpatium*] Meridiem jam pertranſiſſe ſignificat.

418. *Quod nullo*] Quod nunquam cæſum erat, adeóque arboribus denſiſſimum, umbrâque gravi ſſima.

424. *Sunt jurgia tanti?*] Suntne tanti momenti, ut me ab hiſce delictis abterreant?

435. *Aſpiceres*] Id eſt, ſi vidiſſes, Juno, quàm reluctanter Jovi ceſſerit, non adeò in immerentem ſævires.

438. *Conſcia*] Stupri à Jove illati.

441. *Dictynna*] Diana ἀπὸ τῶν δικτύων, à retibus, quibus uſa dea venatrix. Quanquam in Britomartis nymphæ & comitis honorem hoc nomen ſibi aſſumiſſe Dianam voluerunt alii. Illa nempe cùm Minoïs amorem fugeret, & ſeſe in mare præcipitem dediſſet, à Cretenſibus, oraculo monitis ut hoc pacto graſſantem peſtem effugerent, retibus ex mari extracta eſt. Qui Cretenſes Dianæ templum, ſub Dictynnæ nomine, extructum dicaverunt.

Sed,

Sed, poſtquam pariter Nymphas incedere vidit,
Senſit abeſſe dolos, numerumque acceſſit ad harum.
Heu quàm difficile eſt crimen non prodere vultu!
Vix oculos attollit humo: nec, ut antè ſolebat,
Juncta Deæ lateri, nec toto eſt agmine prima,
Sed ſilet; & læſi dat ſigna rubore pudoris.
Et (niſi quod virgo eſt) poterat ſentire Diana
Mille notis culpam. Nymphæ ſenſiſſe feruntur.
Orbe reſurgebant Lunaria cornua nono;
Cùm Dea venatrix, fraternis languida flammis,
Nacta nemus gelidum; de quo cum murmure labens
Ibat, & attritas verſabat rivus arenas.
Ut loca laudavit: ſummas pede contigit undas.
His quoque laudatis, Procul eſt, ait, arbiter omnis:
Nuda ſuperfuſis tingamus corpora lymphis.
Parrhaſis errubuit. Cunctæ velamina ponunt:
Una moras quærit. Dubitanti veſtis adempta eſt:
Quâ poſitâ, nudo patuit cum corpore crimen.
Attonitæ, manibuſque uterum celare volenti,
I procul hinc, dixit, nec ſacros pollue fontes,
Cynthia: deque ſuo juſſit ſecedere cœtu.
Senſerat hoc olim magni matrona Tonantis;
Diſtuleratque graves in idonea tempora pœnas.
Cauſſa moræ nulla eſt: & jam puer Arcas (id ipſum
Indoluit Juno) fuerat de pellice natus.
Quò ſimul obvertit ſævam cum lumine mentem:
Scilicet hoc unum reſtabat, adultera, dixit,
Ut fœcunda fores: fieretque injuria partu
Nota: Joviſque mei teſtatum dedecus eſſet.
Haud impunè feres: adimam tibi nempe figuram,

Sed poſtquam cognovit Nymphas unà ambulare, intellexit fraudem non eſſe, et ſe addidit earum choro. Heu quàm difficile eſt non indicare crimen ore! vix erigit oculos; neque, ut antea conſueverat, affixa eſt lateri deæ; neque eſt prima toto choro. Verùm tacet; et rubore ſuo indicat pudicitiam violatam. Et, niſi ipſa eſſet virgo, Diana poterat cognoſcere crimen mille indiciis. Nymphæ dicuntur cognoviſſe. Cornua Lunæ renovabantur nono menſe, cùm Diana *dea venatrix languens nimio fervore fratris, devenit in ſilvam opacam; ex quâ manabat rivus fluens cum ſtrepitu, et verrebat ſabulum detritum. Poſtquam probavit loca, attigit pede aquas ſupremas. Illis quoque probatis, Longè abeſt, inquit, omnis veſtes: abluamus nuda corpora aquis ſuperfuſis. Parrhaſis rubore correpta eſt. Omnes exuunt veſtes: ea ſola cunctatur. Amictus dereptus eſt moras nectenti: quo exuto, culpa prodita eſt cum nudo corpore. Diana dixit huic exterritæ, et quærenti tegere ventrem manibus, Fuge hinc, neque contamina ſacros fontes: et imperavit abire à ſuo numero. Conjux magni Tonantis hoc olim adverterat; et demiſerat in tempus opportunum atrox ſupplicium. Non eſt cauſa* diutius *morandi: et jam puer Arcas erat natus de adulterâ: id ipſum Junoni mœrori erat. In quem puerum ſtatim atque conjecit feros oculos, ferumque animum; Scilicet, inquit, hoc unum ſuperaret, pellex, ut fœcunda eſſes: et injuria innoteſceret partu: et crimen mei Jovis eſſet hoc teſtimonio confirmatum. Non diſcedes inulta: namque tibi eripiam formam,*

NOTÆ.

452. *Senſiſſe feruntur*] Adeóque perſpicaciores, minúſque, quàm ipſa Diana, virgines: vel quia cum illâ familiariter magis verſarentur.

453. *Orbe*] *Nonus menſis aderat.*

454. *Fraternis*] *Solis*, qui Dianæ frater.

456. *Attritas*] *Minutas*, quæque adeò pedes non læderent.

460. *Parrhaſis*] *Calliſto*, Arcadica. Memorantur enim Arcadiæ mons Parrhaſius, nemus, oppidum, regiuncula; à Parrhaſo Lycaonis filio.

461. *Adempta*] Puellari protervitate & joco.

464. *Sacros*] Fontes, quibus erat perennis ſcaturigo, numen habere credebantur.

465. *Cynthia*] *Diana*, à Cyntho, Deli monte, ubi cum Apolline nata.

468. *Cauſſa moræ nulla*] Juno non videt cauſam, quare iram ſuam diutius differat.

Ib. *Arcas*] Quem ex Jove peperit Caliſto

Quâ

quâ tibi plaudis, odiosa, et quâ grata es viro nostro. Locuta est: & comâ correptâ à fronte oppositâ, proturbatam projecit in terram. Supplex porrigebat lacertos: lacerti cœperunt rigere pilis atris, & manu flecti, & augeri in ungues hamatos, & vicem pedum præstare: & vultus olim probati à Jove fieri turpes vastis faucibus. Et ne preces, & copia orationis moveat mentem, tollitur potestas loquendi. Vox sæva, infensa, & plena terroris emittitur de rauco gutture. Animus tamen pristinus inest in ursâ factâ, & indicans pœnam suam continuo gemitu, tollit ad cœlum et astra manus qualescunque: & cogitat Jovem ingratum, licet non possit ita predicare. Ah! quoties verita requiescere in nemore deserti, expatiata est ante domum, et in campis olim suis. Ah! quoties agitata est per rupes latratibus canum! Et venatrix effugit tremefacta metu venaturum! Sæpe se abdidit feris conspectis; non recordans quid esset: & ursa expavit ursos visos in collibus, & lupos, quanquam parens esset immixtus illis.

Quâ tibi, quâq; places nostro, importuna, marito. 475
Dixit: &, adversâ prensis à fronte capillis,
Stravit humi pronam. Tendebat brachia supplex:
Brachia cœperunt nigris horrescere villis,
Curvarique manus, & aduncos crescere in ungues,
Officioque pedum fungi: laudataque quondam 480
Ora Jovi, lato fieri deformia rictu.
Neve preces animos, & verba superflua flectant;
Posse loqui eripitur. Vox iracunda, minaxque,
Plenaque terroris rauco de gutture fertur.
Mens antiqua tamen factâ quoque mansit in ursâ;
Assiduoque suos gemitu testata dolores, 486
Qualescunque manus ad cœlum & sidera tollit:
Ingratumque Jovem, nequeat cùm dicere, sentit.
Ah quoties, solâ non ausa quiescere silvâ,
Ante domum, quondamque suis erravit in agris! 490
Ah quoties, per saxa canum latratibus acta est!
Venatrixque metu venantum territa fugit!
Sæpe feris latuit visis; oblita quid esset:
Ursaque conspectos in montibus horruit ursos:
Pertimuitque lupos; quamvis pater esset in illis. 495

VI. *Ecce Arcas filius Callistûs nescius incidit in matrem, annos natus propemodum quindecim: et dum persequitur feras, dum eligit saltus idoneos, et circumdat silvas Erymanthidas cassibus intextis, occurrit matri, quæ constitit, Arcade conspecto; et visa est cognoscere* illum. *Ille recessit: et ignorans expavit hærentem semper in se oculis fixis: et jacturus erat telum vulneraturum pectus* matris *cupientis accedere propiùs. Omnipotens* id *vetuit: et simul ipsos* corripuit, *et nefas,*

VI. Ecce Lycaoniæ proles ignara parenti 496
Arcas adest, ter quinque ferè natalibus actis:
Dumque feras sequitur; dum saltus eligit aptos,
Nexilibusque plagis silvas Erymanthidas ambit,
Incidit in matrem; quæ restitit, Arcade viso; 500
Et cognoscenti similis fuit. Ille refugit:
Immotosque oculos in se sine fine tenentem
Nescius extimuit: propiùsque accedere venti
Vulnifico fuerat fixurus pectora telo.
Arcuit omnipotens; pariterque ipsosque, nefasque

Sustulit;

NOTÆ.

478. *Bracbia*] In ursam mutata est. Cujus fabulæ hanc causam assignat Palæphatus. Ingressa erat Callisto venatrix ursæ cubile, à quâ consumpta est: Exivit deinde ursa, nec deinceps apparuit Callisto: eam ursam esse comites dictitârunt.

487. *Tollit*] Solent nempe ursi posterioribus tantùm pedibus quandoque insistere, more hominum.

493. *Quid esse*] Ejusmodi nempe fera, cui ab aliis nihil timendum esset.

495. *Pater*] Patrem illius Lycaonem antea in lupum Jovis irâ mutatum vidimus, Lib. I.

499. *Erymanthidas*] *Arcadicas*; *Erymanthus* quippe Arcadiæ mons est, apro ab Hercule cæso factus celebris.

Sustulit; & celeri raptos per inania vento
Imposuit cœlo, vicinaque sidera fecit.
Intumuit Juno, postquam inter sidera pellex
Fulsit: & ad canam descendit in æquora Tethyn,
Oceanumque senem: quorum reverentia movit
Sæpe deos: caussamque viæ scitantibus infit:
Quæritis æthereis quare regina Deorum
Sedibus huc adsim? pro me tenet altera cœlum.
Mentiar, obscurum nisi nox cùm fecerit orbem,
Nuper honoratas summo mea vulnera cœlo
Videritis stellas illîc, ubi circulus axem
Ultimus extremum spatioque brevissimus ambit.
Est verò, cur quis Junonem lædere nolit,
Offensamque tremat; quæ prosim sola nocendo?
En ego quantùm egi! quàm vasta potentia nostra est!
Esse hominem vetui: facta est Dea. Sic ego pœnas
Sontibus impono: sic est mea magna potestas!
Vindicet antiquam faciem, vultusque ferinos
Detrahat; Argolicâ quod in antè Phoronide fecit.
Cur non & pulsâ ducat Junone, meoque
Collocet in thalamo, socerumque Lycaona sumat?
At vos si læsæ contemptus tangit alumnæ,
Gurgite cæruleo septem prohibete Triones:
Sideraque in cœlo stupri mercede recepta
Pellite; ne puro tingatur in æquore pellex.
VII. Dî maris annuerant. Habili Saturnia curru

prohibuit; & affixit cœlo ablatos vento rapido per aërem, & astra effecit sibi invicem *vicina. Juno excanduit, postquam adultera micuit inter astra, & devecta est ad veterem Tethyn in mare & senem Oceanum; quorum honos tetigit sæpe deos: &* ita *incipit* verba faciens ad eos *qui caussa itineris interrogaverant: Petitis quamobrem regina deorum huc advenerim ab arcibus cœlestibus? Alia habet cœlum pro me. Sim mendax, nisi, cùm nox induxerit tenebras mundo, aspexeritis* Arcadem & Callistonem, *meos dolores, stellas jam insignes supremo cœlo, illic ubi circulus ultimus & minimus ambitu circumdat polum. Reliquum autem est* aliquid, *quamobrem quisquam metuat offendere Junonem, & metuat læsam, quæ sola juvem officiendo? En quantùm ego profeci! quanta est nostra potestas! prohibui esse hominem, facta est dea. Ita ulciscor noxios: ea est mea vasta potentia! Asserat ei pristinam formam, & tollat faciem belluinam; quod fecit antea Phoronide Argolicâ. Cur non etiam eam uxorem ducat, Junone repudiatâ, & constituat in meo cubiculo, & accipiat Lycaonem in socerum? At si fastidium alumnæ spretæ vos movet, arcete à glauco mari septem Triones; & abigite sidera cœlo, quod iis stupri præmium est, admota; ne adultera mergatur in aquâ purâ.*

VII. *Dii maris assensi erant. Filia Saturni curru agili*

NOTÆ.

506. *Inania*] *Per spatium aërium*, quod vacuum videtur.

507. *Sidera*] Callisto fuit in Ursam majorem mutata, quam Arctophylax, in quem mutatus Arcas, comitatur.

509. *Canam*] Spumis & ætate; nam omnium rerum, etiam deorum nutrix credita.

510. *Quorum reverentia*] Oceanus & Tethys magno sunt in honore apud omnes deos, quia antiquissimi. Alter deorum parens; altera mater, sive nutrix. Vide Natal. lib. VIII. cap. 1.

516. *Circulus*] *Arcticus*, qui minimus est ad polum Septentrionalem.

522. *Sontibus*] Nocentibus, & meis pellicibus.

523. *Vindicet*] Restituat illi priorem formam, sicut & restituit suam Io nepoti Phoronei, quæ, cùm in vaccam Junonis metu fuit conversa, humanæ tandem formæ à Jove fuit restituta.

525. *Ducat*] Callistonem, quam in tanto dolore, multùm cavet ne nominet.

527. *Alumnæ*] Jam antea Junonem à Tethy educatam diximus: cui fabulæ natura ipsa ansam præbuit. Per Junonem enim infimam aëris regionem præsertim intelligunt fabularum consarcinatores, qui quidem aër Tethy seu aquâ rarefactâ gignitur & nutritur.

528. *Septem Triones*] Id est, Ursam majorem.

530. *Ne puro*] Hoc ideo fictum, quòd Ursa, & polo nobis sublato vicina sidera non subeant horizontem, qui quidem poëtis, ut & vulgò, videtur mare.

Ingreditur

pavonibus stellatis: ascendit in cœlum fluidum stellatis inquam, *tam nuper Argo interfecte, quàm tu, corve garrule, nuper eras repentè mutatus in alas atras cùm priùs albus fuisses. Nam hæc avis fuit olim splendida pennis candidis, ut par esset columbis prorsùs sine omni maculâ: neque cederet anseribus custoduris voce experrectâ Capitolium, neque cycno præsequenti fluvios. Lingua nocuit: linguâ garrulâ* id *præstante, ut color qui erat candidus, nunc sit contrarius candido.*

Ingreditur liquidum pavonibus aëra pictis:
Tam nuper pictis cæso pavonibus Argo,
Quàm tu nuper eras, cùm candidus antè fuisses,
Corve loquax, subitò nigrantes versus in alas.
Nam fuit hæc quondam niveis argentea pennis
Ales, ut æquaret totas sine labe columbas:
Nec servaturis vigili Capitolia voce
Cederet anseribus, nec amanti flumina cycno.
Lingua fuit damno: linguâ faciente loquaci,
Qui color albus erat, nunc est contrarius albo.

VIII. *Non fuit* puella *formosior in totâ Hæmonia, quàm Lariſſæa Coronis. Sanè grata tibi fuit, Delphice, dum vel pudica fuit, vel minùs observata. Sed avis Apollinis cognovit stuprum: &, ut index inexorabilis revelaret vitium occultum, gressus dirigebat ad dominum: quem*

VIII. Pulchrior in totâ, quam Lariſſæa Coronis,
Non fuit Hæmoniâ. Placuit tibi, Delphice, certè,
Dum vel casta fuit, vel inobservata. Sed ales
Sensit adulterium Phœbeïus: utque latentem
Detegeret culpam non exorabilis index,
Ad dominum tendebat iter: quem garrula motis
Consequitur pennis, scitetur ut omnia, cornix.
Auditâque viæ causâ, Non utile carpis,
Inquit, iter: ne sperne meæ præsagia linguæ.
Quid fuerim, quid simque, vide; meritumque require:
Invenies nocuisse fidem. Nam tempore quodam

indicem cornix loquax persequitur alis agitatis, ut omnia percunctetur. Et cognitâ causâ viæ, Non, ait, iter facis, tibi commodum: ne contemne omnia linguæ meæ. Inspice quid sim, & quid fuerim, et percunctare de merito: reperies fidem mihi *obfuisse. Nam aliquando*

NOTÆ.

532. *Pictis*] Quorum caudas stellantibus gemmis, ex Argi oculis nuper ornaverat Juno. Picti verò pavones propriè trahunt currum Junonis propter diversam & multi colorem aëris naturam: quâ de causâ & Iris eidem nuncia & ministra est.

533. *Tam nuper*] Repetitio est, ut ad sequentem fabulam facilius descendat, & lectoris animum præparet.

534. *Quam tu nuper eras*] Corvus initio fuit candidus; sed quum ejus indicio Apollo cognovisset Coronida amicam cum alio juvene (Ischyde sc.) rem habere, eamque sagittis interfecisse puerumque Æsculapium excisso utero extraxisset; pœnitentiâ ductus, corvum indicem sibi aliquid præmii sperantem, ex albo nigrum feci.

538. *Nec servaturis*] Alludit ad historiam Romanam, quæ Gallos testatur, olim per necessitatis silentia ad summum Capitolini obsessi ascendisse; ita ut non custodes solùm, sed & canes fefellerint: anseres tamen clangore, & alarum strepitu M. Manlium excitâsse, qui cum aliis Gallos de arce Romanâ deturbavit.

542. *Lariſſæa*] Lariſsâ Thessaliæ urbe oriunda; quare ab aliâ Coronide Phocaïca distinguitur.

543. *Hæmonia*] *Thessaliâ*, ab Hæmo vicino monte, ut placet Servio; at potiùs ab aliquo rege, quorum causâ sæpissime nomen mutavit.

Ib. *Delphice*] Apollinem compellat, quia Delphis, Phocidis urbe, ubi celeberrimum habuit templum & oraculum, hoc nomen consecutus est.

545. *Phœbeïus*] Corvus est, propter auguria, vaticinia, & præsagia, Apollini sacer.

546. *Non exorabilis*] Inexorabilis dicitur corvus, quia cornicis monita audire noluerit; vel fortè quia Coronis eum precibus frustrà fatigavit ne rem proferret.

551. *Quid fuerim*] Comes namque fui Minervæ.

Ib. *Quid sim*] Nunc à comitatu Minervæ repulsa contemnor.

Pallas

Pallas Erichthonium, prolem sine matre creatam,
Clauserat Actæo textâ de vimine cistâ:
Virginibusque tribus gemino de Cecrope natis
Hanc legem dederat, sua ne secreta viderent.
Abdita fronde levi densâ speculabar ab ulmo,
Quid facerent. Commissa duæ sine fraude tuentur,
Pandrosos atque Herse. Timidas vocat una sorores
Aglauros; nodosque manu diducit: at intus
Infantemque vident, apporrectumque draconem.
Acta Deæ refero; pro quo mihi gratia talis
Redditur, ut dicar tutelâ pulsa Minervæ;
Et ponar post noctis avem. Mea pœna volucres
Admonuisse potest; ne voce pericula quærant.
At puto, non ultro, nec quicquam tale rogantem
Me petiit. Ipsâ licet hoc à Pallade quæras:
Quamvis irata est, non hoc irata negabit.
Nam me Phocaïcâ clarus tellure Coroneus
(Nota loquor) genuit, fueramque; ego regia virgo:
Divitibusque procis (ne me contemne) petebar.
Forma mihi nocuit. Nam dum per littora lentis
Passibus, ut soleo, summâ spatiarer arenâ,
Vidit, & incaluit pelagi Deus: atque precando
Tempora cum blandis absumsit inania verbis:
Vim parat, & sequitur. Fugio, densumque relinquo

Minerva inclusérat Erichthonium filium natum absque matre, capsâ factâ de vimine Actæo: et posuerat hanc legem tribus puellis ortis ex Cecrope biformi, ne intuerentur sua arcana. Ego *tecta foliis observabam quid agerent ab ulmo spissâ. Duæ, Pandrosos et Herse, fideliter servant concredita. Una Aglauros arcessit sorores meticulosas, et resolvat vincula manus; at intuentur intus et puerum, et draconem juxta stratum. Renuncio Deæ quæ facta essent: pro quo hæc mihi gratia refertur, ut dicar rejecta à clientelâ Palladis; et habear post alitem noctis. Meum supplicium potest docuisse alites, ne arcessant damna loquacitate. At* dices, *Credo,* Minerva *non expetivit me sponte suâ, cùm ego ab illâ tale nihil rogarem. Possis istud à Minervâ ipsâ exquirere; tamen si infensa est, infensa non istud diffitebitur. Nam,*

dico quæ passim nota sunt, Coroneus illustris terrâ Phocaïcâ me progenuit; et eram puella regia: et quærebar à procis opulentis; ne me dejpice. Pulchritudo mihi obfuit. Nam dum ambularem in extremâ glareâ tardis gressibus per littora, ut consuevi, deus maris Neptunus *intuitus est me; et amore correptus est: et postquam contrivit orando vanum tempus, et molles voces, vi nititur, et me persequitur. Profilio, et destitus soleam*

NOTÆ.

553. *Erichthonium*] Fuit hic suo tempore rex Athenienſium, ex Vulcani ſemine in terram effuſo, dum vim Minervæ pararet, genitus; quem quidem draconis pedibus natum cistâ incluſit ipſa Minerva, tribuſque Cecropis virginibus commendavit, &c.

554. *Actæo*] *Ex Atticâ regione dicepto.*

555. *Gemino*] Fuit Cecrops Athenienſium rex primus, à quo illi *Cecropidæ*: dictus ideo geminus: vel quòd ex parte ſerpens, vel quòd linguâ duplici, Ægyptiâ, neme Ægypto oriundus, & Attica. Alii alias cauſas afferunt.

562. *Acta*] A Cecropis filiabus.

563. *Ut dicar*] Cornicem ob garrulitatem averſatur prudentiæ dea: cujus generis aves in Minervæ templis luciſque raro, Athenis omnino non conſpici, ſcripſit Plinius, lib. X. cap. 12.

564. *Noctis avem*] *Noctuam*; quæ Minervæ ſacra, qui in tenebris perſpicit; atque in nocte conſilium: ut & propter oculos cæſios, qui illi cùm Minervæ communes.

565. *Voce*] Plurimis nocet avibus, quæ per vocem & propter eam in aucupis manus deveniunt.

566. *At puto*] Tacitæ occurrit objectioni. Dicet enim corvus, *Non ob indicium repulſa fuiſti, ô Cornix, ſed quia nunquam Minervæ grata*; quod omnem cornici ſuaſionis vim adimebat. Atque hanc poſtea ita diſſolvit objectionem, ut ſponte fueris ab ipsâ Minervâ comes petita.

569. *Phocaïcâ*] In Phocide Græciæ regione, Atticæ finitimâ, imperans.

572. *Lentis*] Qui cornicum etiam mos eſt.

Littus,

Littus et fruſtrà defatigor in molli ſabulo. Poſtea precor deos et homines: neque vox mea movit ullum hominem. Virgo tacta eſt pro virgine, et opem tulit. Porrigebam lacertos ad cœlum: lacerti cœperunt obſcurari pennis levibus. Conabar deripere amictum ab humeris; at illa erat pluma, et fixerat radices extremas in cutem. Molibar percutere pectora nuda meis palmis; ſed neque habebam palmas neque pectora nuda. Currebam: neque utì priùs ſabulum coërcebat pedes: et levabar extremâ terrâ. Continuò vecta per aërem tollor, et ſum addita comes illibata Palladi. Quid tamen juvat iſtud ſi Nyctimene, facta ales crimine nefando, occupavit noſtrum honorem?

IX. *An factum, quod vulgatum eſt per totam Leſbon, et tibi inauditum? Nyctimenen violáſſe lectum paternum? Illa quidem eſt ales: ſed conſcia criminis vitat* omnium *conſpectum et diem, et tegit pudorem caligine; et fugatur ab omnibus* avibus *toto cœlo. Corvus dicit proferenti talia, Oro ut iſtæ revocationes ſint tibi exitio; nos contemnimus vanum præſagium. Neque deſiſtit ab incœpto itinere; et refert domino* Apollini *ſe vidiſſe Coronidem cubantem cum juvene Hæmonio. Laurea* corona *excidit deo, audito ſtupro amantis, atque ſimul alacritas, et plectrum, et color. Et cùm mens excandeſceret irâ turgente, ſumit tela conſueta, et curvat arcum tenſum à cornibus; et illa toties connexa cum pectore juo*

Littus, & in molli nequicquam laſſor arenâ.
Inde Deos, hominesque voco: nec contigit ullum
Vox mea mortalem. Mota eſt pro virgine virgo,
Auxiliumque tulit. Tendebam brachia cœlo:
Brachia cœperunt levibus nigreſcere pennis.
Rejicere ex humeris veſtem molibar; at illa
Pluma erat, inque cutem radices egerat imas.
Plangere nuda meis conabar pectora palmis:
Sed neque jam palmas, nec pectora nuda gerebam.
Currebam; nec, ut antè, pedes retinebat arena:
Et ſummâ tollebar humo. Mox acta per auras
Evehor, & data ſum comes inculpata Minervæ.
Quid tamen hoc prodeſt, ſi diro facta volucris
Crimine Nyctimene noſtro ſucceſſit honori?

IX. An, quæ per totam res eſt notiſſima Leſbon,
Non audita tibi eſt? patrium temerâſſe cubile
Nyctemenen? avis illa quidem: ſed conſcia culpæ
Conſpectum, lucemque fugit, tenebriſque pudorem
Celat; & à cunctis expellitur æthere toto.
Talia dicenti, Tibi, ait, revocamina, corvus,
Sint precor iſta malo: nos vanum ſpernimus omen.
Nec cœptum dimittit iter: dominoque jacentem
Cum juvene Hæmonio vidiſſe Coronida narrat.
Laurea delapſa eſt audito crimine amantis:
Et pariter vultuſque, Deo, plectrumque, colorque
Excidit. Utque animus tumidâ fervebat ab irâ:
Arma aſſueta capit; flexumque à cornibus arcum
Tendit; & illa ſuo toties cum pectore juncta

NOTÆ.

577. *Nequicquam*] Quia plùs poterat Neptunus inſequendo, quàm Coronis fugiendo.

579. *Virgo*] Minerva perpetuâ gaudens virginitate, virginis Coronidis causâ mota eſt.

587. *Et ſummâ*] Jam levior facta eſt, nec, ut antè, mollis arena cedit pedibus, & greſſus retardat.

589. *Diro*] Quia Nyctimene, Nyctæi regis Leſbia filia, patris amore capta, cum eo concubuiſſe dicitur. Hæc miſerante Minervâ, in noctuam mutata eſt: hinc lucifuga ab avibus, interdiu ſi prodeat, inceſſitur.

590. *Noſtro*] Quia Minervæ cariſſima.

591. *Leſbon*] Eſt Leſbos maris Ægæi inſula nobilis, Troadi à meridie oppoſita. Hodie *Metelin.*

596. *Tibi, ait, revocamina*] Id eſt, malè tibi ſit, quæ me ab incepto itinere revocas.

599. *Coronida*] Lariſſæam intellige, quam cum Iſchye, aut Iſchyde concubuiſſe ſuprà diximus.

601. *Plectrum*] Quo citharam percutiebat.

603. *Arma*] Arcum, & ſagittas.

Indevitato

Indevitato trajecit pectora telo.
Icta dedit gemitum, tractoque à vulnere ferro,
Candida Puniceo perfudit membra cruore:
Et dixit, Potui pœnas tibi, Phœbe, dedisse:
Sed peperisse priùs. Duo nunc moriemur in unâ.
Hactenus; & pariter vitam cum sanguine fudit.
Corpus inane animæ frigus lethale secutum est.
Pœnitet, heu! sero pœnæ crudelis amantem:
Seque, quòd audierit, quòd sic exarserit, odit.
Odit avem, per quam crimen caussamque dolendi
Scire coactus erat: nervumque, arcumque, manumque
Odit; cumque manu temeraria tela sagittas,
Collapsamque fovet: ferâque ope vincere fata
Nititur; & medicas exercet inaniter artes.
Quæ postquam frustrà tentata, rogumque parari
Sensit, & arsuros supremis ignibus artus;
Tum verò gemitus (neque enim cœlestia tingi
Ora decet lachrymis) alto de corde petitos
Edidit. Haud aliter, quàm cùm spectante juvencâ.
Lactantis vituli, dextrâ libratus ab aure,
Tempora discussit claro cava malleus ictu.
Ut tamen ingratos in pectora fudit odores,
Et dedit amplexus, injustaque justa peregit;
Non tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem
Semina: sed natum flammis uteroque parentis
Eripuit, geminique tulit Chironis in antrum.
Sperantemque sibi non falsæ præmia linguæ
Inter aves albas vetuit considere corvum.

X. Semifer interea divinæ stirpis alumno

transverberavit pectora ineluctabili sagittâ. Coronis *tacta ingemuit et ferro erepto ex vulnere infecit artus niveos sanguine purpureo: et dixit. Potui ibi pœnas exsolvisse, ô Apollo; sed antea fœtum emisisse. Nunc duo cademus in unâ. Hoc usque* locuta est; *et emisit pariter vitam cum sanguine. Frigus mortiferum corripuit corpus vacuum animâ. Heu! serò pœnitet amantem sævæ vindictæ: et sese odio prosequitur, quòd aurem præbuerit, quòd sic irâ incensus fuerit. Odio habet alitem, per quam necesse fuerat cognoscere vitium, et causam luctûs: et aversatur nervum, et arcum et manum, et cum manu, tela* illa *inconsideratè emissa, sagittas. Et incumbit jacenti, et conatur superare fata auxilio,* jam nimiùm *serò, et nequicquam experitur artes medicas. Quæ postquam vidit incassum admota, et videt rogum adornari, et membra flagratura ultimâ flammâ, tum verò emisit suspiria ducta ex imo corde (neque enim decet vultus cœlestes irrigari lachrymis.) Non aliter, quàm cùm juvencâ intuente malleus impactus ab aure dextrâ* percussoris *perfregit tempora depressa vituli fugentis ictu personanti. Postquam tamen irroravit pectus unguentis ingratis, et amplexus est, et absolvit exequias iniquas: non passus est Apollo prolem suam cadere in cineres eosdem: sed eximit igni & ventre matris filium, et portavit in speluncam Chironis,* qui formæ erat *ambiguæ. Et prohibuit corvum expectantem mercedem linguæ non mendacis consistere inter candidas volucres.*

X. *Interea semiferus* Centaurus Æsculapio *alumno divinæ originis*

NOTÆ.

609. *Duo*] Ipsa cum filio Æsculapio, qui jam in utero erat.

610. *Hactenus*] Id est, pauca dixit, quasi plura dicere volentem vita deseruerit.

626. *Ingratos*] Utpote in re tali. Munus erat flebile & triste ministerium.

627. *Justa*] Exequias *injustas* vocat, quarum se ingratum injustumque damnabat autorem.

629. *Natum*] *Æsculapium*, quem utero Coronis gestabat.

630. *Chironis*] Fuit Chiron centaurus, Saturno & Philyre Oceani filiâ ortus, cujus ideo pars superior hominis, posterior equi dicitur fuisse, quòd pater, ne ab uxore Ope, amoribus interveniente cognosceretur, in equum sese confestim mutaverit. Probitate autem, justitiâ: medicâ arte, aliisque fuit inclytus Chiron; quamobrem Achilles juventæ moderator constitutus.

633. *Semifer*] *Chiron*, semivir & semiequus Æsculapii institutor.

Lætus

oblectabatur; et lætus erat honore conjuncto oneri. Ecce nata Centauri adest, humeros habens velatos crinibus rubentibus, quam Nympha Chariclo cùm peperisset olim ad ripam fluvii impetuosi, appellavit Ocyroën. Huic non satis fuit doctam fuisse artes paternas: aperiebat secreta fatorum. Postquam igitur correpta fuit impetu fatidico, et incaluit Deo, quem habebat conditum in corde, intuetur infantem, et inquit, Adolesce infans, salutifer universo mundo: corpora mortalia sæpe debebunt se tibi: Licebit tibi animas sublatas restituere. Postquam etiam id semel inceperis diis repugnantibus, igne avi tui arceberis posse iterum hac facere: atque ex deo fies corpus inanimum: et deus, qui eras modo corpus: et his mutabis tua fata. Tu etiam pater amabilis, non jam morti obnoxius, et factus lege natalium ut sis superstes omnibus seculis, tunc optabis posse interire, cùm torqueberis veneno crudelis serpentis admisso per artus vulneratos. Et dii fecient te mortalem ex immortali; et tres deæ secabunt tua fila.

Lætus erat; mistoque oneri gaudebat honore.
Ecce venit rutilis humeros protecta capillis
Filia Centauri; quam quondam nympha Chariclo
Fluminis in rapidi ripis enixa, vocavit
Ocyroën. Non hæc artes contenta paternas
Edidicisse fuit: fatorum arcana canebat,
Ergo ubi fatidicos concepit mente furores,
Incaluitque Deo, quem clausum pectore habebat;
Aspicit infantem, totique salutifer orbi
Cresce puer, dixit: tibi se mortalia sæpe
Corpora debebunt: animas tibi reddere ademptas
Fas erit. Idque semel dîs indignantibus ausus,
Posse dare hoc iterum flaminâ prohibebere avitâ:
Eque Deo corpus fies exsangue; Deusque,
Qui modò corpus eras: & bis tua fata novabis.
Tu quoque, care pater, non jam mortalis, & ævis
Omnibus ut maneas, nascendi lege creatus;
Posse mori cupies tum, cùm cruciabere diræ
Sanguine serpentis per saucia membra recepto.
Teque ex æterno patientem numina mortis
Efficient: triplicesque Deæ tua fila resolvent.

NOTÆ.

636. *Chariclo*] Nympha fuit Apollinis, aut Oceani filia, ut alii tradunt, ab illâ diversa, cujus Apollodorus meminit, quæ vatis Tiresiæ mater fuit.

638. *Ocyroën*] Ab eo quòd ad rapidi fluminis ripas nata Græcè nomen habuit: ὠκὺς enim *celer*, & ῥοὴ *fluxus* dicitur.

Ib. *Paternas*] Medicinam, Astronomiam, Musicam.

641. *Deo*] *Afflatu aut spiritu divino correpta est.*

642. *Totique salutifer orbi*] Æsculapius enim adeò præstans in medicinâ fuit, ut etiam Hippolytum ab equis discerptum *Superas revocavit ad auras*, Virgil, propter quod à Jove fulmine fuit extinctus, ac postea deus effectus.

645. *Dîs*] Plutone scilicet querente, & Jove indignante, Hippolytum ab Æsculapio in vitam restitui posse.

646. *Dare hoc*] Mortuum advitam *revocare.*

Ib. *Avita*] Avi Jovis fulmine, quo occisus est Æsculapius.

648. *Bis tua*] Primo è matris morientis utero raptus; secundo, ubi à fulminis conflagratione revivisceus divinitatem consecutus es. Vel quia ex deo evasit corpus mortuum, & deinde deus factus est post mortem.

649. *Tu*] Patrem Chironem compellat Ocyroë, cujus exitium prædicit.

652. *Serpentis*] Lernææ hydræ, cujus veneno Herculis sagittæ tinctæ erant, quas aliquando cùm Chiron attractaret, earum una fortuitò in ejus pedem decidit.

653. *Teque*] Cum intolerandos ferre non posset Chiron ex vulnere cruciatus, mori utroque parente immortali immortalis exoptavit; quod cùm impetrâsset, deorum miseratione in cœlum est translatus, ubi Sagittarii nomine signum in zodiaco efficit.

654. *Triplicesque*] *Parcæ.* Tres dicuntur esse, *Clotho, Lachesis, Atropos:* quarum prima vitæ stamen ducit, & nos in vitam vocat; altera fusum versat, & fortem præfinit; tertia vitæ filum abrumpit. Quâ fabulâ *fatum*, aut quod à deo præfinitum est, intelligitur.

Restabat

Reſtabat fatis aliquid: ſuſpirat ab imis
Pectoribus, lachrymæque genis labuntur obortæ;
Atque ita, Prævertunt, inquit, me fata; vetorque
Plura loqui; vociſque meæ præcluditur uſus.
Non fuerant artes tanti, quæ numinis iram
Contraxêre mihi. Mallem neſcîſſe futura.
Jam mihi ſubduci facies humana videtur:
Jam cibus herba placet: jam latis currere campis
Impetus eſt: in equam, cognataque corpora vertor.
Tota tamen quare? pater eſt mihi nempe biformis.
Talia dicenti pars eſt extrema querelæ
Intellecta parùm: confuſaque verba fuêre.
Mox nec verba quidem, nec equæ ſonus ille videtur;
Sed ſimulantis equam: parvoque in tempore certos
Edidit hinnitus: & brachia movit in herbas.
Tum digiti coëunt; & quinos alligat ungues
Perpetuo cornu levis ungula; creſcit & oris,
Et colli ſpatium: longæ pars maxima pallæ
Cauda fit. Utque vagi crines per colla jacebant,
In dextras abiêre jubas: pariterque novata eſt
Et vox, & facies. Nomen quoque monſtra dedêre.
XI. Flebat, opemque tuam fruſtrà Philyreius heros,
Delphice, poſcebat. Sed nec reſcindere magni
Juſſa Jovis poteras, nec, ſi reſcindere poſſes,
Tunc aderas: Elin, Meſſeniaque arva colebas.

Superat aliquid fatis; ducit genitus exalto corde, & lachrymæ irrumpentes fluunt in genas; atque ſic loquitur, Fata me occupant, & prohibeor plura dicere, & uſus meæ vocis eripitur. Artes non fuerant tanti, quæ derivaverunt in me iram dei: optarem ignorâſſe futura. Jam vultus humanus mihi videtur eripi: jam gramen grata eſt eſca: jam percupio proruere in vaſtos agros: mutor in equam, & corpora cognata. Quamobrem tamen tota? quandoquidem parens meus eſt bimembris. Pars ultima querimoniæ Ocyrhoës ejuſmodi proferentis parum audita eſt, & voces fuerunt confuſæ. Mox neque vox humana, neque ille ſonus videtur equæ, ſed imitantis equam, & poſt breve tempus emiſit hinnitus apertos; & movit armos in gramina. Tunc digiti connectuntur, & levis ungula committit quinos ungues cornu continuo: os quoque augetur, itemque collum; pars potior prolixæ pallæ mutatur in caudam: & ſicuti capilli ſparſi fluebant per colla, mutati ſunt in jubas dextras; & vox & vultus ſunt pariter mutati: prodigium dedit quoque illi *nomen novum.*

XI. *Heros Philyreius ejulabat, & implorabat tuum auxilium, ô Apollo; ſed neque poteras mutare decreta magna Jovis; neque ſi poſſes mutare, tunc aderas: frequentabas Elin, & campos Meſſenios.*

NOTÆ.

655. *Fatis*] Patris intelligo: nam nondum ipſum in zodiaci ſignum tranſmutatum iri prædixerat.

657. *Prævertunt*] *Antè me occupant, quàm omnia, quæ dictura eram, effari potuerim.*

669. *Contraxêre*] Se ideo credit transformari, quòd majora, quàm quæ fert ſors humana, attrectaverit.

665. *Cognata*] Quia pater mediâ ſui parte equus fuerat.

664. *Tota tamen quare?*] Vellet ſaltem, ſi mutaretur, aliquâ parte humanam formam retineret, ſicuti pater, qui partim homo erat.

672. *Pallæ*] Veſtimentum eſt, quo palam fœminæ utebantur.

675. *Monſtra*] Metamorphoſin dicit Ocyrhoës ipſius nomen mutâſſe, cùm poſtea equa facta *Evippe*, id eſt, equitatu præſtans, dicta ſit.

676. *Philyreius*] Chiron eſt, Philyræ ex Saturno filius Ocyrrhoës pater.

677. *Delphice*] Id eſt, *ô Apollo*; qui à *Delphis*, ubi templum celeberrimum habuit, *Delphicus* appellatur. Fuit verò ille deus medicinæ, cujus appoſitè hoc in loco meminit poëta, ut ad ſequentem ejus fabulam deſcendat.

679. *Elin*] Eſt Elis & urbs, & regio Peloponneſi.

Ib. *Meſſeniaque*] Eſt Meſſene urbs Peloponneſi, ſicut & Meſſenia ejuſdem regiuncula: ubi Admeti boves paviſſe Apollinem dicit poëta.

Illud erat tempus, quo pellis paſtoria te veſtivit, & baculus ſilveſtris fuit geſtamen lævæ manus, alterius, fiſtula inæqualis ſeptem compacta arundinibus. Et dum amor te ſollicitat; dum tua fiſtula te oblectat, vaccæ inobſervatæ dicuntur abiiſſe in campos Pylios. Filius Maiæ Atlante ſatæ has aſpexit, & in nemus abductas fraude ſuâ abſcondit. Nullus adverterat hoc furtum, præter ſenem cognitum in illo agro. Omnes vicini illum *appellabant Battum. Hic paſtor cuſtodiebat ſaltus & paſcua graminea, & armenta præſtantiſſimarum equarum Nelei. Metuit hunc* Mercurius, *& ſeorſum prehendit malli manu; &, Eia inquit, quiſquis es, amice, ſi forſitan aliquis quærat iſtos greges, dic te non advertiſſe: & ne nullum præmium detur* tibi pro hoc *ſervitio, accipe in mercedem bovem ſplendidam: Atque obtulit. Amicus acceptâ* bove *retulit has voces. Diſcedas ſecurus: iſtud ſaxum priùs proferat tuam fraudem. Et ſaxum indicat. Mercurius fit ſimilis diſcedenti, & ſtatim revertitur; & mutatâ formâ ſimul cum voce; Ruſtice, inquit, ſi advertiſti quaſdam vaccas diſcedentes ex iſtis regionibus, adjuva, & ne prema furtum ſilentio. Merces tibi exhibebitur vacca cum ſuo tauro. At ſenex, poſtquam præmium duplo auctum, Erunt, ait, ſub illis collibus: & erant ſub illis collibus.*

Illud erat tempus; quo te paſtoria pellis
Texit; onuſque fuit baculum ſilveſtre ſiniſtræ:
Alterius, diſpar ſeptenis fiſtula cannis.
Dumque amor eſt curæ, dum te tua fiſtula mulcet;
Incuſtoditæ Pylios memorantur in agros
Proceſſiſſe boves. Videt has Atlantide Majâ
Natus; & arte ſuâ ſilvis occultat abactas.
Senſerat hoc furtum nemo, niſi notus in illo
Rure ſenex; Battum vicinia tota vocabant.
Divitis hic ſaltus, herboſaque paſcua Nelei,
Nobiliumque greges cuſtos ſervabat equarum.
Hunc timuit, blandâque manu ſeduxit: &, Eia,
Quiſquis es, hoſpes, ait, ſi fortè armenta requiret
Hæc aliquis, vidiſſe nega: neu gratia facto
Nulla rependatur; nitidam cape præmia vaccam:
Et dedit. Acceptâ voces has reddidit hoſpes:
Tutus eas. Lapis iſte priùs tua furta loquatur.
Et lapidem oſtendit. Simulat Jove natus abire.
Mox redit; &, versâ pariter cum voce figurâ,
Ruſtice, vidiſti ſi quas hoc limite, dixit,
Ire boves; fer opem: furtoque ſilentia deme.
Juncta ſuo pretium dabitur tibi fœmina tauro.
At ſenior, poſtquam merces geminata, ſub illis
Montibus, inquit, erunt. Et erant ſub montibus illis.

NOTÆ.

680. *Paſtoria pellis*] Ideo volunt poëtæ cœlo exul fuiſſe Apollinem, & ad paſcendos Admeti greges compulſum fuiſſe, quòd ut Æſculapii filii, à Jove fulmine peremti, necem ulciſceretur, Cyclopas fulminum fabricatores ad unum ſagittis confixiſſet; quâ re offenſus Jupiter ipſum divinitate ſpoliavit.

684. *Pylios*] Tres ſunt in Peloponneſo urbes, quibus nomen *Pylus*, *Eliaca* una in Elide, altera *Meſſeniaca* in Meſſeniâ, & tertia inter duas, Neſtoris patrio, de quâ hîc agitur.

686. *Natus*] *Mercurium* dicit, qui Jovem & Maiam Atlantis filiam, parentes habuit.

Ib. *Arte ſuâ*] Id eſt, furto; quia Mercurius furum deus, quem laudat Horatius,

Callidum, quicquid placuit, jocoſo
Condere furto.

Ib. *Abactas*] Buculas 12, boves 100, taurumque armenti virum abegiſſe Mercurium refert Ant. Liberalis Met. 23.

689. *Nelei*] Qui pater fuit Neſtoris, rex Pyli.

690. *Nobilium*] Palmis in certaminibus: vel communiter *nobilium*, ſenſu quo Horatius,

Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus——

691. *Timuit*] Ne furtum indicaret.

699. *Limite*] Pylios à Meſſeniis diſterminante.

702. *Geminata*] Quia pius unam vaccam duntaxat dederat Mercurius; jam alienâ indutus formâ taurum cum vaccâ pollicetur.

703. *Et erant*] Alluſum volunt ad Battum quendam ineptum poëtam, qui in ſuis verſibus eadem identem iterare ſolebat. Battum eadem verba titubanter repetentem deridet itidem Mercurius. Vide Eraſmi Adag. Βάττολογια.

Riſit

Risit Atlantiades: &, Me mihi, perfide, prodis?
Me mihi prodis? ait: Perjuraque pectora vertit
In durum silicem: qui nunc quoque dicitur Index:
Inque nihil merito vetus est infamia saxo.

XII. Hinc se sustulerat paribus caducifer alis,
Munychiosque volans agros, gratamque Minervæ
Despectabat humum, cultique arbusta Lycæi.
Illâ fortè die castæ de more puellæ,
Vertice suppositò, festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.
Inde revertentes Deus aspicit ales: iterque
Non agit in rectum; sed in orbem curvat eundem;
Ut volucris visis rapidissima miluüs extis,
Dum timet, & densi circumstant sacra ministri,
Flectitur in gyrum: nec longiùs audet abire:
Spemque suam motis avidus circumvolat alis.
Sic super Actæas agilis Cyllenius arces
Inclinat cursus: & easdem circinat auras.
Quantò splendidior, quàm cætera sidera fulget
Lucifer; & quantò, te, Lucifer, aurea Phœbe;
Tantò virginibus præstantior omnibus Herse
Ibat: eratque decus pompæ, comitumq; suarum.

Risit Atlantiades, & inquit, Prodis me mihi, perfide? Prodis me mihi? & mutavit cor perjurum in rigidum lapidem, qui nunc etiam vocatur Index; & dedecus est in lapide qui nihil dedecoris *meruit.*

XII. *Caducifer se inde subduxerat alis æqualibus, & iis libratus contemplabatur arva Munychia, & terram acceptum Palladi, & arbusta culti Lycæi. Fortè virgines festivæ ferebant de more sacra pura canistris coronatis in templa Minervæ, capite suppositò. Deus alatus videt redeuntes inde, & non dirigit iter rectâ; sed flectit in eundem circulum; quemadmodum milvus avis velocissima, præcordiis visis, dum metuit, & ministri conferti adsunt sacris, movetur in orbem, neque audet longiùs discedere: & rapax circumvolat spem suam alis agitatis. Eo modo velox Cyllenius dirigit volatum super arces Athenienses; & orbes describit per eundem aëris tractum. Quantò Lucifer splendet lucidior quàm reliqua astra; & quantò Luna splendida* lucidior est *te, ô Lucifer, tantò Herse pulchrior cæteris puellis ambulabat & erat honor pompæ, & comitum suarum.*

NOTÆ.

706. *Index*] Via & milliarium, aut etiam, ut quibusdam visum, metallorum: metallorum index *lapis Lydius* sive *Heraclius* dicitur.

708. *Caducifer*] *Mercurius* est, caduceum, seu virgam alatam manus tenens duobus implicitam serpentibus.

709. *Munychios*] *Atticos*, juxta Athenas inter Pyræeum & Sunium promontoria; à promontorio Munychia sic dictos: Munychia dicta est a Munychio, qui ibi templum Munychiæ Dianæ ædificavit.

710. *Humum*] De iisdem Atticis agris loquitur, aut Athenis, Minervæ olim sacris.

Ib. *Culti*] Exculti Aristotelicis disputationibus.

Ib. *Lycæi*] Fuit Lycæus locus amœnus juxta Athenas, à Lyco, Pandionis Atheniensium regis filio, sic dictus; ubi deinde Athenienses gymnasium condiderunt, in quo & deambulans Aristoteles de philosophiâ disputavit.

711. *Illâ fortè*] In celeberrimo Palladis festo, cui hinc nomen Κανηφόρια, virgines nobiles & nubiles canistra ferebant deæ, in quibus inerant ea, quæ ad Panathenæorum, & aliarum pomparum sacra pertinebant. *Suidas.* Nec non Cereris Thesmophoriis aliisque orgiis suæ Κανηφοροι.

713. *Coronatis*] Corollis sertisque redimitis.

Ib. *Sacra*] Quæcumque ad sacra peragenda spectabant.

715. *In orbem*] Ut Herses amatæ visu diutius frui liceret.

717. *Timet*] *In exta victimarum non audet, circumstantibus ministris, irruere.*

719. *Spem*] Pro re speratâ posuit, nempe victimarum extis, quibus inhiat milvus.

720. *Cyllenius*] *Mercurius* est, à Cyllene Arcadiæ monte, ubi educatus, sic dictus.

724. *Herse*] Cecropis fuit filia, Cephali mater, ut placet Apollodoro.

725. *Pompæ*] In festo Minervæ.

Filius Jovis Mercurius *attonitus est specie: & libratus in aëre non aliter incaluit, quàm cùm funda Balearica emittit glandem: Illa volat, & incalescit motu: & reperit in aëre calorem quem* priùs *non habuit. Flectit viam, & remota* loca *petit cœlo relicto, neque se celat: tanta est confidentia suæ elegantiæ. Quæ* fiducia *quamvis non iniqua est, illam tamen* elegantiam *suam auget curâ: & pectit capillos: & accommodat chlamydem ut bene fluat; ut fimbria & totum aurum emineat; ut baculus, quo allicit & subducit soporem, sit expolitus in manu; ut talaria splendeant in pedibus nitidis. Penetralia domûs habuerunt tria cubicula ornata ebore & testudine, quorum tu, Pandrosо, dextrum, Aglauros tenebat sinistrum, Herse medium. Quæ habuit sinistrum observavit prior Mercurium accedentem; neque verita est requirere nomen dei, & causam accessûs: cui nepos Atlantis & Pleïones talia reddit; Ego sum qui fero mandata patris per aërem. Ipse Jupiter est meus pater. Neque dissimulabo causs* adventûs. *Tu modò fidelis esse velis sorori, & appellari matertera meæ progeniei. Herse est causa itineris: precamur indulgeas amanti. Intuetur hunc iisdem oculis, quibus nuper latens*

Obstupuit formâ Jove natus: & æthere pendens
Non secùs exarsit, quàm cùm Balearica plumbum
Funda jacit: volat illud, & incandescit eundo:
Et quos non habuit, sub nubibus invenit, ignes.
Vertit iter: cœloque petit diversa relicto:
Nec se dissimulat: tanta est fiducia formæ.
Quæ quanquam justa est; curâ tamen adjuvat illam:
Permulcetque comas, chlamydemq; ut pendeat aptè,
Collocat: ut limbus, totumque appareat aurum:
Ut teres in dextrâ, quâ somnos ducit, & arcet,
Virga sit: ut tersis niteant talaria plantis.
Pars secreta domûs ebore & testudine cultos
Tres habuit thalamos; quorum tu, Pandrosо, dextrum,
Aglauros lævum, medium possederat Herse.
Quæ tenuit lævum, venientem prima notavit
Mercurium: nomenque Dei scitarier ausa est,
Et causſam adventûs. Cui sic respondit Atlantis
Pleïonesque nepos: Ego sum, qui jussa per auras
Verba patris porto. Pater est mihi Jupiter ipse.
Nec fingam causſas. Tu tantum fida sorori
Esse velis, prolisque meæ matertera dici.
Herse causſa viæ: Faveas oramus amanti.
Adspicit hunc oculis iisdem, quibus abdita nuper

NOTÆ.

727. *Balearica*] Sunt Baleares insulæ sub Hispaniâ, hodie *Majorcæ* & *Minorcæ* nomine, quorum incolæ olim peritissimi funditores; quare etiam *Baleares* Græcâ etymologiâ dicti.

Ib. *Plumbum*] Aut ex eo pilam seu glandem factam, quam fervore motûs liquescere quoque hyperbolicè admodum scripsit Virgilius.

732. *Curâ*] Compositis omnibus quæ formam adjuvare possent.

733. *Chlamydem*] Est chlamys vestimentum quod thoraci, ornatûs causâ superinduebatur.

737. *Pars secreta*] Cecropis domûs eam partem describit, quâ erant ejus filiarum thalami.

Ib. *Testudine*] Testudinum crustis, seu squamis ornabantur etiam thalami.

738. *Pandrosо*] Tres habuisse filias Cecropem testatur etiam Apollodorus, qui pariter eas Pandroson, Aglauron, & Herſen nominat.

739. *Aglauros*] Aliis meliùs videtur, ut sicuti Pandrosos & Herse à rore apud Græcos nomen habuerint, Agraulos ab agris pariter suum obtinuerit. *Agraulos* enim, non Aglauros, ab Antigono scribitur.

743. *Pleïoneſque*] Quæ Pleïone Atlantis uxor, Maiæ mater fuit, ex quâ Maiâ ortus Mercurius.

Ib. *Jussa per*] Mercurius, inquit Arnobius, quasi quidem Medicurrius dictus; quòd inter loquentes duos media currat & reciprocetur oratio Sed, nisi Græca etymologia est, Mercurius à mercibus dictus.

748. *Ijdem*] Id est, insidiis.

Viderat Aglauros flavæ ſecreta Minervæ:
Proque miniſterio magni ſibi ponderis aurum
Poſtulat. Interea tectis excedere cogit.
Vertit ad hanc torvi Dea bellica luminis orbem,
Et tantò penitùs traxit ſuſpiria motu,
Ut pariter pectus, poſitamque in pectore forti
Ægida concuteret. Subit, hanc arcana profanâ
Detexiſſe manu tum, cùm ſine matre creatam
Lemnicolæ ſtirpem contra data fœdera vidit:
Et gratamque Deo fore jam, gratamque ſorori:
Et ditem ſumto, quod avara popoſcerit, auro.
Protinus Invidiæ nigro ſquallentia tabo
Tecta petit. Domus eſt imis in vallibus antri
Abdita, ſole carens, non ulli pervia vento,
Triſtis, & ignavi pleniſſima frigoris: & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.
Huc ubi pervenit belli metuenda virago;
Conſtitit ante domum (neque enim ſuccedere tectis
Fas habet) & poſtes extremâ cuſpide pulſat.
Concuſſæ patuêre fores. Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta ſuorum,
Invidiam: visâque oculos avertit. At illa
Surgit humo pigrâ, ſemeſarumque relinquit

Aglauros aſpexerat myſteria flavicomæ Palladis; & petit ſibi pro officio hoc aurum magni ponderis: interea cogit exire domo. Dea belli infenſis oculis hanc intuetur, & ex alto duxit gemitus tanto impetu, ut percelleret pariter pectus & loricam ſtrenuo pectori adhærentem. Meminit hanc tum violâſſe manu impiâ ſecreta, cùm aſpexit ſobolem Lemnicolæ, natam ſine matre, contra fidem datam; meminit etiam fore jam acceptam deo, & acceptam ſorori, & opulentam auro recepto, quod avara petierit. Continuò it domum Invidiæ madidam atrâ ſanie. Domus latet in ultimo receſſu ſpeluncæ, ſole carens, nullâ aurâ recreanda, lugubris, & refertiſſima pigri frigoris, & quæ ſemper deſtituta ſit igne, ſemper ſit tenebris obſita. Poſtquam illuc acceſſit tremenda virago belli, ſubſtitit ante domum (neque enim licet illi *ſubire eam) & concutit poſtes extremâ* parte *cuſpidis. Janua percuſſa aperta eſt: aſpicit intus Invidiam devorantem carnes vipereas, eſcam ſuæ feritatis, & dimovet oculos à viſâ. At illa tollitur humo torpente, & relinquit ſemeſorum*

NOTÆ.

749. *Secreta*] *Erichthonium* nempe, de quo antea.

750. *Miniſterio*] Si illa Mercurio in ejus amoribus faveret.

752. *Torvi*] Quod iræ indicium.

765. *Ægida*] Fuit *Ægis* lorica, ſeu potiùs ſcutum aut clypeus Jovis & Minervæ, deinde deorum, atque etiam nonnunquam heroum, cujuſmodi ex capræ Amaltheæ pelle ſibi Jupiter, ex aliis coriis ſeu pellibus alii ſibi paraverunt, quibus deinde æs aditum. A caprâ illud nomen ortum quæ Græcis αἴξ dicta. De Minervæ Ægide, quam Vulcani juſſu fabricabant Cyclopes, ita Virgilius:

Ægidaque horrificam turbatæ Palladis arma,
Certatim ſquamis ſerpentum, auroque polibant;
Connexoſque angues, ipſamque in pectore divæ
Gorgona, deſecto vertentem lumina collo.

Ib. *Concuteret*] Quare bellum indicere, & terrorem incutere credebatur.

757. *Lemnicolæ*] *Erichthonium* filium Vulcani, qui, ob deformitatem, è cœlo in *Lemnon* Ægæi maris inſulam Septentrionalem præcipitatus, ibi etiam ferrariam exercuit.

Ib. *Contra*] Prohibuerat enim Minerva, ne ciſtulam, quâ Erichthonium Vulcano fatum incluſerat, Cecropis filiæ aperirent.

758. *Gratam fore deo*] *Mercurio*, cujus moribus illa faveret; quam tamen, utpote impiam, felicem eſſe non oportebat.

760. *Invidiæ*] Furiarum furiæ, potiùs quàm deæ, cujus operâ tamen Pallas utitur.

765 *Belli virago*) *Pallas* dea belli.

766. *Neque enim*] Nulli Invidiæ peſtifero afflatui obnoxia eſſe poteſt, Jovis ex cerebro nata, dea ſapientiæ.

771. *Pigrâ*] Quam ſol nullus, ars nulla mulceat, quæ verò pigritiam inſuper Invidiæ foveat.

anguium partes: & ambulat greſſu pigro. Et cùm vidit deam inſignem ſpecie & armis, ſuſpiravit; & ad faciem deæ *duxit gemitum ex imo* corde. *Livor occupat faciem; macies totum corpus: ſemper obliquè intuetur: dentes nigricant rubigine; pectus virat felle: lingua eſt plena veneno. Riſus nullus eſt, niſi quem faciunt ærumnæ cognitæ. Neque dormit impulſa curis pervigilibus: ſed ſpectat lætos eventus hominum cum moleſtiâ, & macreſcit ſpectando; & lædit, & ſimul lædítur: & ſibi ipſa fit pœna. Quanquam tamen Tritonia illam averſabatur, allocuta eſt breviter hujuſmodi verbis: Inquina tabe tuâ unam filiarum Cecropis. Ita neceſſe eſt. Ea eſt Aglauros. Poſtquam ea dixit non plura, diſcedit, & iterum percuſſit terram haſtâ impactâ. Illa aſpiciens deam recedentem torvis oculis ſecretò murmuravit, & ingemuit* iſtud *bene eventurum Palladi: & ſumit baculum, quod totum nodi ſpinarum ambibant; & quàcumque incedit velata nigris nubibus proculcat lætos agros, & torret gramina, & vellit ſumma* ariſtarum *faſtigia; & fœdat contactu ſuo populos, & urbes, & domos; & denique videt arcem Tritoniam, florentem ingeniis, & artibus; & pace amabili; & ægrè compeſcit lachrymas, quia nihil intuetur deflendum. Verùm ut juſſit cubiculum filiæ Cecropis* Aglauri;

Corpora ſerpentum: paſſuque incedit inerti.
Utque Deam vidit formâque, armiſque decoram;
Ingemuit; vultumque ima ad ſuſpiria duxit.
Pallor in ore ſedet: macies in corpore toto:
Nuſquam recta acies: livent rubigine dentes:
Pectora felle virent: lingua eſt ſuffuſa veneno:
Riſus abeſt, niſi quem viſi movêre dolores.
Nec fruitur ſomno, vigilacibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo,
Succeſſus hominum: carpitque, & carpitur unà:
Suppliciumque ſuum eſt. Quamvis tamen oderat illàm;
Talibus adfata eſt breviter Tritonia dictis:
Infice tabe tuâ natarum Cecropis unam.
Sic opus eſt. Aglauros ea eſt. Haud plura locuta,
Fugit; & impreſsâ tellurem reppulit haſtâ.
Illa Deam obliquo fugientem lumine cernens;
Murmura parva dedit: ſucceſſurumque Minervæ
Indoluit: baculumque capit: quod ſpinea totum
Vincula cingebant: adopertaque nubibus atris,
Quacunque ingreditur, florentia perterit arva,
Exuritque herbas, & ſumma cacumina carpit:
Afflatuque ſuo populos, urbeſque, domoſque
Polluit: & tandem Tritonida conſpicit arcem,
Ingeniis, opibuſque, & feſtâ pace virentem:
Vixq; tenet lachrymas: quia nil lachrymabile cernit.
Sed poſtquam thalamos intravit Cecrope natæ;

NOTÆ.

774. *Vultumque*] Ingemuit dolore, cùm conſpexerat decorum Minervæ vultum.

778. *Niſi quem*] Nam alienis malis, tanquam ſuis bonis lætatur.

780. *Ingratos*] *Videt ſucceſſus qui ſibi ſint ingrati.*

781. *Carpit & carpitur*] Quia quod in bonos ſævit invidus, illi ipſi labori & dolori eſt maximo: in ipſius viſceribus fervet, quod in alios effundere ſtudet venenum.

783. *Tritonia*] *Minerva*; vel à Τριτὸν, quod linguâ Cretum *caput* ſignificat: eò quòd ex capite Jovis nata ſit: vel à Tritone palude Libyæ, juxta quam nata & educata eſt.

784. *Infice*] Ut invidiâ contabeſcat. Sed breviter mandata ſua expedit dea, cui moleſtum eſt ad invidiæ domos morari.

788. *Succeſſurumque*] Quia Aglauron tabe ſuâ inficere, Minervâ imperante, cogebatur Invidia.

789. *Quod ſpinea*] Totum *hamatis*, ut infrà, *ſentibus*, vel ſpinis dicit horridum fuiſſe Invidiæ baculum; atque ita vincula pro cortice aut parte exteriori poſuerit poëta, vel pro ipſis nodis baculo innatis.

792. *Summa*] Enimverò quæ præſtantiſſima ſunt veneno ſuo corrumpit Invidia.

794. *Tritonida arcem*] Id eſt, *Athenas*, urbem Palladi Tritoniæ dicatam, omnibuſque artibus & ſtudiis florentem. Patronymicum poſuit pro poſſeſſivo.

Juſſa

Jussa facit: pectusque manu ferrugine tinctâ
Tangit: & hamatis præcordia sentibus implet.
Inspiratque nocens virus: piceumque per ossa
Dissipat, & medio spargit pulmone venenum.
Neve mali spatium causſæ per latius errent;
Germanam ante oculos, fortunatumque sororis
Conjugium, pulchrâque Deum sub imagine ponit:
Cunctaque magna facit. Quibus irritata, dolore
Cecropis occulto mordetur: & anxia nocte,
Anxia luce gemit; lentâque miserrima tabe
Liquitur, ut glacies incerto saucia sole:
Felicisque bonis non secius uritur Herses,
Quàm cùm spinosis ignis supponitur herbis;
Quæ neque dant flammas, lenique tepore cremantur.
Sæpe mori voluit; ne quicquam tale videret:
Sæpe velut crimen rigido narrare parenti;
Denique in adverso venientem limine sedit
Exclusura Deum: cui blandimenta, precesque,
Verbaque jactanti mitissima, Desine, dixit:
Hinc ego me non sum nisi te motura repulso.
Stemus, ait, pacto, velox Cyllenius, isto:
Cælataque fores virgâ patefecit. At illi
Surgere conanti partes, quascunque sedendo
Flectimur, ignavâ nequeunt gravitate moveri.
Illa quidem recto pugnat se attollere trunco:
Sed genuum junctura riget, frigusque per ungues
Labitur; & pallent amisso sanguine venæ.
Utque malum latè solet immedicabile cancer
Serpere, & illæsas vitiatis addere partes;

exequitur mandata, & tangit pectus manuimbutâ ferrugine, & implet viscera spinis recurvis. Infundit etiam venenum pestiferum, & spargit per ossa atrum tabum, & immittit in medium pulmonem. Et ne causſæ doloris longiùs abeant, objicit sororem occultis, & felix connubium, & sistit deum sub formosâ specie, & facit omnia ingentia. Quibus Cecropis provocata, cruciatur secreto dolore, & sollicita suspirat nocte, sollicita suspirat de die; & infelicissima absumitur segni tabe, non aliter quàm glacies liquefacta sole vario: & ardet ex commoditatibus beatæ Herses, sicuti cùm ignis subjicitur herbis spinosis, quæ neque immittunt flammas, & uruntur lento calore. Sæpius optavit obire, ne tale quid intueretur sæpius referre tanquam delictum severo patri. Denique sedit in limine adverso prohibitura deum accedentem. Cui proferenti blanditias, & preces, & voces suaviſſimas, Omitte, inquit, ego non sum hinc discessura nisi te prostigato. Consentiamus, ait celer Cyllenus, tuo illo pacto. Et aperuit baculo januam insculptam. At partes, quæcumque curvantur in nobis dum sedemus, non possunt moveri lento pondere, dum illa nititur se attollere. Illa quidem conatur se erigere corpore erecto; sed commissuræ genuum indurverunt, & frigus serpit per ungues, & venæ palleſcunt sanguine deperdito. Et quemadmodum cancer pestis insanabilis consuevit latè obrepere: & adjicere partes adhuc intactas corruptis;

NOTÆ.

798. *Ferrugine*] *Invidiâ*, quæ, ut rubigo ferrum, ita animum exedit.

802. *Neve mali causſæ*] Ne causſæ doloris longiùs absint, efficit ut felicitatem sororis semper ante oculos maximo cum dolore & cruciatu habere videatur.

805. *Magna facit*] Non levis est invidorum cruciatus, quòd sua quæque parva, aliorum maxima vident, aut videre se credunt.

806. *Cecropis*] *Aglauros* Cecrope nata.

808. *Incerto*] Subinde & per vices radios suos vibrante, & proinde lentè glaciem liquefaciente: Acrior verò est doloris, post ejus remissionem impetùs.

813. *Crimen*] Quasi in concubinatum Herse Mercurio se dare pararet; crimen hoc ad Cecropem parentem deferre, sororemque accusare decernit Aglauros. Morosum senem, *rigidum* vocat.

816. *Desine*] *Me blandis precibus sollicitare, & verba inania frustrà jactare.*

818. *Stemus*] Id est, *confirmabo tua illa verba, ut tu hinc non priùs movearis, quàm ego discedam.*

sic frigus mortiferum pedetentim corripuit pectus, & obstruxit meatus vitales, & respirationem. Neque tentavit fari, neque, si tentâsset, haberet transitum vocis: silex jam habebat colla, & os diriguerat, & erat statua exanimata. Neque petra erat candida. Suus animus invidus illam inquinaverat.

Sic lethalis hyems paullatim in pectora venit:
Vitalesque vias, & respiramina clausit.
Nec conata loqui est; nec, si conata fuisset,
Vocis haberet iter. Saxum jam colla tenebat;
Oraque duruerant, signumque exsangue sedebat.
Nec lapis albus erat. Sua mens infecerat illam.

XIII. *Postquam filius Atlantis eo modo ultus est verba & animum impium, deserit terras appellatas à Minervâ & intrat cœlum alis motis. Pater* Jupiter *eum seorsum prehendit, neque aperuit caussam amoris, Fili, inquit, fidelis minister mandatorum meorum, festina, & velox descende motu assueto: & ito in eam terram, quæ aspicit tuam matrem sita à parte lævâ (incolæ appellant Sidonidem) & age ad littus gregem regium quem cernis pasci procul herbâ montanâ. Locutus est*; & ita *juvenci abacti ex monte eunt ad littora Tyriis. Majestas & amor non bene congruunt, nec consistunt in uno loco. Ille pater & rex superûm, cui dextra trisidis*

XIII. Has ubi verborum pœnas mentisque profanæ
Cepit Atlantiades; dictas à Pallade terras
Linquit, & ingreditur jactatis æthera pennis.
Sevocat hunc genitor, nec caussam fassus amoris,
Fide minister, ait, jussorum nate meorum,
Pelle moram, solitoque celer delabere cursu:
Quæque tuam matrem tellus à parte sinistrâ
Suspicit (indigenæ Sidonida nomine dicunt)
Hanc pete: quodque procul montano gramine pasci
Armentum regale vides ad littora verte.
Dixit: & expulsi jamdudum monte juvenci
Littora jussa petunt: ubi magni filia regis
Ludere virginibus Tyriis comitata solebat.
Non bene conveniunt, nec in unâ sede morantur,
Majestas & amor: sceptri gravitate relictâ,
Ille pater rectorque Deûm; cui dextra trisulcis

præscripta, ubi filia magni regis consueverat se oblectare stipata puellis Tyriis. Majestas & amor non bene congruunt, nec consistunt in uno loco. Ille pater & rex superûm, cui dextra trifidis

NOTÆ.

827. *Lethalis hyems*] *Mortiferum frigus.*

828. *Respiramina*] *Pulmonis respirationes.*

831. *Signum*] *Statua sine sanguine.* In statuam namque lapideam Aglauros fuit conversa. Scripsit verò Pausanias, Aglauron & Hersen, quæ cistam, sibi, & Pandroso à Minervâ concreditam, resignâssent, viso Erichthonio, furiis agitatas sese ex arce præcipites dedisse: quod de unâ saltem, in Diris adversus Ibin, comprobare videtur poëta.

832. *Nec lapus albis*] Dicit eam ob nigrum invidi animi venenum cùm in saxum mutaretur, eundem retinuisse colorem.

834. *Dictas à Pallade*] Antè diximus Pallada seu Minervam, Neptuno victo, qui cum ipsâ disceptaverat, uter novæ civitati nomen daret, cùm munus præstantius oleam, quàm Neptuni equum contulisset, Athenis nomen suum dedisse: Ipsa enim Ἀθηνᾶ dicitur.

839. *Quæque tuam*] Poëta non disertè dicit *Phœnices suspicere Pleïades à sinistrâ parte* (quamquam & hoc defendi utcumque potuit) sed potiùs *sitos ex sinistrâ parte respectu Pleïadum & inde illas suspicere.* Maia autem Mercurii mater una est Pleïadum.

840. *Sidonida*] Fuit Sidon antiquissima & celeberrima Phœniciæ civitas ad maris Mediterranei oram orientalem; à quâ *Sidonis* patronymicum, quod hîc pro terrâ Sidoniâ ponitur.

842. *Regale*] *Agenoris* Phœnicum regis, Beli filii.

844. *Filia*] *Europa* est Agenoris filia.

845. *Tyriis*] Tyro antiquissimâ & Sidonis vicinâ urbe oriundis.

860. *Non bene conveniunt*] Antè emollit poëta quod ridiculum est in Jovis fabulâ, quàm illud exponat.

Ignibus

Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem;
Induitur tauri faciem: mistusque juvencis
Mugit, & in teneris formosus obambulat herbis.
Quippe color nivis est; quam nec vestigia duri
Calcavêre pedis, nec solvit aquaticus Auster.
Colla toris extant: armis palearia pendent:
Cornua parva quidem; sed quæ contendere possis
Facta manu, purâque magìs perlucida gemmâ.
Nullæ in fronte minæ; nec formidabile lumen:
Pacem vultus habet. Miratur Agenore nata,
Quòd tam formosus, quòd prælia nulla minetur.
Sed, quamvis mitem, metuit contingere primò.
Mox adit: & flores ad candida porrigit ora.
Gaudet amans; &, dum veniat sperata voluptas,
Oscula dat manibus. Vix ah, vix cætera differt.
Et nunc alludit, viridique exsultat in herbâ:
Nunc latus in fulvis niveum deponit arenis.
Paullatimque metu demto, modò pectora præbet
Virgineâ plaudenda manu; modò cornua sertis
Impedienda novis. Ausa est quoque regia virgo,
Nescia quem premeret, tergo considere tauri.
Cùm Deus à terrâ siccoque à littore, sensim
Falsa pedum primis vestigia ponit in undis.
Inde abit ulteriùs, mediique per æquora ponti
Fert prædam. Pavet hæc: littusque ablata relictum
Respicit: & dextrâ cornu tenet; altera dorso
Imposita est: tremulæ sinuantur flamine vestes.

flammis instructa est, qui agitat mundum nutu; deposito sceptri pondere, sumit vultum tauri, & immistus juvencis mugit, & pulcher oberrat in teneris graminibus. Scilicet illi color est nivis, quam neque planta duri pedis pressit, neque notus humidus liquefecit. Colla eminent pulpis: palearia pendent humeris: cornua parva equidem, sed quæ possis asserere manu fabri facta, & splendidiora nitidâ gemma. Nullæ minæ in fronte, neque oculi terribiles; facies est pacifica. Filia Agenoris admiratur quòd tam pulcher sit, quòd nullas pugnas intentet. Sed quamquam docilem, timet primò tangere; mox accedit, & admovit flores ori niveo. Amans lætatur, & deosculatur manus, donec gaudium expectatum veniat: ægrè, ah ægrè prorogat cætera. Et modo alludit, & salit in virenti gramine: modò demittit latus candidum in fabulo nigricante. Et timore paullatim sublato, nunc dat pectus mulcendum manu virgineâ, nunc cornua implicanda novis sertis. Puella regia ausa est quoque insidere dorso tauri, ignorans quem premeret: cùm deus immittit paullatim fictas plantas pedum à terrâ & littore sicco in primas aquas. Inde sese promovet ulteriùs, & fert rapinam per æquora medii maris. Hæc timet, & abrepta oculos vertit ad littus relictum; & dextrâ apprehendit cornu, altera est affixa tergo; amictus fluctantes ventro corrugantur.

NOTÆ.

850. *Tauri faciem*] Herodotus in ipso historiæ suæ limine refert Græcos quosdam, Cretenses postea nominat, raptam Io ulturos, navigâsse in Phœniciam; inde inter alias Europam regis Agenoris filiam rapuisse. Navis insigne fuit *Taurus*; vel ut alii ferunt, dux prædonum *Taurus*, anfam dederunt fabulæ Europæ à Jove Tauro raptæ. Sed vide Seldeni Syntagma de Diis Syris, II. cap. 15.

854. *Toris*] Eo nomine eminentiores intellige musculorum partes, quæ vires & naturæ robur indicant, in tauri collo maximè laudatum.

Ib. *Palearia*] Pelles sunt ex boum collo pendentes, quæ, quò amplæ magis & ad genua productæ, eò pulchriores sunt.

855. *Sed quæ*] Nempe ita pulchra sunt, ut diceres arte elaborata esse & polita.

863. *Oscula dat*] Amanti pariter & tauro istud conveniunt.

867. *Plaudenda*] *Leviter percutiendo mulcenda:* nam eo modo equos & alia bruta mansuefacimus.

871. *Falsa*] Quia tauri videbantur esse, Jovis erant.

LIBER III.

ARGUMENTUM.

HIC Agenor Cadmum jubet filiam amissam investigare. Quod dum ille facit, è dentibus draconis occisi in terrâ satis enascuntur homines; cum quibus ille deinde Thebas condidit. Huic primum valde luctuosa fuit nepotis Actæonis in cervum mutati dilaceratio: quamvis Junoni grata fuerit, quæ Semelen pellicem oderat. Ideoque ad ipsam sub facie Beroës nutricis accedens, mortem illi procuravit. Paulò post Jupiter cum Junone disputans, utra Venus esset suavior, Tiresiam adhibet arbitrum: quandoquidem sexum utrumque fuerat expertus. Is, latâ contra Junonem sententiâ, ab illâ quidem visu privatus, à Jove autem vaticinandi scientiam consecutus est. Primum autem ejus oraculum in Narcisso comprobatum fuit: qui cùm puellas omnes, inter quas & Echo præ amoris impatientiâ in vocem fuerat conversa, contempsisset: sui ipsius denique amore contabescens, in florem mutatus est. Pentheus tamen vatem hunc irridebat, quamquam & ipsi vera prædixerat. Nam cùm Bacchi celebrarentur Orgia, ille famulum quendam sacrorum, postquam nautas in pisces fuisse transformatos ab eo intellexerat, in vincula conjecit: & inde à Bacchis fuit discerptus. Id quod magnam apud omnes fidem sacris conciliavit.

P. Ovidii Nasonis

METAMORPHOSEON

LIBER III.

JAMQUE Deus, positâ fallacis imagine tauri,
Se confessus erat; Dictæaque rura tenebat;
Cùm pater ignarus Cadmo perquirere raptam
Imperat: & pœnam, si non invenerit, addit
Exilium, facto pius & sceleratus eodem.
Orbe pererrato (quis enim deprêndere possit
Furta Jovis?) profugus patriamque iramq; parentis
Vitat Agenorides: Phœbique oracula supplex
Consulit: &, quæ sit tellus habitanda, requirit.
Bos tibi, Phœbus ait, solis occurret in arvis,
Nullum passa jugum, curvique immunis aratri.
Hâc duce carpe vias: &, quâ requieverit herbâ,
Mœnia fac condas: Bœotiaque illa vocato.
Vix bene Castalio Cadmus descenderat antro:
Incustoditam lentè videt ire juvencam,
Nullum servitii signum cervice gerentem.
Subsequitur, pressoque legit vestigia gressu;

INTERPRETATIO.

Jamque Deus se Jovem esse manifestaverat, depositâ specie ficti tauri, & erat in agris Dictæis; cùm pater nesciens filiam à Jove surreptam, jubet Cadmum perquirere ablatam, & pro supplicio minatur illi exilium, nisi reperiat, pius & scelestus eodem facinore. Filius Agenoris, postquam frustrâ omnes terras lustrâsset (quis enim possit detegere furta Jovis?) exul fugit patriam, & iram patris; & supplex consilium petit ab oraculo Apollinis, & exquirit quæ terra sit sibi incolenda. Bos, inquit, nullum jugum passa, & libera ab aratro curvo, ibit tibi obviàm in campis desertis. Eâ indice sequere iter; & quo gramine procubuerit, fac ponas muros; & illos appellato Bœotios. Vix dum Cadmus digressus erat speluncâ Castaliâ, cernit juvencam absque custode lentè incedere, nullum habentem indicium servitii in collo. Subsequitur, & insistit vestigiis suspenso passu;

NOTÆ.

2. *Dictæa*] *Cretam* insulam, in quâ mons Dicte.

3. *Cadmo*] Qui Europæ frater, Agenoris fuit filius. Cæterùm non Cadmo tantùm, sed Phœnici, qui in Africam profectus, ubi Pœnis nomen dedit, & Cilici, à quo Cilices, fororis investigandæ curam Agenor demandavit. Hygin. Fab. 178.

5. *Facto pius*] Pius erga filiam, sceleratus ergo filios.

11. *Immunis*] Expers: quæ nunquam traxerat aratrum; ἄζυγος.

13. *Bœotiaque*] Bœotia, ita dicta vel ἀπὸ τῆς βόος, vel à *Bœot.* Neptuni & Arnes filio. Quidam etiam Thebes à *Thebe* (quæ linguâ Syriâ *bovem* significat) dici volunt.

14. *Castalio*] Id est, Delphis, ubi erant Apollinis oracula. Nam fons est & mons Castalius inter Delphos & Parnassum, ad cujus Parnassi radices ubi os Delphi posita. Adeóque hîc metonymia est adjuncti.

17. *Presso gressu*] Repressò & tardo, ne anteiret vaccam.

Auctoremque

& tacitus veneratur Apollinem, quo authore iter hoc suscepit. Jam præterierat vada Cephisi, & campos Panopes: juvenca constitit, & erigens ad cœlum caput vastum productis cornibus concussit aërem mugitibus. Atque ita, oculos convertens ad comites tegentes sua vestigia, in terram se demisit, & posuit latus in molli gramine. Cadmus agit gratias Apollini, *& deosculatur terram ignotam, & salutem dicit campis & montibus incognitis. Volebat sacra facere Jovi: imperat famulis discedere, & haurire ex vivis fontibus aquas libandas. Vetus lucus erat, securi intactus. Est antrum in medio obsitum virgis ac vimine, efficiens depressum cameram junctură lapidum, abundans aquis multis. Serpens Martius conspicuus cristis & auro latebat in eâ specu. Oculi radiant igne: totum corpus turgescit tabo: & tres linguæ micant; dentes cohærent triplici ordine. Quam silvam postquam digressi ex natione Tyriâ tetigerunt infelici passu, & fistula projectâ in aquam fecit strepitum, anguis cœruleus emisit caput profundâ spelunca, & sibila emisit terribilia. Situlæ exciderunt manibus & sanguis destituit corpus, & horror repentinus subiit membra stupentia. Ille ducit spiras squameas medis flexilibus, & curvatur in sinus immensos; & sublatus plus parte mediâ in tenuem aërem ex alto aspicit totam silvam; & est tanto corpore, quantò* Serpens *qui dividit duas ursas, si totum simul aspicere possis.*

Auctoremque viæ Phœbum taciturnus adorat.
Jam vada Cephisi, Panopesque evaserat arva:
Bos stetit; &, tollens spatiosam cornibus altis
Ad cœlum frontem, mugitibus impulit auras.
Atque ita, respiciens comites sua terga sequentes,
Procubuit, tenerâque latus submisit in herbâ:
Cadmus agit grates; peregrinæque oscula terræ
Figit; & ignotos montes, agrosque salutat.
Sacra Jovi facturus erat: jubet ire ministros,
Et petere è vivis libandas fontibus undas.
Silva vetus stabat, nullâ violata securi;
Est specus in medio virgis ac vimine densus,
Efficiens humilem lapidum compagibus arcum;
Uberibus fœcundus aquis. Hoc conditus antro
Martius anguis erat, cristis præsignis & auro.
Igne micant oculi; corpus tumet omne veneno:
Tresque vibrant linguæ: triplici stant ordine dentes.
Quem postquam Tyriâ lucum de gente profecti
Infausto tetigere gradu; demissaque in undas
Urna dedit sonitum; longo caput extulit antro
Cæruleus serpens: horrendaque sibila misit.
Effluxêre urnæ manibus: sanguisque relinquit
Corpus, & attonitos subitus tremor occupat artus.
Ille volubilibus squamosos nexibus orbes
Torquet, & immensos saltu sinuatur in arcus:
Ac mediâ plûs parte leves erectus in auras
Despicit omne nemus: tantoque est corpore, quanto,
Si totum spectes, geminas qui separat Arctos.

NOTÆ.

19. *Cephisi*] Bœotiæ est fluvius ex Parnasso fluens.

Ib. *Panopes*] Urbs Phocidis.

22. *Comites*] Cadmum cum sociis, qui bovis vestigiis insistere.

27. *Petere è vivis*] Abesse à sacrificiis aqua non potest.

31. *Uberibus*] Fontem vocaverunt Dircen per anticipationem, cùm multò pòst in fontem Dircen mutata fuerit Dirce Lyci Thebarum regis uxor.

32. *Martius anguis*] Marti dicatus ac bellicosus, Martis filius, ut quibusdam placuit, nomine *Dercyllus*. Ut est videre in comment. Eurip. dis in Phœnissi.

34. *Vibrant*] Neutraliter; id est, celerrimè moventur: tantâ enim celeritate plicatilem linguam serpens vibrat, ut triplex esse videatur; quam fortè & revera trisidem fingit.

35. *Tyriâ*] Phœnices, Cadmi socii; Tyrus enim & Sidon urbes fuerunt vicinæ, quæ à scriptoribus ita conjunguntur, ut prope in multis confundantur.

41. *Ille volubilibus*] Id est, corpus in nodos aut spiras fingit; caudâ orbes describit: Qui serpentum mos est.

44. *Tantoque*] Tam magno erat ille serpens, quantus est is, qui inter duas Ursas in cœlo spectatur. Est autem tantus, ut fluvius esse videatur; ut Virg. scribit.

Nec

Nec mora: Phœnicas (sive illi tela parabant,
Sive fugam; sive ipse timor prohibebat utrumque)
Occupat; hos morsu, longis complexibus illos;
Hos necat afflatos funesti tabe veneni.
Fecerat exiguas jam Sol altissimus umbras;
Quæ mora sit sociis miratur Agenore natus;
Vestigatque viros. Tegimen direpta leoni
Pellis erat: telum splendenti lancea ferro,
Et jaculum: teloque animus præstantior omni.
Ut nemus intravit, lethataque corpora vidit,
Victoremque supra spatiosi corporis hostem
Tristia sanguineâ lambentem vulnera linguâ;
Aut ultor vestræ, fidissima corpora, mortis,
Aut comes, inquit, ero. Dixit: dextrâque molarem
Sustulit: & magnum magno conamine misit.
Illius impulsu cum turribus ardua celsis
Mœnia mota forent: serpens sine vulnere mansit.
Loricæque modo squamis defensus, & atræ
Duritiâ pellis, validos cute reppulit ictus.
At non duritiâ jaculum quoque vincit eâdem,
Quod medio lentæ fixum curvamine spinæ
Constitit: & toto descendit in ilia ferro.
Ille, dolore ferox, caput in sua terga retorsit:
Vulneraque adspexit, fixumque hastile momordit.
Idque, ubi vi multâ partem labefecit in omnem,
Vix tergo eripuit: ferrum tamen ossibus hæret.
Tum verò; postquam solitas accessit ad iras
Plaga recens, plenis tumuerunt guttura venis:
Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus:
Terraque rasa sonat squamis; quique halitus exit
Ore niger Stygio, vitiatas inficit auras.
Ipse modò immensum spiris facientibus orbem
Cingitur: interdum longâ trabe rectior exit.

Nec mora, (seu Phœnices ad arma se accingebant, seu ad fugam, seu ipse metus impediebat utrumque, serpens illos *invadit, hos morsu, alios longâ* corporis *implicatione: alios perimit afflatos sanie mortiferi veneni. Jam sol sublimis sparserat umbras parvas; filius Agenoris stupet quæ sit cunctatio comitum, & quærit viros. Pellis detracta leoni erat* ei *amictus,* arma erant *lancea ferro radiante, & jaculum, & virtus fortior omnibus armis. Postquam lucum subiit, & spectavit corpora letho data, & hostem vastæ molis victorem insistentem, & lambentem funestas plagas linguâ cruentâ; Aut, inquit, ô carissima pectora, ero vindex, aut comes vestræ mortis. Absolvi; & dextrâ corripit saxum ingens, & jacit summo nisu. Muri alti cum sublimibus turribus illius impetu essent concussi; anguis perstitit invulneratus; & protectus squamis, tanquam thorace, & rigore cutis remisit à se graves ictus. At non superat quoque spiculum eâdem firmitate, quod inhæsit admissum medio flexu dorsi flexibilis, & penetravit ilia toto ferro. Ille furens dolore reflexit caput in suum dorsum, & intuitus est plagas, & dentibus apprehendit immissum jaculum. Et postquam illud in omnem partem versavit magno conatu, vix revellit dorso: ferrum tamen* adhuc *manet in ossibus. Tum vero, postquam vulnus novum augebat iram solitam, colium intumuit plenis venis; & spuma albicans sparsa est per os mortiferum, & terra obtrita squamis edit strepitum; & spiritus ater qui prodit rictu Tartareo polluit aërem peste afflatum. Nonnunquam ipse involvitur nodis describentibus vastissimum circulum: nunc extenditur rectior longo tigno.*

NOTÆ.

50. *Fecerat*] Id est, *meridies* erat.

52. *Tegimen*] Heroum more, qui ejusmodi virtutis suæ symbolum gestabant & ostentabant: leoninam pellem Cadmus gerebat.

59. *Molarem*] *Maximum.* Antiqui heroës, consumptis gladiis, finguntur ad grandia confugere saxa, quibus hostem obterebant. Id quod ubique in Homero.

65. *Vincit*] *Reppulit.* Tunc enim jacula *vinci* dicuntur, cùm repelluntur.

76. *Stygio*] *Venenato,* qualis est Styx inferorum palus.

78. *Cingitur*] Id est, in se ipsum convolvitur, & quasi coarctatur; qui serpentis vulnerati mos est, sese deinde explicantis, atque in varias partes agitantis.

Impete

Interdum rult magno impetu, sicut fluvius æstus aquis pluvialibus, & prosternit pectore arbores oppositas. Filius Agenoris aliquantum cedit, et excipit impetum pelle leonis; et arcet rictus urgentes mucrone opposito. Ille rabiem exercet, et infert plagas frustraneas rigido ferro; et mordet cuspidem. Et jam cruor cœperat fluere ex palato pestifero; et infecerat gramina virentia irrigatione: sed plaga erat exigua, quia se recipiebat ab impressione, & retro agebat collum afflictum, et recedendo prohibebat vulnus ne impingeretur, nec patiebatur ulteriùs progredi: donec Cadmus usque persequens pressit ferrum guttari infixum, quoad quercus restitit retro cedenti, et cervix trajecta est unà cum quercu. Arbor inclinata est onere draconis, et gemitum edidit cùm sua ligna verberarentur parte extremâ caudæ Draconis. *Dum victoriâ positus contemplatur magnitudinem superati hostis, repentè sonus auditus est: (neque erat facile judicare unde; sed auditus est) Quamobrem, fili Agenoris, intuevis anguem interfectum? Tu quoque aspicieris anguis.*

Impete nunc vasto, ceu concitus imbribus amnis,
Fertur, & obstantes proturbat pectore silvas.
Cedit Agenorides paullum; spolioque leonis
Sustinet incursus, instantiaque ora retardat
Cuspide prætentâ. Furit ille, & inania duro
Vulnera dat ferro: figitque in acumine dentes.
Jamque venenifero sanguis manare palato
Cœperat; & virides aspergine tinxerat herbas.
Sed leve vulnus erat: quia se retrahebat ab ictu;
Læsaque colla dabat retro; plagamque sedere
Cedendo arcebat, nec longiùs ire sinebat.
Donec Agenorides conjectum in gutture ferrum
Usque sequens pressit: dum retro quercus eunti
Obstitit; & fixa est pariter cum robore cervix.
Pondere serpentis curvata est arbor, & imæ
Parte flagellari gemuit sua robora caudæ.
Dum spatium victor victi considerat hostis;
Vox subitò audita est: (neque erat cognoscere promptum
Unde; sed audita est) Quid, Agenore nate, peremptum
Serpentem spectas! & tu spectabere serpens.
Ille diu pavidus, pariter cum mente colorem
Perdiderat; gelidoque comæ terrore rigebant.
Ecce, viri fautrix superas delapsa per auras
Pallas adest: motæque jubet supponere terræ
Vipereos dentes, populi incrementa futuri.
Paret: &, ut presso sulcum patefecit aratro,
Spargit humi jussos, mortalia semina, dentes.

Ille diu territus amiserat simul colorem atque animum; & capilli stabant frigido pavore. Ecce Pallas viro favens devoluta per æthera supremum adest, & imperat mandare terræ exculcæ dentes draconis, incrementa populi futuri. Obtemperat, et postquam aperuit sulcum impacto aratro, in terram (uti jussit Minerva*) mittit dentes, semina hominum.*

NOTÆ.

84. *Figitque*] Aut certè figere nititur; magisque & dentes, & palatum lædit.

92. *Fixa est*] Per hanc draconis mortem alia alii intelligunt, dum vel sensum historicum, aut ad mores spectantum, investigant. Quoad historiam, narrat Palæphatus, Draconem quendam fuisse Martis filium, Thebanorum regem, quem Cadmus interfecit, cujus filii cum amicis unà adversus victorem Cadmum insurrexerunt, donec & ipsi, motâ à Cadmo inter eos discordiâ, ab eodem superarentur.

98. *Spectabere*] Regno pulsus ab Amphione & Zetho ad Illyrios transiit, ubi ipse & uxor Hermione in serpentes transmutati sunt: Quam fabulam Naso ipse lib. IV. enarrabit, & Euripid. in Bacchis.

102. *Motæ*] *Aratæ*, vomere prosciss.

103. *Populi*] Id est, ex quibus homines nascerentur.

Ib. *Incrementa*] Γένναν ὀδοντοφυῆ. Euripid. in Phœniss. farciendo suorum damno.

105. *Mortalia*] Hominum semina, non frugum. Nam homines armati ex illis dentibus orti finguntur. Partem tamen dentium ad Æëten miserunt Pallas & Mars. Vide Apollon. lib. III. v. 1176.

Inde

Inde (fide majus) glebæ cœpêre moveri:
Primaque de sulcis acies apparuit hastæ.
Tegmina mox capitum picto nutantia cono:
Mox humeri, pectusque, onerataque brachia telis
Existunt: crescitque seges clypeata virorum.
Sic, ubi tolluntur festis aulæa theatris,
Surgere signa solent; primumque ostendere vultum;
Cætera paullatim: placidoque educta tenore
Tota patent; imoque pedes in margine ponunt.
Territus hoste novo Cadmus capere arma parabat.
Ne cape, de populo, quem terra creaverat, unus
Exclamat; nec te civilibus insere bellis.
Atque ita terrigenis rigido de fratribus unum
Cominus ense ferit: jaculo cadit eminus ipse.
Hic quoque, qui letho dederat, non longius illo
Vivit, & exspirat, modò quas acceperat, auras.
Exemploque pari furit omnis turba: suoque
Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres.
Jamque brevis spatium vitæ fortita juventus
Sanguineam trepido plangebant pectore matrem;
Quinque superstitibus: quorum fuit unus Echion.
Is sua jecit humi monitu Tritonidis arma;
Fraternæque fidem pacis petiîtque, deditque.
Hos operis comites habuit Sidonius hospes;
Cùm posuit jussam Phœbæis fortibus urbem.

Postea (incredibile) glebæ cœperunt agitari: et mucro lanceæ primus prodiit ex sulcis: mox galeæ nutantes picto apice; mox humeri, et pectus, et lacerti instructi armis apparent, et seges scutata virorum augetur. Eo modo imagines consueverunt prodire, cùm vela picturata theatri tolluntur festis diebus, atque primò exhibere faciem; reliqua paulatim, donec æquabili motu surgentia tota signa se ostendant, et statuant pedes in extremam aream. Cadmus tremefactus repentino hoste parabat arma sumere: Ne sume, vociferatur unus de populo, quem terra produxerat; nec te immisce bellis civilibus. Atque ita cùm dixerat, percutit cominus duro gladio unum de fratribus terrâ genitis: ipse procumbit spiculo eminus missō. Hic quoque, qui interfecerat, non diutius vitam profert, et emittit spiritum quem paulò antè hauserat. Atque tota turba furit simili exemplo; et fratres repentini perimuntur suo bello per plagas reciprocas. Jamque adolescentes, nacti exiguum tempus vitæ, verberabant terram *matrem cruentam trepido pectore, quinque* solùm *restantibus; quorum unus fuit Echion. Ille in terram abjecit sua arma jussu Minervæ, & popposcit, et dedit fidem pacis fraternæ. Hospes Sidonius habuit hos socios laboris, cùm statuit urbem præstitutam oraculo Apollinis.*

NOTÆ.

108. *Cono*] A coni formâ ita appellatur galeæ apex, ubi variis coloribus pennæ, struthiocamelo præsertim dereptæ, apponi solent.

111. *Sic ubi*, &c.] Ut hæc viris è terrâ surgentibus respondeant, cogitandum est aulæa circumvoluta & plicata lentè evolvi atque in theatri parietes attolli; ita intextæ illis imagines paullatim se spectatoribus ostendunt.

Ib. *Aulæa*] Quibus theatra per ludorum tempus ornantur.

112. *Signa*] Intellige imagines in aulæis pictas.

116. *Unus*] Dicunt alii, Minervæ consilio, lapides aut lapidem inter eos conjecisse Cadmum, qui à se invicem feriri existimantes, mutuam inter se pugnam inierunt. Cadmus fertur ex Phœniciâ primus advexisse litteras in Græciam, unde Erasmus serpentinos dentes interpretatur litteras, quibus digladiantur inter se conficiuntque se invicem seditiosi è litteratis.

123. *Subiti*] Id est, qui ex terrâ subitò nati erant, & subitò iterum perierunt.

125. *Trepido plangebant pectore matrem*] Id est, in *terram palpitantes jacuerunt.*

126. *Echion*] Quatuor alios, Udæum, Ochthonium, Hyperenorum, & Pelorem nominat Apollodorus.

129. *Sidonius hospes*] *Cadmus* Phœnix. Nam Sidon urbs est Phœniciæ.

130. *Jussam Phœbæis*] Apollinis oraculo monitus erat Cadmus Thebas condere.

II. Jam

II. *Jam Thebæ fuerant conditæ; poteras jam credi beatus exſilio, Cadme; Mars et Venus tibi obvenerant ſoceri: adde inſuper ſtirpem de tantâ uxore, tot filios, filiaſque, & nepotes dilecta pignora; hos quoque jam adultos: ſed nimirum noviſſima ſemper dies eſt expectanda homini; & nullus debet prædicari felix ante mortem et ultimas exequias. Nepos, et cornua aliena inducta illius capiti, vos inſuper, canes, expletæ ſanguine domini, fuerunt tibi, Cadme, prima cauſſa mœroris, inter tot res proſperas. At bene ſi ſcruteris, reperies in illo* nepote *vitium fortunæ non flagitium: quod enim flagitium erat in ignorantia? Mons erat tinctus ſanguine diverſarum ferarum; et jam dies breviores fecerat umbras medias rerum, et Sol aberat æqualiter ab utroque termino, cùm juvenis Thebanus ſic alloquitur*

II. Jam ſtabant Thebæ: poteras jam, Cadme, videri
Exilio felix: ſoceri tibi Marſque, Venuſque
Contigerant. Huc adde genus de conjuge tantâ,
Tot natos, nataſque, & pignora cara nepotes:
Hos quoque jam juvenes: ſed ſcilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini: dicique beatus
Ante obitum nemo ſupremaque funera debet.
Prima nepos inter tot res tibi, Cadme, ſecundas
Cauſſa fuit luctûs, alienaque cornua fronti
Addita, voſque, canes, ſatiatæ ſanguine herili.
At bene ſi quæras; Fortunæ crimen in illo,
Non ſcelus invenies. Quod enim ſcelus error habebat?
Mons erat, infectus variarum cæde ferarum:
Jamque dies rerum medias contraxerat umbras;
Et Sol ex æquo metâ diſtabat utrâque;
Cùm juvenis placido per devia luſtra vagantes
Participes operum compellat Hyantius ore:
Lina madent, comites, ferrumque cruore ferarum:
Fortunæque dies habuit ſatis; altera lucem
Cùm croceis invecta rotis Aurora reducet;

ore amico comites laborum errantes per latebras ferarum: Socii, retia et tela ſunt madida ſanguine ferarum, et dies fuit ſatis fauſtus; cùm altera Aurora rediens curru roſeo revehet diem;

NOTÆ.

132. *Marſque*] Quia Harmoniam, vel, ut alii ſcribunt, Hermionem Martis & Veneris filiam, ut plurimis placet, uxorem duxit; in cujus nuptiis diî omnes relicto cœlo adfuerunt, qui ſponſam quoque donis cumulaverunt.

133. *Genus*] Progenies fuit nobiliſſima quæ à Marte & Venere per Harmoniam fluxerit.

134. *Tot natos*] Unicum Pohdorum Apollodorus, Hyginus, aliique memorant.

Ib. *Nataſque*] Quas quatuor dicunt fuiſſe, Ino, Semelen, Agaven, Autonoën.

Ib. *Nepotes*] Quales Bacchus ex Jove & Semele; Pentheus, qui ſuo tempore rex Thebarum, ex Echione, & Agave; Actæon, ex Ariſtæo & Autonoë; Melicerta & Learchus, ex Athamante & Ino.

135. *Ultima ſemper*] Fuit hæc Solonis, ex Græciæ ſapientibus unius, ſententia ad Crœſum, quam prolixè narrat Herodotus in Clio. Plinius, lib. VII. c. 40.

138. *Nepos*] *Actæon*, ad cujus hiſtoriam pronam facilem viam ſibi munivit poëta.

139. *Aliena*] Quæ non ſunt homini deſtinata, ſed brutis propria. Tangit illud poëta, quòd in cervum fuerit mutatus Actæon.

140. *Canes*] Quibus Actæon præda fuit, ut mox videbimus.

141. *Illo*] *Actæone*, qui inſcius Dianam vidit ſine veſtibus.

143. *Mons*] *Cithæron*, ut tradit Apollodorus.

145. *Metâ utrâque*] *Oriente & Occidente* Meridianam horam deſcribit: ut ſuprà v. 50.

147. *Hyantius*] Actæonem dicit Bœotium; nam fuerunt Hyantes veteres Bœotiæ populi.

148. *Lina*] Id eſt, ex iis facta retia, metonymicè.

150. *Croceis*] Quia ut plurimum croceo colore apparet cœlum ſub ipſo lucis adventu, Ἠὼς ροδοπέπλος.

Propo-

Propositum repetamus opus. Nunc Phœbus utrâque
Distat idem terrâ; finditque vaporibus arva.
Sistite opus præsens: nodosaque tollite lina.
Jussa viri faciunt; intermittuntque laborem.
Vallis erat piceis, & acutâ densa cupressu
Nomine Gargaphie; succinctæ sacra Dianæ:
Cujus in extremo est antrum nemorale recessu,
Arte laboratum nullâ: simulaverat artem
Ingenio natura suo: nam pumice vivo,
Et levibus tophis nativum duxerat arcum.
Fons sonat à dextrâ tenui perlucidus undâ,
Margine gramineo patulos incinctus hiatus.
Hic Dea silvarum venatu fessa solebat
Virgineos artus liquido perfundere rore.
Quò postquam subiit; Nympharum tradidit uni
Armigeræ jaculum, pharetramque, arcusque retentos:
Altera depositæ subjecit brachia pallæ:
Vincla duæ pedibus demunt: Nam doctior illis
Ismenis Crocale, sparsos per colla capillos
Colligit in nodum; quamvis erat ipsa solutis.
Excipiunt laticem Nepheleque Hyaleque Rhanisque
Et Pfecas, & Phiale; funduntque capacibus urnis.
Dumque ibi perluitur solitâ Titania lymphâ;
Ecce nepos Cadmi, dilatâ parte laborum,
Per nemus ignotum non certis passibus errans,

redeamus ad opus incœptum: nunc sol distat æqualiter terrâ utrâque, & dividit terram calore. Intermittite opus præsens, & colligite retia intexta. Viri exequuntur mandata, & ab opere desistunt. Vallis erat consita piceis, & cupressu acutâ, nomine Gargaphie, sacra Dianæ expeditâ veste *cinctæ; in cujus ultimo recessu est spelunca arboribus tecta, nullâ arte parata: Natura imitata erat artem indole: namstruxerat fornicem naturalem vivo pumice & levibus tophis. A dextrâ fons perlucidus strepit aquâ exiguâ, circumdatas habens patentes ripas margine herboso. Hic dea nemorum lassa venatu consueverat lavare aquâ fluente membra virginea. Quò postquam intravit, dedit uni nympharum armigeræ jaculum, & pharetram & arcus remissos: Alia lacertis accepit pallam* vestem à Dianâ *depositam: Duæ tollunt cothurnos pedibus: nam Crocale Ismeni filia peritior illis religat comam diffusam per colla, & ipsa interim erat sparsis* crinibus. *Nephele, & Hyale, & Rhanis, & Pfecas, & Phiale excipiunt aquas, & fundunt ex amplis situlis. Dumque Titania ibi abluitur aquâ consuetâ, ecce* Actæon, *nepos Cadmi, parte operis* venatorii *remissâ* in diem sequentem, *ambulant gressibus incautis per silvam minùs cognitam,*

NOTÆ.

152. *Idem*] Subaudi *spatium*.

156. *Succinctæ*] Qualem esse decet deam venatricem, & deam silvarum, ut magis sit habilis & expedita.

157. *Nemorale*] Id est, nemore amœno tectum.

159. *Pumice vivo*] *Naturali*. Est pumex lapis levis, & perforatus, poliendis rebus, eradendis etiam pilis accommodatus.

162. *Hiatus*] *Patentes* ripas. Hiare enim videntur ripæ, ut fluvii alveum efficiant.

167. *Depositæ subjecit*] Id est, exuit pallam, aut cadentem excepit.

168. *Vincla*] Quibus soleæ, aut calcei pedibus adhærent.

169. *Ismenis*] Ismeni Bœotiæ fluvii filia, cui ex linguâ Græcâ nomen conveniens dedit poëta; quippe κροκάλη calculus est littoralis, vel qui in amnibus volvitur.

171. *Laticem*] *Aquam* ex antro scatentem.

Ib. *Nephele*] *Nubes*. Atque his omnibus Dianæ comitibus ingeniosè nomina ex Græcâ linguâ affinxit poëta.

Ib. *Hyale*] *Vitrea, pellucida*; ab ὕαλος, *vitrum*.

Ib. *Rhanisque*] A ῥαίνω, *aspergo*.

172. *Pfecas*] A ψεκὰς, *guttula roris*.

Ib. *Phiale*] Quasi è φιάλης aut capaci urnâ perfundat dominam.

pervenit in lucum; fata sic illum agebant. Qui statim atque subiit speluncas aquis stillantes, nymphæ nudæ, sicut erant, planxerunt sua pectora, viso conspecto, & implevérunt totam silvam repentinis clamoribus, & circumfusæ velaverunt Dianam suis corporibus. Nihilominus ipsa dea est procerior illis, & appareret suprà omnes collo tenus. Color, qui consuevit esse nubibus tinctis irradiatione solis oppositi, aut Auroræ roseæ, is fuit in facie Dianæ conspectæ sine amictu. Quæ quamvis circumdata choro comitum suarum, tamen stetit latere in obliquum verso & vultum retro vertit; & sicuti optaret habuisse sagittas expeditas, sic sumpsit aquas quas habuit, & sparsit in os hominis, & perfundens capillos aquis ultricibus, adjecit hæc verba præsaga exitii appropinquantis: Jam licet ut renunties me conspectam à te absque amictu; si poteris renuntiare. Neque minata plura affigit capiti aquis *perfuso cornua cervi diu viventis; producit collum; & acuit aures extremas; & vertit manus in pedes, & lacertos in crura producta; & tegit corpus pilis mixti coloris: Adjectus est & metus. Heros Autoneïus vertitur in fugam, & miratur se tam velocem in ipso cursu. Cùm autem aspexit sua cornua in aquis consuetis, Me infelicem! dicturus erat; nullum verbum prolatum est. Suspiravit, ille fuit sonus; & lachrymæ per faciem,*

Pervenit in lucum: sic illum fata ferebant.
Qui simul intravit rorantia fontibus antra;
Sicut erant, viso, nudæ sua pectora Nymphæ
Percussêre, viro, subitisque ululatibus omne
Implevêre nemus, circumfusæque Dianam
Corporibus texêre suis. Tamen altior illis
Ipsa Dea est, colloque tenus supereminet omnes.
Qui color infectis adversi Solis ab ictu
Nubibus esse solet, aut purpureæ Auroræ,
Is fuit in vultu visæ sine veste Dianæ.
Quæ quanquam comitum turbâ stipata suarum,
In latus obliquum tamen adstitit, oraque retro
Flexit: & ut vellet promptas habuisse sagittas;
Quas habuit, sic hausit aquas: vultumque virilem
Perfudit: spargensque comas ultricibus undis,
Addidit hæc cladis prænuncia verba futuræ:
Nunc tibi me posito visam velamine narres,
Si poteris narrare, licet. Nec plura minata,
Dat sparso capiti vivacis cornua cervi:
Dat spatium collo: summasque cacuminat aures:
Cum pedibusque manus, cum longis brachia mutat
Cruribus: & velat maculoso vellere corpus:
Additus & pavor est. Fugit Autoneïus heros:
Et se tam celerem cursu miratur in ipso:
Ut verò solitis sua cornua vidit in undis,
Me miserum! dicturus erat: vox nulla secuta est.
Ingemuit; vox illa fuit; lachrymæque per ora

NOTÆ.

181. *Corporibus texêre*] Ne dea nuda conspiceretur.

183. *Infectis*] Rubore suffusæ apparent nubes, cùm certo quodam modo solis radiis illustrantur.

187. *In latus*] Ut facilius, quod conspici nollet, occultaret.

Ib. *Oraque retro*] Ut respiceret Actæonem.

188. *Sagittas*] Quibus Actæonem conficeret.

194. *Vivacis*] Quem quadrigentos annos implere nonnunquam scripsit Plinius.

195. *Spatium*] Cervi longius est collum quam hominis.

Ib. *Cacuminat*] In acutum, ut sunt cervi aures, effingit.

198. *Autoneïus*] *Actæon* Autonoës filius.

202. *Illa*] Ingemere. Fabulæ sensum quod attinet, plerique ad mores detorquent: deque minùs scrutandis deorum aut regum consiliis intelligunt (ut Fr. Baconus cap. X. De sapientiâ veterum) quæ cognita vitam suspicionibus implicant; Palæphatus Actæonem canum studio rem suam dicit neglexisse, eôque periisse: quamvis & revera non Actæonem modò pelle circumdatum cervinâ, sed alios etiam venatores furore actis canibus laniatos legimus.

Non sua fluxérunt. Mens tantùm pristina mansit.
Quid faciat? repetatne domum & regalia tecta?
An lateat silvis? timor hoc, pudor impedit illud.
Dum dubitat, vidêre canes: primusque Melampus,
Ichnobatesque sagax latratu signa dedêre; 207
Gnossius Ichnobates, Spartanâ gente Melampus.
Inde ruunt alii rapidâ velociùs aurâ,
Pamphagus, & Dorceus, & Oribasus, Arcades omnes; 210
Nebrophonosq; valens, & trux cum Lælape Theron,
Et pedibus Pterelas, & naribus utilis Agre,
Hylæusque fero nuper percussus ab apro,
Deque lupo concepta Nape, pecudesque secuta
Pœmenis, & natis comitata Harpyia duobus, 215
Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon:
Et Dromas, & Canace, Sticteque, & Tigris, & Alce,
Et niveis Leucon, & villis Asbolus atris.

non suam decurrerunt. Solus animus prior superfuit. Quid agat? Redeatne domum & in tecta regia? An latitet nemoribus? Metus obstat huic rei, pudor illam prohibet. Dum hæret, canes aspexerunt, & primus Melampus, & Ichnobates sagax indicium fecerunt latratu: Ichnobates, inquam, Gnossius, Melampus stirpe Spartanâ. Postea alii incurrunt celerius vento ruente, Pamphagus, & Dorceus, & Oribasus, omnes Arcades; & fortis Nebrophonus, & terribilis Theron cum Lælape, & Pterelas pedibus, & Agre utilis naribus, & Hylæus nuper ictus ab apro sævo, & Nape genita de lupo, & Pœmenis solita sequi pecudes, & Harpyia stipata duobus filiis, & Ladon Sicyonius habens ilia contracta, & Dromas, & Canace, Sticteque, & Tigris, & Alce, & Leucon pilis candidis, & Asbolus nigris,

NOTÆ.

203. *Mens tantùm*] Hoc transformatis omnibus gravissimum erat supplicium, quòd calamitatis suæ essent conscii.

206. *Melampus*] Id est, *pedibus niger*. Nimius verò videtur poëta, in recensendis aut fabricandis canum nominibus: atque etiam contra venatorum legem peccâsse, quibus cautum est paucarum syllabarum nomina, ad pronuntiandum facilia, atque vocalia canibus suis assignare. Columella cap. 12. lib. VIII.

207. *Ichnobatæque*] Id est, *per vestigia vadens*.

Ib. *Signa dedêre*] Reliquos canes feram adesse admonuerunt.

208. *Gnossius*] *Cretensis*: est nempe Gnosus urbs Cretæ.

Ib. *Spartanâ*] *Laconicâ*. Cretenses enim & Laconici canes aptissimi sunt venationibus.

210. *Pamphagus*] *Omnia comedens*.

Ib. *Dorceus*] *Acutè videns*.

Ib. *Oribasus*] *Montes ascendens*.

211. *Nebrophonos*] *Hinnulos interficiens*.

Ib. *Lælape*] Est Lælaps nomen venti procellosi & vorticosi, quem Latini vocant turbinem; unde canis hujus velocitatis atque impetus intelligitur.

Ib. *Theron*] *Ferus*.

212. *Pterelas*] *Alis impulsus, alatus*.

Ib. *Agre*] *Venatrix*.

213. *Hylæus*] *Silvestris*. Quia verò ab Apro percussum dicit, fortè ad Hylæum venatorem allusit, qui cum Ancæo ab apro Calydonio vulneratus interiit, ut scribit Apollodorus.

214. *Nape*] Quòd in *saltibus* erraret.

215. *Pœmenis*] *Pastoralis*.

Ib. *Harpyia*] *Rapax*; & rapacissimus Harpyiis similis.

216. *Substricta*] *Contracta*, qualia habeant vertagi. *Brevis alvus*. Virgil.

Ib. *Sicyonius*] A Sicyone urbe Peloponnesi, ad sinum Corinthiacum.

Ib. *Ladon*] Nomen est fluvii Arcadiæ in Peloponneso à quo huic cani nomen; nisi etymologia Græca est à λάζομαι *capio*.

217. *Dromas*] *Cursor*.

Ib. *Canace*] Hæc vox Græcè *strepitum* significat; quare à *strepitu* & personante *latratu* huic cani nomen inditum.

Ib. *Sticte*] Id est, *Picta*; à στίζω *distinguo, pungo*.

Ib. *Tigris*] *Tigridi velocissimæ feræ similis*.

Ib. *Alce*] *Robusta*.

218. *Leucon*] *Albus*. Etymologiam ipse Naso indicavit.

Ib. *Asbolus*] *Fuliginosus*.

& Lacon fortissimus, & Aëllo velens cursu & Thous, & celer Lycisca cum fratre Cyprio, & Harpalus distinctam habens frontem atram à candido medio, & Melaneus, & Lachne hispido corpore; & Labros, & Agriodos sati patre Dictæo, sed matre Laconicâ, & Hylactor vocis acutæ: & quos longum est memorare. Ea caterva ruunt desiderio prædæ per saxa, & præruptas rupes, & petras inaccessas, quà iter asperum, & quà vix nullum datur. Ille fugit per loca, per quæ sæpe fuerat insecutus cervos. Heu! ipse vitet servos suos. Volebat vociferari, Ego sum Actæon! agnoscite dominum vestrum: Voces desituunt mentem, aër personat latratibus. Prima Melanchætes plagam impegit dorso: dein Theridamas; Oresitrophus corripuit humerum. Hi canes seriùs reliquis prodierant, sed iter præoccupatum est per compendia montis. Dum illi cohibent dominum, cætera turba convenit, & confert dentes in corpore. Jam loca desunt ad plagas. Ille ducit suspiria, & reddit sonum, si non etiam hominis, qualem tamen cervus nequeat reddere; & implet cacumina cognita gemitibus lugubribus: & procumbens in genua flexa, & similis precanti circumflexit faciem silentem, utì solebat sua brachia. At turbam canum *infestam assuetis ululatibus comites*

Prævalidusque Lacon, & cursu fortis Aëllo.
Et Thous, & Cyprio velox cum fratre Lycisca:
Et nigram medio frontem distinctus ab albo
Harpalos, & Melaneus, hirsutaque corpore Lachne:
Et patre Dictæo, sed matre Laconide nati,
Labros, & Agriodos, & acutæ vocis Hylactor:
Quosque referre mora est. Ea turba cupidine prædæ
Per rupes, scopulosque, adituque carentia saxa,
Quà via difficilis, quáque est via nulla, feruntur.
Ille fugit, per quæ fuerat loca sæpe secutus:
Heu famulos fugit ipse suos! clamare libebat,
Actæon ego sum! dominum cognoscite vestrum.
Verba animo desunt: resonat latratibus æther.
Prima Melanchætes in tergo vulnera fecit:
Proxima Theridamas; Oresitrophus hæsit in armo.
Tardiùs exierant; sed per compendia montis
Anticipata via est. Dominum retinentibus illis
Cætera turba coit, confertque in corpore dentes.
Jam loca vulneribus desunt. Gemit ille, sonumque,
Etsi non hominis, quem non tamen edere possit
Cervus, habet: mœstisque replet juga nota querelis:
Et genibus supplex pronis, similisque roganti,
Circumfert tacitos, tanquam sua brachia, vultus.
At comites rapidum solitis latratibus agmen

Ignari

NOTÆ.

219. *Lacon*] *Sonans, orepans*; à λαχέω. Vel à patriâ *Laconiâ*.

Ib. *Aëllo*] A *procellâ*; quòd impetuosè ferretur.

220. *Thous*] *Thos*, is, inquit Plinius, *lupi* est genus cæteris procerius, crurumque levitate dissimile, velox saltu, venatu vivens, innocuum homini, per hyemes hirtum, ætate nudum. Atque ab eo luporum genere huic cani numen videtur datum.

Ib. *Lycisca*] Canis lupo nata.

222. *Harpalos*] *Rapax*.

Ib. *Melaneus*] Niger.

Ib. *Lachne*] *Hirsuta*. Etymologiam poëta ipse ad verbum expressit: *Lachne* enim lanugo est, seu illorum densitas.

223. *Dictæo*] Cretensi.

224. *Labros*] *Avidus, Vorax, Vehemens, Rapidus*.

Ib. *Agriodos*] *Dente agresti, aut feroci*; vel *agrestibus viis* aptus.

Ib. *Hylactor*] *Latrator*.

232. *Melanchætes*] *Pilos habens nigros*.

233. *Theridamas*] *Feras domans*.

Ib. *Oresitrophus*] *In montibus nutritus*.

234. *Compendia*] Id est per vias compendiosas. Contrarium appellavit Lucanus *dispendia silvæ*.

235. *Anticipata*] Al. *Præcipitata*, i. e. præcipiti cursu peracta.

241. *Circumfert*] Ut supplices brachia, ita ille ora extendit, & circumfert.

242. *Comites*] Qui cum Actæone fuerant.

Ib. *Latratibus*] Clamoribus latrantum canum haud absimilibus canes hortantur.

Ignari instigant, oculisque Actæona quærunt,
Et velut absentem certatim Actæona clamant.
Ad nomen caput ille refert, ut abesse queruntur,
Nec capere oblatæ segnem spectacula prædæ.
Vellet abesse quidem; sed adest: velletque videre,
Non etiam sentire canum fera facta suorum.
Undique circumstant, mersisque in corpore rostris
Dilacerant falsi dominum sub imagine cervi.
Nec, nisi finitâ per plurima vulnera vitâ,
Ira pharetratæ fertur satiata Dianæ.

III. Rumor in ambiguo est: aliis violentior æquo
Visa Dea est: alii laudant, dignamque severâ
Virginitate vocant. Pars invenit utraque caussas.
Sola Jovis conjux, non tam culpetne, probetne,
Eloquitur; quàm clade domûs ab Agenore ductæ
Gaudet: & à Tyriâ collectum pellice transfert
In generis socios odium. Subit ecce priori
Caussa recens, gravidamque dolet de semine magni
Esse Jovis Semelen: tum linguam ad jurgia solvit.
Profeci quid enim toties per jurgia, dixit?
Ipsa petenda mihi est: ipsam, si maxima Juno
Ritè vocor, perdam; si me gemmantia dextrâ
Sceptra tenere decet: si sum regina, Jovisque
Et soror & conjux: Certè soror. At puto furto
Contenta: & thalami brevis est injuria nostri.
Concipit; id deerat: manifestaque crimina pleno

nescii irritant & lustrant Actæonem oculis, & vociferantur certatim Actæonem tanquam absentem. Ille reflectit caput ad nomen; dolent tanquam longè esset, & quia tardus non se oblectaret spectaculo prædæ oblatæ. Optaret quidem longè esse, sed præsens est, & cuperet spectare, non etiam sentire sævum impetum canum suorum. Sunt undique circumfusi, & victibus fixis in corpore dilaniant dominum sub specie ficti cervi: Neque ira Dianæ pharetratæ dicitur expleta, nisi vitâ exhaustâ per plurimas plagas.

III. *Fama est dubia: dea credita est à nonnullis ultra modum severa: alii celebrant, & appellant dignam rigidâ virginitate: pars utraque nititur rationibus. Sola uxor Jovis non tam dicit arguatne, an laudet, quàm lætetur damno domûs ortæ ab Agenore; & traducit odium natum ab adulterâ Tyriâ in ipsius cognatos. Ecce nova caussa accedit præcedenti, & iniquo animo patitur Semelen esse prægnantem de semine magni Jovis. Tum os aperit ad rixas. Quid verò, ait, promovi toties per rixas? Ipsa* Semele *est mihi appetenda; ipsam perimam, si verè dicor maxima Juno; si me decet tractare dextrâ sceptra splendentia; si sum regina, & soror & uxor Jovis: Certè soror sum. At credo* Semele *expleta est furto; & injuria nostri lecti citò præterit. Concipit; id* unum dedecori meo *aberat; & culpam apertam intumescente*

NOTÆ.

256. *Sola*] Pertinet istud ad fabulæ sequentis connexionem.

257. *Domûs*] Ex quâ Actæon fuit; nam Autonoën Cadmi filiam matrem habuit, Cadmum verò Agenoris filium antea vidimus.

258. *A Tyriâ pellice*] Ab Europâ, quam è Phœniciâ rapuit Jupiter.

261. *Semelen*] Quam antea Cadmi filiam diximus, Bacchi matrem.

Ib. *Tum linguam*] Primo Jovem jurgio adoriri cupit Juno; quod statim, ut iratorum & sui impotentium mos est, improbat; volens ipsa Semelen dolo perdere.

266. *Certè soror*] Hoc ita à Junone infertur, quasi desierit esse conjux, cùm Jupiter alias amet: Sic quoque apud Senecam ipsa loquitur; *Soror Tonantis? hoc enim solum mihi relictum nomen est.* Herc. Fur.

Ib. *Puto furto*] Id est, *forsitan cum Jove semel concubuisse Semele contenta est.* Quod quidem, ut fortius neget, non sine amarissimâ ironiâ proponit.

268. *Deerat*] Ultimum innuit esse opprobrium Juno, quod sibi oblatæ injuriæ perpetuos indices Semele in lucem proferat.

Ib. *Manifestaque*] Bacchum dicit puerum, quò Jovis & Semeles in lucem manifesta fiebant. Argutè verò manifesta dicit, quæ utero inclusa,

ventre gestat; & tanta est confidentia pulchritudinis, vult esse mater de Jove; quod vix mihi uni evenit. Efficiam ut Jupiter *eam decipiat: nec dicar Saturni filia, si non descendat in aquas infernas deturbata ab Jove suo. Dein descendit solio; & velata flavâ nube accedit ad ædes Semeles. Neque antè discussit nubes, quàm formam induit anûs & affixit temporibus crines albos. Et exaravit cutem rugis, & movit artus inflexos gressu tremulo; finxit insuper vocem anilem. Mutatur in ipsam Beroën, Semeles nutricem Epidauriam. Postquam igitur, colloquio quæsito, & diu confabulando venerunt ad nomen Jovis, gemit; &, Velim, inquit, ut sit Jupiter* qui te vitiavit: *tamen omnia reformido. Plurimi deorum titulo subierunt casta cubilia. Neque etiam satis est esse Jovem: conferat pignus amoris, siquidem saltem is est verus: & orato, ut veniat in tuos amplexus quantus & qualis recipitur ab excelsâ Junone, & induat priùs sua insignia. Juno ejusmodi verbis instruxerat filiam Cadmi nescientem* se deludi. *Illa petit à Jove donum, quod non indicavit. Ad quam Deus respondit, Elige: nullam feres repulsam. Et quò magìs fidem adhibeas, numina fluvii Stygii sint etiam testes, ille* Styx est *terror & deus deorum.*

Fert utero: & mater, quod vix mihi contigit uni,
De Jove vult fieri. Tanta est fiducia formæ.
Fallat eam faxo: nec sim Saturnia, si non
Ab Jove mersa suo Stygias penetrârit in undas.
Surgit ab his solio, fulvâque recondita nube
Limen adit Semeles. Nec nubes antè removit,
Quàm simulavit anum; posuitque ad tempora canos:
Sulcavitque cutem rugis: & curva trementi
Membra tulit passu: vocem quoque fecit anilem.
Ipsaque fit Beroë, Semeles Epidauria nutrix.
Ergo ubi, captato sermone, diuque loquendo,
Ad nomen venêre Jovis; suspirat: &, Optem
Jupiter ut sit, ait: metuo tamen omnia. Multi
Nomine divorum thalamos iniêre pudicos.
Nec tamen esse Jovem satìs est: det pignus amoris:
Si modò verus is est: quantusque & qualis ab altâ
Junone excipitur; tantus talisque rogato
Det tibi complexus: suaque antè insignia sumat.
Talibus ignaram Juno Cadmeïda dictis
Formârat: rogat illa Jovem sine nomine munus.
Cui Deus, Elige, ait: nullam patiere repulsam.
Quoquè magìs credas, Stygii quoq; conscia sunto
Numina torrentis, timor & Deus ille Deorum.

NOTÆ.

269. *Vix*] Martem, Vulcanum, & Heben Jove & Junone, quidem Junone solâ ortas scripserunt. Bene itaque se vix de Jove matrem esse dicit.

Ib. *Uni*] Atqui pluribus de Jove matres esse contigat: adeóque non quod est, sed quod esse deberet, zelotypiâ commota, & pellices, quasi non essent contemnens, superba Juno protulit.

270. *Tanta est*] Exclamatio est ex indignatione.

272. *Suo*] *Tam perditè amato.*

Ib. *Stygias*] Pellici ab ipso Jove ruinam minita ur.

275. *Canos*] Simplicitur cani appellantur albi senum capilli.

276. *Sulcavit*] In sulcorum modum fontem contraxit, ut vetula videretur.

278. *Ipsaque est*] Id est, tam accuratè nutricis, quæcunque essent, omnia imitatur, ut ea ipsa videatur.

Ib. *Epidauria*] Ex Epidauro, Argolidis in Peloponneso, urbe Æsculapii templo nobili.

284. *Si modo*]

Εἰ δὲ καὶ ὡς ἐνεπεῖς σέο νύμφιος ἐςὶ Κρονίων
Ἐλθέτω ἐς σέο λεκτρα σὺν ἡμερόεντι κεραύνῳ,
&c. Nonn. Dionys.

216. *Insignia*] Fulmen, & quæcunque deinceps enumerat poëta.

287. *Cadmëida*] *Semelen* Cadmi filiam.

288. *Formârat dictis*] Id est, ita imbuerat, ut eadem sequi constituisset.

Ib. *Sine nomine*] Rogat à Jove munus, quale sit illud munus nondum dicit, id est, rogat ut ille concederet quodcunque illa tacitè cupierit.

291. *Timor & Deus*] Ille quem diî tantùm timent quantùm homines Deos.

Læta

Læta malo, nimiúmque potens, perituraque amantis
Obsequio Semele, Qualem Saturnia, dixit,
Te solet amplecti, Veneris cùm fœdus initis;
Da mihi te talem. Voluit Deus ora loquentis
Opprimere. Exierat jam vox properata sub auras;
Ingemuit: neque enim non hæc optâsse, neque ille
Non jurâsse potest. Ergo mœstissimus altum
Æthera conscendit; nutuque sequentia traxit
Nubila: queis nimbos, immistaque fulgura ventis
Addidit, & tonitrus, & inevitabile fulmen.
Quà tamen usque potest, vires sibi demere tentat.
Nec, quo centimanum dejecerat igne Typhœa,
Nunc armatur eo: nimiùm feritatis in illo.
Est aliud levius fulmen; cui dextra Cyclopum
Sævitiæ flammæque minus, minus addidit iræ:
Tela secunda vocant Superi. Capit illa; domumque
Intrat Agenoream. Corpus mortale tumultus
Non tulit æthereos; donisque jugalibus arsit.
Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo
Eripitur, patrioque tener (si credere dignum)
Insuitur femori; maternaque tempora complet.
Furtim illum primis Ino matertera cunis
Educat. Inde datum nymphæ Nyseïdes antris

Semele gestiens damno, & nimiùm valens, & interitura obsequio amantis, Præbe te, inquit, mihi talem, qualem filia Saturni consuevit te complecti cùm venitis ad gaudia Veneris: Deus voluit occludere os loquentis: Sed *jam vox expedita exierat in aërem. Suspiravit: neque enim* illa *potest non voviſſe ista, neque ille non jurejurando confirmâsse. Igitur tristissimus petit supremum cœlum, & corripuit nutu sequaces nubes, quibus adjecit nimbos, & fulgura immixta ventis, & tonitrua, & fulmen ineluctabile. Nititur tamen vires suas minuere, quantùm potest: neque instruitur eâ flammâ, quâ deturbaverat centimanum Typhœum; nimia* erat *sævitia in illâ. Est aliud fulmen mitius, cui dextra Cyclopum minus apposuit feritatis & ignis & minus excandescentiæ: Dii appellant Secunda fulmina.*

Sumit illa; & subit domum Agenoris. Corpus morti obnoxium non potuit pati tempestatem ætheream, & flagravit muneribus nuptialibus. Fœtus adhuc immaturus extrahitur ab utero matris, & si credere fas est, tener insuitur femori patris, & ibi *absolvit tempora* quæ *in matris utero complenda* erant. *Ino matertera clam* Junone *illum educat primis cunis. Deinde nymphæ Nyseïdes sibi traditum antris*

NOTÆ.

292. *Malo*] Quod quidem boni sub specio intuebatur, sese ideo efferens, quòd votis suis quibuscumque Jupiter indulgeret.

297. *Neque enim*] Præterita est jam & Semeles petitio, & Jovis promissio; adeóque neutra potest revocari.

303. *Typhœa*] Fuit Typhœus gigas immanis, vertice cœlum pertingens, centum draconum capitibus ex humeris pullulantibus, luminibus igneis, ore flammas eructante, aliisque rebus terribilis; quem bello adversus superos congredi ausum Jupiter tandem prostravit, insulâque Siciliâ obruit.

305. *Cyclopum*] Cyclopes sunt Vulcani in fabricandis fulminibus ministri.

308. *Agenoream*] Semeles, cui avus fuit Agenor.

Ib. *Tumultus*] Ex fulmine & reliquo Jovis apparatu.

309. *Donis jugalibus*] Fulmine aliisque supra recensitis, quæ amoris testimonia Semele à Jove expetierat.

310. *Infans*] *Bacchus.*

312. *Materna*] Decem menses lunares: quamdiu in utero materno, ut plurimùm, fœtus fovetur.

313. *Ino*] Quam antè Semeles sororem Cadmi filiam videmus.

314. *Antris suis*] Antrum illud, in quo Bacchus nutritus fuerat. *Dythrytes* vocatur. Unde & Bacchus Dythyrambus vocatur, eò quòd δύθυρος, hoc est, duo januas, antrum habuerit, ut quidem è Græcis narrant. Sed vide infrà, *ver.* 397.

Ib. *Nyseïdes*] Plures Bacchi, plures Nysæ urbes fuerunt; ex quo in unum congestas Græcorum fictiones ad aliquam veritatis speciem difficile sit reducere. Plinius Nysam Indiæ

suis abdiderunt, & præbuerunt lac in alimentum.

IV. *Et dum ea fatorum decreto fiunt per terras, & incunabula Bacchi bis geniti sunt secura; Jovem dicunt delibutum nectare dimisisse curas asperas, & otiosè lusisse cum otiosâ Junone, & dixisse, Sanè vestra gaudia sunt majora quàm quæ eveniunt maribus. Illa diffitetur. Utrique placuit petere, quodnam sit judicium experti Tiresiæ. Utraque voluptas erat ei perspecta. Nam vulneraverat virenti baculo duo corpora cœuntia magnorum anguium, & mutatus in fœminam de masculo (quod mirandum est) traduxerat septem autumnos. Rursus octavo intuitus est eosdem serpentes: &, inquit, Si tanta est vis vestri vulneris, ut vertat sexum vulnerantis in oppositum, nunc iterum vos percutiam. Serpentibus iisdem verberatis, forma pristina rediit, & species nativa successit. Hic ergo judex lectus de jurgio jocoso, confirmat sententiam Jovis. Filia Saturni dicitur tulisse iniquius, nec pro* tam levi *causâ: & addixit oculos sui arbitri tenebris æternis.*

Occuluêre suis; lactisque alimenta dedêre. 315

IV. Dumque ea per terras fatali lege geruntur;
Tutaque bis geniti sunt incunabula Bacchi:
Fortè Jovem memorant diffusum nectare, curas
Sæpositisse graves, vacuâque agitâsse remissos 319
Cum Junone jocos: &, Major vestra profectò est,
Quam quæ contingit maribus, dixisse, voluptas.
Illa negat. Placuit quæ sit sententia docti
Quærere Tiresiæ. Venus huic erat utraque nota.
Nam duo magnorum viridi coëuntia silvâ
Corpora serpentum baculi violaverat ictu: 325
Deque viro factus (mirabile) fœmina septem
Egerat autumnos. Octavo rursus eosdem
Vidit: &, Est vestræ si tanta potentia plagæ,
Dixit, ut auctoris sortem in contraria mutet:
Nunc quoque vos feriam. Percussis anguibus
isdem, 330
Forma prior rediit, genitivaque venit imago.
Arbiter hic igitur sumtus de lite jocosâ
Dicta Jovis firmat. Gravius Saturnia justo,
Nec pro materiâ fertur doluisse: suique
Judicis æternâ damnavit lumina nocte, 335
At pater omnipotens (neque enim licet irrita cuiquam
Facta Dei fecisse Deo) pro lumine adempto
Scire futura dedit: pœnamque levavit honore.

V. Ille per Aonias famâ celeberrimus urbes
Irreprehensa dabat populo responsa petenti. 340
Prima fidem vocisque ratæ tentamina sumsit

At pater omnipotens (nam nefas est cuiquam Deo rescindere facta Dei alterius) dedit nôsse futura pro oculis sublatis, & minuit supplicium honore.

V. *Ille notissimus famâ per urbes Aonias reddebat certa oracula populo petenti. Fidem vocis certæ tentavit prima*

NOTÆ.

montem indicat, quem Strabo & Ælianus *Meron*, id est, *femur* vocitant, ad cujus radices urbs Nysa. Cùm verò in illo monte Bacchum nutritum fuisse fabulata sit antiquitas, atque ille Jovi mons sacer fuerit, non abs re hinc Græcos mendendi licentiam traxisse credideris, ut in Jovis *Mero* seu femore Bacchum suum nutritum fuisse dixerint.

317. *Bis*] Semel ex matris utero, deinde ex Jovis femore; unde & *Dithyrambus* dictus.

319. *Remissos*] Id est, qui remissorum sunt otio abundantium.

323. *Tiresiæ*] Tiresiam Mythologi annum interpretantur; propter alternas anni vices, modò marem, modò fœminam.

327. *Autumnos*] Per septem annos mansit fœmina.

329. *Contraria*] *Atque ex mari fœminam, & ex fœmina marem faciat.*

334. *Nec pro materiâ*] Gravius, quàm tam levis & jocosa causa poscereť.

339. *Aonias*] *Bœotias.* Est enim Aonia Bœotiæ regio montana, ab Aone Neptuni filio, qui illic imperavit, sic dicta; quæ pro Bœotiâ totâ persæpe sumitur.

341. *Ratæ*] *Cujus responsa rata & certa essent.* Al. *datæ*, i. e. concessæ artis vaticinandi.

Cærula

Cærula Liriope; quam quondam flumine curvo
Implicuit, clausæque suis Cephisos in undis
Vim tulit. Enixa est utero pulcherrima pleno
Infantem, Nymphis jam tunc qui posset amari;
Narcissumque vocat. De quo consultus, an esset
Tempora maturæ visurus longa senectæ,
Fatidicus vates, Si se non noverit, inquit.
Vana diu visa est vox auguris. Exitus illam,
Resque probat, lethique genus, novitasq; furoris.
Jamque ter ad quintos unum Cephisius annum,
Addiderat: poteratque puer, juvenisque videri.
Multi illum juvenes, multæ cupiere puellæ.
Sed fuit in tenerâ tam dira superbia formâ;
Nulli illum juvenes, nullæ tetigêre puellæ.
Aspicit hunc, trepidos agitantem in retia cervos,
Vocalis Nymphe, quæ nec reticere loquenti,
Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo.
Corpus adhuc Echo, non vox erat; & tamen usum
Garrula non alium, quam nunc habet, oris habebat;
Reddere de multis ut verba novissima posset.
Fecerat hoc Juno: Quia, cùm deprêndere posset
Sub Jove sæpe suo Nymphas in monte jacentes,
Illa Deam longo prudens sermone tenebat
Dum fugerent Nymphæ. Postquam Saturnia sensit;
Hujus, ait, linguæ, quâ sum delusa potestas
Parva tibi dabitur, vocisque brevissimus usus.

cærula Liriope; *quam* Liriopen *Cephisus olim clausit amne obliquo, ei vitiavit implicitam in suis aquis. Formosissima emisit ventre gravido puerum, qui jam tum posset amari à nymphis, & appellat Narcissum: de quo vates fatidicus interrogatus, an esset venturus ad tempora longa maturæ senectutis, respondit. Si se non viderit. Responsum vatis diu creditum est inane: eventus & res illud confirmat, itemque genus mortis, & novitas amoris. Jamque filius Cephisi adjecerat unum annum ad decimum quintum, & poterat videri puer & adolescens. Multi adolescentes, multæ virgines illum exoptarunt. Verùm fastus fuit usque adèo crudelis in tenerâ pulchritudine, ut nulli adolescentes, nullæ virgines illum moverint. Echo sonora, nympha garrula, quæ neque didicit silere ad loquentem, neque prior loqui, hunc vidit agentem pavidos cervos in plagas. Echo erat adhuc corpus, non sonus tantùm, & tamen loquax nullum alium habebat usum oris quàm nunc obtinet, ut posset repetere ultimas voces de multis. Juno istud fecerat; quia cùm posset sæpe prehendere nymphas cum Jove suo versatas in collibus, illa de industria remorabatur deam prolixâ oratione, donec nymphæ sese subduxerunt. Postquam Saturnia advertit, Potestus, inquit, hujus linguæ, quâ ego sunt decepta, exigua tibi conceditur, & usus vocis brevissimus.*

NOTÆ.

342. *Liriope*] Nympha fuit Oceani & Tethyos filia, à Cephiso Bœotiæ fluvio compressa, unde & Narcissi Cephissi mater facta est. Ἀπὸ τῦ λειρίυ *Lilio* Narcissi matri congruum nomen habuit.

Ib. *Curvo*] Sinuosus verò admodum in tabulis nostris pingitur Cephisus, cujus cursus modò in orientem, deinde septentrionem, omnes denique mundi partes flectitur.

346. *Narcissum*] Ἀπὸ τῦ νάρκαν, quòd citò marcescat: verùm & de flore, & de juvene Narcisso, quòd citò *marcescant*.

348. *Si se non noverit*] Quia postquam se vidit, sui ipsius cæco amore contabuit.

352. *Puer*] Propter pulchritudinem: *Junonis* propter magnitudinem.

359. *Corpus*] Quia illi non corpus, sed vocis usus à Junone ademtus; quod jam narrabit poëta.

Ib. *Non vox*] Echo dicitur sonus repercussus, aut vox quam reddunt loca quædam concava. In ejusmodi vocem nondum transmutatam fuisse dicit Echo nympham, cùm tamen oris non alium usum haberet, quam habet nunc; nec prior loqui, sed ultima verba tantùm referre posset.

363. *Monte*] Sæpissimè verò in montibus Echo resonat.

364. *Prudens*] Terentianum est, *Prudens, sciens*, i. e. deditâ operâ.

Reque

Et certas facit minas re ipsâ. Hæc tamen iterat verba in fine sermonis; & reddit voces acceptas. Cùm vidit igitur Narcissum errantem per silvas invias, & amore correpta est; furtim legit gressus. Et quò magis sequitur, amoris igne ardentiore uritur: non secùs ac cùm viva sulphura circumducta ligni corripiunt ignem appositum. O quoties voluit admovere se suavibus verbis, & addere blandas preces! Natura negat, nec patitur ut incipiat loqui: sed quod fert, illa instituit expectare voces, ad quas reddat suos sonos. Fortè adolescens digressus à turbâ fideli comitum dixerat, Ecquis hîc est? & Echo retulerat, Hîc est. Hic miratur: & postquam oculos vertit in omnes partes, vociferatur voce elatâ, Veni: illa arcessit arcessentem. Respicit; & cum nullus adesset, Quamobrem, ait, me vitas? & remissas accepit tot voces quot protulit. Pergit; & delusus similitudine soni reciprocri, Huc inquit, jungamur; & ipsa obsequitur suæ voci, & egressa silvis ibat, ut immitteret lacertos collo optato. Ille exsilit, & fugiens, Tolle, inquit, manus ab amplexu, priùs peream, quàm me potiaris. Illa nihil respondit, nisi, Me potiaris, Contempta se abdit silvis, & verecunda occulit ora foliis, & ab eo tempore *ætatem agit in speluncis. Sed tamen amor restat, & augetur indignatione repulsæ. Sollicitudo assidua minuit luctuosum corpus; & macies contrahit cutem, & omnis humor corporis vanescit in auras: Sonus tantùm atque ossa sunt reliqua. Sonus restat; dicunt ossa induisse formam saxi.*

Réque minas firmat. Tamen hæc in fine loquendi
Ingeminat voces: auditaque verba reportat.
Ergo ubi Narcissum per devia lustra vagantem
Vidit, & incaluit; sequitur vestigia furtim;
Quóque magìs sequitur; flammâ propiore calescit.
Non aliter quàm cùm summis circumlita tædis
Admotam rapiunt vivacia sulphura flammam.
O quoties voluit blandis accedere dictis,
Et molles adhibere preces! natura repugnat;
Nec sinit incipiat. Sed quod sinit, illa parata est
Expectare sonos, ad quos sua verba remittat.
Fortè puer, comitum seductus ab agmine fido,
Dixerat, Ecquis adest? &, Adest, responderat Echo.
Hic stupet: utque aciem partes divisit in omnes:
Voce, Veni, clamat magnâ. Vocat illa vocantem.
Respicit: & nullo rursus veniente, Quid, inquit,
Me fugis? & totidem, quot dixit, verba recepit.
Perstat; & alternæ deceptus imagine vocis;
Huc coëamus, ait; nullique libentius unquam
Responsura sono, Coëamus rettulit Echo:
Et verbis favet ipsa suis: egressaque silvis
Ibat, ut injiceret sperato brachia collo.
Ille fugit: fugiensque, Manus complexibus aufer:
Antè, ait, emoriar, quàm sit tibi copia nostri.
Rettulit illa nihil; nisi, Sit tibi copia nostri.
Spreta latet silvis: pudibundaque frondibus ora
Protegit: & solis ex illo vivit in antris.
Sed tamen hæret amor; crescitque dolore repulsæ.
Attenuant vigiles corpus miserabile curæ;
Adducitque cutem macies; & in aëra succus
Corporis omnis abit. Vox tantùm, atque ossa supersunt.
Vox manet. Ossa ferunt lapidis traxisse figuram.

NOTÆ.

379. *Puer*] *Narcissus*, quem potius puerum amatorie nominat.

382. *Vocat illa*] Quia Narcissi verbum repetit, *Veni*.

384. *Et totidem*] Echo ille remisit eadem verba quæ ipse protulerat, nempe *Quid me fugis?*

385. *Alternæ vocis*] Alternatim emissæ primum à Narcisso, deinde ab Echo.

388. *Facit*] Quia ad Narcissum accedit.

394. *Antris*] In illis verò fiunt vocis repercussus, quos *Echo*, id est, sonos vocamus.

399. *Ossa ferunt lapidis, &c.*] Nempe inter saxa, & rupes vox repercussa fortius resilit.

Inde

Inde latet ſilvis, nulloque in monte videtur:
Omnibus auditur. Sonus eſt, qui vivit in illâ.
VI. Sic hanc, ſic alias undis aut montibus ortas
Luſerat hic Nymphas; ſic cœtus antè viriles.
Inde manus aliquis deſpectus ad æthera tollens,
Sic, amet iſte licèt, ſic non potiatur amato,
Dixerat. Aſſenſit precibus Rhamnuſia juſtis.
Fons erat illimis, nitidis argenteus undis,
Quem neque paſtores, neque paſtæ monte capellæ
Contigerant, aliudve pecus: quem nulla volucris,
Nec fera turbârat, nec lapſus ab arbore ramus.
Gramen erat circa, quod proximus humor alebat:
Silvaque, ſole lacum paſſura tepeſcere nullo.
Hic puer, & ſtudio venandi laſſus & æſtu,
Procubuit; faciemque loci, fontemque ſecutus.
Dumque ſitim ſedare cupit; ſitis altera crevit:
Dumque bibit, viſæ correptus imagine formæ,
Rem ſine corpore amat: corpus putat eſſe, quod umbra eſt.
Adſtupet ipſe ſibi: vultuque immotus eodem
Hæret, ut è Pario formatum marmore ſignum.
Spectat humi poſitus geminum, ſua lumina, ſidus,
Et dignos Baccho, dignos & Apolline crines;
Impubeſque genas, & eburnea colla, decuſque
Oris, & in niveo miſtum candore ruborem:
Cunctaque miratur; quibus eſt mirabilis ipſe.
Se cupit Imprudens. Et qui probat, ipſe probatur.
Dumque petit, petitur, pariterque incendit, & ardet,
Irrita fallaci quoties dedit oſcula fonti!
In mediis quoties viſum captantia collum

Inde latitat in nemoribus, nec conſpicitur in ullo monte: Auditur ab omnibus, ſola vox illi ſupereſt.

VI. Iſte ſic fefellerat hanc nympham, ſic fefellerat *alias ortas ex aquis aut collibus; ſic* fefellerat *antea turbas maſculas. Quamobrem aliquis contentus tollens manus ad aſtra dixerat, Pari modo iſte, quamvis diligat, pari modo non potiatur dilecto. Rhamnuſia annuit petitionibus. Fons erat ſine luto, clariſſimus lymphis, quem neque paſtores, neque capræ paſtæ in collibus, aut aliud pecus tetigerant, quem nulla avis nec fera turbaverat, neque ramus ab arbore decidens. Cinctus erat herbâ quam vicina aqua nutriebat; atque nemore, quod non ſinebat ſtagnum ullo ſole caleſcere. Juvenis deſſus & ſtudio venandi, & vehementi calore, hîc ſe in terram projecit, ſecutus ſpeciem* amœnam *loci & fontem. Et dum optat levare ſitim, alia ſitis ducta eſt, & dum potat, tactus ſimulachro pulchritudinis conſpectæ, diligit rem ſine corpore, arbitratur eſſe corpus quod eſt umbra. Ipſemet ſeipſum admiratur, & torpet defixus in eâdem facie, tanquam ſtatua efficta ex marmore Pario. Stratus humi contemplatur ſuos oculos* quaſi *duo aſtra, & comam dignam Baccho, dignam etiam Phœbo, & malas imberbes, & colla nivea, & os pulchrum, & ruborem ſuffuſum niveo candore: & omnia ſuſpicit, ob quæ ipſe eſt admirandus. Inſcius ſe expetat, & ipſe qui laudat, laudatur: Et, dum poſcit, poſcitur: pariterque inflammat & flagrat. Quoties obtulit vana ſuavia fonti doloſo! Quoties tinxit lacertos captantes collum conſpectum*

NOTÆ.

406. *Rhamnuſia*] *Nemeſin* dicit potentem deam, ſcelerum & ſuperbiæ ultricem, Jovis & neceſſitatis filiam, quæ Rhamnunte Atticæ pago templum habuit, unde Rhamnuſia dicta, *Pauſan.* Effigies erat coronata & alata, dextrâ geſtabat haſtam fraxineam, ſiniſtrâ phialam, in quâ incluſi erant Æthiopes; cervo inſidebat. Vide Clariſſ. Baconum in Nemeſi, ſeu vicibus rerum.

407. *Fons erat*] Ad Narciſſi pœnam feſtinat poëta, fonte deſcripto, ubi in ſui amorem incidit.

414. *Secutus*] Oculis. Admirando, amœnitate captus.

415. *Altera*] Amor ſui.

419. *Pario*] Pro quovis marmore candido, quale ex Paro, Ægæi maris inſulâ, exportabatur.

Brachia

Brachia mersit aquis; nec se deprendit in illis:
Quid videat nescit; sed quod videt, uritur illo:
Atque oculos idem, qui decipit, incitat error.
Credule, quid frustrà simulacra fugacia captas?
Quod petis, est nusquam: quod amas, avertere, perdes.
Ista repercussæ, quam cernis, imaginis umbra est.
Nil habet ista sui: Tecum venitque, manetque:
Tecum discedet: si tu discedere possis.
Non illum Cereris, non illum cura quietis
Abstrahere inde potest. Sed opacâ fusus in herbâ
Spectat inexpleto mendacem lumine formam:
Perque oculos perit ipse suos. Paulùmque levatus,
Ad circumstantes tendens sua brachia silvas:
Ecquis, Io silvæ, crudeliùs, inquit, amavit?
Scitis enim, & multis latebra opportuna fuistis.
Ecquem, cùm vestræ tot agantur sæcula vitæ,
Qui sic tabuerit, longo meministis in ævo?
Et placet, & video: sed quod videoque placetque,
Non tamen invenio. Tantus tenet error amantem.
Quodq; magìs doleam, nec nos mare separat ingens,
Nec via, nec montes, nec clausis mœnia portis:
Exiguâ prohibemur aquâ. Cupit ipse teneri:
Nam quoties liquidis porreximus oscula lymphis;
Hic toties ad me resupino nititur ore.
Posse putes tangi. Minimùm est, quod amantibus obstat.
Quisquis es, huc exi. Quid me, puer unice, fallis?
Quóve petitus abis? certè nec forma, nec ætas
Est mea, quam fugias: & amârunt mequoq; Nymphæ.
Spem mihi nescio quam vultu promittis amico:
Cúmque ego porrexi tibi brachia, porrigis ultro:
Cùm risi, arides: lachrymas quoque sæpe notavi
Me lachrymante tuas: nutu quoque signa remittis:
Et, quantùm motu formosi suspicor oris,
Verba refers aures non pervènientia nostras.

in aquis; neque cognoscit seipsum esse, qui in aquis illis apparet! Ignorat, quid cernat; cæterùm amat illud quod cernit: atque error, qui fallit oculos, idem etiam eos movet. Credule, quamobrem captas incassum vanas imagines? Nullibi est quod cupis: Tu modò abi, & quod amas, dilabetur. Ista quam vides est umbra imaginis reflexæ. Ista nihil habet sui: accedit & perstat tecum. Tecum abibit, si tu abire possis. Neque cibi appetentia, neque desiderium somni potest illum inde avellere: sed stratus in gramine umbroso contemplatur oculis avidis falsam adolescentis speciem, & ipse marcescit per oculos suos, & paulùm erectus, porrigens sua brachia ad nemora circumfusa, Ecquis ait, Io nemora, iniquiùs amavit? Novistis etenim, & fuistis plurimis latibula commoda: cùm tot sæcula vestræ vitæ pretereant, in longo illo *ævo ecquem recordamini, qui ita macerratus fuerit? Et gratum est, & intueor; sed quod intueor & gratum est, non tamen reperio: tantus error implicat amantem. Et quò magìs urar, neque vastam mare nos disjungit, neque via, neque montes, neque muri valvis obserati: Separamur pauculâ aquâ: ipse etiam exoptat comprehendi: Nam quoties obtulimus labra fluidis aquis, hic toties ad me contendit ore reflexo. Credas posse tangi; tenuissimum est, quod prohibet amantes. Quisquis es, huc prodi: quare me decipis, puer excellens? vel quò fugis arcessitus? profectò neque pulchritudo mea, neque ætas ejusmodi est quam spernere debeas; & nymphæ me quoque dilexerunt. Spem mihi facies nescio quam facie amicâ; & cùm tetendi tibi lacertos, tendis sponte; cùm risi, arrides; observavi insuper fletus tuos, me flente; reddis etiam indicia nutu; & quantùm conjicio agitatione pulchri oris, reddis voces non pertingentes aures nostras.*

NOTÆ.

433. *Avertere*] *Recede*, & nulla erit umbra quæ te fallat. Lasciviit poëta, & ingenio indulget forte nimiùm in hoc Narcisso.

437. *Cereris*] *Panis edendi cupiditas.*

439. *Inexpleto lumine*] Oculis, qui satiari non poterant.

448. *Magìs doleam*] Vehementior est cupiditas, quò propitiùs objectum.

454. *Unice*] Unicus quem amo, vel qui amari dignus est, *unus multorum.*

In te ego sum, sensi: nec me mea fallit imago.
Uror amore mei: flammas moveoque, feroque.
Quid faciam? roger, anne rogem? quid deinde rogabo?
Quod cupio mecum est. Inopem me copia fecit.
O utinam nostro secedere corpore possem!
Votum in amante novum; vellem, quod amamus, abesset.
Jamque dolor vires adimit: nec tempora vitæ
Longæ meæ superant: primoque extinguor in ævo;
Nec mihi mors gravis est posituro morte dolores.
Hic, qui diligitur, vellem diuturnior esset.
Nunc duo concordes animâ moriemur in unâ.
Dixit, & ad faciem rediit malè sanus eandem:
Et lachrymis turbavit aquas: obscuraque moto
Reddita forma lacu est: Quam cùm vidisset abire:
Quò fugis? oro, mane; nec me, crudelis, amantem
Desere, clamavit; liceat, quod tangere non est,
Adspicere; & misero præbere alimenta furori.
Dumque dolet, summâ vestem deduxit ab orâ,
Nudaque marmoreis percussit pectora palmis.
Pectora traxerunt tenuem percussa ruborem
Non aliter quàm poma solent: quæ candida parte,
Parte rubent: Aut ut variis solet uva racemis
Ducere purpureum, nondum matura, colorem:
Quæ simul aspexit liquefactâ rursus in undâ;
Non tulit ulteriùs: sed, ut intabescere flavæ
Igne levi ceræ, matutinæve pruinæ
Sole tepente solent: sic attenuatus amore
Liquitur: & cæco paullatim carpitur igni.

Ego sum in te, adverti; neque mea species me decipit. Ardeo mei ipsius amore: idem incendia moveo, & patior. Quid agam? Poscar, an poscam: quid verò orem? Quod opto, mecum est: abundantia me reddit egenum. O utinam liceat sejungi à nostro corpore! Desiderium inusitatum amantis; optarem ut, quod amo, longiùs abesset. Jamque mœror vires consumit. Neque spatium meæ vitæ longum restat; & morior in flore juventæ. Neque tamen *obitus est mihi molestus, qui obitu ab ærumnis absolvar, Optarim* ut *hic, qui amatur, esset ævi longioris. Nunc duo consentientes extinguemur in unâ animâ. Dixit, & insanus revertitur ad eandem imaginem; & lachrymis misit aquas & species repræsentata est confusa agitato stagno: quam cùm vidisset evanescere: Quò te surripis, exclamat, consiste obsecro, neque me amentem destitue, rigida. Concedatur intueri quod non licet tangere, & suppeditare fomenta infelici amori. Et dum queritur, dilacerat amictum ab orâ supremâ, & planxit pectora nuda palmis candidis. Pectora verberata induerunt exiguum ruborem; non aliter quàm poma consueverunt, quæ parte alba, parte sunt rubra: velut uva nondum matura consuevit contrahere colorem purpureum racemis versicoloribus. Quæ statim atque rursus vidit in aquâ quietâ & compositâ, non pati potuit amplius: sed quemadmodum ceræ rubicundæ solent liquescere igne modico, vel pruinæ matutinæ sole levi, sic maceratus amore diffluit; & paullatim absumitur secreto igne.*

NOTÆ.

463. *Nec me mea fallit imago*] *Nec latet me mei ipsius esse imaginem, quam ita perditè amo.* Agnoscit demum errorem, sed frustrâ.

466. *Inopem me*] Optimè inopem definiverunt nonnulli philosophi, non cui parum esset, sed cui non esset quod cuperet.

474. *Faciem*] De sui loquitur imagine, quæ in lacu repræsentabatur.

480. *Deduxit*] Ut nudaretur pectus; qui gestus est dolentium vehementissimè.

468. *Liquefactâ*] *Turbatam* dixit suprà *lachrymis*, ver. 475.

Et lachrymis turbavit aquas: obscuraque moto
Reddita forma lacu est ——

Unde aqua crassior facta est; quæ *liquescere* quodammodo videntur, dum sedatur & componitur: Ut non modo bene, contra quam opinatus est Clariss. Heinsius, sed elegantur locutum poëtam crediderim.

Et neque jam color est albus confujus cum rubore; neque vigor & vires, & quæcunque nuper conjecta grata erant; neque corpus restat, quod Echo olim dilexerat. Quæ tamen cùm aspexit, quamquam infensa & memor, ingemuit; & quoties deflendus adolescens, Eheu! dixerat, hæc repetebat verbis repercussis, Eheu! Et cùm ille planxerat lacertos suos manibus, hæc etiam referebat eundem sonum percussionis. Hæc novissima fuerunt verba inventis in aquam consuetam, Heu juvenis nequicquam amate! & cavitas loci reddidit totidem voces; & prolato Vale, Vale etiam respondit Echo. Ille posuit caput lassum in virente gramine. Mors pressit oculos admirantes pulchritudinem domini sui. Tum etiam, postquam est admissus in sedes Stygias, aspiciebat se in stagnis infernis. Sorores Naïades percusserunt fratri crines detonsos. Dryades quoque percusserunt pectora: Echo simili sono respondet plangentibus. Jamque parabant rogum & tædas quassatas, & feretrum: Corpus nullibi erat: & reperiunt florem puniceum pro corpore, cujus medium folia alba circumdant.

Et neque jam color est misto candore rubori,
Nec vigor, & vires, & quæ modò visa placebant;
Nec corpus remanet, quondam quod amaverat Echo.
Quæ tamen ut vidit, quamvis irata memorque
Indoluit: quotiesque puer miserabilis, Eheu,
Dixerat; hæc resonis iterabat vocibus, Eheu.
Cùmque suos manibus percusserat ille lacertos,
Hæc quoque reddebat sonitum plangoris eundem.
Ultima vox solitam fuit hæc spectantis in undam,
Heu frustrà dilecte puer! totidemque remisit
Verba locus: dictoque, Vale, Vale inquit & Echo.
Ille caput viridi fessum submisit in herbâ.
Lumina nox claudit domini mirantia formam.
Tum quoque se, postquam est infernâ sede receptus,
In Stygiâ spectabat aquâ. Planxêre sorores
Naïades: & sectos fratri posuêre capillos.
Planxêre & Dryades. Plangentibus assonat Echo.
Jamque rogum, quassasq; faces, feretrumq; parabant:
Nusquam corpus erat. Croceum pro corpore florem
Inveniunt, foliis medium cingentibus albis.

VII. *Cognita res meritam vati per Achaidas urbes Attulerat famam: nomenque erat auguris ingens. Spernit Echionides tamen hunc, ex omnibus unus Contemptor superum Pentheus: præsagaque ridet Verba senis: tenebrasque & cladem lucis ademtæ Objicit. Ille movens albentia tempora canis,*

VII. Cognita res meritam vati per Achaidas urbes
Attulerat famam: nomenque erat auguris ingens.
Spernit Echionides tamen hunc, ex omnibus unus
Contemptor superum Pentheus: præsagaque ridet
Verba senis: tenebrasque & cladem lucis ademtæ
Objicit. Ille movens albentia tempora canis,

VII. *Res vulgata comparaverat famam meritam auguri Tiresiæ per urbes Græcas; & gloria vatis erat maxima. Attamen Pentheus Echionis filius maximus contemptor deorum hunc ex omnibus solus despicit; & irridet voces prænuncias senis; & exprobrat cæcitatem, & damnum luminis sublati. Ille concutiens tempora cana candidis* cupillis,

NOTÆ.

504. *Tum quoque*] Dicit Plato in Gorg. quascumque curas aut studia à naturâ, aut affectibus, in hâc vitâ contraxerimus, eadem retinemus etiam cùm corpus exuerimus. Ita Virg. Æn. 9.

——*Quæ curæ nitentes*
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostas.

507. *Naïades*] Cephisi & Liriopes nymphæ vidimus antea filium fuisse Narcissum; ejus sorores adeóque fuerunt fontium & fluviorum nymphæ.

Ib. *Sœtis*] Usque ab Homero ad Romanos, in acerbissimo luctu mos ille manavit, ut mulieres saltem crines detonderent, atque etiam in defuncti corpus deponerent.

508. *Quassasque*] Noctu verò quia afferebatur corpus, facibus ad funera utebantur.

509. *Croceum florem*] *Narcissum. Florem.* Flos hic diis inferis sacer fingitur, ut qui floreat tantùm, & transeat, neque ilium ex se fructum edat. Ita & ingenia præcocia haud facilè perveniunt ad frugem.

513. *Echionides*] *Pentheus* est Echionis & Agaves filius, ad cujus fabulæ narrationem artificiosè descendit poëta.

Quàm

Quàm felix eſſes, ſi tu quoque luminis hujus
Orbus, ait, fieres: ne Bacchia ſacra videres!
Jamque dies aderit, jamque haud procul auguror eſſe;
Quâ novus huc veniat proles Semeleïa Liber.
Quem niſi templorum fueris dignatus honore;
Mille lacer ſpargere locis: & ſanguine ſilvas
Fœdabis, matremque tuam, matriſque ſorores.
Evenient: neque enim dignabere numen honore:
Meque ſub his tenebris nimiùm vidiſſe quereris.
Talia dicentem proturbat Echione natus.
Dicta fides ſequitur; reſponſaque vatis aguntur.
Liber adeſt; feſtiſque fremunt ululatibus agri.
Turba ruunt: miſtæque viris matreſque nutruſque,
Vulguſque, procereſque, ignota ad ſacra feruntur.
Quis furor, anguigenæ, proles Mavortia, veſtras
Attonuit mentes? Pentheus ait, Ærane tantùm
Ære repulſa valent? & adunco tibia cornu?
Et magicæ fraudes? ut quos non belliger enſis,
Non tuba terruerint, non ſtrictis agmina telis;
Fœmineæ voces, & mota inſania vino,
Obſcœnique greges, & inania tympana vincant?
Voſne ſenes, mirer? qui longa per æquora vecti

Quam beatus eſſes, inquit, ſi tu etiam hâc luce privareris, ne ſacra Bacchi cernere! Jamque dies adventat, jamque prædico non longe abeſſe, quâ Bacchus novus hoſpes *filius Semeles huc pergat: quem niſi colueris honore templorum, dilaniatus in mille loca disjicieris, & inficies ſilvas cruore, & matrem tuam & matertéras. Hæc fient: neque enim honorabis dei potentiam: & dolebis me nimium intuitum eſſe in hâc caligine. Filius Echionis profligat talia proferentem. Fides ſequitur vocem, & oracula auguris exitum ſortiuntur, & re* comprobantur. *Bacchus venit; campi perſonant feſtis clamoribus. Agmen cum impetu feruntur, & matres, & nurus, confuſæ cum maribus, & plebs, & primores concurrunt ad ſacra inuſitata. Quæ veſania, inquit Pentheus, perculit veſtros animos; ſerpente orti, progenies Martia? Tantúmne poſſunt ære percuſſa ære, & tibia cornu curvo, & incantationes ſortilegæ; ut quos non gladius bellicus, non tuba, non acies expeditis miſſilibus moverint, ululatus fœminei, & furor excitus mero, turba infamis, & tympana vacua ſuperent? demirerne vos ſenes, qui adducti per voſtum mare*

NOTÆ.

520. *Novus*] Nondum ſcilicet fatis cognitus.

Ib. *Proles Semeleïa*] Huic Jovis & Semeles filio quæcumque ab aliis Bacchis facta, attributa ſunt.

523. *Matrem*] *Agaven*, cujus ſorores fuerunt Ino & Autonoë.

524. *Evenient*] Quæcumque prædico.

525. *Quereris*] Quia vellet omnino Pentheus cæcus fuiſſe, nec Bacchum vidiſſe, cujus causâ diſcerptus fuit: Adeóque acutiſſimè adverſario invidendum proponit Tireſias illud ipſum, quod ſibi vitio & damno objicerat.

527. *Sequitur*] Quia eventu firmantur quæ prædixerat vates.

Ib. *Aguntur*] *Suo ordine geruntur quæcumque dicta fuerant.*

528. *Feſtis*] In his Sacris Bacchantes, quæ Thyrſos gerebant, pampinis hederâque coronatæ, geſtabant vites, hircos, cophinos, phallos; per ſylvas, montes, nemora furibundæ ſaltabant; diſſono clamore ululatu, tibiarum cantu, & cymbalorum tinnitu omnia replebant. Hinc ſtupra promiſcua, & cædes nefandæ.

530. *Ignota*] Quippe quibus nunquam interfuerant.

531. *Anguigenæ*] Thebanos compellat Pentheus; quos vidimus antea ex draconis Marti dicati dentibus, à Cadmo ſeminatis, ortos. Optimè verò, quamquam infeliciter, generis eorum commemoratione, prudentes & Martios viros, à turpi mollium & ebrioſorum homuncionum, aut certè mulierculârum conſortio ſtudet retrahere.

532. *Ærane tantùm Ære*] *Tympana ærea æreis bacillis pulſata.*

537. *Obſcœnique greges*] *Turpis & libidine corrupta multitudo*; in quâ & Satyri. Bacchi ſacerdotes, obſcœniſſimum genus.

Hâc

ſtatuiſtis Tyrum & Penates exules in his locis; nunc patimini ſuperari ſine pugnâ? annos, ô Juvenes, ætas violentior, & propior meæ, quos decorum erat tractare arma, non thyrſos, & velari galeâ, non frondibus? Mentem veſtram ſubeat, quæſo, qui genere ſitis ſati: & induite iras illius araneis, qui ſolus peremit multos. Ille periit pro fontibus & ſtagno: at vos vincite pro veſtrâ gloriâ. Ille morti dedit ſtrenuos; vos fugate effœminatos: & reparate laudem patriam. Si fata prohibebant Thebas diu manere, utinam machinæ bellicæ, & viri muros dejicerent, & ferrum & flamma ſtreperent! Eſſemus infelices ſine culpâ, & ſors eſſet deflenda, non tegenda, & fletus eſſent ſine dedecore. At nunc Thebæ capientur à puero armis diſtituto, quem neque acies, neque arma, aut uſus equorum delectat, ſed coma delibuta myrrha, & effœminata ſerta, & purpura, & aurum implicitum verſicoloribus indumentis. Quem quidem ego confeſtim adigam (vos tantum quieſcite) agnoſcere & patrem

Hâc Tyron, hâc profugos poſuiſtis ſede Penates:
Nunc ſinitis ſine Marte capi? voſne, acrior ætas,
O juvenes, propiorque meæ? quos arma tenere,
Non thyrſos; galeâque tegi, non fronde decebat?
Eſſe, precor, memores, quâ ſitis ſtirpe creati:
Illiuſque animos, qui multos perdidit unus,
Sumite ſerpentis. Pro fontibus ille lacuque
Interiit: at vos pro famâ vincite veſtrâ.
Ille dedit letho fortes: vos pellite molles,
Et patrium revocate decus. Si fata vetabant
Stare diu Thebas; utinam tormenta virique
Mœnia diruerent, ferrumque igniſque ſonarent!
Eſſemus miſeri ſine crimine: ſorſque querenda,
Non celanda foret: lachrymæque pudore carerent.
At nunc à puero Thebæ capientur inermi:
Quem neque bella juvant, nec tela, nec uſus equorum:
Sed madidus myrrhâ crinis, molleſque coronæ,
Purpuraque, & pictis intextum veſtibus aurum.
Quem quidem ego actutum (modo vos abſiſtite) cogam
Aſſumtumque patrem, commentaque ſacra fateri.
An ſatis Acriſio eſt animi, contemnere vanum
Numen, & Argolicas venienti claudere portas;
Penthea terrebit cum totis advena Thebis?
Ite citi (famulis hoc imperat) ite, ducemque
Attrahite huc vinctum. Juſſis mora ſegnis abeſto.
Hunc avus, hunc Athamas, hunc cætera turba ſuorum

fictum & ſacra per dolum excognita. An ſatis eſt virtutis Acriſio ſpernere futilem Deum, & obſerare valvas Argolicas accedentis, peregrinus tremefaciet Pentheum cum totis Thebis? Properate (hoc jubet miniſtris) properate, & huc per vim adducite ducem catenis conſtructum: nulla pigra cunctatio differat mandata. Avus hunc, hunc coarguit Athamas, & reliquum agmen ſuorum

NOTÆ.

539. *Tyron*] Tyro aut Sidone antiquiſſimis Phœniciæ urbibus oriundum vidimus antea Cadmum, qui cum ſociis Thebas Bœoticas condidit; adeóque verè nunc Pentheus ad illos ſenes, *Hâc Tyron*, &c. Dictum verò, ut illud Virgilii;

Illum in Italiam tranſfer, victoſque penates.

545. *Fontibus*] Ex quibus aquam ſocii Cadmi hauriæ juſſi ſunt.

549. *Tormenta*] Inſtrumenta ſunt aut machinæ bellicæ, lapidibus, aliiſque torquendis miſſilibus aptæ.

558. *Aſſumtum*] Jovem dicit, quem falsò ſuum patrem Bacchus jactaret, utì quidem ipſe Pentheus prædicabat.

559. *Acriſio*] Fuit Acriſius Abantis Argivorum regis filius, pater Danaës, qui neque Bacchum Deum, neque ejus ſacra admiſit, occluſis portis.

561. *Advena*] Bacchus, quem non civem agnoſcit Pentheus, nedum deum.

564. *Avus*] Cadmum intellige, namque ejus filia fuit Agave Penthei mater: Scripſitque Euripides in Bacchis, neque Cadmum, neque Tireſiam audire voluiſſe Pentheum.

ib. *Athamas*] Æoli fuit filius, Cadmi gener.

Corripiunt

Corripiunt dictis: fruſtráque inhibere laborant.
Acrior admonitu eſt; irritaturque retenta
Et creſcit rabies: ramoraminaque ipſa nocebant.
Sic ego torrentem, quà nîl obſtabat eunti,
Leniùs, & modico ſtrepitu decurrere vidi:
At, quàcunque trabes obſtructaq; ſaxa tenebant,
Spumeus, & fervens, & ab objice ſævior ibat.
Ecce cruentati redeunt: &, Bacchus ubi eſſet,
Quærenti domino Bacchum vidiſſe negârunt.
Hunc, dixêre, tamen comitem, famulumq; ſacrorum
Cepimus: & tradunt manibus poſt terga ligatis,
(Sacra Dei quondam Tyrrhenâ gente ſecutum.)

VIII. Aſpicit hunc oculis Pentheus, quos ira tremendos
Fecerat: & quanquam pœnæ vix tempora differt,
O periture, tuâque aliis documenta dature
Morte, ait, ede tuum nomen, nomenque parentum,
Et patriam; moriſque novi cur ſacra frequentes.
Ille metu vacuus, Nomen mihi, dixit, Acœtes;
Patria Mœonia eſt: humili de plebe parentes.
Non mihi, quæ duri colerent pater arva juvenci;
Lanigeroſve greges, non ulla armenta reliquit.
Pauper & ipſe fuit: linoque ſolebat, & hamis
Decipere, & calamo ſalientes ducere piſces.
Ars illi ſua cenſus erat. Cùm traderet artem;
Accipe, quas habeo, ſtudii ſucceſſor & hæres,
Dixit, opes; morienſque mihi nihil ille reliquit
Præter aquas. Unum hoc poſſum appellare paternum.
Mox ego, ne ſcopulis hærerem ſemper in îſdem,
Addidici regimen, dextrâ moderante, carinæ
Flectere: & Oleniæ ſidus pluviale capellæ,

coarguunt verbis, & conantur fruſtrà abſterrere. Violentior eſt hortatu, & veſania correpta acuitur & augetur, & retardatio ipſa oberat. Sic ego adverti torrentem defluere leniùs & exiguo murmure, quâ parte nihil impediebat ruentem: At quàcunque tigna, & lapides congeſti obſtabant, ſpumeus & æſtuoſus ruebat fervidior ab impedimentis. Ecce ſanguinolenti revertuntur, & abnuerunt ſe vidiſſe Bacchum interrogati à domino ubi is eſſet. Nihilominus, inquiunt, apprehendimus hunc comitem ſacrorum, natione Tyrrhenum, ſecutum olim ſacra Dei: & illum offerunt manibus revinctis à tergo.

VIII. *Pentheus illum intuetur oculis, quos furor horrendos reddiderat: & quamvis ægrè dimittit momenta ſuæ pœnæ, O, inquit, moriture, & exhibiture aliis exempla tuâ morte, dic tuum nomen, & nomen parentum, & patriam, & quamobrem colas ſacra nuperorum rituum. Ille timoris expers, nomen, inquit, Acœtes: patria eſt Mœonia; parentes de plebe infimâ. Mihi non reliquit pater campos, quos fortes juvenci ſubigerent, vel greges lanigeros, neque ulla armenta. Ipſe etiam fuit pauper, & conſueverat fallere piſces filo & hamis, & extrahere ſaltantes virgâ. Sua ars erat illi reditus. Cùm me doceret artem ſuam; Sume, ait, divitias, quas conſecutus ſum, ſucceſſor & hæres ſortis meæ; & moriens ille nihil mihi reliquit præter aquas: poſſum vocare hoc ſolum patrium. Ego deinde, ne ſemper manerem affixus iiſdem rupibus, doctus ſum moderari clavum navis, dextrâ miniſtrante: & ſidus pluviale capræ Oleniæ,*

NOTÆ.

572. *Cruentati*] Vulnerati à comitibus Bacchi, dum Bacchum & Bacchas prehendere tentarent.

574. *Hunc, dixêre*] Aliter tamen Euripides in Bacchis, qui Bacchum ſimpliciter dicit adductum, quem hic noſter ſub Acœtis imagine fingit latentem.

576. *Tyrrhenâ*] Hetruſcum aut Thuſcum dicit fuiſſe hunc Acœten. Notiſſima eſt autem Hetruria Italiæ regio, à quâ Hetruſcum ſeu Tyrrhenum mare nomen habuit.

583. *Mœonia*] Qui ex Mœoniâ ſeu Lydiâ prodierant coloni, qui Hetruriam tenuerunt.

594. *Oleniæ*] Amaltheam dicit; Jovis nutricem Oleniam ob Oleno Bœotiæ urbe, ubi nutrita, ſic appellatam; vel ab eo quòd in Aurigæ ulnas ὠλένας cœlo recepta ſit. Ortu verò & occaſu pluvias inducere voluerunt.

Taygetenque, Hyadasque, oculis Arctonque notavi,
Ventorumque domos, & portus puppibus aptos.
Fortè petens Delon, Diæ telluris ad oras
Applicor, & dextris adducor littora remis:
Doque leves saltus: udæque immittor arenæ.
Nox ubi consumta est; Aurora rubescere primùm
Cœperat: exsurgo, laticesque inferre recentes
Admoneo; monstroque viam, quæ ducat ad undas.
Ipse, quid aura mihi tumulo promittat ab alto,
Prospicio: comitesque voco, repetoque carinam:
Adsumus en, inquit, sociorum primus Opheltes:
Utque putat, prædam deserto nactus in agro,
Virgineâ puerum ducit per littora formâ.
Ille, mero, somnoque gravis, titubare videtur;
Vixque sequi. Specto cultum, faciemque, gradumq;
Nil ibi, quod posset credi mortale, videbam.
Et sensi, & dixi sociis, Quod numen in isto
Corpore sit dubito: sed corpore numen in isto est.
Quisquis es, ô faveas, nostrisque laboribus adsis:
His quoque des veniam. Pro nobis mitte precari,
Dictys ait: quo non alius conscendere summas
Ocyor antennas, prênsoque rudente relabi.
Hoc Libys, hoc flavus proræ tutela Melanthus,
Hoc probat Alcimedon: & qui requiemque, modumque
Voce dabat remis, animorum hortator Epopeus:

& Taygeten, & Hyadas, & Ursam, & sedes ventorum, & portus idoneos navibus observavi oculis. Fortè cùm cursus mihi esset versus Delon, appello ad littus Diæ insulæ, & promoveor in arenam remis ad dextram flexis, & leviter exsilio, & me immitto in terram humidam. Postquam tenebræ sunt discussæ, Aurora cœperat primùm rubere: excitor, & hortor apportare novas aquas, & extendo iter, quod ducat ad eas. Ipse speculor ab excelso colle quid ventus mihi polliceatur; & arcesso socios, & denuo conscendo navem. Ecce, Adsumus, ait primus comitum Opheltes; & sicuti arbitratur, nactus prædam in campo vacuo, trahit per littora juvenem specie virgineâ. Ille tardus somno & vino videtur vacillare & vix sequi. Aspicio ornatum, & vultum, & incessum: Nihil in eo inveniebam quod posset credi mortale. Et adverti, & indicavi comitibus, Nescio quæ Deorum potestas sit in isto corpore; sed potestas Deorum est in isto corpore. Quisquis es, ô propitius sis, & nostros labores adjuves: ignosce etiam istis. Desine orare pro nobis, inquit Dictys, quo non alius velocior scandere supremas antennas, & descendere fune correpto. Libys hoc laudat, flavus Melanthus proreta hoc probat, *itemque Alcimedon, & Epopeus portisculus, qui incendens animos jussu suo dabat remigibus requiem & modum* remigandi.

NOTÆ.

595. *Taygeten*] Una est ex Pleïadibus, Atlantis filiis, in cœlum translatis.

Ib. *Hyadas*] Stella sunt 7 in capite Tauri ἀπὸ τῦ ὑειν à pluendo. Nutrices volunt fuisse Bacchi, *Dodonides* nomine, quas Jupiter in cœlum transtulerit. Alii aliter.

Ib. *Arctonque*] *Ursam*, quam præsertim nautas, cursus suos dirigendi causâ, observare diximus; Cynosuram, vel Helicen.

596. *Domos*] Mundi dicit quatuor partes, Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, unde flant quatuor, prout vocantur, venti cardinales.

597. *Delon*] Ægæi maris insulam, Apollini sacram, è regione Articæ.

Ib. *Diæ*] Eadem est quæ Naxus, Baccho sacra insula, juxta Delon ad meridiem.

598. *Dextris*] *Ad dextram partem navem inflectentibus*; fuit nempe Dia insula, seu Naxus, Delon eunti ad dextram.

611. *Quod numen*] Ἢ γὰρ Ζεὺς ὅδε γ' ἐσίν, ἢ ἀργυρότοξος Ἀπόλλων, Ἦε Ποσειδάων, &c. Gubernator ad socios in Hymno Homeri, Διόνυσος ἢ λῃσταὶ.

614. *His*] Qui Bacchum ceperunt.

615. *Dictys*] Nomen est unius ex Acœtis sociis, quem alii malunt Prothin dictum; 20 autem hic noster, Hyginus tantùm 12 memorat, Fab. 134.

618. *Qui requiemque*] Portisculus, κελευστὴς. moderator remigum. Gall. *le Comite.*

Hoc

Hoc omnes alii. Prædæ tam cæca cupido eſt.
Non tamen hanc ſacro violari pondere pinum
Perpetiar, dixi: pars hîc mihi maxima juris.
Inque aditu obſiſto. Fuit audaciſſimus omni
De numero Lycabas: qui Thuſcâ pulſus ab urbe
Exſilium dirâ pœnam pro cæde, luebat.
Is mihi, dum reſto, juvenili guttura pugno
Rupit: & excuſſum miſiſſet in æquora, ſi non
Hæſiſſem, quamvis amens, in fune retentus.

IX. Impia turba probat factum. Tum denique Bacchus,
(Bacchus enim fuerat) veluti clamore ſolutus
Sit ſopor, eque mero redeant in pectora ſenſus;
Quid facitis? quis clamor, ait? quâ, dicite, nautæ,
Huc ope perveni? quò me deferre paratis?
Pone metum, Proreus, & quos contingere portus
Ede velis, dixit. Terrâ ſiſtêre petitâ.
Naxon, ait Liber, curſus advertite veſtros:
Illa mihi domus eſt: vobis erit hoſpita tellus.
Per mare fallaces, perque omnia numina jurant
Sic fore: meque jubent pictæ dare vela carinæ.
Dextrâ Naxos erat. Dextrâ mihi lintea danti,
Quid facis, ô demens? quis te furor, inquit, Acœte,
Pro ſe quiſque, tenet? lævam pete: maxima nutu
Pars mihi ſignificat: pars, quid velit, aure ſuſurrat.
Obſtupui: Capiatque alius moderamina, dixi:
Meque miniſterio ſceleriſque, artiſque removi.
Increpor à cunctis; totumque immurmurat agmen.
E quibus Æthalion, Te ſcilicet omnis in uno
Noſtra ſalus poſita eſt? ait, & ſubit ipſe: meumque
Explet opus, Naxoque petit diverſa relictâ.

Cæteri idem faciunt; tam cæcum eſt deſiderium prædæ. Non tamen dixi, ſinam violari hanc navem ſacro onere: hujus pars maxima mei juris eſt: & contrà nitor ingreſſu. Lycabas, qui ejectus ab urbe Thuſcâ, pro crudeli homicidio exſilium patiebatur, omnium violentiſſimus rabiem exercebat. Is, dum repugno, fregit mihi collum forti pugno; & me proturbatum ejeciſſet in mare, niſi ut examinis adhæſiſſem retentus in rudente.

IX. *Perfidum agmen laudat hæc facta. Tum denique Bacchus (is enim erat) tanquam ſomnus ſit excuſſus clamore, & ſenſus ebrietate ſoluti redeant in pectus, Quid agitas? inquit. Quis fremitus, quo auxilio huc perveni, dicite nautæ, quò me vultis vehere? Omitte timorem, inquit ille qui proræ præerat, & dic quos portus cupias intrare: duceris in terram optatam. Dirigite, inquit Bacchus, curſus veſtros Naxon. Illæ ſunt meæ ſedes, & vobis etiam terra erit amica. Mendaces jurant per æquor, & per omnes Deos ſic futurum, & imperant me pandere carbaſa pictæ navis. Naxus erat dextrâ: cùm ego ad dextram vela expedirem, Quid agis, inſane, quæ veſania te habet, Acœte? exclamant pro ſe ſinguli. Verte ad ſiniſtram. Pars maxima mihi indicat ſigno quid cupiat, pars in aurem obmurmurat. Hæſi, &, inquam, alius regat navem: & me ſubduxi officio ſcelerato & doloſo. Arguor ab omnibus, & tota turba contra me murmurat; è quibus Æthalion, Nimirum, inquit, omnis noſtra ſalus à te ſolo pendet? & ipſe ſuccedit; & officio meo fungitur; & in partem diverſam abit, Naxo relictâ.*

NOTÆ.

622. *Pars hîc*] Navis bona pars ad illum pertinebat; atque adeò gubernator erat, ut Homerus hymno modò citato.

631. *Sopor*] Ebrietas quam ille ſimulaverat.

632. *Quid facitis?*] Homerus & Nonnus lib. 45. ferunt Baccham à prædonibus vinculis ligatum fuiſſe, vincula autem ultro excidiſſe mandibus, & pedibus.

634. *Proreus*] Ille eſt qui proræ præeſt, nempe Melanthus.

642. *Pro ſe quiſque*] *Cavens*, intellige, ne Naxon veheretur.

644. *Obſtupui*] Quia perfidos videbat aliud præſtare: atque adeò cum illis operis particeps eſſe noluit.

647. *Scilicet*] Increpantis eſt & irridentis.

X. Tum deus illudens, tanquam modò denique fraudem
Senserit, è puppi pontum prospectat aduncâ,
Et flenti similis, Non hæc mihi littora, nautæ,
Promisistis, ait: non hæc mihi terra rogata est.
Quo merui pœnam facto? quæ gloria vestra est,
Si puerum juvenes, si multi fallitis unum?
Jamdudum flebam. Lachrymas manus impia nostras
Ridet: & impellit properantibus æquora remis.
Per tibi nunc ipsum (nec enim præsentior illo
Est Deus) adjuro, tam me tibi vera referre,
Quàm veri majora fide. Stetit æquore puppis
Haud aliter, quàm si siccum navale teneret.
Illi admirantes remorum in verbere perstant:
Velaque deducunt; geminâque ope currere tentant,
Impediunt hederæ remos, nexuque recurvo
Serpunt; & gravidis distringunt vela corymbis.
Ipse, racemiferis frontem circumdatus uvis,
Pampineis agitat velatam frondibus hastam.
Quem circa tigres, simulacraque inania lyncum,
Pictarumque jacent fera corpora pantherarum.
Exsiluêre viri; sive hoc insania fecit,
Sive timor: primusque Medon nigrescere pinnis
Corpore depresso, & spinæ curvamina flecti
Incipit. Huic Lycabas, In quæ miracula, dixit,
Verteris? & lati rictus, & panda loquenti
Naris erat, squammamque cutis durata trahebat.
At Libys, obstantes dum vult obvertere remos,
In spatium resilire manus breve vidit; & illas
Jam non esse manus, jam pinnas posse vocari.
Alter ad intortos cupiens dare brachia funes,
Brachia non habuit; truncoque repandus in undas

X. *Tum deus* nautis *imponens, sicuti nunc denique dolum cognoverit, prospicit mare puppi curvâ, & similis lachrymanti, Non, inquit, nautæ, polliciti estis mihi hæc littora; hæc terra non est exoptata à me. Quare dignus sum hâc injuriâ? quænam est laus vestra, si adulti decipitis puerum, si multi unum? Jamdiu lachrymabar. Turba sceleſta irridet meos fletus; & pulsat aquas remis festinantibus. Nunc tibi juro per ipsum* Bacchum *(neque verò est Deus illo magis propitius) me tibi certa narrare, quanquam supra fidem* videntur. *Non aliter repressa est navis in mari, quàm si esset in sicco navali. Illi stupentes perstant insistere remis, & expandunt carbasa, & nituntur currere duplici auxilio. Hæderæ implicant remos, & diffunduntur nodis aduncis, & impediunt lintea ponderosis corymbis. Ipse redimitam habens frontem uvis racemiferis hastam quatit obductam frondibus teneræ vitis: & circa illum tigres, & vanæ imagines lyncum, & maculatarum pantherarum ferocia corpora sternuntur. Viri emicuerunt, seu hoc præstitit vesania, seu pavor; & Medon cœpit prior nigrescere pinnis corpore submisso, & flexu spinæ* dorsi *incurvari: ad quem Lycabas, In quæ monstra mutaris, dixit? & os vastum, & patulæ evadebant nares loquentis, & cutis rigens induebat squammas. At dum Libys, tentat convertere remos obstantes, advertit manus reflecti in exiguum spatium, & jam non esse manus, jam posse dici pinnas. Alius nitens manibus apprehendere funes implicitos, non habuit lacertos, & curvatus mutilato in aquas*

NOTÆ.

661. *Navale*] Navalia dicuntur loca, in quibus stant aut reponuntur naves.

663. *Deducunt*] Vela priùs collecta & antennis adstricta jam solvunt, & explicant.

Ib. *Gemina*] Remis velisque.

664. *Impediunt*] Ne moveri possent.

665. *Corymbis*] Eo nomine appellantur uvæ quas fert hedera.

667. *Pampineis*] Thyrsum qualis.

Ib. *Agitat*] Concutit ad terrorem nautis incutiendem.

668. *Quem circa tigres*] Tigres & lynces sunt feræ Baccho dictæ, quas ideo nautarum oculis objecit Bacchus, ut earum aspectu territi in mare desilirent.

672. *Curvamina flecti*] Græcismus est.

674. *Panda*] *Recurva*, qualis est Delphini.

680. *Trunco*] Quia brachiis mutilatum.

Corpore

Corpore desiluit. Falcata novissima cauda est,
Qualia dividuæ sinuantur cornua lunæ.
Undique dant saltus: multâque aspergine rorant:
Emerguntque iterum; redeuntq; sub æquora rursus:
Inque chori ludunt speciem: lascivaque jactant
Corpora: & acceptum patulis mare naribus efflant.
De modò viginti (tot enim ratis illa ferebat)
Restabam solus. Pavidum, gelidumque trementi
Corpore, vixque meum firmat Deus, Excute, dicens,
Corde metum, Diamque tene. Delatus in illam,
Accensis aris Baccheïa sacra frequento.
Præbuimus longis, Pentheus, ambagibus aures,
Inquit: ut ira morâ vires absumere posset.
Præcipitem famuli rapite hinc: cruciataque diris
Corpora tormentis Stygiæ dimittite nocti.
Protinus abstractus solidis Tyrrhenus Acœtes
Clauditur in tectis: & dum crudelia jussæ
Instrumenta necis ferrumque, igneſque parantur;
Sponte suâ patuisse fores, lapsasque lacertis
Sponte suâ, fama est, nullo solvente, catenas.
Perstat Echionides: nec jam jubet ire, sed ipse
Vadit, ubi electus facienda ad sacra Cithæron
Cantibus & clarâ bacchantum voce sonabat.
Ut fremit acer equus, cùm bellicus ære canoro
Signa dedit tubicen, pugnæque assumit amorem:
Penthea sic ictus longis ululatibus æther
Movit: & audito clangore recanduit ira.
Monte ferè medio est, cingentibus ultima silvis,
Purus ab arboribus, spectabilis undique campus.
Hîc oculis illum cernentem sacra profanis
Prima videt, prima est insano concita motu,
Prima suum misso violavit Penthea thyrso
Mater: Io, geminæ, clamavit, adeste sorores.

corpore exsiliit: ultima cauda est in modum falcis figurata: quomodo cornua lunæ dimidiæ curvantur. Undiquaque prosiliunt, & multo rore aspergunt: Erumpunt iterum: & sese rursus immergunt aquis: & ludunt in modum chori, & concutiunt luxuriantia corpora, & emittunt aquam haustam patentibus naribus. Solus supereram de viginti (nam illa navis tot habebat) qui modò in nave erant. Deus erigit me tremefactum, torpentem, corpore tremente, & vix mei compotem; dicens, Ejice metum animo, & Naxum pete. Illîc appulsus celebro Bacchi festa aris incensis. Commodavimus, inquit Pentheus, aures prolixis verborum anfractibus; ut ira posset exhaurire suas *vires cunctatione. Famuli tollite hinc sublimem ocyùs; & deturbate corpora punita horrendis cruciatibus ad tenebras infernas. Continuò Acœtes Tyrrhenus abreptus coërcetur firmis carceribus; & dum sæva instrumenta constituta mortis, & ferrum & flammæ adornantur, rumor invaluit portas ultro apertas esse, & ultro vincula soluta esse brachiis, nullo expediente. Pentheus obfirmat animum; neque nunc imperat* alicui servorum *ire, sed ipse it ubi Cithæron delectus ad sacra peragenda fremebat cantibus & elatâ voce bacchantum. Quemadmodum generosus equus fremit, cum bellicus tubicen fecit indicia ære personante, & ducitur clamore certaminis; sic aër concussus repetitis clamoribus perculit Pentheum; & furor iterum inflammatus est auditis ululatibus. Planities est ex omni parte patens ferè in monte medio, vacua arboribus quæ circumdant extremas partes* montis. *Hîc mater prima cernit illum spectantem sacra oculis profanis, prima est impulsa furore insano, prima appetit suum Pentheum thyrso jaculato: Io vociferata est, accurrite ambæ sorores.*

NOTÆ.

683. *Multâque*] Delphinorum describit naturam, qui ludere, sese in gyrum versare, aquam etiam solent non agitare modò, sed etiam emittere.

701. *Perstat*] Obstinatè Bacchum ejusque sacra contemnit Pentheus Echionis filius.

702. *Cithæron*] Mons Bœotiæ, Bacchi sacris inclytus.

706. *Ululatibus*] Bacchantum & Orgia celebrantium clamoribus.

707. *Movit*] Ad iram concitavit.

708. *Monte*] Cithærone.

713. *Geminæ*] Ino & Autonoë.

Ille aper vastissimus, qui vagatur in nostris campis, ille aper est mihi mactandus. Totum agmen rabiosum irruit in unum Penthea: *omnes concurrunt, & omnes sequuntur nunc parentem, nunc proferentem voces minùs feroces* quàm modò protulerat, *nunc se arguentem, nunc se male fecisse confitentem. Ille tamen vulneratus, Veni, inquit, in auxilium matertera Autonoë; manes Actæonis flectant corda. Illa ignorat quid sit Actæon, & abripuit dextram oranti: altera est avulsa raptu Inûs. Miser non habet lacertos quos porrigat matri, sed exhibens corpus mutilatum artubus discerptis: Vide, mater, inquit. Agave ululavit, cùm videret* lacerados filii artus. *Et excussit collum, & jactavit comam per aërem, & tenens caput abstractum digitis sanguinolentis, Io comites, exclamat, hæc victoria est opus nostrum. Ventus non citiùs deripit arbore excelsâ folia usta frigore per autumnum, & tunc leviter affixa: quàm artus viri sunt dilaniati manibus impiis. Thebanæ doctæ ejusmodi exemplis celebrant nova sacra* Bacchi, *& thura præbent, & venerantur sacra altaria.*

Ille aper, in nostris errat qui maximus agris,
Ille mihi feriendus aper. Ruit omnis in unum
Turba furens. Cunctæ coëunt, cunctæque sequuntur
Jam trepidum, jam verba minùs violenta locutum,
Jam se damnantem, jam se peccâsse fatentem.
Saucius ille tamen, Fer opem, matertera, dixit,
Autonoë: moveant animos Actæonis umbræ.
Illa quid Actæon nescit; dextramque precanti
Abstulit: Inoo lacerata est altera raptu.
Non habet infelix quæ matri brachia tendat:
Trunca sed ostendens disjectis corpora membris;
Adspice, mater, ait. Visis ululavit Agave;
Collaque jactavit, movitque per aëra crinem:
Avulsumque caput digitis complexa cruentis,
Clamat, Io comites, opus hæc victoria nostrum est.
Non citiùs frondes autumno frigore tactas,
Jamque malè hærentes altâ rapit arbore ventus;
Quàm sunt membra viri manibus direpta nefandis.
Talibus exemplis monitæ nova sacra frequentant,
Thuraque dant, sanctasque colunt Ismenides aras.

NOTÆ.

714. *Aper*] Pentheum aprum esse credit mater, Bacchi & furoris plena.

718 *Jam se damnantem*] Pentheus agnoscit tandem se peccâsse, eò quòd Bacchum & illius sacra contempserat.

720. *Moveant*] *Ad misericordiam tuum animum flectant.* Fuit verò Autonoë soror Agaves & Actæonis mater, quam filii non absimilis casus mitiorem præstare debuisset, nisi tum ebrietas omnem rationem & memoriam sustulisset.

722. *Inoo*] Manum itaque alteram Autonoë, alteram Ino abstulit.

733. *Ismenides*] Thebanæ mulieres, ab Ismeno Bœotiæ fluvio, sic dictæ.

LIBER IV.

ARGUMENTUM.

ALcithoë tamen, unà cum ſororibus, conſtanter ea contemnebat. Adeò ut in feſto varias ad colum hiſtorias illæ ſibi invicem narrare cœperint. Partim de moris denigratis, partim de Apolline in Eurynomen verſo, ut cum Leucothoë concumberet: quamobrem Clytie zelotypa in Heliotropium fuerit mutata: partim de Hermaphrodito & Salmacide nymphâ in unum corpus concretis. Quo facto, ſorores ipſæ in veſpertiliones, earumque telæ in vitem & pampinos transformatæ ſunt. Hâc de re cùm Agave lætaretur, magnus ei dolor oblatus eſt: quando Ino & Athamas in mare per inſaniam proſiluerunt, & facti ſunt dii marini. Quos dum mulieres Thebanæ pro mortuis deplorant, in ſaxa & volucres commutantur. Cadmus quoque hâc calamitate commotus, relictis Thebis, in Illyriam cum uxore profectus eſt. Ubi uterque anguineam formam accepit. Solus itaque reſtabat è Bacchi contemptoribus Acriſius, avus Perſei, qui Gorgonis caput amputavit. E cujus guttis in terram delapſis angues exorti ſunt, & Atlantem in montem, virgaſque, poſt Andromedam liberatam, in lapides convertit. Orto deinde in nuptiis tumultu, Phineum cum ſuis, unàque Prœtum & Polydectem, ſaxeos reddidit.

P. Ovidii Nasonis

METAMORPHOSEON

LIBER IV.

INTERPRETATIO.

I. *Alcithoë Minyæ filia non opinatur orgia Dei esse admittenda; sed insana profitetur adhuc Bacchum non esse filium Jovis: & habet sorores participes ejusdem impietatis. Sacerdos monuerat frequentare festum, & dominas, & ancillas vacantes à suis operibus velari pectora pellibus, solvere vittas crinales, impedire capillos coronis, & manus thyrsis frondosis; & prædixerat indignationem Dei spreti fore violentam. Et matres, & nurus obtemperant, & omittunt telas, & quasos, & pensa imperfecta; & immittunt thura; & citant Bacchum, & Bromium, & Lyæum, & Ignigenam, iterumque genitum, & solum bimatrem.*

AT non Alcithoë Minyeïas orgia censet
Accipienda Dei: sed adhuc temeraria Bacchum
Progeniem negat esse Jovis: sociasque sorores
Impietatis habet. Festum celebrare sacerdos,
Immunesque operum dominas, famulasque suorum
Pectora pelle tegi, crinales solvere vittas,
Serta comâ, manibus frondentes sumere Thyrsos,
Jusserat; & sævam læsi fore numinis iram
Vaticinatus erat. Parent matresque, nurusque;
Telasque, & calathos, infectaq; pensa reponunt;
Thuraque dant: Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyæumque,
Ignigenamque, satumque iterum, solumq; bimatrem.

NOTÆ.

1. *Minyeïas*] Ex Minyâ filio Orchomeni prognata.

Ib. *Orgia*] Bacchi sacra fuerunt alio nomine Dionysia; temque Bacchanalia dicta.

2. *Sed adhuc*] Etiam post funestum illud Penthei exemplum.

3. *Sorores*] Antoninus lib. II. tres numerat sorores, Leucippam (quæ Ovidio Leuconoë) Arsippam, quam alii Aristippen, alii Arsinoën vocant, & Alcithoën.

4. *Sacerdos*] Fortasse Tiresias.

6. *Pelle tegi*] Νεβρῶν hinnulorum, & βασσάρων vulpium. *Crinales*] Quod in omnibus sacris fieri solet.

7. *Serta*] Ex pampinis.

10. *Infecta*] Imperfecta, opera per festa intermissa.

11. *Bacchumque*] Omnibus nominibus Deos religiosè appellare solebant, eorumque acta recensere, quod illis gratissimum arbitrabantur.

Ib. *Bromium*] Id est, *frementem*, ἀπὸ τῦ βρέμειν.

Ib. *Lyæum*] Ἀπὸ τῦ λύειν, à solvendo, quòd vinum curas solvat: unde etiam Latinis *Liber pater*.

12. *Ignigenam*] Quia fulminis ictu editus, ut vidimus antea.

Ib. *Iterum*] Quia Jovis femori inclusus, quòd illi alterius matris loco fuit, unde & *bimater*, & Dithyrambus.

Additur

Additur his Nyſeus indetonſuſque Thyoneus,
Et cum Lenæo genialis conſitor uvæ,
Nycteliuſque Eleleuſque parens, & Iacchus, & Evan:
Et quæ præterea per Graias plurima gentes
Nomina, Liber, habes. Tibi enim inconſumpta Juventas.
Tu puer æternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris cœlo: tibi, cùm ſine cornibus adſtas,
Virgineum caput eſt: Oriens tibi victus, aduſq;
Decolor extremo quæ cingitur India Gange.
Penthea, tu venerande, bipenniferumque Lycurgum
Sacrilegos mactas: Tyrrhenaque mittis in æquor
Corpora. Tu bijugum pictis inſignia frænis
Colla premis lyncum: Bacchæ, Satyriq; ſequuntur:

Adjicitur his Nyſeus, & Thyoneus intonſus, & Lenæus, & inventor genialis uvæ, & Nycteliius, & pater Eleleus, & Iacchus, & Evan: & inſuper nomina plurima, quæ conſecutus es inter nationes Græcas, ô Liber. Tibi enim integra Juventus: Tu puer æternus, tu es pulcherrimus in excelſo cœlo: tibi eſt caput puellæ, cùm te offers ſine cornibus. Oriens à te ſuperatus, uſque ad Indiam, quæ fuſca circumdatur ultimo Gange. Tu, venerande, perdis Pentheum & impium Lycurgum, qui in vites bipennem tulit; & deturbas in mare corpora Thuſca. Tu urges colla lyncum bijugum ſpecioſa pictis frænis: Bacchæ & Satyri te comitantur;

NOTÆ.

13. *Nyſeus*] A Nysâ nutrice, vel Nysâ monte, apud quem educatus, vel Nysâ Indiæ urbe, quam Bacchus ædificavit.

Ib. *Indetonſus*] Quippe Apollini & Baccho perpetuam eſſe juventutem voluerunt.

Ib. *Thyoneus*] A matre Semele, quæ etiam *Thyone* dicta. Macr. Saturn. l. 18.

14. *Lenæo*] A torculari ſeu lacu, qui λῆνος Græcis dicitur.

Ib. *Genialis*] Genio & voluptati maximè accommodatæ.

15. *Nyctelius*] A nocturnis feſtis.

Ib. *Eleleuſque*] A clamore Orgia celebrantium, & hortantium voce ἐλελεῦ, quâ in hymnis Pæanibus itemque hortationibus bellicis utebantur.

Ib. *Iacchus*] Ἀπὸ τῆς ἰαχῆς, hoc eſt, à clamore.

Ib. *Evan*] Vox fuit Bacchantium, quâ ipſe Bacchus intelligitur.

17. *Juventas*] Quæ Hebe eſt juventutis Dea; quam pro ipsâ juventute poſuit.

18. *Formoſiſſimus alto*] Quibuſdam videtur Bacchus pro ſole à poëtis accipi, & eo more Virg. locutum volunt in 1. Georg.

——— *Vos ô clariſſima mundi*
Lumina———
Liber & alma Ceres———

19. *Cornibus*] An à truculentiâ ebriorum? an quòd cornua veteribus in uſum poculorum? an quod boves primus junxit Bacchus, unde & Olim eſt Ægyptiis? An ob galeam capitis arietini formâ (qualem Turno *rubra cornua criſtæ* tribuit Virg.) inſignem, in honorem patris ſui Jovis Ammonis, cui & ipſe templum & aram ſub arietis ſpecie erexit? an denique à cincinnis, utrinque in cornuum formam acuminatis atque retortis?

20. *Oriens*] Primus creditus Indiam cædibus vexâſſe Bacchus, & victoriis peragrâſſe; ubi columnas ſtatuit, ſicuti Hercules in Hiſpaniâ.

21. *Decolor*] Quia fuſco ſunt colore Indi.

Ib. *Gange*] Fluvius eſt Indiæ citeriorem ab ulteriore dividens.

22. *Lycurgum*] Rex fuit Thraciæ, quem bipenni, quâ vites in Bacchi contemptum cædebat, ſibi corporis extremas partes abſcidiſſe fabulatus eſt Apollodorus.

23. *Sacrilegos*] Dicitur Bacchus orbem terrarum ſacrilegis & Deorum contemtoribus purgâſſe.

Ib. *Tyrrhenaque*] Nautas dicit, de quibus libro ſuperiori.

24. *Bijugum lyncum*] Sunt lynces animalia Africæ familiaria, maculatâ pelle, & mirâ oculorum acie prædita, à quibus Bacchi currum trahi voluerunt.

25. *Satyrique*] Satyri, ut refert Plinius nihil aliud hominis quàm figuram habent. In Æthiopiâ naſcuntur, aduncis naribus, aſperâ cornibus fronte, pedes caprinos habentes. Non ſunt verò illi aliud quàm poëtarum opus, ad brutorum & ferorum hominum imaginem effictum.

Quique

& senex vini plenus, qui sustentat membra vacillantia ferulâ, & non bene infidet curvo asello. Quâcunque te confers, clamor juvenilis, & simul voces muliebres, & tympana percussa palmis & æra concava obstrepunt, itemque buxus producto foramine. Ismenides orant ut adsis propitius, & suavis; & frequentant sacra indicta. Solæ Minyeïdes domi violantes festa operibus parum convenientibus, aut trahunt lanas, aut torquent stamina pollice, aut insistunt telæ, & premunt ancillas operibus. Quarum aliqua trahens filum agili pollice, Dum, inquit, aliæ opus intermittunt & celebrant festa fictitia, nos quoque, quas Minerva Dea venerabilior detinet, leniamus opus utile manuum diverso sermone; & alternâ vice auribus otiosis aliquid narremus quod non patiatur tempora videri longa. Sorores laudant ejus verba, & imperant ut illa prior incipiat aliquid referre. Illa secum perpendit quid narret è multis (nam multa sciebat) & incerta est, an loquatur de te, Derceti Babylonia, quam Palæstini arbitrantur frequentâsse lacus mutatâ figurâ squamis tegentibus membra: an potiùs loquatur quomodo filia illius adoptatis pennis

Quique senex ferulâ tibubantes ebrius artus
Sustinet; & pando non fortiter hæret asello.
Quácunque ingrederis; clamor juvenilis, & unà
Fœmineæ voces, impulsaque tympana palmis,
Concavaque æra sonant, longoque foramine buxus.
Pacatus, mitisque, rogant Ismenides, adsis: 31
Jussaque sacra colunt. Solæ Minyeïdes intus,
Intempestivâ turbantes festa Minervâ,
Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant,
Aut hærent telæ, famulaque laboribus urgent. 35
E quibus una levi deducens pollice filum,
Dum cessant aliæ, commentaque sacra frequentant,
Nos quoque, quas Pallas melior Dea detinet, inquit,
Utile opus manuum vario sermone levemus:
Perque vices aliquid, quod tempora longa videri 40
Non sinat, in medium vacuas referamus ad aures.
Dicta probant; primamque jubent narrare sorores.
Illa, quid è multis referat (nam plurima norât)
Cogitat; & dubia est, de te, Babylonia, narret,
Derceti, quam versâ squamis velantibus artus 45
Stagna Palæstini credunt celebrâsse figurâ:
An magìs ut sumtis illius filia pennis

NOTÆ.

26. *Quique senex*] Silenum dicit Bacchi nutritum, pædagogum, & comitem assiduum semper ebrium, cujus gestamen baculus ex ferulâ arbore. Atque illum tanquam parentem satyri observabant, qui & ipsi senes facti, Sileni dicebantur.

30. *Concava*] Cymbala dicit ærea, quibus & furentes ad insanum strepitum utebantur.

Ib. *Buxus*] Pro tibiâ, quam etiam ex buxo conficiebant.

31. *Rogant Ismenides*] Thebanæ matres, ut felix faustusque sis, precantur.

Ib. *Pacatus*]——*Parce, Liber,*
Parce gravi metuende Thyrso,
inquit Horat. Carm. Lib. II. Ode 19.

33. *Minerva*] Id est, *artibus à Minervâ inventis*, quas Bacchi festo die exercere nefas esset.

42. *Sorores*] Minyeïdes.

45. *Derceti*] Veneris filia, aut Venus ipsa; cujus imago supernè mulierem, infernè piscem referebat, ita mutatam illam variis de causis fabulati sunt, unde & Atergatis dicta. Ab Assyriis, aliisque populis culta fuit.

46. *Palæstini*] Palæstina Syriæ provincia.

Ib. *Celebrâsse*] Juxta Ascalonem Syriæ urbem Dio stagnum esse scripsit seu lacum, in quem Dercetis, pudoris amissi dolore, ab adolescente quodam, Veneris instinctu, compressâ, postquam filiam Semiramidem peperisset, sese conjecit. Cujus rei causâ Syri piscibus illius stagni (in piscem juxta illorum opinionem mutata dea) abstinuisse, templumque illi juxta lacum ædificâsse scripsit Diodorus. Vide, si tanti videtur, Lucianum de deâ Syriâ.

47. *Pennis*] Hanc Semiramidem Dercetis filiam, quæ Babylonem ampliavit, in columbam fuisse mutatam nonnulli tradiderunt, quos se-

Extremos

Extremos albis in turribus egerit annos.
Naïs an ut cantu, nimiúmque potentibus herbis,
Verterit in tacitos juvenilia corpora piſces,
Donec idem paſſa eſt. An, quæ poma alba ferebat,
Ut nunc nigra ferat contactu ſanguinis arbor.
Hæc placet; hanc, quoniam vulgaris fabula non eſt,
Talibus orſa modis, lanâ ſua fila ſequente:

II. Pyramus & Thiſbe, juvenum pulcherrimus alter,
Altera, quas Oriens habuit, prælata puellis,
Contiguas tenuêre domos: ubi dicitur altam
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis urbem.
Notitiam primoſque gradus vicinia fecit;
Tempore crevit amor: tædæ quoq; jure coïſſent;
Sed vetuêre patres. Quod non potuêre vetare,
Ex æquo captis ardebant mentibus ambo.
Conſcius omnis abeſt. Nutu, ſigniſque loquuntur.
Quóque magìs tegitur, tectus magìs æſtuat ignis.
Fiſſus erat tenui rimâ, quam duxerat olim,
Cùm fieret, paries domui communis utrique.
Id vitium nulli per ſæcula longa notatum
(Quid non ſentit amor?) primi ſenſiſtis amantes,
Et voci feciſtis iter, tutæque per illud
Murmure blanditiæ minimo tranſire ſolebant.

trajecerit ævum ultimum in candidis turribus: an quomodo Naïs cantu, & graminibus nimiùm efficacibus corpora juvenilia mutaverit in mutos piſces, donec ipſa eandem experta eſt metamorphoſin: *an quomodo arbor, quæ quondam producebat poma alba, nunc emittat atra contactu cruoris. Hæc arridet: hanc, ſiquidem fabula non eſt trita, ſic narrare* occœpit, *dum lana filo* inter nendum *continuò juccedit.*

II. *Pyramus & Thiſbe, alter elegantiſſimus juvenum, altera formoſiſſima virginum quas oriens habuit, incoluerunt domus conterminas, ubi Semiramis dicitur circumdediſſe excelſam urbem lateribus excoctis. Proximitas* domuum *cauſa fuit primæ conſuetudinis. Amor auctus eſt morâ; etiam nuptiarum ritibus conveniſſent, ſed patres prohibuerunt. Quod non potuerunt prohibere, Uterque pariter incenſi erant animis correptis. Omnis teſtis abeſt; verba faciunt nutu & notis: & quò magis ignis obducitur, magìs obductus incaleſcit. Murus medius inter utramque domum hiabat exiguâ fiſſurâ, quam quondam traxerat, cùm ſtrueretur. Ille defectus à nemine obſervatus per diutina tempora (quid non animadvertit amor?) à vobis amantibus primò fuit animadverſus; & feciſtis viam voci, & ſecuræ blanditiæ ſolebant tranſire per eam, tenuiſſimo ſtrepitu.*

NOTÆ.

cutus eſt Ovidius. Illam quidem primò à matre expoſitam à columbis nutritam voluerunt, ex quo illi nomen Semiramis, quod linguâ Siriâ columbam montanam ſignificat. Habuerunt præterea Columbam in ſuis vexillis Babylonii, Diodoro Siculo teſte, lib. III.

48. *In turribus*] Ubi nidificare ſolent columbæ. Quò, ſi ad hiſtoriam referas, Semiramidem ſeſe recepiſſe, vel filium ejus eandem concluſiſſe, haud abſurdè crederis.

49. *Naïs*] Nympha hæc Solis inſulam, cui & nomen *Noſala*, & *Nympharum cubile*, inter Taprobanam & Carmaniam ſitam, incoluit; quæ juvenes advenas quibuſcumrem habuiſſet, veneficiis in piſces mutabat. Deinde & ipſa à Sole, terræ ſibi ſacratæ vindice, in piſcem verſa eſt.

52. *Arbor*] *Morem* arborem intelligit, quam ante Pyrami & Thiſbes fata dicit alba poma tuliſſe.

58. *Altam urbem*] Ad murorum, & ædium magnificentiam reſpexit, quâ facilè Babylon alias urbes ſuperabat.

Ib. *Urbem*] Babylonem dicit urbem maximam ad Euphratem ſitam, inter ſeptem orbis miracula numeratam; hanc Semiramis Nini Aſſyriorum regis uxor muro lateritio cinxit.

59. *Primoſque gradus*] *Ad amorem.*

60. *Tædæ*] Nuptiæ; in quibus, cùm aquæ & ignis ſacramenta adhiberentur, faces quinque è tædâ arbore, à totidem pueris patrimis & matrimis præferebantur.

61. *Quod non potuêre*] Quia tametſi corporum, non tamen animorum poterant prohibere conjugium.

Sæpe

Sæpe postquam convenissent, hinc Thisbe, Pyramus illinc; & spiritus oris esset utrobique captatus; Livide mure, dicebant, quamobrem prohibes amantes? Quàm parum esset, ut patereris nos convenire toto corpore? Aut si hoc nimium, saltem apertus esses ad jungenda suavia! non tamen sumus ingrati: Agnoscimus tibi nos hoc debere, quòd via facta est vocibus ad aures amicas. Postquam ejusmodi frustra è diverso loco dixissent, adventante nocte dixerunt Vale; & quisque obtulerunt basia muro *qui ex suâ parte fuit, non prætercuntia in alteram. Sequens Aurora fugaverat sidera nocturna, atque sol radiis exsiccaverat gramina pruinâ conspersa; convenerunt in eundem locum. Tum priùs conquesti plurima voce summissâ secum decernunt, ut nocte intempestâ conentur fallere janitores, & valvis egredi; & postquam domo prodierint, egrediantur insuper urbe; & ne opus sit vagari per vastos agros, cœant ad tumulum Nini, & latitent sub umbrâ arboris. Ibi erant morus arbor procera, fœcundissima pomis candidis, proxima fonti frigidissimo. Conditiones probantur, & dies serò credita transire præcipitatur in aquas, & nox excitatur ab iisdem acquis. Solers Thisbe erumpit per opaca noctis, cardine dimoto, & suos domesticos decipit, & velatum os habens pervenit ad sepulchrum, & substitit sub præstitutâ arbore. Amor præstabat eam audentem. Ecce leæna adest infectum habens os æstuans recenti cæde boum, sedatura sitim aquâ fontis proximi. Quam Thisbe Babylonia intuita est è longinquo ad lucem lunæ, & pede tremente tendit in tenebrosam spelunçam: & fugiendo omittit à tergo lapsa velamina. Postquam crudelis leæna sedavit sitim multâ aquâ, dum revertitur in nemus, forte discerpit rictu sanguinolento subtilem vestem repertam sine Thisbe. Pyramus, qui tardiùs exierat, aspexit in ultimo*

Sæpe ut constiterant, hinc Thisbe, Pyramus illinc;
Inque vicem fuerat captatus anhelitus oris;
Invide, dicebant, paries, quid amantibus obstas?
Quantum erat, ut sineres nos toto corpore jungi!
Aut hoc si nimium, vel ad oscula danda pateres!
Nec sumus ingrati: tibi nos debere fatemur,
Quòd datus est verbis ad amicas transitus aures.
Talia diversâ nequicquam sede locuti;
Sub noctem dixêre Vale: partique dedêre
Oscula quisque suæ, non pervenientia contrà.
Postera nocturnos Aurora removerat ignes,
Solque pruinosas radiis siccaverat herbas:
Ad solitum coïere locum. Tum murmure parvo
Multa priùs questi, statuunt ut nocte silenti
Fallere custodes, foribusque excedere tentent:
Cùmq; domo exierint, urbis quoq; tecta relinquant:
Neve sit errandum lato spatiantibus arvo;
Conveniant ad busta Nini: lateantque sub umbrâ
Arboris. Arbor ibi niveis uberrima pomis
Ardua morus erat, gelido contermina fonti.
Pacta placent: & lux tardè discedere visa
Præcipitatur aquis, & aquis nox surgit ab îsdem.
Callida per tenebras, versato cardine, Thisbe
Egreditur, fallitque suos; adopertaque vultum
Pervenit ad tumulum: dictâque sub arbore sedit:
Audacem faciebat amor. Venit ecce recenti
Cæde leæna boum spumantes oblita rictus,
Depositura sitim vicini fontis in undâ.
Quam procul ad lunæ radios Babylonia Thisbe
Vidit: & obscurum timido pede fugit in antrum.
Dumque fugit, tergo velamina lapsa relinquit.
Ut lea sæva sitim multâ compescuit undâ,
Dum redit in silvas, inventos fortè sine ipsâ
Ore cruentato tenues laniavit amictus.
Seriùs egressus vestigia vidit in alto

NOTÆ.

74. *Quantùm*] Quasi dicat *minimum*.

78. *Diversa*] Quia hinc Thisbe, illinc Pyramus sedebat.

84. *Questi*] De parentibus suis, aut fati iniquitate.

88. *Busta*] Ad Nini sepulchrum seu locum ubi ustus & sepultus fuerat, ubique, Diodoro teste, moles erat instar arcis cujusdam multis stadiis distans ab urbe.

93. *Versato cardine*] *Apertâ januâ.*

Pulvere

Pulvere certa feræ, totoque expalluit ore
Pyramus. Ut verò veſtem quoque ſanguine tinctam
Repperit: Una duos nox, inquit, perdet amantes:
E quibus illa fuit longâ digniſſima vitâ.
Noſtra nocens anima eſt. Ego te, miſeranda, peremi.
In loca plena metûs qui juſſi nocte venires:
Nec prior huc veni. Noſtrum divellite corpus,
Et ſcelerata fero conſumite viſcera morſu,
O quicunque ſub hâc habitatis rupe, leones.
Sed timidi eſt optare necem. Velamina Thiſbes
Tollit, & ad pactæ ſecum fert arboris umbram.
Utque dedit notæ lachrymas, dedit oſcula veſti:
Accipe nunc, inquit, noſtri quoq; ſanguinis hauſtus;
Quoque erat accinctus, demittit in ilia ferrum.
Nec mora; ferventi moriens è vulnere traxit.
Ut jacuit reſupinus humi; cruor emicat altè,
Non aliter, quàm cùm vitiato fiſtula plumbo
Scinditur, & tenues ſtridente foramine longè
Ejaculatur aquas; atque ictibus aëra rumpit.
Arborei fœtus aſpergine cædis in atram
Vertuntur faciem: madefactaque ſanguine radix
Puniceo tingit pendentia mora colore.
Ecce, metu nondum poſito, ne fallat amantem,
Illa redit: juvenemque oculis, animoque requirit:
Quantaque vitârit narrare pericula geſtit.
Utque locum, & verſam cognovit in arbore formam;
(Sic facit incertam pomi color) hæret an hæc ſit.
Dum dubitat, tremebunda videt pulſare cruentum
Membra ſolum; retroque pedem tulit: oraque buxo
Pallidiora gerens, exhorruit æquoris inſtar,
Quod fremit, exiguâ cùm ſummum ſtringitur aura.
Sed poſtquàm remorata ſuos cognovit amores;
Percutit indignos claro plangore lacertos:
Et laniata comas; amplexaque corpus amatum,

pulvere indubitata veſtigia feræ, & toto vultu expalluit. Poſtquam autem invenit amictum infectum etiam cruore; Una nox, inquit, conficiet duas amantes, è quibus illa fuit digniſſima longiore vitâ. Anima noſtra eſt in culpâ. Ego te perdidi, deflenda, qui monui ut venires noctu in loca pavore obſita, neque primus huc adfui. O leones quicunque incolitis hæc ſaxa, convellite impia præcordia ſævo morſu. Sed meticuloſi eſt animi mortem cupere. Colligit velum Thiſbes, & portat ſecum ad umbram arboris conſtitutæ. Et ſicuti dedit lachrymas, dedit quoque ſuavia amicti; deinde, inquit, Habeas nunc etiam undas noſtri ſanguinis; & infigit gladium, quo erat inſtructus, in ſuum latus; & ſine cunctatione, moriens educit è vulnere exæſtuante. Cùm ſtratus fuit humi reſupinus, ſanguis exilit in altum, non aliter quàm cùm tubus aperitur rupto plumbo, & longè expuit ſubtiles aquas, foramine ſtrepente, atque impetu aërem verberat. Fructus arboris mutantur rore ſanguinis in nigrum colorem, & radix cruore imbuta inficit mora pendentia colore rubro. Ecce illa, ne decipiat amantem, revertitur, pavore nondum ſedato, & veſtigat juvenem oculis & mente, & lætatur quòd mox referat quantum diſcrimen effugerit. Et poſtquam cognovit locum, & formam mutatam in arbore, dubitat an hæc ſit, ita color fructûs facit incertam. Dum hæret, aſpicit artus trementes quatere terram ſanguinolentam; & greſſum repreſſit, & vultus habens pallidiores buxo, exhorruit ſicut mare quod ſtrepit, cùm ſuperficies impellitur levi vento. Sed poſtquam per temporis ſpatium ſuum amatorem agnoviſſet, plangit immerita brachia magnis ictibus; & diſcerpens capillos, & complexa corpus dilectum;

NOTÆ.

114. *Leones*] A quibus nempe occiſam credit Thiſben.

115. *Timidi*] Qui ex ſtoicorum ſententiâ in manu eſt cujuſque.

137. *Amores*] Amatum Pyramum.

138. *Claro*] Id eſt, cum magno ejulatu, & planctu. Mota eſt, cùm nondum nôrat cujus erat, quod vidit cadaver; quam primùm novit eſſe Pyrami, in apertos planctus erumpit.

Vulnera

applevit plagas lachrymis, & miscuit fletum sanguini: & deosculans os frigidum, Pyrame, clamavit, quod infortunium te mihi fustulit? Pyrame, responde; tua Thisbe te vocat, suavissime, exaudi & erige vultus languentes. Pyramus aperuit oculos jam morte pressos ad nomen Thisbes, & eâ conspectâ iterum clausit. Quæ postquam & agnovit velum suum, & vidit eburneam vaginam inanem gladio, Manus tua, inquit & amor te mactavit, miser. Manus est etiam mihi strenua ad hoc unum; est etiam amor; hic sufficiet vires ad plagas. Prosequar mortuum, & infelicissima dicar caussa & socia tuæ mortis; & qui, heu! poteras sejungi à me solâ morte, neque poteris sejungi morte. Attamen, ô parentes mei & illius valde infelices, estote rogati amborum nomine, ut non prohibeatis nos condi eodem sepulchro, quos hora ultima non divisit. At tu, arbor quæ nunc operis ramis corpus luctuosum unius, mox es opertura duorum corpora, *habe indicia necis, & serva fructus nigros & idoneus luctibus, in memoriam sanguinis à duobus* effusi. *Dixit, & cuspide accommodato ad infimum pectus immisit se gladio, qui âdhuc calidus erat à sanguine* Pyrami. *Cæterùm preces moverunt Deos, moverunt parentes. Nam color est niger in fructu* morì, *ubi ad maturitatem pervenit; & quod ex amborum pyris reliquum est, compositum est in unam urnam.*

Vulnera supplevit lacrymis; fletumque cruori
Miscuit: & gelidis in vultibus oscula figens,
Pyrame, clamavit, quis te mihi casus ademit?
Pyrame responde. Tua te, carissime, Thisbe
Nominat. Exaudi: vultusque attolle jacentes.
Ad nomen Thisbes oculos jam morte gravatos
Pyramus erexit, visâque recondidit illâ.
Quæ postquam vestemque suam cognovit, & ense
Vidit ebur vacuum; Tua te manus, inquit, amorq;
Perdidit, infelix. Est & mihi fortis in unum
Hoc manus: est & amor: dabit hic in vulnera vires.
Persequar extinctum: lethique miserrima dicar
Caussa, comesque tui: quique â me morte revelli
Heu solâ poteras, poteris nec morte revelli.
Hoc tamen amborum verbis estote rogati,
O multùm miserique mei illiusque parentes,
Ut, quos certus amor, quos hora novissima junxit,
Componi tumulo non invideatis eodem.
At tu, quæ ramis arbor miserabile corpus
Nunc tegis unius, mox es tectura duorum;
Signa tene cædis: pullosque & luctibus aptos
Semper habe fœtus gemini monumenta cruoris.
Dixit: & aptato pectus mucrone sub imum
Incubuit ferro; quod adhuc à cæde tepebat.
Vota tamen tetigêre Deos, tetigêre parentes.
Nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater:
Quodque rogis superest, unâ requiescit in urnâ.

III. Desierat, mediumque fuit breve tempus; & orsa est
Dicere Leuconoë. Vocem tenuêre sorores.
Hunc quoque, fidereâ qui temperat omnia luce,
Cepit amor solem. Solis referemus amores.
Primus adulterium Veneris cum Marte putatur

III. *Absolverat; & temporis interstitium fuit breve; & Leuconoë incepit narrare; sorores conticuerunt. Amor corripuit etiam hunc Solem, qui cuncta moderatur lumine fidereo; narrabimus Solis amores. Primus furtum Martis cum Venere creditur*

NOTÆ.

147. *Vestem*] Velamina, quæ suprà lapsa reliquisse Thisbea poëta memoravit; ex quibus à Pyramo collectis concludit eum in propria viscera sævîsse quia Thisben suam laniatam crediderat.

148. *Ebur*] Pro vaginâ ex ebore.

150. *Hoc*] Ut nempe, me meâ manu perdam, siquidem & amo.

167. *Desierat*] Aliqua è sororibus quæ Pyrami & Thisbes fabulam narravit.

Ib. *Medium*] Breve tempus intercessit, inter fabulam quam altera soror, & illam, quam Leuconoë narravit.

Hic

Hic vidisse Deus. Videt hic Deus omnia primus.
Indoluit facto: Junonigenæque marito
Furta tori, furtique locum monstravit. At illi
Et mens, & quod opus fabrilis dextra tenebat,
Excidit. Extemplo graciles ex ære catenas,
Retiaque, & laqueos, quæ lumina fallere possint,
Elimat. Non illud opus tenuissima vincant
Stamina, non summo quæ pendet aranea tigno.
Utque leves tactus momentaq; parva sequatur,
Efficit: & lecto circumdata collocat aptè.
Ut venêre torum conjux & adulter in unum;
Arte viri, vinclîsque novâ ratione paratis,
In mediis ambo deprênsi amplexibus hærent.
Lemnius extemplo valvas patefecit eburnas:
Admisitque Deos. Illi jacuêre ligati
Turpiter. Atque aliquis de Dîs non tristibus optet
Sic fieri turpis. Superi risêre: diuque
Hæc fuit in toto notissima fabula cœlo.
Exigit indicii memorem Cythereïa pœnam:
Inque vices illum, tectos qui læsit amores,
Lædit amore pari. Quid nunc, Hyperione nate,
Forma, calorque tibi, radiataque lumina prosunt?
Nempe tuis omnes qui terras ignibus uris,

hîc Deus conspexisse: Hic Deus primus intuetur omnia. Tristis fuit ob id quod factum fuit, & indicavit marito Junone genito stupra & locum adulterii. Illi autem animus, & opus quod dextra fabricandi perita tractabat, excidit. Continuò limâ perficit ex ære vincula tenuissima, & retia, & laqueos, qui possint decipere oculos. Neque filum subtilissimum, neque tela aranearum quæ pendet summâ trabe possit superare illud opus. Atque dat operam ut cedat minimo tractui, & re levissimâ flectatur; & toro circumfusa commodò locat. Cùm mœchus & uxor coiverunt in unum lectum, uterque manent correpti in mediis complexibus industriâ mariti, & catenis intextis novo modo. Continuò Vulcanus aperuit fores eburneas, & introduxit Deos. Illi concubuerunt indecorè vincti: atque non nullus Deorum minùs se-

verorum cupiat ita dedecorari. Dii irriserunt, & hæc fabula fuit diu vulgatissima in toto cœlo. Cythereïa repetit supplicium insigne accusationis, & vicissim urit simili amore illum qui violavit amores occultos. Quid nunc te juvant, fili Hyperionis, species, & ignes, & splendidi radii? Tu nimirum, qui incendis totum orbem tuis flammis,

NOTÆ.

173. *Junonigenæque*] Vulcanum dicit Veneris maritum, quem solum Junonis & Jovis nonnulli, alii Junonis unius filius fabulati sunt.

175. *Fabrilis*] Est nempe Vulcanus Deorum faber.

180. *Leves*] Flexibilia admodum retia, ut ne sentiri possent, aut facilè rebus omnibus cederent: ita ut iis teneantur amatores, nescii interim quâ vi retenti sint. Alibi de hâc catenâ ait,

——*Lumina fallet opus.*

185. *Lemnius*] *Vulcanus*, qui dum matris auxilio occurreret adversus Jovem ῥιφθεὶς ποδὸς, ut ipse narrat Iliad. ά, precipitatus à Jove de cœlo in Lemnum decidit, ubi eum Sinties exceperunt.

187. *Turpiter*] Mythologiam hujus fabulæ ita explicat Farnabius: *Ignea Martis stella*, inquit, *significat calorem, Veneris autem stella humorem temperatum; ex horum conjunctione constat generatio: Quos Sol aspectu suo elicit detegitque: Vulcani immodicus calor impedit. Neptunus, ut habet Homerus* 8 *Odyss. ligatos solvit: aquâ scilicet extinguit calorem.*

Ib. *Aliquis*] Mercurium eum fuisse jocatus est Lucianus: quod fortè non temerè jocatus.

190. *Memorum*] Quam Venus in memoriâ habeat. Sic Virg.

——*Sævæ memorem Junonis ob iram.*

Ib. *Cythereïa*] Venus à Cytheris insulâ contra Cretam, quo primùm appulsam eam è mari egredientem nonnulli fabulati sunt.

192. *Quid nunc*] Apostrophe ad solem, quæ sequentem fabulam inducit.

Ib. *Hyperione*] Hunc Hyperionem Cœli filium, Hesiodus & Apollodorus scripserunt quoque Solis patrem, quem pro sole ipso positum non semel reperias.

Ureris

ardes recenti flammâ: & qui debes cuncta intueri, vides solam *Leucothoën: & intentos habes oculos in unâ puellâ, quos debes orbi. Nunc oreris maturiùs in cœlo orientali; nunc tardiùs te immergis aquis; & producis horas hyemales, dum diu in illius obtuta hæres. Deliquium pateris nonnunquam; & defectus mentis porrigitur ad lucem; caliginosus terrorem incutis animis hominum. Neque expallescis, quòd Luna vicinior terris obfuerit: hic amor parit hunc colorem. Amas hanc solam: neque Clymene, neque Rhodus, neque formosissima mater Circes Æææ te movet, quæ quantumvis neglecta optabat tuos complexus; illo ipso tempore graviter* amore alio *vulneratus eras. Leucothoë delevit ex animo* amicas *multas; quam Eurynome pulcherrima nationis odores ferentis peperit; sed posiquam nata adolevit, tantùm filia superarat matrem, quantùm mater* superat *cæteras. Orchamus parens imperium tenuit in urbes Achæmenias, atque is censetur septimus à primo* atque *antiquo Belo. Pascua equorum sunt sub regione occidentali: habent Ambrosiam pro pabulo. Ea alit artus lassos laboribus diurnis, & restituit* crastinum *laborem. Et dum quadrupedes pascuntur cibis cœlestibus, & nox vicem absolvit, Deus subit cubiculum amicæ mutatus in vultus matris Eurynomes; &*

Ureris igne novo: quique omnia cernere debes,
Leucothoën spectas: & virgine figis in unâ,
Quos mundo debes, oculos. Modò surgis Eoo
Temperiùs cœlo; Modò seriùs incidis undis;
Spectandique morâ brumales porrigis horas.
Deficis interdum: vitiumque in lumina mentis
Transit; & obscurus mortalia pectora terres.
Nec, tibi quòd Lunæ terris propioris imago
Obstiterit, palles. Facit hunc amor iste colorem.
Diligis hanc unam: nec te Clymeneque, Rhodosq;
Nec tenet Æææ genitrix pulcherrima Circes,
Quæque tuos Clytie, quamvis despecta, petebat
Concubitus: ipsoque illo grave vulnus habebas
Tempore. Leucothoë multarum oblivia fecit;
Gentis odoriferæ quam formosissima partu
Edidit Eurynome; sed postquam filia crevit,
Quàm mater cunctas, tam matrem filia vincit.
Rexit Achæmenias urbes pater Orchamus: isque
Septimus à prisci numeratur origine Beli.
Axe sub Hesperio sunt pascua Solis equorum:
Ambrosiam pro gramine habent: ea fessa diurnis
Membra ministeriis nutrit, reparatque labori.
Dumque ibi quadrupedes cœlestia pabula carpunt;
Noxque vicem peragit; thalamos Deus intrat amatos
Versus in Eurynomes faciem genetricis, & inter

cæteras. Orchamus parens imperium tenuit in urbes Achæmenias, atque is censetur septimus à primo atque *antiquo Belo. Pascua equorum sunt sub regione occidentali: habent Ambrosiam pro pabulo. Ea alit artus lassos laboribus diurnis, & restituit* crastinum *laborem. Et dum quadrupedes pascuntur cibis cœlestibus, & nox vicem absolvit, Deus subit cubiculum amicæ mutatus in vultus matris Eurynomes; &*

NOTÆ.

196. *Leucothoën*] Orchami Babyloniorum regis filiam, Soli adamatam.

198. *Temperiùs*] *Maturiùs, Citiùs.* Adverbium est ab adverbio *Tempori.*

199. *Brumales*] Breviores horas, adeóque & dies.

202. *Nec, tibi*] Solem negat ex interpositione lunæ passum deliquium pallere, quod illi quandoque accidit: sed obnubilari, quia Leucothoës amore teneatur. Pallere propriè est amantum: unde alibi.

Palleat omnes amans, color hic est aptus amanti.

204. *Clymene*] Phaëtontis mater, de quâ jam sæpe, Oceani filia.

Ib. *Rhodos*] Puella fingitur fuisse Rhodia, Neptuni, &, secundum aliquos, Veneris filia, Phœbo in primis adamata, ex quâ septem genuit filios.

205. *Æææ genitrix*] Persa Oceani filia. Dicitur verò Circe Ææa ab Æâ, urbe seu Peninsulâ Colchidis; quamquam alii aliter.

206. *Clytie*] Una ex Oceani nymphis, Phœbe amore correpta, quam deinde odio maximo prosecutus est, ut infrà videbimus.

209. *Odoriferæ*] Odores ferentis; hoc est, Arabicæ.

210. *Eurynome*] Oceani & Tethyos filia, uxorque Orchami.

212. *Achæmenias*] Persicus, Arabiæ finitimas, quibus imperavit Achæmenes, à quo pars Persidis Achæmenia dicta est.

213. *Septimus*] A Belo; Abas, Acrisius, Danaë, Perseus, Bochæmon, Achæmenes, Orchamus.

214. *Axe*] Pro cœli seu mundi parte occidentali posuit.

Bis ſex Leucothoën famulas ad limina cernit
Lævia verſato ducentem ſtamina fuſo.
Ergo ubi, ceu mater, caræ dedit oſcula natæ:
Res, ait, arcana eſt: famulæ, diſcedite; neve
Arripite arbitrium matri ſecreta loquenti.
Paruerunt; thalamoque Deus ſine teſte relicto,
Ille ego ſum, dixit, qui longum metior annum,
Omnia qui video: per quem videt omnia tellus;
Mundi oculus. Mihi crede, places. Pavet illa; metuque
Et colus & fuſus digitis cecidêre remiſſis.
Ipſe timor decuit. Nec longiùs ille moratus,
In veram rediît faciem, ſolitumque nitorem.
At virgo, quamvis inopino territa viſu,
Victa nitore Dei, poſitâ vim paſſa querelâ eſt.
Invidit Clytie (neque enim moderatus in illâ
Solis amor fuerat) ſtimulataque pellicis irâ
Vulgat adulterium: diffamatumque parenti
Indicat. Ille ferox immanſuetuſque precantem,
Tendentemque manus ad lumina Solis, &, Ille
Vim tulit invitæ, dicentem, defodit altâ
Crudus humo: tumulumq; ſupèr gravis addit arenæ.
Diſſipat hunc radiis Hyperione natus: iterque
Dat tibi, quo poſſis defoſſos promere vultus.
Nec tu jam poteras enectum pondere terræ
Tollere, Nympha, caput: corpuſq; exangue jacebas.
Nîl illo fertur volucrum moderator equorum
Poſt Phaëtonteos vidiſſe dolentius ignes.
Ille quidem gelidos radiorum viribus artus,
Si queat, in vivum tentat revocare calorem.
Sed quoniam tantis fatum conatibus obſtat,
Nectare odorato ſpargit corpuſque, locumque:

inter duodecim ancillas vidit ad januam Leucothoën trahentem filia tenuia fuſo verſato. Poſtquam igitur obtulit ſuavia, tanquam mater dilectæ filiæ. Rem, ait, habeo ſecretam, ancillæ, abite, neve velitis eſſe teſtes matri aperienti arcana. Obtemperaverunt, & Deus, arbitris è cubiculo remotis, dixit, Ego ſum ille, qui menſuro longum annum, qui cuncta intueor, per quem terra cuncta cernit; orbis lumen: mihi fidem adhibeas, mihi *amata es. Illa metuit; & colus, & fuſus exciderunt digitis timore laxatis. Ipſe metus decorus fuit; neque ille diutius hærens induit veros vultus, & conſuetum ſplendorem. At puella, quanquam tremefacta inſperato viſu, ſuperata ſplendore Dei, vim tulit ſine querimoniâ. Clytie invidit (neque enim amor Solis fuerat mediocris in illam) & incitata irâ in adulteram propagat adulterium, & vulgatum patri aperit. Ille crudelis & inhumanus, & ferus tegit altâ terrâ orantem, & porrigentem manus ad lumina Solis, & dicentem, ille violavit* me *repugnantem; & ſuperinjecit cumulum ponderoſæ arenæ.* Sol *filius Hyperionis* arenam *hanc diſcutit radiis; & tibi,* Leucothoë, *viam facit, quâ poſſis emittere faciem terrâ obrutam. Tu verò, Nympha, jam non poteras erigere caput interfectum onere terræ: & jacebas corpus examine. Nihil Sol rector equorum alatorum dicitur vidiſſe iniquius poſt flammas Phaëthontis. Ille quidem nititur virtute radiorum reducere, ſi poſſit, ad vivum calorem membra frigida. Sed quia fatum impedit tantus niſus, imbuit nectare odorato & corpus, & locum:*

NOTÆ.

234. *Neque enim*] Immoderatus erat, adeóque nimis apertus; dicit hoc, ne quis fortaſſe Apollinis furta Clytiæ cognita miretur.

235. *Pellicis irâ*] Irâ, quâ in Leucothoën pellicem flagrabat, vel potiùs irâ quâ pellices ardere ſolent, cùm rivalem invenerint; conſtat enim Clytien etiam fuiſſe Apollini quondam amatam ex v. 257, ſeq. *non amplius author lucis adit, &c.*

240. *Crudus*] *Crudelis*, immitis. Alluſum fortè ad ſupplicia veſtalium corruptarum.

246. *Ignes*] *Fulmina* quibus à Jove miſſis Phaëton periît.

& priùs multa conqueſtus, nihilominus inquit, penetrabis cœlum. Continuò corpus delibutum cœleſti nectare emollitum eſt, & imluit terram ſuo odore; & ſurculus thurifer prodit, radicibus porrectis paulatim per ceſpitem, & per arenæ aggerem vertice ſuo erupit.

IV. *At Sol pater luminis non ampliùs accedit ad Clytien (quanquam amor poterat excuſare invidiam, & invidia indicium) & abſtinuit à Venere cum illâ.* Clytie *inſaniſſimè uſa amoribus conſumta eſt ab illo* tempore; *Nymphas fugiens; & comam gerens inornatam atque nudam, jacet humi ſub dio, & nocte & die; & per novem Dies ſine aquâ & ſine alimentis fovit jejunia ſolo rore & ſuis lachrymis: neque ſe movit à terrâ: intuebatur ſolummodo vultus Dei prætereuntis, & convertebat ſuam faciem ad illum. Dicunt artus* ejus *adhæſiſſe terræ; & pallor mutavit in herbas exſangues partem coloris. Eſt rubor in parte; & flos ſimillimus violæ occulit os. Illa, tametſi impeditur radicе, flectitur ad ſolem ſuum; mutata adhuc tuetur ſuum amorem.*

Multaque præqueſtus, Tanges tamen æthera, dixit.
Protinus imbutum cœleſti nectare corpus
Delicuit, terramque ſuo madefecit odore:
Virgaque per glebas ſenſim radicibus actis
Thurea ſurrexit; tumulumque cacumine rupit.
IV. At Clytien (quamvis amor excuſare dolorem,
Indiciumque dolor poterat) non ampliùs auctor
Lucis adit: Veneriſque modum ſibi fecit in illâ.
Tabuit ex illo dementer amoribus uſa,
Nympharum impatiens; & ſub Jove nocte dieque
Sedit humo nudâ nudis incompta capillis.
Perque novem luces expers undæque cibique,
Rore mero, lachrymiſque ſuis jejunia pavit:
Nec ſe movit humo. Tantùm ſpectabat euntis
Ora Dei: vultuſque ſuos flectebat ad illum.
Membra ferunt hæſiſſe ſolo: partemque coloris
Luridus exſangues pallor convertit in herbas.
Eſt in parte rubor: violæque ſimillimus ora
Flos tegit. Illa ſuum, quamvis radice tenetur,
Vertitur ad Solem: mutataque ſervat amorem.

V. *Abſolverat fabulam: & factum ſtupendum demulſerat aures. Pars diffitentur fieri potuiſſe, pars dicunt veros Deos omnia poſſe: ſed non eſt etiam Bacchus ex eo numero. Alcithoë petitur, poſtquam ſorores conticuerunt; quæ telam pendentem radio texens, Tritos, inquit, prætereo amores Daphnidis paſtoris Idæi, quem Nympha irata ob pellicem* rivalem

V. Dixerat: & factum mirabile ceperat aures.
Pars fieri potuiſſe negant; pars omnia veros
Poſſe Deos memorant: ſed non & Bacchus in illis.
Poſcitur Alcithoë, poſtquam ſiluêre ſorores:
Quæ radio ſtantis percurrens ſtamina telæ,
Vulgatos taceo, dixit, paſtoris amores
Daphnidis Idæi, quem Nymphe pellicis ira

NOTÆ.

253. *Delicuit*] Præteritum à deliqueſco, *Molle & liquidum factum eſt corpus.*

Ib. *Odore*] Quia in arbuſculam mutata eſt, ex cujus inciſo cortice thus exſudat, quod foco admotum Diis gratiſſimum præbet odorem atque adeò *æthera tangit.*

257. *Indiciumque*] Quod Orchamo Leucothoës patri fecerat.

259. *Dementer uſa*] Dolore amens, quòd ſe ab Apolline prorsùs derelictam ſentiret.

260. *Nympharum impatiens*] Commercium alariarum nympharum fugiens.

269. *Flos tegit*] *Heliotropium* deſcribit, quod ſe cum ſole circumagere, illumque ſequi creditum, in quod mutata eſt Clytie.

271. *Ceperat*] Occupaverat, delectârat.

273. *Sed non & Bacchus*] Non imperitè profectò iſtud a poëtâ additum, ut Bacchi refricetur memoria, ad quem tandem redeundum, ut aptè inter ſe cohæreant hæ fabularum narrationes.

274. *Poſcitur*] Ut etiam fabellam aliquam narret.

277. *Idæi*] *Phrygii*, vel *Cretenſis*; quippe & in Phrygiâ & in Cretâ mons Ida. Siculum hunc fecerant alii, niſi fortè plures fuerunt.

Contulit

Contulit in ſaxum. Tantus dolor urit amantes.
VI. Nec loquor, ut quondam naturæ jure novato
Ambiguus fuerit modò vir, modò fœmina, Scython.
VII. Te quoque, nunc adamas, quondam fidiſſime parvo,
Celmi, Jovi: largoque ſatos Curetas ab imbri:
VIII. Et Crocon in parvos verſum cum Smilace flores
Prætereo. Dulcique animos novitate tenebo.
IX. Unde ſit infamis; quare malè fortibus undis
Salmacis enervet, tactoſque remolliat artus;
Diſcite. Cauſſa latet: vis eſt notiſſima fontis.
Mercurio puerum divâ Cythereïde natum
Naïdes Idæis enutrivêre ſub antris.
Cujus erat facies, in quâ materque paterque
Cognoſci poſſent: nomen quoque traxit ab illis.
Is tria cùm primùm fecit quinquennia; montes
Deſeruit patrios: Idâque altrice relictâ
Ignotis errare locis, ignota videre
Flumina gaudebat; ſtudio minuente laborem.
Ille etiam Lycias urbes, Lyciæque propinquos
Caras adit. Videt hic ſtagnum lucentis ad imum
Uſque ſolum lymphæ. Non illîc canna paluſtris,
Nec ſteriles ulvæ, nec acutâ cuſpide junci.
Perſpicuus liquor eſt. Stagni tamen ultima vivo

mutavit in lapidem. Tanta ira inſtigat amantes.

VI. *Neque dico, ut olim Scython fuerat ambiguus, nunc mas, nunc fœmina, naturæ conditione mutatâ.*

VII. *Omitto te etiam Celmi, jam adamas, olim fideliſſime parvo Jovi*; omitto *etiam Curetas ortos ex ubere pluviâ.*

VIII. *Et Crocon mutatam in tenues flores cum Smilace: & morabor mentes gratâ novitate.*

IX. *Audite quamobrem Salmacis ſit dedecorata, quare vires auferat effœminatis aquis, & enervat membra contacta. Cauſſa ignoratur: potentia fontis eſt vulgata. Naïdes aluerunt ſub ſpeluncis Idæis puerum natum Mercurio ex divâ Cythereïde, cujus vultus erat, in quo pater & mater poſſent dignoſci: habuit etiam nomen ab illis. Is, ſtatim atque implevit annum decimum quintum, deſtituit montes paternos, & Idâ nutrice deſertâ geſtiebat vagari per ignota loca, & cernere fluvios ignotos, dum interim alacritas levaret laborem. Ille etiam inviſit urbes Lycias, & Caras conterminos Lyciis. Hîc aſpicit lacum aquæ perſpicuæ uſque ad ultimum fundum. Illîc neque arundo paluſtris, neque ulvæ inutiles, neque junci acutâ cuſpide ſuccreverunt. Aqua eſt pellucida. Margo tamen ſtagni virente*

NOTÆ.

282. *Celmi*] Unus ex Idæis Dactylis, Jovis nutritius, cui parvulo multùm dilectus, à quo poſtea, quòd mortalem eum vulgaviſſet, in adamantem mutatus eſt.

Ib. *Curetas*] Diomedes ait, Opem in Idam Cretenſem delatam ex fugâ, cùm puerperii tempus inſtaret, primam montis partem manibus prehendiſſe, atque in partu ſolutam. Ex impreſſione verò palmarum Curetas prodiiſſe, quos ab effectu Græci nominis *Dactylos*, i. e. digitos, & *Idæos* à monte nominaverunt. Strabo ait ἀπο τῆς κυρᾶς, id eſt, à tonſurâ *Curetas* appellatos, quòd detonſi eſſent. Jovis fuerunt nutritii, & Cybeles ſacerdotes. Dicti ſunt item *Corybantes*.

283. *Smilace*] Puella eſt, quæ Crocon amavit, quo cùm potiri non poſſet, in Smilacis, quæ hederæ ſimilis eſt, florem mutata eſt, ficuti & Crocus in Crocum.

285. *Infamis*] Fuit Salmacis fons Cariæ, in quem quicunque vir deſcenderet, ita mollis fiebat, & fœminæ naturam induebat, ut inde *Hermaphroditus*, hoc eſt, utrumque ſexum habens, exiret: quâ re fons infamis factus. Unde verò illi tanta vis, meliùs erit ex ipſo poëtâ cognitum.

291. *Nomen*] Ἑρμαῦ καὶ Ἀφροδίτης.

296. *Lycias*] Eſt Lycia Aſiæ minoris provincia, ad mare Mediterraneum, aut ejus partem, quod à Lydiâ *Lycium* dicitur.

297. *Caras*] Accuſativus Græcus. Sunt autem Cares Cariæ incolæ, juxta Lyciam.

glebâ circumdatur, & gramine semper viridi. Nympha frequentat; sed neque apta venationi, nec quæ consueverit curvare arcus, nec certare cursu, & sola Naïadum non cognitâ veloci Dianæ. Fama est suas sorores sæpe illi dixisse, Salmaci, cape jaculum, vel pharetras versicolores; & misce tua otia cum laboriosis venatibus. Neque illa capit jaculum, neque pictas pharetras, neque miscet sua otia cum laboriosis venatibus. Sed tantùm lavat pulchra membra in forte suo: sæpe pectit capillos pectine buxeo; & consulit aquas spectatas, quid sibi conveniat: interdum induta corpus vestitu pellucido sternitur vel in teneris frondibus, vel in teneris graminibus. Sæpe colligit flores; & tum quoque fortè colligebat, cùm aspexit juvenem, & cupivit frui conspecto. Neque tamen prius accessit, quanquam festinabat accedere, quàm se ornavit, quàm circumspexit vestitus, & composuit faciem, & digna sibi videri pulchra. Tunc sic occæpit loqui, O Juvenis dignissime haberi deus; sive tu deus es, videris esse Cupido: seu es mortalis, qui te produxerunt sunt felices, frater est quoque beatus, & sanè soror, si quam habes, est felix, & nutrix quæ tibi admovit mammam. Sed si quam habes sponsam, si quam dignam credideris face, ea longè multóque fortunatior illis omnibus. Seu aliquam habes, voluptas sit mihi secreta: seu nullam habes, ego sim tibi sponsa, & conveniamus in unum cubiculum. Post hæc Naïs siluit: rubor tinxit vultus adolescentis ignorantis quid sit amor: sed etiam decorum erat pudore suffusum fuisse. Hic est color pomis adhærentibus arbori soli expositæ aut ebori calore infecto, aut lunæ rubenti sub albedine, cùm æra opifera ne quidem obstrepunt.

Cespite cinguntur, semperque virentibus herbis.
Nympha colit: sed nec venatibus apta, nec arcus
Flectere quæ soleat, nec quæ contendere cursu:
Solaque Naïadum celeri non nota Dianæ.
Sæpe suas illi fama est dixisse sorores:
Salmaci, vel jaculum, vel pictas sume pharetras,
Et tua cum duris venatibus otia misce.
Nec jaculum sumit, nec pictas illa pharetras;
Nec sua cum duris venatibus otia miscet.
Sed modò fonte suo formosos perluit artus:
Sæpe Citoriaco deducit pectine crines;
Et quid se deceat, spectatas consulit undas.
Nunc perlucenti circumdata corpus amictu,
Mollibus aut foliis, aut mollibus incubat herbis.
Sæpe legit flores. Et tunc quoque fortè legebat,
Cùm puerum vidit: visumque optavit habere.
Nec tamen antè adiit, etsi properabat adire,
Quàm se composuit, quàm circumspexit amictus,
Et finxit vultum; & meruit formosa videri.
Tunc sic orsa loqui: Puer ô dignissime credi
Esse Deus; seu tu Deus es, potes esse Cupido;
Sive es mortalis; qui te genuêre beati:
Et frater felix, & fortunata profectò
Si qua tibi soror est, & quæ dedit ubera nutrix.
Sed longè cunctis, longéque potentior illis;
Si qua tibi sponsa est; si quam dignabere tædâ.
Hæc tibi sive aliqua est; sit furtiva voluptas:
Seu nulla est; ego sim: thalamumq; ineamus eundem.
Naïs ab his tacuit: pueri rubor ora notavit
Nescia quid sit amor: sed & erubuisse decebat.
Hic color apricâ pendentibus arbore pomis:
Aut ebori tincto est, aut sub candore rubenti,
Cùm frustrà resonant æra auxiliaria, lunæ.

NOTÆ.

311. *Citoriaco*] *Buxeo*; à Citoro Galatiæ monte buxo celebri.

319. *Et finxit vultum*] Sumsit vultum blandum, amantique aptum.

333. *Æra*] Mulieres astrologiæ peritæ, eclipseos lunæ præsciæ, quò sibi fidem apud vulgus facerent, simulabant se carmine magico, veneficiis, & rhombo posse lunam rubore suffusam deducere. Quod cùm vulgò persuasum esset, laboranti lunæ auxiliari se credebant, si pelvium tinnitu, & turbarum strepitu obstreperent carminibus veneficarum, ne exaudiantur à lunâ.

Poscenti

Poscenti Nymphæ sine fine sororia saltem
Oscula, jamque manus ad eburnea colla ferenti,
Desinis? an fugio, tecumque, ait, ista relinquo?
Salmacis extimuit; Locaque hæc tibi libera trado,
Hospes, ait; simulatque gradu discedere verso.
Tum quoque respiciens, fruticumque recondita silvâ
Delituit; flexumque genu submisit. At ille
Ut puer, & vacuis ut inobservatus in herbis
Huc it; & hinc illuc: & in alludentibus undis
Summa pedum, taloque tenus vestigia tingit.
Nec mora; temperie blandarum captus aquarum,
Mollia de tenero velamina corpore ponit.
Tum verò obstupuit, nudæque cupidine formæ
Salmacis exarsit: Flagrant quoque lumina Nymphes;
Non aliter, quàm cum puro nitidissimus orbe
Oppositâ speculi referitur imagine Phœbus.
Vixque moram patitur: vix jam sua gaudia differt.
Jam cupit amplecti: jam se malè continet amens.
Ille, cavis velox applausо corpore palmis,
Desilit in latices: alternaque brachia ducens
In liquidis translucet aquis: ut eburnea si quis
Signa tegat claro, vel candida lilia, vitro.
Vicimus, en meus est, exclamat Naïs: &, omni
Veste procul jactâ, mediis immittitur undis:
Pugnacemque tenet; luctantiaque oscula carpit:
Subjectatque manus, invitaque pectora tangit:
Et nunc hàc juveni, nunc circumfunditur illàc.
Denique nitentem contrà, elabique volentem
Implicat, ut serpens, quam regia sustinet ales;
Sublimemque rapit: pendens caput illa, pedesque
Alligat; & caudâ spatiantes implicat alas.
Utve solent hederæ longos intexere truncos;

Nymphæ petenti indesinenter saltem suavia sororia, jamque manus ad candidum collum injicienti, dixit Puer, *desine me sollicitare, aut discedam, & tibi soli loca hæc relinquam. Salmacis expavit: & inquit, Hospes, tibi loca hæc libera relinquo; & fingit abire gressu aversо. Tum etiam respectans, & tecta in fruticetis se occultavit, & se inflexit poplite curvato: At ille, utpote puer, & tanquam non esset visus in gramine* jam à Salmace *relicto, huc vadit, & deinde illuc, & mergit ultimam partem pedum & plantam usque ad talos in aquis alludentibus. Et sine cunctatione delinitus tepore ablandientium aquarum, exuit tenues amictus à molli corpore. Tum verò Salmacis mirata est, & incaluit amore nudæ formæ. Oculi etiam nymphæ ardent; non aliter quàm cùm Sol splendidus in sereno cœlo repercutitur à speculo sibi objecto. Vixque moram tolerat, vix jam prorogat suam voluptatem. Jam aptat complecti, vix jam furens se reprimit. Ille celer prorumpit in aquam corpore leviter percussо palmis; & movens lacertos per vices in nitidis aquis translucet; quemadmodum si quis operiat imagines ex ebore factas vel alba lilia vitro pellucido. Vicimus, exclamat Naïs. Ecce meus est, & omni amictu procul depositо, sese injicit in medias aquas; & urget reluctantem, & deosculatur nolentem, & subjicit manus, & tangit pectora invita, & modò hàc circumcingit puerum, modò illàc. Denique impedit reluctantem, & cupientem evadere, sicut anguis, quem avis regia tenet, & aufert sublimem: ille pendens implicat caput & pedes* avis, *& caudâ suâ involvit alas* illius *extensas. Vel ut hederæ consueverunt implicare productos stipites;*

NOTÆ.

334. *Sororia*] Qualia sorori frater honestè dare potest.

347. *Flagrant*] Ex incendio amoris, qui in oculis se maximè prodit.

353. *Alternaque*] Nutantium more, qui brachia viciſſim movent.

362. *Ut serpens*] Αἰετὸς ὑψιπετὴς —— φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον, &c. Hom. Il. 12. 201.

Ib. *Regia ales*] *Aquila*, Jovis armiger.

& ut polypus coërcet hostem correptum sub aquis, cirris seu pedibus *flagella imitantibus hic inde sparsis. Atlantiades perseverat, & recusat nymphæ voluptatem expectatam. Illa urget & conjuncta toto corpore quemadmodum affixa erat, Quamvis, inquit, reluctaris, pessime, non tamen dilaberis: ita velitis dii, neque ulla dies hunc disjungat à me, nec me ab eo. Preces invenerunt deos propitios: nam corpora confusa duorum connectuntur, atque unus vultus illis tribuitur: quemadmodum, si quis videat ramos coalescere crescendo cortice connexo, & simul augeri. Sic postquam artus coaluerunt firmo complexu, neque duo sunt, & forma duplex, neque possint appellari fœmina neque mas, & videntur neutrum & utrumque. Cùm igitur Hermaphroditus cernit aquas fluidas, in quas vir intraverat, ipsum reddidisse semivirum, & artus esse effœminatos in illis, porrigens manus dixit, sed non jam sono masculo, O pater & mater facite in gratiam filii, qui habet nomen utriusque* vestrum, *ut quicumque mas descenderit in hos fontes, egrediatur inde semivir; & emolliatur in aquis, quàm primùm eas tetigerit. Parens uterque annuens firmavit preces filii ambigui, & infecit fontem ignoto veneno.*

Utque sub æquoribus deprênsum polypus hostem
Continet, ex omni dimissis parte flagellis.
Perstat Atlantiades; sperataque gaudia Nymphæ
Denegat. Illa premit; commissaque corpore toto
Sicut inhærebat, Pugnes licet, improbe, dixit,
Non tamen effugies. Ita Dî jubeatis, & istum
Nulla dies à me, nec me seducat ab isto.
Vota suos habuêre Deos: nam mista duorum
Corpora junguntur, facieſque inducitur illis
Una. Velut si quis conductâ corlice ramos
Crescendo jungi, pariterque adolescere cernat.
Sic ubi complexu coïerunt membra tenaci,
Nec duo sunt, & forma duplex, nec fœmina dici,
Nec puer ut possint; neutrumque, & utrumque videntur.
Ergo ubi se liquidas, quò vir descenderat, undas
Semimarem feciſſe videt, mollitaque in illis
Membra: manus tendens, sed jam non voce virili
Hermaphroditus ait, Nato date munera vestro,
Et pater & genitrix, amborum nomen habenti:
Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde
Semivir; & tactis subitò mollescat in undis.
Motus uterque parens nati rata vota biformis
Fecit, & incerto fontem medicamine tinxit.

X. Finis erat dictis; & adhuc Minyeïa proles
Urget opus, spernitque Deum, festumque profanat:
Tympana cùm subitò non apparentia raucis
Obstrepuêre sonis: & adunco tibia cornu,

X. Absolverant suas narrationes, & adhuc Minyeïa progenies promovet opus, & aspernatur deum & violat festum, cùm repentè tympana illis non visa personant rauco strepitu; & tibia curvo cornu,

NOTÆ.

366. *Polypus*] Piscis est à pedum multitudine, quos Plinius crines & cirros, noster flagella appellat, ut dictus; quibus quamlibet prædam, aut hostem, præcipuè autem Conchylia, implicat. De eo Plinius, Ælianus, alii.

368. *Atlantiades*] *Hermaphroditus* pronepos Atlantis: Hic nempe Majam, Maja Mercurium, Mercurius genuit Hermaphroditum.

388. *Tinxit*] Falsò creditum esse Venereâ mollitie implicare Salmacidem eos, qui ex suo fonte bibissent, scripsit Vitruvius; atque ait idem fabulæ locum dedisse, quòd ab Argis sedibus pulsi Cares, cùm ex montibus, ubi latrocinia exercebant, ad notum fontem descenderent, ibi in Græcorum consuetudinem & suavitatem suâ voluntate reducti fuerint.

389. *Minyeïa*] *Alcithoë, Arsinoë, & Leucothea:* vel, ut Ant. Liberalis, Leucippe, Arsippa, & Alcathoë.

390. *Opus*] Telam die Baccho sacrâ nectit, lanificium exercet; quod antè vidimus.

391. *Non apparentia*] Quæ Minyeïdes mente captæ sibi visæ sunt audire.

Tinnulaque

Tinnulaq; æra ſonant: redolent myrrhæq; crocique:
Reſque fide major, cœpêre vireſcere telæ,
Inque hederæ faciem pendens frondeſcere veſtis.
Pars abit in vites: & quæ modò fila fuerunt,
Palmite mutantur: de ſtamine pampinus exit:
Purpura fulgorem pictis accommodat uvis.
Jamque dies exactus erat, tempuſque ſubibat,
Quod tu nec tenebras, nec poſſes dicere lucem;
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.
Tecta repente quati, pingueſque ardere videntur
Lampades, & rutilis collucere ignibus ædes:
Falſaque ſævarum ſimulacra ululare ferarum.
Fumida jamdudum latitant per tecta ſorores;
Diverſæque locis ignes ac lumina vitant.
Dumque petunt latebras, parvos membrana per artus
Porrigitur; tenuique inducit brachia pennâ.
Nec quâ perdiderint veterem ratione figuram
Scire ſinunt tenebræ. Non illas pluma levavit:
Suſtinuêre tamen ſe perlucentibus alis.
Conatæque loqui, minimam pro corpore vocem
Emittunt; peraguntque leves ſtridore querelas.
Tectaque, non ſilvas, celebrant: lucemque peroſæ
Nocte volant, ſeroque trahunt à veſpere nomen.

XI. Tum verò totis Bacchi memorabile Thebis
Numen erat; magnaſque novi matertera vires
Narrat ubique Dei: de totque ſororibus expers
Una doloris erat, niſi quem fecêre ſorores.
Aſpicit hanc natis thalamoque Athamantis habentem

& æra ſtridula obſtrepunt; & myrrhæ & croci exhalant; reſque incredibilis, telæ cœperunt virere & veſtes pendulæ frondeſcere in modum hederæ. Pars mutatur in vites; & quæ modò fuerunt fila vertuntur in palmitem: pampinus prodit ex ſtamine; purpura dat ſplendorem uvis rubro colore diſtinctis. Jamque dies effluxerat & tempus aderat, quod neque tu poſſis vocare caliginem, neque lucem, ſed tamen conjunctionem incertæ noctis cum luce: ſubitò tecta videntur concuti, & pingues lampades lucere, & domus ſplendeſcere rutilis flammis, & fictas imagines crudelium ferarum ululare. Jam diu ſorores ſeſe abdunt per domum fumo plenam, & in varia loca diſperſæ effugiunt flammas atque lucem. Et dum quærunt latibula, cuticula extenditur per exilia membra, & involvit brachia ſubtili pennâ. Neque tenebræ patiuntur cognoſcere quomodo amiſerint priorem formam. Pluma illas non ſuſtulit: attamen ſuſtentatæ ſunt alis perlucidis: & cum tentent loqui, efferunt exiguum ſonum pro corporis ſui modulo; & queruntur tenui ſtridore; & frequentant tecta, non ſilvas; & exoſæ lucem nocte volunt, & ducunt nomen à veſpere.

XI. Tum verò poteſtas Bacchi erat celebris totis Thebis; & matertera refert ubique magnam potentiam novi dei; & ſola de tot ſororibus erat ærumnâ omni *vacua, niſi* illius *quam ſorores illi attulerant. Juno hanc videt animo elatam ob filios, & conjugium Athamantis,*

NOTÆ.

393. *Myrrhæque*] Quibus fingitur Bacchus delibutus, ut ſuprà lib. III. v. 555.

395. *Veſtis*] Lana in fuſis & telis, quod innuunt verſus ſequentes.

398. *Purpura*] Color lanarum purpureus, vel ſimpliciter color inſitis uvis purpureus.

400. *Quod tu*] *Crepuſculum.*

404. *Ferarum*] Tigres dicit & Lynces, quæ Bacchi dicuntur currum trahere.

407. *Parvos*] Quia in veſpertiliones ſorores mutatæ, qui alarum loco membranam quandam habent, quæ illis etiam pedum uſum præbet.

408. *Pennâ*] Duriter admodum per pennas membranam illam intelligas, quâ inſtructos diſcit veſpertiliones alarum loco.

415. *Nomen*] Νυκτερίδες dictæ.

417. *Matertera*] *Ino*, ſoror Semeles.

418. *Expers una*] Sola erat inter tot ſorores, quæ nullum adhuc infortunium paſſa eſt; quippe Semele extinctâ, Autonoë filium Actæonem in cervum mutatum viderat, filium Penthea Agave diſcerpſerat.

420. *Athamantis*] Fuit Athamas Æoli filius, rex Thebarum.

& deum alumnum: & ægrè hoc tulit; & secum dixit; ortus ex adulterâ potuit transformare nautas Mæonios in delphinos, *& immergere mari, & tradere præcordia filii discerpenda suæ genetrici, & tegere tres Minyeïdas novis alis; Juno nihil poterit, nisi plorare inultas ærumnas? Atque id mihi satis est? hæc est sola potentia, quam nos habemus? Ipse docet quid faciam; licet etiam doceri ab hoste; & jàm supérque monstrat nece Penthei quid furor possit. Quamobrem Ino non incitetur furore, & sequatur exempla sororum suarum simili dementiâ affecta? Esi iter deprssum obductum taxo pestiferâ: ducit ad sedes Stygias muto silentio. Pigra palus Stygia emittit nebulas; & umbræ novæ & manes sepulchris functi descendunt illuc. Horror & frigus obsident latè loca squalida: Et recentes umbræ nesciunt quæ sit via quæ ducit ad urbem infernam,*

Sublimes animos, & alumno numine Juno;
Nec tulit; & secum, Potuit de pellice natus
Vertere Mæonios, pelagoque immergere, nautas,
Et laceranda suæ nati dare viscera matri,
Et triplices operire novis Minyeïdas alis: 425
Nil poterit Juno, nisi inultos flere dolores?
Idque mihi satis est? hæc una potentia nostra est?
Ipse docet quid agam. Fas est & ab hoste doceri.
Quidque furor valeat, Pentheâ cæde satisque
Ac supèr ostendit. Cur non stimuletur, eatque 430
Per cognata suis exempla furoribus Ino?
Est via declivis funestâ nubila taxo:
Ducit ad infernas per muta silentia sedes.
Styx nebulas exhalat iners; umbræque recentes
Descendunt illâc, simulacraq; functa sepulchris. 435
Pallor Hiemsque tenent latè loca senta: novique,
Quà sit iter, manes, Stygiam quod ducit ad urbem,
[Ignorant, ubi sit nigri fera regia Ditis.]
Mille capax aditus, & apertas undique portas
Urbs habet. Utque fretum de totâ flumina terrâ, 440
Sic omnes animas locus accipit ille; nec ulli
Exiguus populo est, turbamve accedere sentit.
Errant exsangues sine corpore & ossibus umbræ:
Parsque forum celebrant, pars imi tecta Tyranni;
Pars aliquas artes antiquæ imitamina vitæ 445

aut ubi sit palatium atri Plutonis. Urbs magna habet mille aditus, & fores undique patentes: & quemadmodum mare recipit amnes totius terræ, sic ille locus omnes animas: neque nimis est parvus ad continendam *ullam multitudinem, aut sentit agmina venire. Umbræ exsangues vagantur sine corpore & ossibus; & pars frequentat forum, pars curiam inferni regis; pars studia aliqua exercent ad imitationem prioris vitæ in terris actæ*

NOTÆ.

421. *Alumno numine*] *Baccho*, cujus Ino erat nutrix.

422. *Natus*] *Baccbus* Semeles ex Jove filius.

423. *Mæonios*] *Tyrrhenos*, de quibus suprà, qui à Mæoniâ Asiæ minoris provinciâ erant oriundi.

424. *Nati*] De quo jam sæpe: nam de Pentheo à matre lacerato loquitur.

428. *Ipse*] *Bacchus.*

431. *Cognata*] His similia, quibus correptæ, & Ino & Agave Pentheum laniaverunt.

435. *Functa*] Non enim insepultorum umbris Stygem fas erat transire. Unde apud Virg. Æn. 6. Sibylla ità alloquitur Palinurum

Tu Stygias inhumatus aquas, &c.

436. *Senta*] Quippe inertia & squalida, quò nullus solis radius pervadere potest.

438. *Ignorant*] Versum hunc ut ineptum tollit Heinsius. Si retineas, sensus se habet uti interpretati sumus.

441. *Nec ulli exiguus*] Quantacunque adveniat umbrarum multitudo, facilè omnes recipit, nec sentit numerum augeri; quia vel locus ipse vastè patet, vel animæ nullum occupant spatium.

444. *Forum*] Ubi causas audit Minos.

445. *Pars aliquas artes*] Iisdem studiis tenentur apud inferos, quæ vivi in terris exercebant. Secutus est Virg. Æn. VI.

Pars in gramineis exercent, &c.

Exercent;

Exercent; aliam partem ſua pœna coërcet.
Suſtinet ire illuc, cœleſti ſede relictâ,
(Tantùm odiis, iræque dabat) Saturnia Juno.
Quò ſimul intravit, ſacroque à corpore preſſum
Ingemuit limen; tria Cerberus extulit ora:
Et tres latratus ſimùl edidit. Illa ſorores
Nocte vocat genitas, grave & implacabile numen.
Carceris ante fores clauſas adamante ſedebant:
Deque ſuis atros pectebant crinibus angues.
Quam ſimul agnôrunt inter caliginis umbras;
Surrexêre Deæ. Sedes Scelerata vocatur.
Viſcera præbebat Tityos lanianda; novemque
Jugeribus diſtentus erat. Tibi, Tantale, nullæ
Deprehenduntur aquæ: quæq; imminet, effugit arbos.
Aut petis, aut urges ruiturum, Siſyphe, ſaxum.
Volvitur Ixion; & ſe ſequiturque, fugitque,
Molirique ſuis lethum patruelibus auſæ,
Aſſiduæ repetunt, quas perdant, Belides undas.

exercet; alia pars ſupplicîs urgetur. Juno Saturnia non veretur illuc deſcendere cœleſti domo deſtitutâ (tantùm indulgebat dolori atque odiis.) Quò ſtatim atque ſubiit, & fores impulſæ à ſacro corpore ſtrepitum fecerunt. Cerberus erexit tria capita, & ſimul tres emiſit latratus. Illa arceſſit ſorores nocte ortas, quæ numina ſunt ſæva & inexorabilia. Sedebant ante januam carceris obſeratam adamante, & pectebant nigros ſerpentes ex ſuis capillis. Quam cùm primùm deæ agnoverunt inter tenebras opacas, ſurrexerunt. Locus appellatur Sceleratus. Ibi *Tityus dabat præcordia diſcerpenda, & extenſus erat per novem jugera. Tantale, nullæ aquæ à te inveniuntur, & arbor quæ impendet, à te recedit. Aut petis lapſum aut ſurſum moves lapidem ſtatim relapſurum, Siſyphe. Ixion rotatur, & ſe fugit & inſequitur. Et Belides non veritæ parare necem ſuis patruelibus, intentæ repetunt aquas, quas* neceſſe eſt ſtatim *perdant.*

NOTÆ.

448. *Dabat*] Juno, quæ majeſtatis oblita, ad inferos deſcendere non dedignata eſt.

450. *Cerberus*] Ditis aulæ janitor canis centiceps, ut Horatio viſum, triceps ſecundum alios, leonis, lupi, & canis ora gerens.

452. *Nocte genitas*] *Furias* dicit Acherontis & Noctis filias. Tres fuiſſe dicuntur, Tiſiphone, Alecto, & Megæra.

Ib. *Grave*] Poteſt hoc referri ad Junonem, ſed potiùs ad furias, quas quaſi ſub uno numine comprehenſas dicit.

453. *Adamante*] Id eſt, ſeris firmiſſimis: ut nullâ vi pœnam effugere valeant, qui intus clauſi ſunt.

456. *Scelerata*] Quia ibi plectuntur ſcelerati. *Sceleratum limen*, Virg. VI. Æn.

457. *Tityos*] Jovis fuit & Elaræ filius, quem ob corporis immenſam magnitudinem Terrâ genitum fuiſſe fabulati ſunt. Hic Latonam de ſtupro appellare auſus, ſagittis Apollinis ad inferos deturbatus eſt, ubi jecur perpetuò renaſcens vulturi aſſiduè præbet exedendum,

458. *Tantale*] Tantalus Jovis, ex Plote nymphâ filius, qui propter garrulitatem, deorum ſecretis in vulgus prolatis, vel quia Pelopem filium diſ epulandum appoſuit, hâc pœnâ apud inferos eſt multatus, ut inter epulas fame, in mediis aquis ſiti torqueatur; cui etiam lapis imminet jamjam cadenti ſimilis.

460. *Siſyphe*] Æoli fuit filius latrocinio infamis, quem Theſeus detruſit ad inferos, ubi ſaxum habet ad montis verticem ſubvolvendum quod ſimul ac in aſcendendo elapſum eſt, cogitur repetere.

461. *Ixion*] Qui à Jove in cœlum elatus, auſus eſt Junonem ſollicitare, cujus ſub imagine nubem illi objecit Jupiter, & deinde ad inferos dejecit, ubi rotæ alligatus æternùm volvitur.

Ib. *Et ſe ſequiturque*] Nempe rotæ circumactæ affixus.

463. *Quas perdant*] Quia vas, in quos aquas fundunt, perforatum eſt.

Ib. *Belides*] *Beli nepotes*. Nam Belus duos habuit filios Danaum & Ægyptum. Is quinquaginta Danai filias totidem filiis ſuis deſponſavit. Sed Danaus, cùm Apollinis oraculo didiciſſet, ſe quandoque ab uno filiorum Ægypti, ſuo genero occiſum iri, filiabus mandavit, ut primâ nocte quæque ſuos maritos occiderent. Quæ quidem omnes, præter unam Hypermneſtram natu minimam, quæ Lynceo ſponſo pepercit, à quo poſtea Danaus fuit interfectus, patri ſunt obſecutæ. Quare eâ pœnâ apud inferos damnatæ ſunt, ut cribris aquam haurire nunquam deſiſtant.

Quos

Quos omnes postquam Saturnia aspexit infensis oculis, & ante omnes Ixionem; rursus detectens oculos *ab illâ, & spectans Sisyphon, Quamobrem, ait, iste solus ex fratribus luit pœnas æternas? regia opulenta tenet ferocem Athamantem, qui semper me despexit cum uxore; & narrat causas & odii & itineris, & quid cupiat. Quod optaret, erat, ne regia Cadmi maneret, & sorores urgerent Athamantem in flagitium. Simultitur jussis, pollicitationibus, precibus, & urget deas. Postquam Juno ita hæc protulisset, Tisiphone confusam gerens comam albam,* eam *concussit, & dimovit ab ore serpentes molestos atque ita incipit, Non opus est prolixis verborum anfractibus: credito peracta quæcumque imperas: relinque regnum odiosum, & redi in aërem cœli melioris. Juno revertitur bilaris; & eam Iris Thaumantias purgavit aquis aspersis, cùm cœlum subire vellet. Sine cunctatione gravis Tisiphone corripit tædam imbutam cruore, & tegitur pallâ quæ sanguine liquido rubebat, & circumdatur serpente intorto: & domo exit, Dolor, & Pavor, & Terror, & Vesania timidâ facie sequuntur discedentem. Ad fores pervenerat: postes Æolii dicuntur fuisse concussi, & pallor fœdavit portam ex acerno ligno factam. Sol etiam vitat locum. Athamas expavit prodigiis, ejus uxor expavit, & quærebant egredi domo. Pestifera furia prohibuit, & occupavit introitum; & porrigens brachia implicita nodis vipereis, comam agitavit. Serpentes agitati strepitum, fecerunt: & pars in humeros sparsi, pars fluentes circum tempora sibila edunt, & tabum eructant, & emicant linguis.*

Quos omnes acie postquam Saturnia torvâ
Vidit, & ante omnes Ixiona; rursus ab illo
Sisyphon aspiciens. Cur hic è fratribus, inquit,
Perpetuas patitur pœnas? Athamanta superbum
Regia dives habet: qui me cum conjuge semper
Sprevit; & exponit causas odiique, viæque,
Quidque velit. Quod vellet, erat, ne regia Cadmi
Staret; & in facinus traherent Athamanta sorores.
Imperium, promissa, preces confundit in unum;
Sollicitatque Deas. Sic hæc Junone locutâ,
Tisiphone canos, ut erat, turbata capillos
Movit: & obstantes rejecit ab ore colubras.
Atque ita, Non longis opus est ambagibus, infit.
Facta puta, quæcumque jubes. Inamabile regnum
Desere: teque refer cœli melioris ad auras.
Læta redit Juno: quam cœlum intrare parantem
Roratis lustravit aquis Thaumantias Iris.
Nec mora; Tisiphone madefactam sanguine sumit
Importuna facem: fluidoque cruore rubentem
Induitur paliam; tortoque incingitur angue:
Egreditur domo. Luctus comitantur euntem,
Et Pavor, & Terror, trepidoque Insania vultu.
Limine constiterat: postes tremuisse feruntur
Æolii, pallorque fores infecit acernas:
Solque locum fugit. Monstris exterrita conjux,
Territus est Athamas: tectoque exire parabant.
Obstitit infelix, aditumque obsedit, Erinnys:
Nexaque vipereis distendens brachia nodis,
Cæsariem excussit. Motæ sonuêre colubræ.
Parsque jacens humeris, pars circum tempora lapsæ
Sibila dant, saniemq; vomunt, linguasque corusçant.

NOTÆ.

456. *Ante omnes*] Propter oblatum stuprum.

468. *Conjuge*] *Ino*, quam Athamas, Sisyphi frater, duxerat uxorem.

471. *Sorores*] *Furiæ*, quibus Athamas in rabiem actus nefas aliquod patraret.

475. *Colubras*] Quas partim pro capillis gerunt furiæ.

480. *Lustravit*] Purgavit ab Inferorum contactu.

Ib. *Thaumantias Iris*] Thaumantis & Electræ filia, deorum nuncia, Junonis præsertim famula.

487. *Æolii*] *Athamantis* Æoli filii.

488. *Conjux*] *Ino*.

Inde

Inde duos mediis abrumpit crinibus angues;
Pestiferâque manu raptos immisit. At illi
Inoósque sinus, Athamanteosque pererrant;
Inspirantque graves animas: nec vulnera membris
Ulla ferunt. Mens est, quæ diros sentiat ictus.
Attulerat secum liquidi quoque monstra veneni,
Oris Cerberei spumas, & virus Echidnæ;
Erroresque vagos, cæcæque oblivia mentis,
Et scelus, & lachrymas, rabiemque, & cædis amorem;
Omnia trita simul: quæ sanguine mista recenti
Coxerat ære cavo, viridi versata cicutâ.
Dumque pavent illi; vertit furiale venenum
Pectus in amborum: præcordiaque intima movit.
Tum face jactatâ per eundem sæpius orbem,
Consequitur motos velociter ignibus ignes.
Sic victrix, jussique potens, ad inania magni
Regna redit Ditis; sumtumque recingitur anguem.
Protinus Æolides mediâ furibundus in aulâ
Clamat, Io, comites, his retia pandite silvis:
Hîc modò cum gemina visa est mihi prole leæna;
Utque feræ, sequitur vestigia conjugis amens;
Deque sinu matris ridentem & parva Learchum
Brachia tendentem rapit, & bis terque per auras
More rotat fundæ: rigidoque infantia saxo
Discutit ossa ferox. Tum denique concita mater
(Seu dolor hoc fecit, seu sparsi causa veneni,)
Exululat, passisque fugit malè sana capillis;
Teque ferens parvum nudis, Melicerta, lacertis;
Evohe, Bacche, sonat. Bacchi sub nomine Juno

Postea revellit ex mediis capillis duos serpentes, & revulsos conjecit lethali manu. At illi serpunt per gremium Inûs & Athamantis, & immittunt pestiferos halitus: nec corpus lædunt ullo modo: animus est, qui patiatur crudeles plagas. Apportaverat etiam secum horrendum virus fluidum, spumas ex ore Cerberi fluentes, & toxicum Echidnæ; & incertas fluctuationes, & oblivia caliginosæ mentis, & nefas, & fletus, & furorem, & desiderium flagris, omnia simul mixta; quæ confusa cum cruore recenti coxerat aheno capaci mixta cicutâ virescente. Et dum illi tremunt, immittit tetrum toxicum in sinus amborum; & percukt ultima viscera. Tum tædâ motâ sæpius per eundem circuitum, flammas vibratas celeriter persequitur aliis flammis. Sic voti compos, & Junonis mandato peracto, revertitur ad sedes exiles magni Plutonis, & solvit iterum à crinibus serpentem quo cincta erat. Continuò filius Æoli sæviens in aulâ vociferatur, Io, socii, tendite plagas his silvis: leænam hîc conspexi modò cum duobus catulis; atque rabidus insistit vestigiis uxoris tanquam feræ: & vellit ex gremio matris Learchum ridentem & porrigentem teneras ulnas; & crudelis bis terque in orbem jactat per aërem in modum fundæ, & disjicit ossa infantis illisa duræ petræ. Tum denique mater furiata, (seu dolor hoc præstitit, seu diffusum virus insaniæ causa fuit) exululat; & vejana prorumpit sparsâ comâ; & gestans te pusillum, Melicerta, brachiis nudis; Evohe, Bacche, clamat. Juno ad nomen Bacchi

NOTÆ.

498. *Inspirant graves*] Mentem pestifero afflatu turbabant, quod pejus adhuc fuit quàm si morsibus miseros vexassent.

501. *Echidnæ*] Latinè vipera est fœmina. Sumitur verò sæpius pro Hydrâ Lernea, quæ virgo partim, partim serpens fuit, Typhone gigante unà cum Cerberò, aliisque monstris genita: deinde etiam pro quovis maximè venenato serpente usurpatur.

507. *Movit*] In furorem dedit.

509. *Consequitur*] Vibrat flammam circumrotatam, ut flammæ altera statim flamma succedere videatur. Reos autem perterrefaciendi causâ faciem in orbem jactabat Tisiphone.

510. *Jussi potens*] Postquam perfecisset quod jusserat Juno.

512. *Æolides*] *Athamas*, Æoli filius.

514. *Cum gemino*] *Ino* uxor est illi visa leæna: ut filii duo, Learchus & Melicerta, catuli seu leunculi.

522. *Melicerta*] Alter filius.

523. *Evohe*] Vox Bacchantium.

Risit:

risit: & inquit, Alumnus tuus referat tibi hunc fructum. Promontorium impendet mari: pars infima excavatur undis, & tuetur fluctus à pluviâ: suprema pars prærupta est, & promovet verticem in profundum mare. Ino illuc celeriter ascendit (dederat vesania vires) & nullo mecu repressa injicit & se & suum onus in mare. Aqua impulsa albicavit. At Venus miserata dolores neptis nihil tale merentis, ita demulsit patruum suum; O Neptune, numen aquarum, cui potestas proxima sorte data est potestati in cœlum, rogo equidem ingentia; sed tu miserere meorum, quos vides agitari in vasto mari Ionio; & adjice dîs tuis marinis. Est etiam mihi aliqua gratia in mari; si tamen olim nata in divo ponto spuma fui, & Græcum nomen mihi est ab illâ. Neptunus assensus est precanti, & illis ademit quod fuit morti obnoxium, & addidit majestatem tremendam, & mutavit simul nomen & vultus; & vocavit Deum Palæmonem cum matre Leucothoë.

Risit: &, Hos usus præstet tibi, dixit, alumnus.
Imminet æquoribus scopulus: Pars ima cavatur
Fluctibus, & tectas defendit ab imbribus undas:
Summa riget, frontemque inapertum porrigit æquor.
Occupat hunc (vires insania fecerat) Ino:
Seque super pontum, nullo tardata timore,
Mittit, onusque suum. Percussa recanduit unda.
At Venus immeritæ neptis miserata labores.
Sic patruo blandita suo est: O numen aquarum,
Proxima cui cœlo cessit, Neptune, potestas;
Magna quidem posco: sed tu miserere meorum,
Jactari quos cernis in Ionio immenso:
Et Dîs adde tuis. Aliqua & mihi gratia ponto est;
Si tamen in dio quondam concreta profundo
Spuma fui, Graiumque manet mihi nomen ab illâ.
Annuit oranti Neptunus; & abstulit illis
Quod mortale fuit, majestatemque verendam
Imposuit: nomenque simul, faciemque novavit:
Leucothoëque Deum cum matre Palæmona dixit.

XII. Sidoniæ comites, quantùm valuêre, secutæ
Signa pedum, primo vidêre novissima saxo:
Nec dubium de morte ratæ, Cadmeïda palmis
Deplanxêre domum scissæ cum veste capillos.
Utque parum justæ, nimiumque in pellice sævæ
Invidiam fecêre Deæ. Convicia Juno

XII. Comites Sidoniæ sequentes vestigia quantùm potuerunt, viderunt ultima in extremâ rupe: & credentes nullo modo de eorum morte dubitandum esse, laceratis crinibus & vestibus, deflevêrunt palmis percussis domum Cadmeïam. Et odium excitarunt in Junonem tanquam parum æquam, & nimiùm crudelem in aduleteram: Juno probra

NOTÆ.

524. *Hos usus*] Ut tanquam Baccho plena, hâc rabie tenearis.

Ib. *Alumnus*] *Bacchus*, quem jam antea Inûs alumnum vidimus.

525. *Scopulus*] *Molaris petra* à Pausaniâ appellatur, qui Athamantis insaniam ad Phryxi & Helles exilium transfert.

530. *Onus*] *Melicertam* filium, qui autore Pausaniâ, à Delphinis exceptus, & in Isthmum Corinthium expositus, in Deorum marinorum numerum relatus est, dictusque Palæmon seu Portunus.

531. *Neptis*] Quia Inûs mater fuit Harmonia Cadmi uxor, quam Venus ex Marte genuerat.

532. *Patruo*] *Neptuno*, Jovis fratri, quem Jovem Venus pro patre agnoscit.

535. *Ionio*] Mare est Ionium ad occasum Epiri & Peloponnesi.

538. *Manet*] Ἀφροδίτη enim dicitur Græcis à maris spumâ.

541. *Nomenque simul*] Hoc est, figuram & nomen Inûs & Melicertæ commutavit. Nam Ino *Leucothea* Græcè; Latinè *Matuta* fuit appellata. Melicerta verò à Græcis *Palæmon*, à Latinis *Portunus*, fuit nuncupatus. Hominibus enim in Deos relatis nomina nova indebantur.

543. *Sidoniæ*] *Matronæ Thebanæ*, quæ Cadmi Sidoni oriundi sociis nupserant.

545. *Cadmeïda*] *Ino* Cadmi filiam.

546. *Deplanxêre*] *Deflevêre* palmis pectora plangentes & percutientes.

547. *Pellice*] *Semele*, Bacchi matre, cujus causâ universam Bacchi familiam infestissimo odio prosequebatur.

Non

Non tulit: &, Faciam vos ipſas maxima, dixit,
Sævitiæ monumenta meæ. Res dicta ſecuta eſt.
Nam quæ præcipuè fuerat pia, Perſequar, inquit,
In freta reginam, Saltumque datura, moveri
Haud uſquam potuit: ſcopuloque affixa cohæſit.
Altera, dum ſolito tentat plangore ferire
Pectora, tentatos ſentit riguiſſe lacertos.
Illa, manus ut fortè tetenderat in maris undas,
Saxea facta manus in eaſdem porrigit undas:
Hujus, ut arreptum laniabat vertice crinem,
Duratos ſubitò digitos in crine videres.
Quo quæque in geſtu deprènditur, hæſit in illo.
Pars volucres factæ; quæ nunc quoque gurgite in illo
Æquora diſtringunt ſumptis Iſmenides alis.

XIII. Neſcit Agenorides natam, parvumque nepotem
Æquoris eſſe Deos. Luctu, ſerieque malorum
Victus, & oſtentis, quæ plurima viderat, exit
Conditor urbe ſuâ; tanquam fortuna locorum,
Non ſua ſe premeret: longiſque erratibus actus
Contigit Illyricos profugâ cum conjuge fines.
Jamque malis, anniſque graves, dum prima retractant
Fata domûs, releguntque ſuos ſermone labores;
Num ſacer ille meâ trajectus cuſpide ſerpens,
Cadmus ait, fuerit: tum, cùm Sidone profectus,
Vipereos ſparſi per humum nova ſemina dentes?
Quem ſi cura Deûm tam certâ vindicat irâ,
Ipſe, precor, ſerpens in longam porrigar alvum.

non paſſa eſt: &, inquit, Reddam vos ipſas maximæ documenta meæ crudelitatis. Res, utì dixit, evenit. Nam una è ſociis *quæ fuerat præſertim pia, Proſequar, ait, reginam in mare: & cùm voluiſſet ſe immittere, nuſquam potuit moveri, & manſit alligata ſaxo: Altera nitens plangere pectus ictu conſueto, videt brachia, quibus conata eſt* ſe ferire, *obduruiſſe. Illa, ut fortè porrexerat manus in fluctus maris, mutata in rupem extendit manus* jam ſaxeas *in eoſdem fluctus. Cerneres digitos hujus, ut diſcerpebat comam dereptam à vertice, diriguiſſe repentè in comâ. Singulæ manſerunt in eodem geſtu, in quo eas tum invenerat* Juno. *Pars Iſmenidum mutatæ ſunt in alites, quæ nunc etiam alis indutæ radunt aquas in illo mari.*

XIII. *Filius Agenoris ignorat filiam & parvum nepotem eſſe deos marinos, Superatus ærumnis, & numero malorum, & prodigiis, quæ viderat plurima, ædificator egreditur urbe ſuâ, quaſi loci ipſius fortunâ non ſuâ urgeretur, & preſſus longis erroribus venit ad cras Illyricas cum* Hermione *uxore exule. Et jam feſſi ætate & ærumnis, dum ſecum revolvunt primam fortunam domûs ſuæ, & recolunt oratione ſuos labores: Anne, inquit Cadmus, ſacer fuit ille draco transfixus meo mucrone, tum cùm Sidone egreſſus mandavi terræ dentes vipereos novum ſeminis genus? Si illum cura deorum ulciſcitur tam certâ irâ, ipſe, oro, anguis fiam, & extendar in productum ventrem.*

NOTÆ.

562. *Iſmenides*] *Thebanæ*, ut jam diximus, ab Iſmeno fluvio ſic dictæ.

563. *Agenorides*] *Cadmus* Agenoris filius.

Ib. *Natam, parvumque nepotem*] *Ino & Melicertam.*

565. *Viderat*] Vidimus nos quoque ſuprà, poëtâ ipſo illa referente.

566. *Urbe ſuâ*] *Thebis*, quas condidit Cadmus.

568. *Illyricos*] Illyridis accolas, quæ regio eſt ad mare Adriaticum Italiæ appoſita, ab Illyrio Polyphemi filio ita dicta, ut ſcribit Appian.

571. *Num ſacer*] Sacrum fuiſſe draconem ſuſpicatur Cadmus, quem olim interfecit, cujus causâ deorum iram ſit expertus.

575. *In longum*] Qualem ſerpentes gerunt. Cur verò in ſerpentem dicatur mutatus Cadmus, hanc rationem reddit ſummus Bochartus; Cadmonæi ſeu orientales, de quibus Gen. xv. 19. qui ut ex Joſhuæ, cap. xi. 3. Chanaam terræ partem maximè orientalem occupaverant, ad montem Hermonem (à quo Harmonia Cadmi uxor) & cum Hevæis una gens fuerunt; *Hevæus* verò Syris eſt *ſerpens*.

Dixit:

Dixit, & tanquam anguis porrigitur in productum ventrem; & advertit squamas innasci rigenti cuti; & corpus atrum distingui notis cæruleis; & dejicitur in ventrem, & pedes in unum concreti paullatim curvantur acumine tereti. Supersunt jam lacerti: porrigit lacertos qui supersunt: & lacrymis currentibus per faciem adhuc humanam, Ades, ô uxor infelicissima, ades, inquit: & quamdiu aliquid restat de me, me tange, & tene manum, dum manus est, dum non adhuc totus evado cerpens. Ille quidem cupit plura proferre; sed lingua subitò est divisa in duas partes; nec verba succurrunt cupienti; & quoties aggreditur emittere aliquam querimoniam, ducit sibila: natura illi permisit eum tantùm *sonum. Uxor plangens nuda pectora manu vociferatur, Siste, Cadme, & miser exime te his monstris. Quid istud, Cadme? Ubi pes? ubi sunt & humeri, & manus, & color, & omnia, dum te alloquor? Quamobrem dii non mutatis me etiam in eundem Serpentem? Absolverat. Ille linguâ demulcebat vultus juæ uxoris, & serpebat in dilectus sinus tanquam cognosceret; & amplectebatur; & ferebatur in collum consuetum. Quisquis adstat (adstabant socii) expavescit. At dracones gerentes colla lubrica cristis insignita permulcent illos, & repentè duo evadunt serpentes, & obrepunt spiris concordibus, donec intraverunt in cavernas silvæ vicinæ. Nunc etiam neque vitant hominem, neque mordent, & mites serpentes recordantur quid antea fuerint.*

Dixit: &, ut serpens, in longam tenditur alvum,
Duratæque cuti squamas increscere sentit,
Nigraque cæruleis variari corpora guttis:
In pectusque cadit pronus: commissaque in unum
Paullatim tereti sinuantur acumine crura.
Brachia jam restant: quæ restant brachia tendit;
Et lacrymis per adhuc humana fluentibus ora,
Accede, ô conjux, accede, miserrima, dixit:
Dumq; aliquid superest de me, me tange: manumq;
Accipe, dum manus est; dum non totum occupat anguis.
Ille quidem vult plura loqui: sed lingua repente
In partes est fissa duas. Nec verba volenti
Sufficiunt: quotiesque aliquos parat edere questus,
Sibilat. Hanc illi vocem natura relinquit.
Nuda manu feriens exclamat pectora conjux,
Cadme, mane: teque his, infelix, exue monstris.
Cadme, quid hoc? ubi pes? ubi sunt humerique, manusque?
Et color, & facies, & dum loquor, omnia? cur non
Me quoque, cœlestes, in eundem vertitis anguem?
Dixerat. Ille suæ lambebat conjugis ora:
Inque sinus caros, veluti cognosceret, ibat;
Et dabat amplexus, assuetaque colla petebat.
Quisquis adest (aderant comites) terretur; at illos
Lubrica permulcent cristati colla dracones,
Et subitò duo sunt: junctoq; volumine serpunt;
Donec in appositi nemoris subiêre latebras.
Nunc quoque nec fugiunt hominem, nec vulnere lædunt:
Quidque priùs fuerint, placidi meminêre dracones.

NOTÆ.

578. *Guttis*] Maculis sub viridibus, quales in quorundam serpentum squamis conspiciuntur.

585. *Totum*] Heinsius malit *totam*, scil. manum.

587. *Duas*] Usque adeò plicatilis est serpentum lingua, tantâque eam celeritate vibrant, ut bifida, aut etiam trifida videatur.

593. *Dum loquor omnia*] Inceperat loqui dum aliquid hominis restabat, sed priùs quàm absolverat, totus evasit serpens.

598. *At illos*] Comites. Nam ut sequitur,

—*Nec fugiunt hominem, nec vulnera lædunt.*

600. *Duo sunt*] Intellige igitur jam Cadmi uxorem in anguem mutatam.

XIV. Sed tamen ambobus vērſæ ſolatia formæ
Magna nepos fuerat; quem debellata colebat
India: quem poſitis celebrabat Achaïa templis.
Solus Abantiades ab origine cretus eâdem
Acriſius ſupereſt, qui mœnibus arceat urbis
Argolicæ; contraque Deum ferat arma; genuſque
Non putet eſſe Jovis. Neque enim Jovis eſſe putabat
Perſea; quem pluvio Danaë conceperat auro.
Mox tamen Acriſium (tanta eſt præſentia veri)
Tam violâſſe Deum, quàm non agnôſſe nepotem
Pœnitet. Impoſitus jam cœlo eſt alter: & alter
Viperei referens ſpolium memorabile monſtri,
Aëra carpebat tenerum ſtridentibus alis.
Cúmque ſuper Libycas victor penderet arenas;
Gorgonei capitis guttæ cecidêre cruentæ;
Quas humus exceptas varios animavit in angues.
Unde frequens illa eſt infeſtaque terra colubris.

XV. Inde per immenſum ventis diſcordibus actus,
Nunc huc, nunc illuc, exemplo nubis aquoſæ,

XIV. *Sed tamen nepos fuerat utrique magna conſolatio mutatæ figuræ; quem India victa venerabatur; quem Achaïa colebat extructis delubris. Solus reſtat Acriſius Abantis filius ductus ab eâdem ſtirpe, qui prohibeat Deum à muris urbis Argolicæ, & induat arma adverſus* illum, *nique credat eſſe ſobolem Jovis. Neque etiam arbitrabatur Perſeum eſſe Jovis* filium, *quem Danaë conceperat auro pluviali. Brevi tamen Acriſium pœnitet (tanta eſt vis veritatis) ſe tam læſiſſe Deum, quàm non agnoviſſe nepotem. Jam unus* (Bacchus) *receptus eſt cœlo; at alius* (Perſeus) *reportans inſignes exuvias monſtri viperei agitabat mollem aërem alis ſtrepentibus. Cúmque voti compos immineret arenis Libycis, guttæ cruoris defluxerunt ex capite Gorgonis, quas exceptas terra excitavit in diverſos ſerpentes: ex quo illa terra eſt infeſta multis ſerpentibus.*

XV. *Inde vectus ventis diſſentientibus per vaſtum* aërem, *nunc huc, nunc illuc, ſicut nubes aquoſa,*

NOTÆ.

605. *Nepos*] *Bacchus*, ex Semele.

606. *Achaïa*] Quæ pars eſt Græciæ, in quâ Bœotia ſita eſt: niſi mavis pro Græciâ ipsâ poſitam eſſe, ut ſæpe alibi.

607. *Abantiades*] *Acriſius* eſt Abantis filius, rex Argivorum, illius Danaës pater, quæ à Jove gravida Perſeum peperit, â quo poſtea ipſe Acriſius diſco per imprudentiam interfectus eſt.

Ib. *Origine eâdem*] Voluerunt quippe nonnulli Abantem, Acriſii patrem, Beli fuiſſe filium, cui Belo Jupiter pater fuit, utì etiam & Baccho.

608. *Arceat*] Bacchum nempe Deum eſſe negabat.

Ib. *Urbis Argolicæ*] Eſt *Argos* ipſum, urbs Peloponneſi, quæ interdum plurali numero *Argi* dicitur, & pro totâ Græciâ ponitur.

611. *Perſea*] Cognoverat oraculo Acriſius ſe à nepote aliquando occiſum iri; quamobrem filiam Danaën aheneâ turri ſubterraneâ incluſit. Illuc in imbrem aureum converſus Jupiter penetravit; qui puellam gravidam fecit. Re cognitâ in Jovem facti culpam rejecit Danaë, aſt durus & ſibi metuens pater illi fidem non habuit, qui eam cum filio Perſeo unâ in arcâ ligneâ incluſam in mare dejecit; quæ tamen à piſcatore quodam extracta Pilumno regi data eſt, cui nupſit.

614. *Pœnitet*] Quia Bacchum, cœlo receptum, nepotem Perſeum, Jove digna geſſiſſe accipiebat.

615. *Monſtri ſpolium*] Caput dicit Meduſæ, vipereis capillis formidabile, quod Plutonis galeâ, Minervæ ægide & falce adamantinâ inſtructus Perſeus amputavit, Minervæ ſcuto deinde aptavit, cujus obtutu plurimos in ſaxa convertit. Fuerunt autem Meduſa, Sthenio, & Euryale, Phorci Cetûſque filiæ, de quibus ſi plura cupis, paſſim invenies.

616. *Aliis*] *Talaribus*, quæ à nymphis, ut ſcribit Apollodorus, aut à Mercurio, ut placet aliis, Perſeus acceperat.

619. *Animavit*] Fictum ex eo videtur iſtud, quòd plurimis ſerpentibus infeſta ſit Africa.

Fertur;

trahitur; & ex sublimi aëre despicit terras longè dissitas, & volat super totum terrarum ambitum. Ter conspexit frigidas ursas, ter lacertos Cancri. Sæpe abreptus est sub occasus, sæpe in ortus. Jamque die occidente metuens se committere tenebris, requievit in parte orbis occiduâ, regnis Atlantis; & quærit brevem somnum, donec Lucifer arcessat lumen Auroræ; Aurora currus diei. Hic Atlas Iapeti filius præcelluit omnibus hominibus proceritate corporis. Terra extrema & mare ultimum, *quod subjicit aquas equis Solis exhaustis, & excipit currus lassos, fuit sub hoc rege. Mille greges & totidem armenta illi vagabantur per gramina: & nullas habuit vicinos qui terræ quicquam juxta colebant. Folia arborum splendentia auro micante tegebant aureos ramos, & aurea poma. Hospes, inquit illi Perseus, seu gloria magnæ originis te movet,*

Fertur; & ex alto seductas æthere longè
Despectat terras; totumque supervolat orbem.
Ter gelidas Arctos, ter Cancri brachia vidit;
Sæpe sub occasus, sæpe est ablatus in ortus.
Jamque cadente die veritus se credere nocti,
Constitit Hesperio regnis Atlantis in orbe;
Exiguamque petit requiem, dum Lucifer ignes
Evocet Auroræ; currus Aurora diurnos.
Hîc hominum cunctos ingenti corpore præstans
Iapetionides Atlas fuit. Ultima tellus
Rege sub hoc & pontus erat, qui Solis anhelis
Æquora subdit equis, & fessos excipit axes.
Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
Errabant: & humum vicinia nulla premebant.
Arboreæ frondes auro radiante nitentes
Ex auro ramos, ex auro poma tegebant.
Hospes, ait Perseus illi, seu gloria tangit
Te generis magni: generis mihi Jupiter auctor:
Sive es mirator rerum; mirabere nostras.
Hospitium requiemque peto. Memor ille vetustæ
Sortis erat (Themis hanc dederat Parnassia sortem)
Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro
Arbor, & hunc prædæ titulum Jove natus habebit.
Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas

Jupiter est auctor mea originis; seu es admirator rerum gestarum, admiraberis nostras: posco hospitium & quietem. Ille recordabatur antiqui fati (nam Themis Parnassi hoc fatum aperuerat.) Atla, dies aderit, quo arbor tua destituetur auro: & filius Jovis consequetur laudem rapti. Atlas id pavens pomaria firmis muris

NOTÆ.

625. *Gelidas*] *Septentriones gelidos*, ad quos sol nunquam pervenit.

628. *Atlantis*] Hîc fuit Atlas Promethei frater, Iapeti filius, rex Mauritaniæ, qui sibi à quodam Jovis filio exitium imminere à Themide monitus, neminem prorsùs hospitio accipiebat. Hunc objecto clypeo Perseus ædibus exclusus in montem mutavit, qui propter altitudinem cœlum pertingere, atque adeò sustinere creditus: Cui fabulæ locum dedit rerum Astronomicarum peritia, quâ Atlas ille excelluit.

Ib. *Regnis*] In appositione cum *orbe*.

629. *Dum Lucifer*] Id est, donec dies illucescat. Est autem Lucifer Veneris stella, quæ prima post solis occasum apparet, tumque dicitur Hesperus, ultima ejus ortum, atque adeò Auroram antegreditur, diciturque Phosphorus seu Lucifer.

632. *Iapetionides*] *Atlas* Iapeti filius, rex Mauritaniæ ad oceanum occiduum, qui ab illo *Atlanticus* dicitur.

Ib. *Ultima tellus*] Mauritaniæ cum reliquo occidente.

634. *Subdit*] Quia in illud sol sese recondere videtur.

638. *Poma*] *Hesperidum*, quæ Hesperi filiæ fuerunt fratris Atlantis; fuisse & poma hæc, & hortum plerique tradiderunt.

643. *Themis*] Cœli & terræ filia, quam ante Apollinem Delphis oracula edidisse, quodque fas fuerit præcepisse fabulati sunt.

645. *Et hunc*] Hercules verò Jovis filius poma illa rapuit, ut ex fabulis notissimum.

Mœnibus,

Mœnibus, & vasto dederat servanda draconi:
Arcebatque suis externos finibus omnes.
Huic quoque, Vade procul, ne longè gloria rerum,
Quas mentiris, ait, longè tibi Jupiter absit.
Vimque minis addit: foribusque expellere tentat
Cunctantem, & placidis miscentem fortia dictis.
Viribus inferior (quis enim par esset Atlanti
Viribus?) At quoniam parvi tibi gratia nostra est
Accipe munus, ait. Lævâque à parte Medusæ
Ipse retroversus squallentia prodidit ora.
Quantus erat, mons factus Atlas. Jam barba comæq;
In silvas abeunt; juga sunt humerique, manusque;
Quod caput antè fuit, summo est in monte cacumen,
Ossa lapis fiunt. Tum partes auctus in omnes
Crevit in immensum (sic Dî statuistis) & omne
Cum tot sideribus cœlum requievit in illo.

XVI. Clauserat Hippotades æterno carcere ventos:
Admonitorque operum cœlo clarissimus alto
Lucifer ortus erat. Pennis ligat ille resumtis
Parte ab utrâque pedes; teloque accingitur unco:
Et liquidum motis talaribus aëra findit.
Gentibus innumeris circúmque infraque relictis,
Æthiopum populos, Cepheïa conspicit arva.
Illic immeritam maternæ pendere linguæ
Andromedam pœnas injustus jusserat Ammon.

cinxerat & tradiderat custodienda ingenti draconi; & prohibebat omnes peregrinos à suis finibus. Dixit quoque huic Perseo, Discede, ne cùm à me oppressus fis, gloria rerum, quas fingis, te destituat, & ne Jupiter tibi longè abesse videatur. Atque vi auget minas, & nititur ejicere valvis hærentem, & miscentem verba aspera mitibus. Viribus impar fuit (nam quis æqualis esset Atlanti viribus?) At quandoquidem inquit, gratia nostra tibi est parvi, hoc pro dono habe: & ipse retro aspiciens ostendit à parte sinistrâ vultus horridos Medusæ. Atlas quantus erat, mutatus est in montem. Jam barba & capilli fiunt silvæ: humeri & manus sunt clivi: Quod fuit ante caput, est fastigium in supremo monte. Ossa mutantur in saxa: Tum auctus in omne latus surrexit in immensum (ita voluistis Dî) & totum cœlum cum tot astris requievit super illum.

XVI. *Hippotades obstruxerat omnes ventos carcere æterno: & Lucifer hortator operum surrexerat splendidissimus in sublimi cœlo. Ille pennas resumtas pedibus nectit ab utraque parte, & accingitur ense falcato; & dividit aërem fluidum talaribus agitatis. Nationibus plurimis cùm & infrà omissis, intuetur campos Cephæos & populos Æthiopum. Illic iniquus Ammon cõgerat Andromedam insontem exsolvere pœnas jactantiæ maternæ.*

NOTÆ.

647. *Draconi*] Ladonis nomine, quem fluvium seu fossam circum hortos in serpentis modum ductam interpretantur.

656. *Retroversus*] Ne pariter in saxum, viso, monstro, mutaretur.

662. *Requievit in illo*] Propter astronomiæ scientiam sphæramque ab illo inventam, fingitur Atlas cœlum sustinere.

663. *Hippotades*] Æolus Jovis ex Arcestâ filius, Hippotæ nepos. Αἴολον Ἱπποτέω παῖδα κλύτον. Apol. lib. IV. Qui quum naturam ventorum adverteret, atque ex ortu & occasu siderum, statisque anni temporibus, ut & regionem marisque æstus reciproci ventos prædiceret, ταμίαν τῶν ἀνέμων καὶ βασιλέα vocârunt & crediderunt, inquit Strab. II. & VI. lib. Virg. Æn.

Ib. *Æterno*] Firmissimo, quo olim solitus est illos coërcere.

665. *Pennis*] Talaribus (de quibus suprâ) quæ per noctem deposuerat.

666. *Telo unco*] Ense facalto, seu harpe.

669. *Cepheïa*] Cephei Phœnicis filii, Andromedæ patris, regis Æthiopum.

670. *Linguæ*] Quippe ausa erat Cassiope, Andromedæ mater, de pulchritudine cum Nereïdibus contendere.

671. *Ammon*] Jupiter est, quem *arenarium* Græculi vocaverunt, qui in Libyæ desertis templo celeberrimo sub arietis formâ, ideo colebatur, ut visum iisdem, quòd eâ formâ sitientia Baccho apparuerit, eidemque pedis ictu frontem aperuerit. Ille, de marino monstro, quod Nereïdum precibus, Neptunus adversus Æthiopas immiserat, consultus, Cephei, Cassiopesque progeniem monstro objiciendam responderat: quod quidem jam, non sine causâ, poëtæ injustum videtur; cùm

Quam ſtatim atque Perſeus *Abantis prognatus, conſpexit vinctos habentem lacertos ad rigidam rupem, arbitratus eſſet ſtatuam* fuiſſe *marmoream, niſi quòd parvus ventus agitaverat comam, & oculi emiſerant lachrymas trepidè* defluentes. *Incautus concipit flammas; & hæret, & percuſſus ſpecie pulchritudinis conſpeciæ, propemodum non meminit agitare alas in aëre. Poſtquam adſtitit, O, inquit, non ejuſmodi vinculis digna, ſed quibus amantes avidi inter ſe copulantur; dic petenti nomen patriæ & tuum, & quamobrem geras catenas. Primò illa obticuit, neque,* quia *virgo* erat, *audet alloqui virum; & velâſſet faciem verecundam manibus, ſi non fuiſſet vincta. Quod licuit, opplevit oculos lacrymis crumpentibus. Ne crederetur nolle agnoſcere ſua peccata, profitetur nomen patriæ & ſuum, & quanta fuerit confidentia pulchritudinis maternæ: &, nondum omnibus enarratis, aqua ſtrepitum edidit; & monſtrum accedens ex alto mari apparet, & occupat vaſtum ſpatium maris ſub pectore. Puella exclamat: Pater miſtis, & mater inſana præſens eſt; uterque miſeri, ſed æquiùs illa. Neque opem ferunt ſecum, ſed lacrymas congruas tempeſtati, & planctus; & arctè amplectuntur ligatum corpus. Cùm ſic hoſpes loquitur: Poterit vobis longum dari ſpatium flendi; exigua eſt mora ad opem præſtandam. Si ego Perſeus Jovis filius, atque* Danaës *illius, quam incluſam Jupiter gravidam fecit auro fœcundo. Perſeus* qui *vici Gorgonem anguicomam, nec alis*

Quam ſimul ad duras religatam brachia cautes
Vidit Abantiades; niſi quòd levis aura capillos
Moverat; & trepido manârant lumina fletu;
Marmoreum ratus eſſet opus. Trahit inſcius ignes;
Et ſtupet: &, viſæ correptus imaginæ formæ,
Pœnè ſuas quatere eſt oblitus in aëre pennas.
Ut ſtetit, O, dixit, non iſtis digna catenis;
Sed quibus inter ſe cupidi junguntur amantes;
Pande requirenti nomen terræque, tuumque;
Et cur vincla geras. Primò ſilet illa: nec audet
Appellare virum virgo: manibuſque modeſtos
Celâſſet vultus; ſi non religata fuiſſet.
Lumina, quod potuit, lachrymis implevit obortis.
Sæpius inſtanti, ſua ne delicta fateri
Nolle videretur, nomen terræque, ſuumque,
Quantaque maternæ fuerit fiducia formæ,
Indicat. Et, nondum memoratis omnibus, unda
Inſonuit: venienſque immenſo bellua ponto
Eminet; & latum ſub pectore poſſidet æquor.
Conclamat virgo: Genitor lugubris, & amens
Mater adeſt; ambo miſeri, ſed juſtiùs illa.
Nec ſecum auxilium, ſed dignos tempore fletus,
Plangoremq; ferunt, vinctoque in corpore adhærent.
Cùm ſic hoſpes ait: lacrymarum longa manere
Tempora vos poterunt: ad opem brevis hora ferendam eſt.
Hanc ego ſi peterem Perſeus Jove natus, & illâ
Quam clauſam implevit fœcundo Jupiter auro,
Gorgonis anguicomæ Perſeus ſuperator, & alis

NOTÆ.

mater, non filia, in culpâ fuiſſet.

675. *Trahit inſcius*] Andromedam neſcius quæ eſſet, amavit.

682. *Appellare*] Dubitat Heinſius, an *Appellare virum* rectè dicatur, cùm illa reſpondeat *appellanti*. Reponit igitur *Aſpectare*, quod ſequentia confirmant.

685. *Suave*] Atque adeò ipſa ſibi conſcia videretur.

689. *Bellua*] Cujus oſſa Romam ex oppido Judææo Joppe allata oſtendit M. Scaurus, longitudine pedum 40. altitudine coſtarum Indicus Elephantes excedente, ſpinæ craſſitudine ſeſquipedali; ut Plinius & Solinus referunt.

697. *Illâ*] Danaë, Perſei matre, de quâ ſuprà. Optimè verò Perſeus virtutes ſuas apud ignotos expoſuit, quò facilius id, quod cupit, accipiat; & breviſſimâ uſus eſt oratione, utpote monſtro & tempore urgente.

Æthereas

Æthereas ausus jactatis ire per auras;
Præferrer cunctis certè gener. Addere tantis
Dotibus & meritum (faveant modò numina) tento:
Ut mea sit, servata meâ virtute, paciscor.
Accipiunt legem (quis enim dubitaret?) & orant,
Promittuntque super regnum dotale, parentes.
Ecce velut navis præfixo concita rostro
Sulcat aquas, juvenum sudantibus acta lacertis;
Sic fera dimotis impulsu pectoris undis
Tantùm aberat scopulis, quantùm Balearica torto
Funda potest plumbo medii transmittere cœli:
Cùm subitò juvenis pedibus tellure repulsâ
Arduus in nubes abiit. Ut in æquore summo
Umbra viri visa est, visam fera sævit in umbram.
Utque Jovis præpes, vacuo cùm vidit in arvo
Præbentem Phœbo liventia terga draconem,
Occupat aversum: neu sæva retorqueat ora,
Squamigeris avidos figit cervicibus ungues:
Sic celeri fissum præpes per inane volatu
Terga feræ pressit; dextroque frementis in armo
Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo.
Vulnere læsa gravi modò se sublimis in auras
Attollit: modò subdit aquis: modò more ferocis
Versat apri, quem turba canum circumsona terret.
Ille avidos morsus velocibus effugit alis:
Quáque patent, nunc terga cavis super obsita conchis,
Nunc laterum costas, nunc quà tenuissima cauda
Desinit in piscem, falcato vulnerat ense.
Bellua puniceo mistos cum sanguine fluctus
Ore vomit. Maduêre graves aspergine pennæ;

agitatis veritus sum iter facere per aëra; si inquam *istam poscerem in matrimonium, anteponerer gener sine dubio cunctis. Conor adjicere tantis virtutibus etiam beneficium, modò dii annuant. Pactum facio ut mea fit, defensa meâ fortitudine. Probant conditionem parentes (quis enim abnueret?) & precantur & potentur insuper regnum in dotem, Ecce, sicuti velox navis findit aquas rostro præfixo, impulsa brachiis sudantibus juvenum; sic bellua, aquis repulsis motu pectoris, tantùm distabat à rupe, quantum* spatii *in medio aëre* pila plumbea *ex fundâ Balearicâ contorta pertransire potest: cùm repentè juvenis, terra repressâ pedibus sublimis exilit in aërem. Cùm umbra viri conspecta est in supremo mari, bellua furit in umbram conspectam. Et sicut Jovis ales, cùm intuitus est serpentem obversantem subnigrum dorsum soli, in vasto agro, corripit aversum; & ne reflectat fera ora, immittit acres ungues collo squamifero: Sic velox Inachides præcipiti volatu per aërem divisum irruit in dorsam belluæ, & usque ad capulum condidit ensem in armo dextro furentis. Illa graviter vulnerata, interdum se excelsa erigit in aërem, interdum mergitur aquis; interdum versatur in modum asperi apri, quem multitudo allatrantium canum tremefacit. Ille vitat morsus asperos citis alis; & modò lædit recurvo gladio dorsum tectum testis cavis, quà apertum est; modò costas laterum, modò quà cauda subtilior terminatur in piscem. Fera exput ore undas mistas cum sanguine purpureo. Pennæ irroratæ graves factæ sunt* undarum *respersione;*

NOTÆ.

709. *Balearica*] A Balearium insularum Hispaniæ in Mediterraneo mari objectarum incolis, qui peritissimi habiti sunt funditores.

Ib. *Torto*] In orbem acto: qui mos est funditorum.

714. *Præpes*] Aquilam dicit, Jovis alitem, serpentibus, uti quidam volunt, maximè infestam. Præpetes verò majores dicuntur aves, quarum ex volatu auguria colliguntur.

715. *Præbentem Phœbo*] Apricantem se ad solem.

716. *Præpes*] Id est, velociter, opportunè & facili lapsu ex superiori loco involans.

720. *Inachides*] Perseus, ab Inacho prisco Argivorum rege, quibus Acrisius avus imperabat, sic dictus.

729. *Pennæ*] Alarum Perseï.

atque Perseus non ausus ampliùs confidere talaribus jam *madefactis, intuitus est saxum, quod supremo cacumine eminet in aquas tranquillas,* at *fluctibus obruiter cùm mare agitatur. Stans ibi,& apprehendens supremum cacumen saxi sinistrâ, ter quaterque* feræ *ilia* ferro *sæpe petita transegit. Vociferatio cum applausu impleverunt littora & supremas domos deorum: Cassiope & pater Cepheus lætantur, & salutant generum, & agnoscunt columen & servatorum domûs. Puella liberata vinculis exspatiatur,* Perseo *præmium* pariter *& causa laboris. Ipse lavat manus victrices aquâ sumptâ, & sternit terram frondibus, ne caput anguibus fœtum prematur nudâ glareâ; & supponit virgas natas in mari, super quas deponit caput Medusæ Phorcynidos. Virga recens atque viva traxit vim monstri adhuc medullâ facile sorbenti, & dirigunt hujus contactu; & accepit novam duritiem in ramis & frondibus. At Nymphæ maris periculum faciunt facti mirabilis in pluribus virgis, & lætantur idem omnibus evenire; & renovant ex illis semina sparsa per aquas. Nunc quoque eadem natura est curalii, ut rigescat ab aëre tacto, & quod erat vimen in mari lapidescat, quamprimum in aërem attollitur.*

Nec bibulis ultra Perseus talaribus ausus
Credere: conspexit scopulum, qui vertice summo
Stantibus extat aquis; operitur ab æquore moto.
Nixus eo, rupisque tenens juga prima sinistrâ,
Ter quater exegit repetita per ilia ferrum.
Littora cum plausu clamor, superasque Deorum
Implevêre domos. Gaudent generumque salutant,
Auxiliumque domûs servatoremque fatentur
Cassiope, Cepheusque pater. Resoluta catenis
Incedit virgo, pretiumque & caussa laboris.
Ipse manus hausta victrices abluit undâ,
Anguiferumque caput nudâ ne lædat arenâ,
Mollit humum foliis: natasque sub æquore virgas
Sternit, & imponit Phorcynidos ora Medusæ.
Virga recens, bibulâque etiamnum viva medullâ
Vim rapuit monstri, tactuque induruit hujus;
Percepitque novum ramis & fronde rigorem.
At Pelagi nymphæ factum mirabile tentant
Pluribus in virgis, & idem contingere gaudent:
Seminaque ex illis iterant jactata per undas.
Nunc quoque curaliis eadem natura remansit,
Duritiem tacto capiant ut ab aëre; quodque
Vimen in æquore erat, fiat super æquora saxum.

XVII. Dîs tribus ille focos totidem de cespite ponit:
Lævum Mercurio, dextrum tibi, bellica virgo;
Ara Jovis media est. Mactatur vacca Minervæ;
Alipedi vitulus; taurus tibi, summe Deorum.
Protinus Andromedan, & tanti præmia facti

XVII. *Ille statuit tribus dîs totidem altaria de glebis, sinistrum Mercurio, dextrum tibi,* Pallas, *virgo bellica; altare Jovis medium est. Junix immolatur Palladi; vitulus alipedi; taurus tibi,* Jupiter, *maxime Deorum. Et continuò Andromedan, mercedem tanti facinoris*

NOTÆ.

743. *Phorcynidos*] Phorci filiæ.

745. *Monstri*] Medusæ capitis, cui innata vis erat viventia pleraque indurandi.

746. *Percepit*] Ad curalii naturam alludit, quod in mari molle, extractum non multò post durescit. Plin. lib. xxxii. c. 2.

749. *Seminaque*] Id est, nymphæ pluribus virgis vim monstri gaudent experiri, ut cùm illæ virgæ in curalium mutatæ fuerint, semina loco illud idem per vastum mare propagent.

755. *Lævam*] Primus honoris locus medius, proximus sinister, inquit Lipsius.

756. *Alipedi*] Mercurio alas in pedibus habenti, ut qui & velocissimus sit planetarum, & cum talaribus alatis pingatur.

Ib. *Taurus*] Jovi mactari taurum negat Servius ad III. Æn. & Macrob. Sat. III. c. 10. Asserit Xenophon. Cyropæd. & Julian. ad Libanium.

Indotata rapit. Tædas Hymenæus, Amorque
Præcutiunt: largis fatiantur odoribus ignes.
Sertaque dependent tectis: lotique, lyræque,
Tibiaque, & cantus, animi felicia læti
Argumenta, ſonant. Reſeratis aurea valvis
Atria tota patent, pulchroque inſtructa paratu
Cepheni proceres ineunt convivia regis.
Poſtquam epulis functi, generoſi munere Bacchi
Diffudêre animos: cultuſque, habituſque locorum
Quærit Abantiades: quærenti protinus unus
Narrat Lyncides, moreſque, habituſque virorum.
Quæ ſimul edocuit, Nunc, ô fortiſſime, dixit,
Fare precor, Perſeu, quantâ virtute, quibuſque
Artibus abſtuleris crinita draconibus ora.
Narrat Abantiades; gelido ſub Atlante jacentem
Eſſe locum, ſolidæ tutum munimine molis:
Cujus in introitu geminas habitâſſe ſorores
Phorcydas, unius partitas luminis uſum:
Id ſe ſolerti furtim, dum traditur, aſtu
Suppoſitâ cepiſſe manu: perque abdita longè,
Deviaque, & ſilvis horrentia ſaxa fragoſis
Gorgoneas tetigiſſe domos: paſſimque per agros,

indotatam abripit. Hymenæus & amor prætulerunt faces nuptiales: foci implentur multis odoribus: & corollæ dependent tectis: & loti, & lyræ, & tibia, & cantus, indicia feſtivi animi, perſonant, Tota atria aurea aperta ſunt, foribus patentibus. Et optimates Cepheni frequentant convivia regis ſpecioſo apparatu ornata. Poſtquam epulati eſſent, exhilararunt corda beneficio præſtantiſſimi vini: & Abantiades ſciſcitatur ritus & mores locorum: continuò quidem Lyncides refert ſciſcitanti ritus & mores hominum. Quæ ſtatim atque enarravit, Nunc, inquit, ô ſtrenuiſſime Perſeu, narra, quæſo, quantâ fortitudine, & quibus dolis abripueris caput Meduſæ *hiſpidum draconibus. Abantiades memorat locum eſſe porrectum ſub frigido Atlante, ſecurum ſepto vaſti muri: in cujus ingreſſu ſedem habuiſſe duas ſorores Phorcydas, quæ unius oculi uſum inter ſe viciſſim partitæ ſunt, ſe eum oculum corripuiſſe clanculum callido dolo, manu ſubmiſſa, dum* ab unâ ſorore ad alteram *traditur; & ſubiſſe ſedes Gorgoneas per* loca *longè ſemota, & devia, & rupes horridas ſilvis ſonoris: & hinc inde per campos,*

NOTÆ.

758. *Præmia indotata*] Andromedam, quam ſine dote popoſcerat, ut virum fortem, atque adeò heroëm decuit.

Ib. *Rapit*] Alluſum fortè ad Rom. morem, ubi virgines è gremio matris *rapi* ſolitæ, in memoriam & omen *raptarum* Sabinarum, quòd Romulo & ſuis feliciter ceſſit.

Ib. *Hymenæus*] Nuptiarum deus.

759. *Largis*] De apparatu, ritibus, & feſtivitate celebri nuptiarum, vide Alex. ab Alex. lib. ii. cap. 5.

Ib. *Largis*] Non ſine ſacrificiis nuptiarum ceremoniæ abſolvebantur.

760. *Lotique*] Id eſt, tibiæ ex loto frutice, de quo in Amoribus; quanquam malìem *citharæ* quod in quibuſdam reperitur, niſi Heinſio & Gronovio viris clariſſimis aliter videretur.

764. *Cepheni*] Qui Cephei aulam frequentabant.

766. *Diffudêre*] Id eſt, Cor dilataverunt, exhilarârunt; nam lætitiæ auctor Bacchus, qui curis aut mœſtitiâ obtractos reſolvit.

768. *Lyncides*] Lyncei filius, niſi nomen eſt proprium.

771. *Ora*] Meduſæ caput ſerpentibus horridum, ut ſuprà vidimus.

775. *Phorcydas*] Gorgonas dicit Pephredo & Enyo quibus addunt nonnulli Dino, Phorci filias; quas, quòd canæ natæ fuerint *Græas* vocitaverunt; quarum ſorores fuerunt aliæ Meduſa, Sthenyo, & Euryale.

Ib. *Unius luminis*] *Oculi*, quo per vices utebantur; atque equidem eum *Conſiliarium* volunt fuiſſe, qui fabulam ad hiſtoriam referunt; *Prudentiam* verò, qui ad mores.

779. *Gorgoneas*] In quibus Meduſa, Sthenyo, & Euryale degebant. Conſulendus omnino Natalis Comes, qui hanc fabulam egregiè ad mores accommodat.

& per vias inverisse imagines virorum & beluarum mutatas ex ipsis in saxa, conspectâ Medusâ: se tamen vidisse speciem terribilis Medusæ ære reflexo clypei, quem ferebat sinistrâ: & dum sopor altus haberet & ipsam & serpentes, abstulisse caput collo: & Pegason celerem pennis, & fratrem Chrysaorem *genitos de sanguine matris. Adjecit etiam non ficta discrimina prolixi itineris; quæ maria, quas terras intuitus esset sub se ab excelso cœlo; & quibus sideribus admotus fuisset pennis agitatis. Siluit tamen citiùs quàm illi expectârunt. Unus ex primoribus interrogat, exquirens, quamobrem* Medusa *sola procerum habuerit serpentes immistos pilis ceteris. Hospes, inquit, quandoquidem petis quæ digna sunt memorari, habe rationem rei quam postulas. Illa fuit insignis pulchritudine, & spes invidiosa multorum procorum: neque pars ulla fuit speciosior in* illâ *totâ crinibus. Vidi, qui dicerent se aspexisse. Deus maris dicitur hanc violâsse in templo Minervæ.* Minerva *filia Jovis sese avertit, & operuit pudicum os ægide: & ne hoc esset multum, vertit comam Gorgonis in horrendos serpentes. Nunc etiam, ut tremefaciat hostes stupidos, gerit in pectore oppositos serpentes, quos produxit.*

Perque vias vidisse hominum simulacra ferarumque,
In silicem ex ipsis visâ conversa Medusâ:
Se tamen horrendæ, clypei, quod læva gerebat,
Ære repercusso, formam aspexisse Medusæ:
Dumque gravis somnus colubrosq; ipsamq; tenebat,
Eripuisse caput collo: pennisque fugacem
Pegasον, & fratrem matris de sanguine natos.
Addidit & longi non falsa pericula cursûs:
Quæ freta, quas terras sub se vidisset ab alto:
Et quæ jactatis tetigisset sidera pennis.
Ante expectatum tacuit tamen. Excipit unus
E numero procerum, quærens, cur sola sororum
Gesserit alternis immistos crinibus angues.
Hospes ait, Quoniam scitaris digna relatu,
Accipe quæsiti caussam. Clarissima formâ
Multorumque fuit spes invidiosa procorum
Illa: nec in totâ conspectior ulla capillis
Pars fuit. Inveni, qui se vidisse referrent.
Hanc pelagi rector templo vitiâsse Minervæ
Dicitur. Aversa est, & castos ægide vultus
Nata Jovis texit. Neve hoc impunè fuisset;
Gorgoneum turpes crinem mutavit in hydros.
Nunc quoque ut attonitos formidine terreat hostes,
Pectore in adverso, quos fecit, sustinet angues.

NOTÆ.

783. *Ære repercusso*] Ne se ipsam Medusam sine clypeo, quo speculi loco usus est, incautè aspexisset, in saxum obrigaisset.

786. *Pegasον*] Equus fuit alatus, quem cum Chrysaore fratre, ex Medusæ sanguine in terram delapso natum voluerunt.

787. *Non falsa*] Quippe fugientem persecutæ sunt Sthenyo & Euryale alatæ, manibusque ferreis à naturâ instructæ: sed illum Plutonis obscurâ galeâ protexit.

790. *Ante expectatum*] Ut hinc gratissimam credas fuisse Persei orationem.

799. *Ægide*] Ægis thorax est & scutum Palladis, ita dicta παρὰ τὸ ἀίσσω, quod est, *irruo*, & *impetum facio*; quòd illâ munita Pallas in hostes impetum faciat.

802. *Nunc quoque*] Jam diximus supra Medusæ caput Minervæ scuto aptatum quo hostes in saxa transformet. Explicationem hujus fabulæ, quid per caput Medusæ, quid per homines in saxa conversos intelligunt poëtæ, reperies apud Mythologos.

P. Ovidii Nasonis

METAMORPHOSEON

LIBER V.

ARGUMENTUM.

TUM Pallas, quæ illi hactenus comes fuerat, ipso relicto, in Heliconem se confert, ut Hippocrenen inspiciat. Ibi narrant illi Musæ de Pyreneo, & Pieridibus in picas conversis, postquam, cantu de variis transformationibus instituto, cum ipsis contendissent.

I. DUmque ea Cephenum medio Danaëius heros
Agmine commemorat; fremidâ regalia turbâ
Atria complentur; nec conjugialia festa
Qui canat, est clamor; sed qui fera nuntiet arma.
Inque repentinos convivia versa tumultus
Assimilare freto possis; quod sæva quietum
Ventorum rabies motis exasperat undis.
Primus in his Phineus, belli temerarius auctor,
Fraxineam quatiens æratæ cuspidis hastam:
En, ait, en adsum præreptæ conjugis ultor.

INTERPRETATIO.

I. *Et dum heros Danäëius ea refert in medio cœtu Cephenum, atriæ regia implentur turbâ furente: neque vociferatio est, quæ indicit festa connubilia; sed quæ ferat sæva arma. Atque licet comparare convivia, mutata in subitos tumultus, mari, quod tranquillum terribilis impetus ventorum turbat,* atque erult *undis agitatis. Inter hos prior Phineus, inconsideratus excitator tumultûs, agitans hastam fraxineam mucrone ærato, Ecce, inquit, ecce hic sum vindex antè ablatæ uxoris.*

NOTÆ.

1. *Cephenum*] Procerum Æthiopieorum qui ad celebritatem nuptialem convenerant.

Ib. *Danäëius*] Perseus *Danaës filius.*

2. *Regalia*] Cephei Æthiopum regis.

8. *Phineus*] Hic Cephei fuit frater, cui desponsata erat Andromeda, antequam Ceto exponeretur. Fuit & alius celeberrimus Argonautarum hospes, de quo postea.

10. *Præreptæ*] Andromedæ, quem quidem stultè veluti suam reposcebat Phineus postquam à Perseo monstro, atque adeò certissimæ morti erepta esset.

Neque alæ, neque Jupiter mutatus in fictum aurum eripiet te mihi. Cepheus exclamat tentanti jacere telum, *Quid agis? quis animus tradit in flagitium te vesanum, ô frater? An hæc gratia refertur tantis beneficiis? Compensasne hâc dote vitam servatæ Andromedæ? quam, si veritatem spectas, non Perseus tibi præripuit, sed infensa potestas Nereïdum; sed Ammon corniger, sed fera maris, quæ aderat expienda meâ natâ. Tibi ablata est illo tempore, quo fuit interitura: nisi si id ipsum crudelis, petis, ut intereat: & solatium habebis ex luctu nostro. Nimirum parum est, quòd relegata est te intuente, & quòd tu patruus, simul & sponsus, nullum auxilium præbuisti: Grave tibi erit insuper, quòd sit servata à quoquam; & auferes mercedem? quam, si tibi ampla videtur, debuisses quærere ex illis rupibus, ubi erat posita: jam sine* eum *qui quæsivit, & per quem senectus* mea *non est destituta, habere* Andromedam *quam pactus est & beneficiis & sermone: & eum scias non tibi præpositum esse; sed morti indubitatæ. Ille* (Phineus) *nihil contrà* respondet: *sed hunc aspiciens & Perseum alternis oculis, nescit an ictum in hunc intentet, an in illum: & aliquantisper commoratus, intorsit frustrà in Perseum hastam libratam viribus, quantas ira suppeditabat. Postquam illa affixa est lecto, tum denique Perseus* emicat *ex mensâ, & sævus penetrasset pectus inimicum jaculo rejecto, nisi Phineus effugisset pone aram; & (indignum) altare servavit scelestum,*

Nec mihi te pennæ, nec falsum versus in aurum
Jupiter, eripient. Conanti mittere Cepheus,
Quid facis, exclamat? quæ te, germane, furentem
Mens agit in facinus? meritisne hæc gratia tantis
Redditur? hâc vitam servatæ dote rependis?
Quam tibi non Perseus, verum si quæris, ademit;
Sed grave Nereïdum numen, sed corniger Ammon,
Sed quæ viscеribus veniebat bellua ponti
Exsaturanda meis. Illo tibi tempore rapta est,
Quo peritura fuit. Nisi si, crudelis, id ipsum
Exigis, ut pereat: luctuque levabere nostro.
Scilicet haud satis est, quòd, te spectante, revincta est;
Et nullam quod opem patruus sponsusve tulisti:
Insuper, à quoquam quòd sit servata, dolebis;
Præmiaque eripies? quæ si tibi magna videntur;
Ex illis scopulis, ubi erant affixa, petîsses:
Nunc sine, qui petiit, per quem non orba senectus,
Ferre, quod & meritis & voce est pactus: eumque
Non tibi, sed certæ prælatum intellige morti.
Ille nihil contrà: sed & hunc, & Persea vultu
Alterno spectans, petat hunc, ignorat, an illum.
Cunctatusque brevi, contortam viribus hastam,
Quantas ira dabat, nequicquam in Persea misit.
Ut stetit illa toro, stratis tum denique Perseus
Exsiluit: teloque ferox inimica remisso
Pectora rupisset, nisi post altaria Phineus
Issset: & (indignum) scelerato profuit ara.

NOTÆ.

11. *Falsum*] Spurium innuit fuisse Perseum, qui matris suæ Danaës crimina falso Jovis nomine obtenderet, eumque fingeret aureo imbre descendisse.

12. *Mittere*] Hastam, quâ Perseum occideret.

14. *Meritisne*] Persei, intellige, qui Andromedam liberaverat, ut suprà vidimus.

15. *Hâc vitam*] Fratrem damnat, qui pro vitæ auxilio Andromedæ allato. Perseo mortem pro præmio offert.

17. *Nereïdum*] Quæ, ut suprà dictum, propter formam à Cassiope spretam, monstrum à Neptuno immiserant, cui Cephei & Cassiopes prolem exponendam Jupiter Ammon responderat.

18. *Viscеribus*] Sunt certè nati parentum suorum viscera. Sed emphasis est, quæ Cepheum excusat; quòd alteri, Phineo desponsatam, puellam tradiderit.

22. *Scilicet*] Ironia, quâ Phineo insultat frater Cepheus. Cùm enim & patruus & sponsus esset Andromedæ, aliquid certe auxilii debuit: cùm verò nihil prorsùs tulerit, immeritò eam repetit, quam tutari non est ausus.

34. *Stratis*] Lectis, in quibus cibum sumturi veteres discumbebant.

35. *Remisso*] Rejecto: eandem namque hastam in Phineum Perseus rejecit.

36. *Altaria*] Nuptiis adhibebantur aræ & sacra, & Dii advocati erant.

Fronte

Fronte tamen Rhœti non irrita cuſpis adhæſit.
Qui poſtquam cecidit, ferrumq; ex oſſe revulſum eſt,
Calcitrat, & poſitas aſpergit ſanguine menſas.
Tum verò indomitas ardeſcit vulgus in iras:
Telaque conjiciunt. Et ſunt, qui Cephea dicant
Cum genero debere mori. Sed limine tecti
Exiêrat Cepheus, teſtatus juſque, fidemque,
Hoſpitiique Deos, ea ſe prohibente moveri.
Bellica Pallas adeſt, & protegit ægide fratrem:
Datque animos. Erat Indus Athis, quem flumine Gange
Edita Limnate vitreis peperiſſe ſub antris
Creditur, egregius formâ: quam divite cultu
Augebat, bis adhuc octonis integer annis;
Indutus chlamydem Tyriam, quam lymbus obibat
Aureus: ornabant aurata monilia collum;
Et madidos myrrhâ curvum crinale capillos.
Ille quidem jaculo quamvis diſtantia miſſo
Figere doctus erat, ſed tendere doctior arcus.
Tum quoque lenta manu flectentem cornua Perſeus
Stipite, qui mediâ poſitus fumabat in arâ,
Perculit; & fractis confudit in oſſibus ora.
Hunc ubi laudatos jactantem in ſanguine vultus
Aſſyrius vidit Lycabas, junctiſſimus illi
Et comes, & veri non diſſimulator amoris:
Poſtquam exhalantem ſub acerbo vulnere vitam

Attamen mucro non inutilis infixus eſt fronti Rhœti: qui poſtquam proſtratus eſt, & ferrum extractum eſt ex oſſe, tundit humum, & inficit cruore menſas juxta *ſtantes. Tum verò cætera turba incenditur irâ effrœnâ, & ſimul mittunt jacula: & ſunt qui dicant Cepheum debere mortem obire* ſimul *cum genero. Sed Cepheus prodiêrat extra limen domûs, obteſtatus & jus, & fidem, & Deos hoſpitales, ea turbata* eſſe *ſe invito. Minerva bellica intervenit, & defendit fratrem ægide: & incendit animos. Erat Athis Indus, quem Limnate orta fluvio Gange dicitur peperiſſe ſub ſpeluncis perſpicuis, pulchritudine conſpicuus; quam elegantiorem faciebat ornatu ſplendido, florens ætate, annis ſedecim, tectus chlamyde Tyriâ, quam faſcia aurea circumdabat: aurea monilia decorabant collum, & curvum crinale comam delibutam myrrhâ. Ille quidem didicerat attingere telo jaculato* ea quæ erant maxime *remota; ſed peritior* erat *curvare arcus. Perſeus percuſſit* eum, *curvantem quoque manu flexibilia cornua* arcûs, *trunco, qui admotus fumabat in medio altari; & fœdavit vultus in oſſibus contritis. Cùm Lycabas Aſſyrius ſocius ejus amicitiâ devinctiſſimus, neque tegens ſincerum amorem,* eum *aſpexit agitantem pulchram faciem in ſanguine poſtquam vitam ſub crudeli plagâ efflantem*

NOTÆ

38. *Rhœti*] Qui Phinei ſocius fuit.

40. *Calcitrat*] Ex more cadentium in pugnâ & acie, qui λὰξ aut ὀδὰξ apud poëtas, terram indignanter petunt.

45. *Hoſpitiique Deos*] Jovem præſertim hoſpitii violati vindicem, de quo Virg.

Jupiter, hoſpitibus nam te dare jura loquuntur, &c.

Hoſpites enim nefas erat violari.

46. *Bellica*] Opportunè fortitudini auxilio adeſt prudentia. Atque hoc ſibi volunt poëtæ, cum Deos introducunt auxiliares.

Ib. *Fratrem*] Perſeum, cujus ut & ipſius Palladis pater fuit Jupiter.

47. *Athis*] Unus ex ſociis Phinei. *Indus* eſt appoſitus ob differentiam Phrygii à Cybele adamati,

Ib. *Gange*] Fluvius Indorum maximus.

48. *Limnate*] Nympha paluſtris, à palude, ἀπὸ τῆς λιμνῆς, Græce ſic dicta.

51. *Tyriam*] Purpuream; Tyro enim laudatiſſima purpura petebatur.

53. *Myrrhâ*] Liquor è Myrrhâ ſtillans: capillis unguendis adhibebatur, quo niterent & ſpirarent odorem ſuaviſſimum.

Ib. *Crinale*] Faſcia aliqua cohibendis & ornandis crinibus, ne in frontem defluant.

57. *Ara*] Quæ Hymenæo nuptiarum Deo extructa fuit.

58. *Confundit*] Hypallage: hoc enim voluit, *confudit in ore fracta oſſa*, ut poëta ipſe interpretatur lib. XII. v. 250.

———*Et oſſa*
Non agnoſcendo confuſa reliquit in ore.

Deploravit

Deploravit Athin; quos ille tetenderat, arcus
Arripit: &, Mecum tibi sint certamina, dixit:
Nec longùm pueri fato lætabere; quò plus
Invidiæ, quàm laudis, habes. Hæc omnia nondum
Dixerat: emicuit nervo penetrabile telum;
Vitatumque, tamen sinuosâ veste pependit.
Vertit in hunc harpen spectatam cæde Medusæ
Acrisioniades, adigitque in pectus. At ille
Jam moriens, oculis sub nocte natantibus atrâ,
Circumspexit Athin; seque acclinavit in illum;
Et tulit ad manes junctæ solatia mortis.
Ecce Syenites genitus Methione Phorbas,
Et Libys Amphimedon, avidi committere pugnam,
Sanguine, quo tellus latè madefacta tepebat,
Conciderant lapsi: surgentibus obstitit ensis,
Alterius cœstis, jugulo Phorbantis adactus.
At non Actoriden Erithon, cui lata bipennis
Telum erat, admoto Perseus petit ense: sed altis
Exstantem signis, multæque in pondere massæ,
Ingentem manibus tollit cratera duabus;
Infligitque viro. Rutilum vomit ille cruorem:
Et resupinus humum moribundo vertice pulsat.
Inde Semiramio Polydæmona sanguine cretum,
Caucasiumque Abarin, Sperchionidenque Lycetum,
Intonsumque comas Elycen, Phlegianque, Clytumq;
Sternit: & exstructos morientûm calcat acervos.
Nec Phineus ausus concurrere cominus hosti,
Intorquet jaculum; quod detulit error in Idan,
Expertem frustrà belli, & neutra arma secutum.
Ille tuens oculis immitem Phinea torvis,
Quandoquidem in partes, ait, abstrahor, accipe, Phineu,

Athin deflevit, corripit arcus, quos ille sinuaverat; &, inquit, Tibi mecum pugnandum erit: neque diu gaudebis morte adolescentis, ex quâ plus reportas odii, quàm gloriæ. Nondum hæc omnia absolverat, cùm sagitta acuta emissa est nervo; & affixa est amictui sinuoso, quamvis ictus illuderetur. Nepos Acrisii in hunc movet ensem falcatum, insignem morte Medusæ, & immittit in pectus. At ille jam moriens oculis fluctuantibus in caliginosâ morte, circumspexit Athin; & se rejecit in illum; & tulit ad inferos consolationem sociæ necis. Ecce Phorbas Syenites, ortus Methione, & Amphimedon Libys, cupidi certamen inire, ceciderant, lapsi in sanguine, quo humus latè delibuta tepebat. Gladius Persei immissus jugulo Phorbantis, & lateri alterius, prohibuit eos jam sese erigentes. At Perseus non invadit gladio intentato Erithon Actoris filium, qui pro armis gerebat hastam bipennem; sed sumit utrâque manu craterem maximum prominentem signis & magnæ molis & ponderis, & illidit in virum. Ille eructat sanguinem rubrum, & resupinus plangit terram capite moribundo. Postea proterit Polydæmonem ortum sanguine reginæ *Semiramidis, & Abarin Caucasium, & Lycetum Sperchioniden, & Elycen habentem capillos intonsos, & Phlegian & Clytum: & premit pedibus cumulos coacervatos obeuntium. Neque Phineus ausus committere certamen propiùs cum hoste, vibrat telum, quod incerta manus detorsit in Idan, nequicquam abstinentem à pugnâ, & neutrum certamen tuentem. Ille aspiciens oculis acerbis ferum Phineum, Quandoquidem, inquit, cogor in factiones, Phineu, habeas*

NOTÆ.

69. *Harpen*] Harpe ensis est falcatus, quo Perseus Medusæ caput amputavit.

74. *Syenites*] Syene, urbs Ægypti ad Nilum, oriundus. Optimè verò hos omnes Patronymico aliquo, aut re quâpiam distinguit, ne cum aliis cognominibus imperitè confundantur.

75. *Libys*] Ex Africâ quæ & Libya dicta est, oriundus.

80. *Altis signis*] Altè eminentibus signis, & cælaturis.

86. *Caucasium*] A Caucaso Scythiæ monte.

Ib. *Sperchioniden*] Sperchei, fluminis Thessaliæ, filium.

91. *Expertem*] Quia neutras secutus partes, telo tamen appetitus est.

Quem

Quem feciſti hoſtem: penſaque hoc vulnere vulnus.
Jamque remiſſurus tractum de corpore telum
Sanguine defectos cecidit collapſus in artus.
Hîc quoque Cephenum poſt regem primus Odites
Enſe jacet Clymeni: Protenora perculit Hypſeus:
Hypſea Lyncides. Fuit & grandævus in illis
Emathion, æqui cultor, timiduſque Deorum:
Quem quoniam prohibent anni bellare, loquendo
Pugnat; & inceſſit, ſceleratâque devovet arma.
Huic Chromis amplexo tremulis altaria palmis
Demetit enſe caput, quod protinus incidit aræ:
Atque ibi ſemanimi verba execrantia linguâ
Edidit, & medios animam expiravit in ignes.
Hinc gemini fratres, Broteaſque & ceſtibus Ammon
Invicti (vinci ſi poſſent ceſtibus enſes)
Phineâ cecidêre manu: Cereriſque ſacerdos
Ampycus, albenti velatus tempora vittâ.
Tu quoque, Japetide, non hos adhibendus in uſus;
Sed qui pacis opus citharam cum voce moveres:
Juſſus eras celebrare dapes, feſtumque canendo.
Cui procul aſtanti, plectrumque imbelle tenenti,
Pettalus, I, ridens, Stygiis cane cætera, dixit,
Manibus; & lævo mucronem tempore figit.
Concidit, & digitis morientibus ille retentat
Fila lyræ; caſuque canit miſerabile carmen.
Non ſinit hunc impunè ferox cecidiſſe Lycormas:
Raptaque de dextro robuſta repagula poſti
Oſſibus illidit mediæ cervicis. At ille

hoſtem, quem tu ipſe hoſtem tibi *conciliâſti, Phineu; & compenſa plagam hâc plagâ. Et jam remiſſurus jacultum revulſum ex corpore cecidit collaſſus in membra deſtituta ſanguine. Hic etiam Odites ſecundus regi Cepheno proſtratus eſt gladio Clymeni: Hypſeus proſternit Protenorem; Lyncides Hypſeum. Emathion ſenex fuit etiam inter illos, ſautor juſtitiæ, & vir pius; quem quia ſenectus non ſinit arma movere, verbis certat; & damnat arma nefaria, & illis malè precatur. Chromis amputat caput hujus complexi aras manibus trementibus, quod ſtatim concidit in altare: atque ibi protulit voces deteſtantes linguâ ſemivivâ; & efflavit ſpiritum in medios ignes. Deinde Broteas, & Ammon fratres gemelli, invicti ceſtibus (ſi gladii poſſent ſuperari ceſtibus) procubuerunt dextrâ Phinei, unà cum Ampyco Cereris ſacerdote, cujus tempora redimita erant vittâ candidâ: Tu etiam, Japetide, non admovendus ejuſmodi rebus;*

Sed qui pulſares citharam opus pacis cantando, juſſus eras cohoneſtare convivium ludendo. Cui procul adſiſtenti, & tractanti plectrum pacificum, Pettalus irridens, Abi, inquit, canta reliqua umbris inferis: & immittit cuſpidem in ſiniſtram capitis partem. Procumbit ille, & pulſat digitis morientibus chordas lyræ, & fortè canit carmen lugubre. Sævus Lycormas non patitur hunc procubuiſſe inultum: & impingit validum vectem avulſum ex dextro poſte oſſibus mediæ cervicis. At ille

NOTÆ.

94. *Penſaque*] Compenſa & quaſi in vicem illius quod tu mihi intulifti; hoc vulnus, quod ego tibi illaturus ſum accipe.

97. *Poſt regem*] *Secundus à rege; dignitate ſeu autoritate proximus.*

102. *Sceleratâque*] In Perſeum ſceleratè ſumpta.

103. *Amplexo*] Quaſi ad deorum præſidium confugienti. In capitis enim diſcrimine ſolebant ad aras confugere, illaſque prênſare, ac deorum quoque ſtatuas & ſimulacra complecti.

107. *Ceſtibus*] Chirothecæ ſpecies quædam eſt è loris bubulis, plumbo etiam ac ferro interdum inſuto; his pugiles muniebant manus, eoſque cubito atque humero, ne excuterentur, alligabant. Quidam deducunt à *cædo*, & ſcribunt cum (æ) meliùs vero à κεστὸν *cingulum, lorum:* cui congruunt illa Virgilii Æn. V. v. 364.

Evinctis attollat brachia palmis.

& verſ. 408.

Vinctorum immenſa Volumina.

110. *Vittâ*] Faſcia linea, quâ vinciebantur frontes ſacerdotum & victimarum.

111. *Hos*] Bellicos.

114. *Plectrum*] Inſtrumentum, quo lyra pulſatur.

117. *Retentat*] *Iterum tangit, & denuo experitur.*

120. *Repagula*] Vectem dicit, ſeu obicem, qui valvis ſolet apponi.

Procubui

cecidit in terram, sicuti juvencus mactatus. Pelates Cyniphius conabatur etiam revellere obicem ferreæ januæ; sed dum hoc conaretur, Manus *dextra transverberata est mucrone Corythi Marmaridæ filii; & affixa est ligno. Dum ibi hæsit, Abas transfixit latus: neque ille cadit; sed obiens pependit è poste, qui manum transfixam retinuit. Melaneus, qui defenderat partes Persei, cecidit etiam; itemque Dorylas ditissimus agri Nasamoniaci, Dorylas dives agri, quo alter non habuit* agros *latiùs patentes, aut cogebat totidem cumulos frumenti. Jaculum vibratum udhæsit hujus obliquo inguini; quæ pars est mortifera. Quem cùm Haicyoneus Bactrius auctor plagæ advertit emittentem animam & torquentem oculos, Possideas, inquit, hoc terræ quod tegis de tot jugeribus, quot possidebas; & deseruit corpus inane. Perseus vindex immittit in hunc hastam avulsam de vulnere tepente; quæ inducta per mediam narem prodit cervice, & apparet ex utrâque parte. Et fortunâ favente manu, Clytium & Clanin unâ matre genitos, interficit diversâ plagâ. Nam jaculum adactum validò brachio transfixit femur utrumque Clytii: Clanis recepit hastam ore. Celadon Mendesius etiam procubuit: Astreus editus matre Palæstinâ ortus patre incerto, procubuit. Æthion etiam olim callidus cognoscere futura, nunc delusus ave mendaci; & Thoactes armiger regis, & Agyrtes famosus ob patrem interfectum.*

Procŭbuit terræ mactati more juvenci.
Demere tentabat lævi quoque robora postis
Cinyphius Pelates: tentanti dextera fixa est
Cuspide Marmaridæ Corythi, lignoque cohæsit. 125
Hærenti latus hausit Abas: nec corruit ille;
Sed retinente manum moriens è poste pependit.
Sternitur & Melaneus Perseïa castra secutus,
Et Nasamoniaci Dorylas ditissimus agri;
Dives agri Dorylas: quo non possederat alter 130
Latiùs, aut totidem tollebat farris acervos.
Hujus in obliquo missum stetit inguine ferrum:
Letifer ille locus. Quem postquam vulneris auctor
Singultantem animam, & versantem lumina vidit
Bactrius Haicyoneus, Hoc quod premis, inquit, habeto 135
De tot agris, terræ: corpusque exsangue reliquit.
Torquet in hunc hastam calido de vulnere raptam
Ultor Abantiades: mediâ quæ nare recepta
Cervice exacta est, in parteisque eminet ambas.
Dumque manum Fortuna juvat, Clytiumque Claninque, 140
Matre satos unâ, diverso vulnere fudit.
Nam Clytii per utrumque gravi librata lacerto
Fraxinus acta femur: jaculum Clanis ore momordit.
Occidit & Celadon Mendesius: occidit Astreus,
Matre Palæstinâ, dubio genitore creatus. 145
Æthionque sagax quondam ventura videre;
Nunc ave deceptus falsâ: regisque Thoactes
Armiger, & cæso genitore infamis Agyrtes.

NOTÆ.

123. *Robora*] Vectem ex robore seu quercu durissimâ.

124. *Cinyphius*] A Cinypho Africæ propriæ fluvio.

126. *Latus hausit*] Et latere confosso sanguinem elicuit. *Per tunicam squalentem auro latus hausit apertum.* Æn. 10.

129. *Nasamoniaci*] Fuerunt Nasamones populi Libyæ juxta Syrtes naufragis admodum infesti, furto viventes.

135. *Bactrius*] A Bactris urbe, quæ Bactrianæ, regioni Indiæ, contermina, nomen quoque dedit.

138. *Abantiades*] Perseus Abantis pronepos. Acrisius ĕnim Danaës pater erat filius Abantis.

143. *Fraxinus*] Pro hastâ ex fraxino per Metonymiam.

144. *Mendesius*] Fuit Mendes urbs Ægypti, ubi Pana & hircos coluerunt, de quâ Plinius; unde hic Celadon nomen videtur habuisse.

145. *Palæstinâ*] Palæstinâ Syriæ regione oriundâ.

Ib: *Dubio genitore*] Adeóque spurius.

147. *Deceptus*] Qui instans fatum non præviderat, hoc dixit. Pari modo Virgil. de Rhamnete cæso augure,

Sed non augurio potuit depellere pestem.

Plùs

Plùs tamen exhausto superest; namq; omnibus unum
Opprimere est animus. Conjurata undique pugnant
Agmina pro caussâ meritum impugnante fidemque,
Hâc pro parte socer frustrà pius, & nova conjux,
Cum genetrice, favent; ululatuque atria complent.
Sed sonus armorum superat, gemitusque cadentum:
Pollutosque semel multo Bellona Penates
Sanguine perfundit; renovataque prælia miscet.
Circumeunt unum Phineus, & mille secuti
Phinea. Tela volant hibernâ grandine plura
Præter utrumque latus, præterq; & lumen & aures.
Applicat hinc humeros ad magnæ saxa columnæ,
Tutaque terga gerens, adversaque in agmina versus,
Sustinet instantes. Instabant parte sinistrâ
Chaonius Molpeus, dextrâ Nabathæus Ethemon.
Tigris ut, auditis diversâ valle duorum
Extimulata fame mugitibus armentorum,
Nescit utro potius ruat, & ruere ardet utroque:
Sic dubius Perseus, dextrâ, lævâne feratur,
Molpea trajecti submovit vulnere cruris;
Contentusque fugâ est. Neque enim dat tempus Ethemon;
Sed furit; &, cupiens alto dare vulnera collo,
Non circumspectis exactum viribus ensem
Fregit: & extremâ percussæ parte columnæ
Lamina dissiluit; dominique in gutture fixa est.
Non tamen ad lethum caussas satis illa valentes
Plaga dedit. Trepidum Perseus, & inermia frustrà

supersunt tamen plures, quàm sustulit: namque consilium est omnium, ut unum illum *interficiant; turba conjurata certant undique pro caussâ,* quæ erat *contra meritum & fidem. Socer nequicquam pius, & uxor recens* nupta *cum matre stant ab hâc parte, & implent aulas clamoribus. Verùm strepitus armorum, & gemitus morientium vincit; & Bellona imbuit multo cruore domum semel infectam; & auget certamina renovata. Phineus atque mille secuti Phineum claudunt unum* Persea: *plura jacula grandine hiemali volant ab utroque latere, & præter aures & oculos. Dein* Perseus *admovit humeros ad molem vastæ columnæ; & tutus à tergo, & conversus in turbam hostilem stat contra urgentes. Molpeus Chaonius premebat à lævo latere, Ethemon Nabathæus à dextra. Quemadmodum Tigris pressa fame auditis mugitibus duorum armentorum diversâ valle dubitat, in quam partem impetum faciat; & flagrat impetum facere in utrumque; sic incertus Perseus ruatne dextrâ, aut sinistrâ, sustulit Molpeum plagâ cruris transfixi: contentus est quòd fugeret: nam Ethemon spatium* persequendi *non concedit: & furit & parans infligere plagam excelso collo, fregit gladium impactum viribus incautis; & lamina disjecta est ultimâ parte columnæ ictæ; & adhæsit jugulo domini. Illud tamen vulnus non fuit caussa satìs potens ad mortem. Perseus* Ethemona *turbatum, & incassum inermes*

NOTÆ.

149. *Plùs*] Hostes Perseo interficiendi plures supersunt, quàm adhuc mactavisset.

151. *Pro caussâ*] Hoc est, pro Phineo, qui & meritum Persei, quo Andromedam servaverat & fidem ipsi à rege datam impugnabat.

152. *Hâc*] Persei, cui perversè litem moverat Phineus.

155. *Bellona*] Belli Dea.

163. *Chaonius*] Sunt Chaones populi Arabibus contermini.

Ib. *Nabathæus*] Ex Nabathæâ, *Felicis* Arabiæ regione, oriundus.

164. *Diversâ valle*] Diversâ vallis parte.

169. *Contentus*] Quia Perseum Ethemon urgebat, illi satis fuit quod Molpeus fugeret, cùm alias non nisi peremptum dimisisset.

171. *Non circumspectis*] Cùm incautè in Perseum irruisset Ethemon, non ipsum, sed columnam cui adstabat, attigit; quâ re fracta est lamina.

Brachia

lacertos transfixit acinace Cyllenio. Verum postquam Perseus advertit fortitudinem suam *impavem esse agmini, Siquidem vos sic impellitis, inquit, advocabo hostem in opem: si quis benevolus hic est, demoveat oculos suos: & deprompsit vultus Gorgonis. Quare alium, inquit Thescelus, quem tua monstra percellant; & cùm vellet manu jacere telum mortiferum,* evasit statua *marmorea, & constitit in hoc gestu. Ampyx proximus huic insurgit ense contra pectus Lyncidæ plenissimum ingentis animi; atque insurgendo dextera obduruit, neque citra neque ultra movebatur. At Nileus, qui falsò jactaverat se ortum Nilo septemfluo, atque etiam insculpserat clypeo septem ostia Nili, partim argento, partim auro; Vide, inquit, Perseu, initia nostri generis: Portabis apud manes quietos magnifica consolationem necis, quòd occisus fueris à tanto viro. Pars novissima vocis intercluso est in medio sono: & arbitreris os apertum optare fari, neque illud esse pervium vocibus. Eryx ob furgat istos, atque ait, Hæretis culpâ animi, non capillis Gorgoneis: irruite mecum, & in terram date adolescentem tractantem arma incantata. Parabat irruere: terra compescuit pedes; & hæsit saxum immobile & signum armatum. Atque hi dederunt pœnas pro merito; sed unus Aconteus stabat à partibus Persei, pro quo dum certat, Gorgone visâ, obduruit petrâ immotâ. Quem cùm Astyages crederet adhuc vivere, percutit longo gladio: gladius sonum edidit tinnitibus acutis. Dum Astyages miratur, induit eandem naturam:*

Brachia tendentem Cyllenide confodit harpe:
Verùm ubi virtutem turbæ succumbere vidit,
Auxilium, Perseus, quoniam sic cogitis ipsi,
Dixit, ab hoste petam: vultus avertite vestros,
Si quis amicus adest: & Gorgonis extulit ora.
Quære alium, tua quem moveant miracula, dixit
Thescelus: utque manu jaculum fatale parabat
Mittere, in hoc hæsit signum de marmore gestu.
Proximus huic Ampyx animi pleniſſima magni
Pectora Lyncidæ gladio petit: inque petendo
Dextera diriguit, nec citra mota, nec ultra.
At Nileus, qui se genitum septemplice Nilo
Mentitus erat, clypeo quoque flumina septem
Argento partim, partim cœlaverat auro,
Aspice, ait, Perseu, nostræ primordia gentis:
Magna feres tacitas solatia mortis ad umbras,
A tanto cecidisse viro. Pars ultima vocis
In medio suppressa sono est: adapertaque velle
Ora loqui credas; nec sunt ea pervia verbis.
Increpat hos, Vitioque animi, non crinibus, inquit,
Gorgoneis torpetis, Eryx: incurrite mecum:
Et prosternite humi juvenem magica arma moven-
Incursurus erat, tenuit vestigia tellus: [tem.
Immotusque silex, armataque mansit imago,
Hi tamen ex merito pœnas subiêre. Sed unus
Miles erat Persei, pro quo dum pugnat, Aconteus,
Gorgone conspectâ saxo concrevit oborto:
Quem ratus Astyages etiamum vivere, longo
Ense ferit: sonuit tinnitibus ensis acutis.
Dum stupet Astyages, naturam traxit eandem:

NOTÆ.

176. *Cyllenide harpe*] Falcato ense, quem à Mercurio in Cyllene, Arcadiæ monte, nato, acceperat.

179. *Hoste*] Medusæ capite.

183. *In hoc*] In statuam marmoream ita convertus est, ut jaculum emittere velle videatur.

187. *Septemplice*] Qui per septem ostia majora subire mare dicitur.

191. *Tacitas umbras*] Animas voce carentes & mutas.

192. *A tanto*] Ita Virgilius lib. Æneid. 10. de Lauso ab Æneâ interfecto:

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,
Æneæ magni dextrâ cadis.——

195. *Vitio animi*] Ad historiam alludit fortè: Tantâ enim dicitur formâ, præsertim verò crinium pulchritudine, Medusa præcelluisse, ut ad ejus conspectum stupidi amantes quasi obrigescerent.

102. *Conspectâ*] Contra quam monuerat Perseus supra vers. 179.

Marmo-

Marmoreoque manet vultus mirantis in ore.
Nomina longa mora est mediâ de plebe virorum
Dicere. Bis centum restabant corpora pugnæ:
Gorgone bis centum riguerunt corpora visâ.
Pœnitet injusti nunc denique Phinea belli.
Sed quid agat? simulacra videt diversa figuris;
Agnoscitque suos: & nomine quemque vocatos
Poscit opem; credensque parum, sibi proxima tangit
Corpora: marmor erant. Avertitur; atq; ita supplex,
Confessasque manus, obliquaque brachia tendens,
Vincis, ait, Perseu: remove fera monstra: tuæque
Saxificos vultos, quæcunque ea, tolle Medusæ.
Tolle, precor. Non nos odium, regnive cupido
Compulit ad bellum: pro conjuge movimus arma.
Causa fuit meritis melior tua; tempore nostra.
Non cessisse piget. Nihil, ô fortissime, præter
Hanc animam concede mihi: tua cætera sunto.
Talia dicenti, neque eum, quem voce rogabat,
Respicere audenti; Quod, ait, timidissime Phineu,
Et possum tribuisse, & magnum munus inerti est;
Pone metum, tribuam: nullo violabere ferro.
Quin etiam mansura dabo monumenta per ævum;
Inque domo soceri semper spectabere nostri:
Ut mea se sponsi soletur imagine conjux.
Dixit: & in partem Phorcynida transtulit illam:
Ad quam se trepido Phineus obverterat ore.
Tum quoque conanti sua flectere lumina cervix
Diriguit, saxoque oculorum induruit humor.
Sed tamen os timidum, vultusque in marmore supplex,
Submissæque manus; faciesque obnoxia mansit.

& idem faciei stupor bæret in ore jam *marmoreo. Longum est recensere nomina virorum de vulgo. Ducenti homines supererant ex certamine; ducenti obduruerunt conspectâ Gorgone. Nunc denique Phineum piget iniqui certaminis. Verùm quid faciat? aspicit imagines diversis figuris; & agnoscit suos socios. & auxilium petit à singulis nominatim citatis; & minàs credens oculis tangit corpora sibi proxima; erant marmor. Detorquet faciem, atque supplex, & porrigens manus* quasi *confitentes & brachia obliqua, sic loquitur, Superiores, Perseu, tolle sæva monstra, atque amolire faciem tuæ Medusæ (quæcumque ea est) omnia in saxa convertentem. Summove, oro. Non aversatio, aut desiderium regni me traxit in certamen: sumpsimus arma pro uxore. Causa tua fuit potior meritis, nostra tempore. Me pœnitet* tibi Andromedam *non permisisse. Nihil, oro, præveas, mihi ô sævissime, præter meam vitam: alia omnia sint tua. Dixit illi proferenti talia, neque audenti convertere oculos in eum quem precabatur voce, dabo quod possum dare, &*

magnum videtur donum timido: nullo ferro læderis. Quin etiam præbebo monumenta duratura per ævum, & semper conspicieris in domo nostri soceri, ut mea uxor se soletur specie sponsi. Absolvit, & transmovit caput Medusæ in illam partem, ad quam Phineus converterat se vultu timido. Tum etiam caput obduruit, cùm tentaret detorquere suos oculos, & humor oculorum diriguit in silicem. Sed tamen os pavidum, & vultus supplex, & manus demissæ; & facies dejecta mansit in saxo.

NOTÆ.

214. *Avertitur*] A Persei conspectu oculos avertit.

215. *Obliqua*] Quia aversus, ne in Medusæ caput oculi incurrerent, loquebatur.

217. *Quæcunque ea*] Ignorat Phineus, quænam fuerit Medusa.

220. *Tempore*] Quia primùm Phineo desponsata Andromeda, postea Perseo in meriti præmium cessit.

226. *Ferro*] Monstrum reformidâsse se testatus erat Phineus: Perseus ferrum reformidandum innuit, ut ille virtute superiorem hostem confiteatur.

230. *Phorcynida*] Medusam Phorci filiam.

235. *Obnoxia*] Dejecta, qualis est hominis sibi conscii, culpam agnoscentis, pœnamque deprecantis.

II. *Perseus potitus victoriâ tendit ad mœnia patria cum uxore, & ultor matris Danaës immerita passæ, bellum indicit Prœto. Nam ille fratre Acrisio expulso per arma obtinuerat arces Acrisioneas. Sed neque auxilio armorum, neque arce, quam iniquè insederat, vicit oculos infestos monstri colubros ferentis.*

II. Victor Abantiades patrios cum conjuge muros
Intrat: & immeritæ vindex ultorque parentis
Aggreditur Prœtum. Nam fratre per arma fugato
Acrisioneas Prœtus possederat arces.
Sed nec ope armorum, nec, quam malè ceperat, arce
Torva colubrifero superavit lumina monstro.

III. *Attamen neque virtus juvenis probata per tot labores, neque mala delenierant te, ô Polydecta rex exiguæ insulæ Seriphi, sed crudelis exerces odium infractum; neque finis datur injustæ iræ. Minis etiam laudes; atque* conaris *probare cædem Medusæ esse falsam. Exhibebimus tibi, inquit Perseus testimonia veri: avertite oculos; &, objecto Medusæ vultu, fecit vultus regii saxum sine sanguine.*

III. Te tamen, ô parvæ rector Polydecta Seriphi,
Nec juvenis virtus per tot spectata labores,
Nec mala mollierant: sed inexorabile durus
Exerces odium: nec iniquâ finis in ira est.
Detrectas etiam laudes: fictamque Medusæ
Arguis esse necem. Dabimus tibi pignora veri;
Parcite luminibus, Perseus ait: oraque regis
Ore Medusæo silicem sine sanguine fecit.

IV. *Hactenus Tritonia se præbuit comitem fratri, qui ex auro factus erat: inde velata nube opacâ destituit Seriphon:*

IV. Hactenus aurigenæ comitem Tritonia fratri
Se dedit. Inde cavâ circumdata nube Seriphon
Deserit; à dextrâ Cythno Gyaroque relictis.
Quáque super pontum via visa brevissima, Thebas,
Virgineumque Helicona petit: quo monte potita
Constitit; & doctas sic est affata sorores:
Fama novi fontis nostras pervenit ad aures,
Dura Medusæi quem præpetis ungula rupit.
Is mihi causa viæ. Volui mirabile monstrum

Cythno Gyaroque omissis à dextrâ: & proficiscitur Thebas, & Heliconem virgineum, quâ iter visum compendiosissimum super mare: in quem montem cùm pervenisset, constitit, atque sic ipse allocuta doctas sorores: Fama nuperi fontis delata est ad nostras aures, quem rigida ungula volucris equi *Medusæi aperuit. Is mihi causa itineris: optavi monstrum stupendum*

NOTÆ.

236. *Patrios*] Argos.

238. *Prœtum*] Filium Abantis, Acrisii fratrem.

242. *Polydecta*] Fuit Polydectes rex Seriphi, insulæ ex Sporadibus, ad quem inclusus arcâ pervenerat Perseus, unà cum matre. Hanc ille amavit; qui propter Perseum juvenem, cujus etiam virtus sibi erat suspecta, æternæ gloriæ consequendæ titulo ad superandam Gorgonem impulit, ut illius matre liberè potiretur. A quo contumeliosè post expeditionem exceptus Perseus, ostendit Medusæ caput, & eum in saxum convertit.

248. *Parcite luminibus*] Ut suprà, ver. 179.

——*Vultus avertite vestros,*
Si quis amicus adest——

250. *Aurigenæ*] Perseo, quem Jupiter in imbrem aureum conversus, inque Danaës gremium delapsus, genuit.

Ib. *Tritonia*] Pallas, quæ à Tritone Africæ palude, ubi educata & primùm apparuit, hoc nomen habuit.

252. *Cythno Gyaroque*] Quæ insulæ sunt ex Cycladibus in mari Ægæo ad dextram Seriphi, Minervæ habitâ ratione quæ ad occasum, Bœotiam versus, iter dirigeret.

254. *Virgineumque*] Musis virginibus sacrum Heliconem Bœotiæ montem, sicuti & alios jam sæpe dictum.

255. *Sorores*] Musas, Jovis & Mnemosynes filias.

256. *Fontis*] Hippocrene dictus est, quem ad Heliconis radices pedis percussu aperuisse Pegasum alatum equum fabulati sunt poëtæ.

Cernere:

Cernere: vidi ipsum materno sanguine nasci.
Excipit Uranie: Quæcunque est causa videndi
Has tibi, Diva, domos, animo gratissima nostro es.
Vera tamen fama est: & Pegasus hujus origo
Fontis: & ad latices deducit Pallada sacros.
Quæ mirata diu factas pedis ictibus undas,
Silvarum lucos circumspicit antiquarum,
Antraque, & innumeris distinctas floribus herbas:
Felicesque vocat pariter studiique, locique
Mnemonidas. Quam sic affata est una sororum:
O, nisi te virtus opera ad majora tulisset,
In partem ventura chori Tritonia nostri,
Vera refers; meritóque probas artesque, locumque:
Et gratam sortem, tutæ modò simus, habemus.
Sed (vetitum est adeò sceleri nihil) omnia terrent
Virgineas mentes: dirusque ante ora Pyreneus
Vertitur: & nondum me totâ mente recepi.
Daulia Threicio Phoceaque milite rura
Ceperat ille ferox, injustaque regna tenebat.
Templa petebamus Parnassia. Vidit euntes:
Nostraque fallaci veneratus numina cultu;
Mnemonides (cognôrat enim) consistite, dixit:
Nec dubitate, precor, tecto grave sidus, & imbrem
(Imber erat) vitare meo: subiêre minores
Sæpe casas Superi. Dictis & tempore motæ
Annuimusque viro, primasque intravimus ædes.
Desiêrant imbres; victoque Aquilonibus Austro,
Fusca repurgato fugiebant nubila cœlo.
Impetus ire fuit. Claudit sua tecta Pyreneus:

videre: vidi ipsum exoriri è sanguine matris. Urania respondet; Quæcunque est tibi causa cernendi has sedes, Diva, es acceptissima nostro animo. Cæterùm indubitata est fama; atque Pegasus est causa hujus fontis: & perducit Minervam ad sacras aquas. Quæ diu admirata aquas eductas percussu pedis, circumlustrat lucos nemorum antiquorum, & speluncas, & gramina exornata innumeris floribus: & dicit beatas Memoriæ filias quoad sedes & studia. Quam sic est allocuta una sororum; O Tritonia accessura in partem nostri cœtûs, nisi virtus genuisset te ad majora, vera prædicas, & jure laudas & studia, & sedes: & conditione fruimur lautâ, modò simus securæ. Verùm (usque adeò nihil est prohibitum nequitiæ) omnia sunt pavori virgineis animis: atque crudelis Pyreneus adhuc *obversatur* mihi *ante oculos, & nondum ad me redîi toto animo. Ille sævus invaserat campos Daulios & Phocæos milite Thracio, & possidebat regna iniqua. Ibamus in templa Parnassia: advertit euntes; & postquam coluisset nostra numina honore doloso, Musæ, inquit (nam cognoverat) gradum sistite; neque quæso, vereamini vitare nebulosum diem, & pluviam, (pluebat* enim) *sub meâ domo: sæpe dii intraverunt exiliores casas. Impulsæ verbis & tempestate, obsecutæ sumus viro, & subîimus primam domum. Pluvia cessaverat, & Noto superato à Boreâ, nubes opacæ deturbabantur cœlo serenato. Voluimus abire: Pyreneus obserat suam domum:*

Vimque

NOTÆ.

259. *Vidi ipsum*] Adfuit Minerva, cùm ex Medusæ sanguine in terram delapso natus est Pegasus.

260. *Uranie*] Quæ Musarum una.

261. *Mnemonidas*] Musas, Mnemosynes nymphæ; seu potius Memoriæ filias.

274. *Pyreneus*] Thrax fuit Tyrannus, qui Daulida Phocidis urbem occupavit; ubi cùm quodam die pluvioso Musas ad Parnassum euntes vidisset, ut tecta sua subirent, dum pluvia cessaret, invitavit: cùm verò jam cessante pluviâ, Musæ discedere vellent. Pyreneus clausis foribus vim illis inferre parabat. Sed Musæ in aves conversæ evolaverunt, quas cùm persequi Pyreneus vellet, ex arce se præcipitem dans, caput terræ illisit, & expiravit.

275. *Nondum me*] Quia exterrita.

278. *Templa*] Quæ Delphis Apollini sacra.

284. *Primas*] *Vestibulum.*

285. *Aquilonibus*] Qui à septentrione flantes Austrum pluvium ad meridiem suum repulerant: serenum inducit Aquilo.

& vim intentat, quam nos vitavimus alis sumtis. Ipse similis secuturo excelsus constitit arce, &, inquit, quâ iter est vobis, erit & mihi eâdem viâ; & vesanus se mittit è fastigio suprenæ turris, & ruit in faciem, & moriens ferit terram infectam cruore scelesto ossibus oris fracti.

V. *Musa referebat. Pennæ per aërem sonabant; & vox salutantium veniebat à summis ramis. Sursum intuetur, & quærit ex quâ parte linguæ tam disertè loquentes sonent; & filia Jovis arbitratur hominem* esse *locutum. Erant volucres, atque picæ novem numero imitantes omnia insederant ramis dolentes suam sortem. Dea sic occæpit Deam* alloquens *quæ mirebatur: Nupèr istæ etiam amplior em fecerunt numerum avium superatæ certamine. Pierus opulentus in agris Pellæis has genuit. Mater fuit Evippe, Pæoniâ oriunda. Illa novies fœtus enixura supplevit novies potenti Lucinæ. Agmen stultarum sororum* superbiâ *eiatum est ob numerum: & huc accesserunt per tot Hæmonias, & per tot Achaïdas urbes, & certamen indicunt hujusmodi verbis. Omittite decipere vulgus ignarum inani suavitate. Deæ Thespiades, siquidem audetis, certamen inite nobiscum: neque superabimur cantu, neque arte; quin & numero pares. Vel* vos si *superatæ* estis, *cedite fonte Medusæo, & Aganippe Hyanteâ; vel nos,* si vestrûm fuerit victoria, *cedamus agris Emathiis usque ad Pæonas hybernos. Litem dijudicent nymphæ. Indecorum erat quidem certamen inire; sed cedere videbatur turpius. Nymphæ* judices *electæ jurant per flumina;*

Vimque parat, quam nos sumtis effugimus alis,
Ipse secuturo similis stetit arduus arce:
Quâque via est vobis, erit & mihi, dixit, eâdem;
Seque jacit vecors è summæ culmine turris:
Et cadit in vultus, discussique ossibus oris
Tundit humum moriens scelerato sanguine tinctam.
V. Musa loquebatur. Pennæ sonuêre per auras:
Voxque salutantûm ramis veniebat ab aliis.
Suspicit; & linguæ quærit tam certa loquentes
Unde sonent: hominemq; putat Jove nata locutum.
Ales erant; numeroque novem sua fata querentes
Institerant ramis imitantes omnia picæ.
Miranti sic orsa Deæ Dea: Nupèr & istæ
Auxerunt volucrum victæ certamine turbam.
Pieros has genuit Pellæis dives in arvis:
Pæonis Evippe mater fuit. Illa potentem
Lucinam novies, novies paritura, vocavit.
Intumuit numero stolidarum turba sororum:
Perque tot Hæmonias, & per tot Achaïdas urbes
Huc venit: & tali committunt prælia voce:
Definite indoctum vanâ dulcedine vulgus
Fallere. Nobiscum, si qua est fiducia vobis,
Thespiades certate Deæ. Nec voce, nec arte
Vincemur, totidemque sumus. Vel cedite victæ
Fonte Medusæo, & Hyanteâ Aganippe;
Vel nos Emathiis ad Pæonas usque nivosos
Cedamus campis. Dirimant certamina Nymphæ.
Turpe quidem contendere erat; sed cedere visum
Turpius. Electæ jurant per flumina Nymphæ;

NOTÆ.

295. *Salutantûm*] Experimentum Salutationis vocem χαῖρε, χαῖρε. *Quis expedivit Psittaco suum χαῖρε, Picaque docuit verba nostra conari?* Pers. Prolog.

300. *Deæ Dea*] Palladi Musa.

302. *Pellæis*] Fuit Pella Macedoniæ oppidum, in Emathiâ regione, Philippi & Alexandri Magni natalibus clara.

303. *Pæonis*] Ex Pæoniâ regione Macedoniæ montanâ, Emathiæ finitimâ.

304. *Lucinam*] Juno Lucina, Diana seu Luna, parturientibus favens Dea, sic appellata à *luce* quòd in lucem educere infantes credebatur.

306. *Hæmonias*] Thessalicas, ab Hæmone Thessaliæ rege.

Ib. *Achaïdas*] Græcas.

310. *Thespiades*] A Thespiis Bœotiæ urbe Musis sacri.

312. *Medusæo*] Hippocrenen dicit, quam Pegasus equus, Medusæ sanguine cretus, unguiâ aperuit.

Ib. *Hyanteâ*] *Bœoticâ*; Dicti enim Bœoti antiquitus *Hyantes*.

Ib. *Aganippe*] Qui fons fuit Bœotiæ Musis sacer, juxta Helicona.

316. *Electæ*] Quæ litem dirimerent.

Factaque

Factaque de vivo preſsêre ſedilia ſaxo.
Tunc, ſine ſorte prior quæ ſe certare profeſſa eſt,
Bella canit Superûm: falſoque in honore Gigantas
Ponit, & extenuat magnorum facta Deorum:
Emiſſumque imâ de ſede Typhoëa terræ
Cœlitibus feciſſe metum, cunctoſque dediſſe
Terga fugæ: donec feſſos Ægyptia tellus
Ceperit, & ſeptem diſcretus in oſtia Nilus.
Huc quoque terrigenam veniſſe Typhoëa narrat,
Et ſe mentitis Superos celâſſe figuris:
Duxque gregis, dixit, fit Jupiter; unde recurvis
Nunc quoque formatus Libys eſt cum cornibus Ammon.
Delius in corvo, proles Semeleïa capro,
Fele ſoror Phœbi, niveâ Saturnia vaccâ,
Piſce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis.
Hactenus ad citharam vocalia moverat ora:
Poſcimur Aonides. Sed forſitan otia non ſint;
Nec noſtris præbere vacet tibi cantibus aurem.
Ne dubita, veſtrumq; mihi refer ordine carmen,
Pallas ait, nemoriſque levi conſedit in umbrâ.
Muſa refert: Dedimus ſummam certaminis uni.
Surgit, & immiſſos hederâ collecta capillos

& inſtiterunt ſedilibus paratis de vivâ rupe. Tunc una ex illis ſororibus, non expectato *ſortis* decreto ultra pars *prior* caneret, *quæ ſese dixit velle contendere, cantat certamina Deorum, & falsè extollit gigantes, & detrahit factis magnorum Deorum*; & narrat *Typhoëum* eductum *de ſede infimâ terræ* incuſſiſſe *pavorem cœleſtibus, & omnes in fugam verſos* eſſe, *donec terra Ægyptia, & Nilus divisus in ſeptem flumina* acceperat eos *laſſos. Dicit inſuper Typhoëum terrâ ortum huc acceſſiſſe, & Deos ſe occultâſſe, figuris ſimulatis: atque, inquit, Jupiter mutatur in arietem; ex quo nunc etiam Ammon Libycus effictus eſt cum cornibus recurvis.* Apollo *Delius delituit in corvo*, Bacchus *filius Semeles in capro*, Diana *ſoror Apollinis in fele*, Juno *Saturnia in vaccâ albâ, Venus in piſce, Cyllenius in alis Ibidis. Hactenus* illa *pulſaverat citharam, voce* interim *accinente; nos Aonides vocamur. Sed fortè non detur ſpatium, neque tibi liceat accommodare aurem noſtris cantibus. Ne hæreas, inquit Pallas, quin mihi memora carmen veſtrum ordine; & ſedit in levi umbrâ ſilvæ. Muſa narrat: credidimus uni totum certamen. Surgit Calliope, & habens comam religatam hederâ*

NOTÆ.

319. *Gigantes*] De gigantomachiâ, vide Lib. I. Fab. 6.

321. *Typhoëa*] Hic omnium fuit terribilis, quem Terrâ & Erebo ſatum Heſiodus, Homerus terrâ Junonis juſſo ortum fabulatus eſt. Centum draconum capita illius humeris poëtæ affixerunt, ore flammas eructante; caput ad cœlum uſque ſuſtulerunt, manuum aſteriam ad orientem, ad occidentem alteram porrexerunt; impexum crimen, lumina ignea, omnia denique illi ad terrorem tribuerunt. Scribendum eſt *Typhoeus* non *Typhœus*; *eu* enim non *oe* hîc eſt diphthongus. Quippe Græcè ſcribitur Τυφόευς.

323. *Donec*] Gigantes Titanum filii Typhoëo duce, impetum in Deos fecerunt, ac eos in Ægyptum uſque fugere coëgerunt, ubi ſe Typhoëi metu in varia animalia, ut perſpicuè deſcribit noſter, converterunt; inde factum eſt, ut Ægypti multa animalia pro diis colant.

327. *Duxque gregis*] *Aries:* Nam Jupiter ſe in arietem mutavit; quare Jupiter Hammon in Libyâ ſub figurâ arietis colitur.

331. *Piſce*] De Veneris in piſcem mutatione vide noſtrum in 2 Faſtor. *Terribilem quondam*, &c.

Ib. *Cyllenius*] Mercurius, à Cyllene Arcadiæ monte, ubi educatus.

Ib. *Ibidis*] Eſt Ibis avis immunda, utpote roſtro anum purgans; Ciconiæ ſimilis, Ægypto peculiaris, ſerpentibus infeſta.

333. *Poſcimur*] Ut ſi quid voce poſſemus, illud proferremus. Nota verò Muſarum Modeſtiam, per oppoſitionem ad Pieridum impudentiam, quæ ne jactis quidem ſortibus priores auſæ canere.

Ib. *Aonides*] Muſæ, quæ à Bœotiæ parte montanâ, Aoniâ dictâ, hoc nomen ſortitæ.

336. *Levi*] Suavi ac jucundâ.

337. *Umi*] *Calliope.*

priùs experitur pollice nervos ſtridul. : atque ſubjicit hos verſus chordis tactis.

VI. *Prima Ceres fidit glebam curvo aratro; prima præbuit fruges terris, & cibos ſuaves: prima ſanxit leges. Cuncta ſumus domum Cereris, illa eſt mihi celebranda: utinam tantùm poſſem proferre verſus dignos Deâ! profectò Dea digna eſt carmine. Ampla inſula Trinacris impoſita eſt artubus gigantum, & premit ingenti pondere Typhœum ſubſtratum, non veritum appetere ſedes cæleſtes. Ille quidem conatur, & tentat ſæpe exſurgere; ſed dextra manus eſt ſuppoſita Peloro Auſonio; ſiniſtra tibi, Pachyne; tibiæ urgentur Lilybæo. Ætna premit caput, ſub quâ reſupinus eructat arenas, atque emittit ignem ore ſævo. Sæpe nititur amoliri molem terræ, & corpore removere urbes, & vaſtos montes. Inde Terra tremit: & Deus ipſe umbrarum metuit ne biet ſolum & aperiatur vaſtâ rimâ; & lux introducta metum incutiat timidis manibus. Rex* inferorum *reformidans hanc calamitatem prodêrat domo obſcurâ; & vectus curru equorum nigrorum providus circuibat fundamenta telluris Siculæ. Ut proviſum eſt abundè, nulla loca labare, & tumor omiſſus, Erycina ſtans in*

Calliope querulas prætentat pollice chordas;
Atque hæc percuſſis ſubjungit carmina nervis.
VI. Prima Ceres unco glebam dimovit aratro:
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
Prima dedit leges. Cereris ſumus omnia munus.
Illa canenda mihi eſt. Utinam modò dicere poſſem
Carmina digna Deæ! certè Dea carmine digna
eſt.
Vaſta giganteîs ingeſta eſt inſula membris
Trinacris; & magnis ſubjectum molibus urget
Æthereas auſum ſperare Typhoëa ſedes.
Nititur ille quidem, pugnatque reſurgere ſæpe:
Dextra ſed Auſonio manus eſt ſubjecta Peloro:
Læva, Pachyne, tibi: Lilybæo crura premuntur:
Degravat Ætna caput: ſub quâ reſupinus arenas
Ejectat, flammamque fero vomit ore Typhoeus.
Sæpe remoliri luctatur pondera terræ;
Oppidaque & magnos evolvere corpore montes.
Inde tremit tellus: & Rex pavet ipſe ſilentûm,
Ne pateat, latoque ſolum retegatur hiatu;
Immiſſuſque dies trepidantes terreat umbras.
Hanc metuens cladem tenebrosâ ſede tyrannus
Exierat: curruque atrorum vectus equorum
Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.
Poſtquam exploratum fatìs eſt, loca nulla labare,
Depoſitique metus, videt hunc Erycina vagantem

NOTÆ.

339. *Calliope*] Muſarum præſtantiſſima, cui a *pulchritudine & vocis ſuavitate* nomen inditum.

341. *Ceres*] Frugum Dea, Saturno & Ope procreata.

343. *Leges*] Inde ipſa Ceres *legifera*, Virg. Æneid. 4. Et quædam ejus ſacrâ ob leges de agrorum terminis latas, emptionibus, alliſque, *Theſmophoria* Græcis appellata.

346. *Giganteîs*] Typhœi; quem bello giganteo Jupiter proſtravit, Siciliâ inſulâ illi ſuperpoſitâ, ne quando poſſet reſurgere.

347. *Trinacris*] *Siciliæ* eſt cui à tribus promontoriis, quæ mox indicaturus eſt poëta, hoc nomen inditum.

349. *Nititur*] Hoc ideo fingitur, quia Siciliæ terræ motu ſæpe quatitur.

350. *Auſonio*] *Italo*, quippe quòd ad Italiam ſpectat, quam ab Auſonibus, qui Italiæ extrema littora Siciliam versùs olim coluerunt, eò nomine poëtæ appellaverunt. Pelorus dictus eſt à *Peloro*, claſſis Hannibalis gubernatore, quem interfectum Hannibal, cùm crederet ſe in inſidias adductum, ibi ſepeliendum curavit.

351. *Pachyne*] Pachynus in Græciam, Lilybæus in Africam vergit.

352. *Ætna*] Qui mons eſt Siciliæ notiſſimus flammas eructans.

356. *Rex ſilentûm*] *Pluto*, ad quem demitti creduntur fato functi.

363. *Erycina*] Venus, cui ab Eryce Siciliæ monte, in quo Eryx ejus filius templum nuncupavit, hoc datum nomen. Narraturus poëta

Monte

Monte suo residens, natumque amplexa volucrem;
Arma, manusque meæ, mea, nate, potentia, dixit,
Illa, quibus superas omnes, cape tela, Cupido,
Inque Dei pectus celeres molire sagittas,
Cui triplicis cessit fortuna novissima regni.
Tu Superos, ipsumque Jovem, tu numina ponti
Victa domas, ipsumque, regit qui numina ponti.
Tartara quid cessant? cur non matrisque, tuumque
Imperium profers? agitur pars tertia mundi.
Et tamen in cœlo quoque tanta potentia nostro
Spernitur: ac mecum vires minuuntur Amoris.
Pallada nonne vides, jaculatricemque Dianam
Abscessisse mihi? Cereris quoque filia virgo,
Si patiemur, erit: nam spes affectat easdem.
At tu, pro socio si qua est mea gratia regno,
Junge Deam patruo. Dixit Venus. Ille pharetram
Solvit, & arbitrio matris de mille sagittis
Unam sepositi. Sed quâ nec acutior ulla,
Nec minùs incerta est, nec quæ magis audiat arcum.
Oppositoque genu curvavit flexile cornu:
Inque cor hamatâ percussit arundine Ditem.
Haud procul Hennæis lacus est à mœnibus altæ,
Nomine Pergus, aquæ. Non illo plura Caystros

monte suo aspicit hunc errantem, & complexa filium alatum; arma, inquit, & manus meæ, mea potentia, fili Cupido, sume illas sagittas, quibus vincis cunctos, atque dirige tela velocia in pectus Dei, cui fors ultima regni triplicis evenit. Tu superas Deos, & Jovem ipsum, tu superas numina debellata maris, atque ipsum Neptunum *qui temperat numina maris. Cur inferi, morantur? quamobrem non extendis tuum & matris regnum?* de *parte tertiâ orbis agitur. Et tamen tantum numen contemnitur etiam in cœlo nostro, & potentia Amoris frangitur mecum. Annon cernis Minervam, & Dianam venatricem defecisse à me? filia Cereris erit etiam virgo, si indulgeamus: nam & hoc animo præsumit. At tu, si quid valeo apud te pro regno socio, connecte Deam patruo. Finierat Venus. Ille expedivit pharetram; & selegit unum de mille spiculis, ex voluntate matris; sed quo neque ullum acutius, neque minùs incertum, neque quod magis obsequatur arcui; atque genu oppositio sinuavit lenium cornu, & vulneravit Ditis præcordia calamo hamato. Lacus est profundæ aquæ nomine Pergus, non longe à muris Hennæis. Caystrus non audit plures*

NOTÆ.

Cyanes Nymphæ transformationem in stagnum, priùs Proserpinæ raptam elegantissimè describit.

367. *Dei*] *Plutonis.*

368. *Triplicis*] In tres partes nempe regnum fuit divisum; ita ut Jovi cœlum. Neptuno maria, Plutoni Tartara, vel, ut aliis placet, Terra cesserit.

372. *Agitur*] Hoc est, tertia pars mundi in periculo versatur, parumque abest, quin & ea à nobis amittatur.

373. *Tamen*] Correctio est, quâ etiam Cupidinem magnis ad id quod cupit, Venus hortatur.

376. *Abscessisse*] Quia non amoribus indulgent, sed virginitatem colunt.

Ib. *Cereris filia*] *Proserpina* est, cujus fabulam maximo cum artificio hîc inseruit.

379. *Patruo*] *Plutoni*, qui Proserpinæ patruus, siquidem illa Jovis filia, hic Jovis ejusdem frater.

382. *Minùs incerta*] Id est, quæ rectiùs ad scopum festinet; nam vacillant nonnullæ, & obliquo motu feruntur, alarum vitio. *Audire arcum* dicuntur sagittæ, quæ quod arcus designavit certò feriunt. Virg. Georg. I. sub finem,

——— *Audit currus habenas.*

384. *Hamatâ*] Ferro armatâ & hamo, quæ è corpore difficulter extrahi potest. Angl. *a barbed Arrow.*

385. *Hennæis*] Henna urbs Siciliæ.

386. *Pergus*] Lacus ad Hennam, circa quem Proserpinam unà cum æqualibus flores legentem Pluto rapuit.

Ib. *Caystros*] Est hic Cayster seu Cayster Ioniæ fluvius, cygnorum copiâ celebris.

——Κύκνων δηλιχοδείρων
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καυστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα, &c.
Hom. Iliad, B. 460.

cantilenas cygnorum in aquis defluentibus. Nemus cingit aquas, claudens omne latus; & abarcet radios solares suis foliis, tanquam velo. Rami creant frigus, terra humida flores purpureos. Ver est perenne. Quâ silvâ dum Proserpina sese oblectat, & legit aut violas, aut alba lilia; & dum implet puerili desiderio & quasillos, & sinum, & studet vincere comites capiendo, propemodum simul conspecta est, & amata, & ablata à Plutone: usque adeò Amor accelerat. Dea tremefacta vocat tristiore & matrem, & æquales, sed matrem, sæpius: & cum lacerâsset amictum ab extremâ orâ, flores collecti delapsi sunt tunicis laxatis. Et tanta fuit simplicitas annis juvenilibus, hoc etiam damnum fecit dolorem virgini. Prædo agitat currus, & instigat equos appellatos singulos suo nomine, per quorum colla & jubas movet lora infecta ferrugine subnigrâ. Atque ebullientia terrâ apertâ:

Carmina cygnorum labentibus audit in undis.
Silva coronat aquas, cingens latus omne, suisque
Frondibus, ut velo, Phœbeos submovet ignes.
Frigora dant rami, Tyrios humus humida flores.
Perpetuum ver est. Quo dum Proserpina luco
Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit;
Dumque puellari studio calathosque, sinumque
Implet, & æquales certat superare legendo,
Pæne simul visa est, dilectaque, raptaque Diti.
Usque adeò properatur amor. Dea territa mœsto
Et matrem, & comites, sed matrem sæpius, ore
Clamat: & ut summâ vestem laniârat ab orâ,
Collecti flores tunicis cecidêre remissis.
Tantaque simplicitas puerilibus adfuit annis:
Hæc quoque virgineum movit jactura dolorem.
Raptor agit currus: & nomine quemque vocatos
Exhortatur equos. Quorum per colla, jubasque
Excutit obscurâ tinctas ferrugine habenas.
Perque lacus altos, & olentia sulphure fertur
Stagna Palicorum ruptâ ferventia terrâ:

vehitur per profundas lacus, & stagna Palicorum fœtentia sulphure

NOTÆ.

387. *Carmina*] Placuit etiam fabularum artificibus poëtis mirificam, ne quid plumæ decori abesset, rauciſſimis cygnis vocem tribuere.

390. *Tyrios*] Puniceï coloris, qualem in violis conſpicimus.

Ib. *Humida*] Heinſius meliùs cenſet eſſe *uvida*.

395. *Pæne simul*] Similis Climax. *Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupitâ.*

Ib. *Diti*] Quoniam è terrâ, cujus Deus eſt Pluto, effodiuntur divitiæ. Ut noſter,

——*Itum est in viscera terræ,*
Quasque recondiderat, stygiisque admoverat umbris,
Effodiuntur opes. ——

397. *Comites*] Earum nomina habes apud Pauſaniam, ex Homero in Meſſeniacis.

400. *Tantaque*] Elegantiſſimè hîc, ut ubique, poëta exprimit τὸ πάθος puellæ, ut quæ collectos floſculos anxiè ſtudeat ſervare.

401. *Hæc quoque jactura*] Quia amiſerat flores.

402. *Nomine*] Orphnæus, Æthon, Nycteus, & Alaſtor recenſentur à Claudiano.

404. *Obscurâ ferrugine*] Ferrugineo colore, qui fuſcus eſt, ac ferro ſimilis.

406. *Palicorum*] Fuerint Palici fratres duo, Jovis & Thaleæ nymphæ filii, ut quibuſdam placet, ἀπὸ τῦ πάλιν ἰέσθαι, hoc eſt *ubi iterum veniendo in vitam* ſic dicti: optavit enim mater gravida, quò Junonis iram effugeret, ſibi terram dehiſcere, quæ maturi partûs tempore aperta eſt, ex quâ Palici illi eruperunt; qui dii fuerunt indigenæ, extra Siciliam nullibi noti. Duos verò oſtentabant lacus accolæ, ex quibus emerſiſſe fratres mentirentur, tantâ quidem veneratione habitos, ut ad illos jurejurando controverſias dirimerent, perjuris in iis pereuntibus, cum illæſi inde innoxii reverterentur. Alia lege apud Macrobium Saturnal. 5.

Et quà Bacchiadæ bimari gens orta Corintho
Inter inæquales posuerunt mœnia portus.
Est medium Cyanes, & Pisææ Arethusæ,
Quod coït angustis inclusum cornibus æquor.
Hic fuit, à cujus stagnum quoq; nomine dictum est,
Inter Sicelidas Cyanè celeberrima nymphas;
Gurgite quæ medio summâ tenus exstitit alvo,
Agnovitque Deum: nec longiùs ibitis, inquit.
Non potes invitæ Cereris gener esse. Roganda,
Non rapienda fuit. Quòd si componere magnis
Parva mihi fas est; & me dilexit Anapis.
Exorata tamen; nec, ut hæc, exterrita nupsi.
Dixit: &, in partes diversas brachia tendens,
Obstitit. Haud ultrà tenuit Saturnius iram:
Terribilesque hortatus equos, in gurgitis imâ
Contortum validò sceptrum regale lacerto
Condidit. Icta viam tellus in Tartara fecit:
Et pronos currus medio crateræ recepit.
At Cyane, raptamque Deam, contemptaq; fontis
Jura sui mœrens, inconsolabile vulnus
Mente gerit tacitâ; lachrymisque absumitur omnis;
Et, quarum fuerat magnum modò numen, in illas
Extenuatur aquas. Molliri membra videres;

& quà Bacchiadæ natio orta Corintho bimari, condiderunt muros inter portus inæquales. Est mare medium, Cyanes & Arethusæ Pisææ, quod conjungitur comprehensum cornibus angustis. Cyane notissima inter nymphas Siculas, à nomine cujus stagnum etiam appellatum est, hic fuit, quæ exstitit medio mari suprema parte ventris tenus, & agnovit Deum; neque, ait, longiùs ibitis. Non potes esse gener Cereris repugnantis. Fuit oranda, non auferenda. Quòd si mihi licet conferre parva cum magnis; Anapis me quoque amavit. Nupta sum nihilominus precibus delinita, neque tremefacta ficuti ipsa. Dixit; & porrigens ulnas in partes contrarias obnixa est. Saturnius non diutius compescuit iram, & hortatus sævos quadrupedes immisit sceptrum regium impactum strenuo brachio in profundissimâ abyssi. Terra percussa aperuit iter in inferos, & recepit currus sponte ruentes medio gurgite. At Cyane dissens jura suæ scaturiginis neglecta, & Deum abreptam, fert animo silente plagam immedicabilem, & tota extenuatur fletibus, & desiit in illas aquas, quarum modò fuerat Dea. Cerneres artus emolliri:

NOTÆ.

407. *Bacchiadæ*] Archias est, bacchiadum unus, bacchia, Dionysii filio oriundus, qui Corintho pulsus Syracusas in Siciliâ condidit. Thucyd. lib. VI.

Ib. *Bimari*] Quia Ionio simul & Ægæo mari alluitur, in Isthmo Peloponnesiaco sita Corinthus.

468. *Inæquales*] Duos habuerunt portus Syracusæ, majorem alterum, alterum minorem.

469. *Est medium*] Locum describit, ubi Cyane nympha Plutonem inhibere voluit, ne Proserpinam raperet; cæterùm à Plutone contempta dolore in fontem sui nominis fuit conversa, qui Anapi fluvio commixtus, juxta Ortygiam insulam in mare labitur.

Ib. *Est medium*] Inter Cyanes fontem, & Ortygiam ponte Syracusis junctam, est pars æquoris quæ portum efficit ab alterâ parte Syracusarum.

Ib. *Arethusæ*] Nympha fuit Arethusa, Diana comes, quam cùm Alpheus Peloponnesi fluvius juxta Pisas amore incensus persequeretur, Diana in fontem ejusdem nominis mutavit. Hujus aquis cùm suas Alpheus miscere vellet, illa à terrâ absorpta in Siciliam delata est, quò & per cuniculos subterraneos, eandem secutum fuisse Alpheum, Pisæum, & assecutum fabulæ voluerunt. Hinc Arethusa Pisæa. Atque huic fabulæ locum dedit, quod, ut scripsit Plinius, quæ apud Pisam in Alpheum projiciuntur, eadem in Siciliâ ab Arethusâ ejiciuntur. Vide plura in 10 Fab. hujus libri.

417. *Anapis*] Fluvius est Siciliæ, qui ideo Cyanem amare fingitur, quod juncti unà in mare defluant.

423. *Condidit*] Jecit tantis viribus, ut totum sceptrum occultaretur.

424. *Cratere*] Eo nomine voraginem aut terræ, hiatum appellat, quo Pluto cum Proserpinâ absorptus est. Ut Lucretius, lib. IV. de faucibus Ætnæ.

In summo sunt ventigeni crateres, ut ipsi
Nominitant, nos quas fauces perhibemus & ora.

Ossa flecti, ungues amisisse auritiem. Atque subtilissima quæque ex illâ primâ solvuntur, capilli glauci, & articuli, & tibiæ, & pedes; nam levis est mutatio in aquas frigidas artibus tenuibus: ab his, & dorsum, & humeri, & latera, & pectora defluentia solvuntur in subtiles undas. Denique aqua pura irrepit in venas corruptas pro vivo sanguine, neque quicquam superest quod possis arripere.

VII. *Interea filia frustrà est pervestigata omnibus terris & omnibus aquis, à matre turbatâ. Aurora comâ flavâ exoriens non invenit illam quiescentem, non Vesterugo. Illa accendit utràque manu tædas ab Ætnâ igniferâ; & anxia gestavit per noctes pruinosas. Rursus, postquam amabilis dies obscuraverat stellas, pervestigabat filiam ab ortu solis ad occasum. Defatigata labore contraxerat sitim, neque ulli fontes irrigaverant ora, cùm fortè aspexit tugurium apertum ulmo; atque percussit tenuem januam: At inde vetula exit; atque aspicit Deam, & obtulit, petenti aquam, quidquam suave quod antè coxerat polentâ tostâ. Dum illa potat quod oblatum fuerat, puer impudens & temerarius stetit coram Deâ atque irrisit, & appellavit voracem. Indignata est; neque adhuc exhaustâ parte, Dea perfudit loquentem polentâ intritâ cum liquore. Vultus contrahit maculas: & fert crura quâ parte modò tulit lacertos: cauda est superinducta artubus transformatis: atque cogitur in parvam figuram, ne sit magna potestas lædendi; & mensura est minor brevi lacertâ, stupentem, & lacrymantem, & volentem tractare prodigium*

Ossa pati flexus; ungues posuisse rigorem: 430
Primaque de totâ tenuissima quæque liquescunt;
Cærulei crines, digitique, & crura, pedesque:
Nam brevis in gelidas membris exilibus undas
Transitus est: post hæc tergumque, humerique, latusque,
Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos. 435
Denique pro vivo vitiatas sanguine venas
Lympha subit: restatque nihil, quod prendere possis.
VII. Interea pavidæ nequicquam filia matri
Omnibus est terris, omni quæsita profundo.
Illam non rutilis veniens Aurora capillis 440
Cessantem vidit, non Hesperus. Illa duabus
Flammiferâ pinus manibus succendit ab Ætnâ;
Perque pruinosas tulit irrequieta tenebras.
Rursus, ubi alma dies hebetârat sidera, natam
Solis ad occasus, solis quærebat ab ortu. 445
Fessa labore sitim collegerat; oraque nulli
Colluerant fontes: cùm tectam stramine vidit
Fortè casam: parvasque fores pulsavit: at inde
Prodit anus; Divamque videt, lymphamque roganti,
Dulce dedit, tostâ quod coxerat antè polentâ. 450
Dum bibit illa datum; duri puer oris & audax
Constitit ante Deam; risitque, avidamque vocavit.
Offensa est: neque adhuc epotâ parte loquentem
Cum liquido mistâ perfudit Diva polentâ.
Combibit os maculas; & quà modo brachia gessit, 455
Crura gerit: cauda est mutatis addita membris:
Inque brevem formam, ne sit vis magna nocendi,
Contrahitur: parvâque minor mensura lacertâ est.
Mirantem, flentemque, & tangere monstra parantem

NOTÆ.

441. *Hesperus*] Stella Veneris vespertina.

442. *Succendit*] Unde & in sacrificiis Cereris, quæ *Mysteria* & *Initia* vocantur, faces accensas jactare solebant ad imitationem ipsius filiam inquirentis.

444. *Hebetârat*] Lumen siderum *retuderat & occultaverat*; nam adveniente die siderum Fulgor non videtur. *Metaphora.*

447. *Coluerant*] *Nihil aquæ biberat.* Proprie autem *os collui* dicitur, quando abluitur.

449. *Anus*] Videtur hæc esse Banbo Arnobii, lib. V. Nicandro in Theriacis, v. 488. Μεταφέρα: *Mismam* appellat Ant. Liberalis: noster verò 4. Fast. *Melaninam.*

451. *Duri*] Id est, impudens.

455. *Maculas*] Quales habet Stellio, in quem hic puer mutatus. Abas nonnullis, aliis Ascalaphus, id est, stellio, dictus.

Fugit

Fugit anum; latebramque petit: aptumque colori
Nomen habet, variis ſtellatus corpora guttis.
VIII. Quas Dea per terras, & quas erraverit undas,
Dicere longa mora eſt: quærenti defuit orbis.
Sicaniam repetit. Dumque omnia luſtrat eundo;
Venit & ad Cyanen: ea, ni mutata fuiſſet,
Omnia narrâſſet. Sed & os & lingua volenti
Dicere non aderant: nec, quo loqueretur, habebat.
Signa tamen manifeſta dedit: notamque parenti
Illo forte loco delapſam gurgite ſacro
Perſephones zonam ſummis oſtendit in undis.
Quam ſimul agnovit, tanquam tum denique raptam
Scîſſet, inornatos laniavit Diva capillos:
Et repetita ſuis percuſſit pectora palmis.
Nec ſcit adhuc ubi ſit: terras tamen increpat omnes;
Ingrataſque vocat, nec frugum munere dignas:
Trinacriam ante alias, in quâ veſtigia damni
Repperit. Ergo illîc ſævâ vertentia glebas
Fregit aratra manu: parilique irata colonos
Ruricolaſque boves letho dedit; arvaque juſſit
Fallere depoſitum, vitiataque ſemina fecit.
Fertilitas terræ latum vulgata per orbem
Caſſa jacet: primis ſegetes moriuntur in herbis:
Et modò ſol nimius, nimius modò corripit imber.
Sideraque, ventique nocent: avidæque volucres
Semina jacta legunt: lolium, tribulique fatigant
Triticeas meſſes, & inexpugnabile gramen.

vitat vetulam; & quærit latibulum: & conſecutus eſt nomen idoneum colori; habens corpus diſtinctum diverſis guttis, quaſi ſtellis.

VIII. *Prolixum eſt narrare per quas terras, & per quas aquas, Dea* Ceres *vagata ſit. Ambitus* terrarum *perveſtiganti non reſtabat. Redit in Siciliam, & dum ſcrutatur omnia incedendo, acceſſit quoque ad Cyanen. Ea niſi transformata fuiſſet, cuncta memorâſſet: ſed & os & lingua deerat cupienti loqui, neque aderat quo verba funderet. Attamen fecit indicia aperta: atque monſtrat cingulum Perſephones in aquis ſupremis cognitum matri, quod fortè ceciderat ibi in ſacris aquis. Quod ſtatim atque Dea agnovit, ſicuti tum denique cognoviſſet abreptam* filiam, *diſcerpſit comam incompoſitam, & planxit pectora iterum ſuis manibus. Nec novit etiamnum ubi ſit; cæterùm objurgat omnes locos, & immemores appellat, neque meritos donum frumenti: Ante cæteros Siciliam, in quâ invenit ſigna damni.*

Atque adeò illîc rapuit manu terribili aratra ſubigentia glebas, atque infenſa morti eidem oppoſuit agricolas, & tauros ruricolas; & coëgit agros intercipere depoſitum, & corrupit ſemina. Feracitas terræ celebrata per vaſtum mundum jacet inutilis: ſegetes pereunt in primis herbis: & modò ſol ardentior, modò imber denſior lædit. Et ſidera, & venti officiunt; & aves rapaces auferunt ſemina ſparſa: lolium, tribulique, & herbæ nullâ arte eradicandæ urgent meſſes triticeas.

NOTÆ.

461. *Nomen*] *Stellionis:* Animal eſt lacerto ſimile.

Ib. *Stellatus*] Quia lucidis habet tergum diſtinctum maculis, quaſi tot *Stellis.*

463. *Quærenti*] Nam cùm Ceres totum perluſtrâſſet orbem, ubi filiam quæreret, nihil ei loci reſtabat; quare in Siciliam eſt reverſa.

470. *Perſephones*] *Proſerpinæ*, quæ à Græcis illo appellatur nomine.

Ib. *Zonam*] Virginis raptæ & delibatæ indicium proprium, *Zona ſoluta*, quam Colythus vocat.

Μελίφρονα δεσμὸν ἐρύτων.

476. *Trinacriam*] *Siciliam*, cui à tribus promontoriis illud nomen, ut dictum antea: in quâ quidem inſulâ, quæ aliquando *Romanorum horreum* dicta, primò ſuâ ſponte natum triticum; ex quâ verò Triptolemum ſerendi artem petiſſe, & per totum orbem hominis docuiſſe ferunt.

476. *Veſtigia damni*] *Zonam.*

479. *Arva*] Hoc eſt, arvis mandavit, ne ederent ſemina ſibi credita, & *depoſita.*

481. *Terræ*] Siciliæ.

486. *Inexpugnabile*] Quia ubique naſcitur, radicibus circumquaque ſerpentibus foliis triticeis ſimilibus.

Cùm

Cùm caput Eleis Alpheïas extulit undis:
Rorantesque comas à fronte removit ad aures:
Atque ait: O toto quæsitæ virginis orbe,
Et frugum genetrix, immensos siste labores:
Neve tibi fidæ violenta irascere terræ.
Terra nihil meruit: patuitque invita rapinæ.
Nec sum pro patriâ supplex: huc hospita veni.
Pisa mihi patria est: & ab Elide ducimus ortum.
Sicaniam peregrina colo: sed gratior omni
Hæc mihi terra solo est. Hos nunc Arethusa penates,
Hanc habeo sedem; quam tu, mitissima, serva.
Mota loco cur sim, tantique per æquoris undas
Advehar Ortygiam, veniet narratibus hora
Tempestiva meis, cùm tu curisque levata,
Et vultûs melioris eris. Mihi pervia tellus
Præbet iter: subterque imas ablata cavernas
Hîc caput attollo: desuetaque sidera cerno.
Ergo, dum Stygio sub terris gurgite labor,
Visa tua est oculis illîc Proserpina nostris.
Illa quidem tristis, nec adhuc interrita vultu;
Sed regina tamen, sed opaci maxima mundi;
Sed tamen inferni pollens matrona tyranni.
Mater ad auditas stupuit, ceu faxea, voces:
Attonitæque diu similis fuit: utque dolore
Pulsa gravi gravis est amentia, curribus auras
Exit in ætherias: ibi toto nubila vultu
Ante Jovem passis stetit invidiosa capillis:
Proque meo veni supplex tibi, Jupiter, inquit,
Sanguine, proque tuo. Si nulla est gratia matris,
Nata patrem moveat: neu sit tibi cura precâmur
Vilior illius, quòd nostro est edita partu.
En quæsita diu tandem mihi nata reperta est:

Cùm Alpheïas protulit caput ex aquis Eleis, & rejecit in aures capillos madidos, atque inquit: O mater puellæ pervestigatæ per totum mundum, & mater frugum, finem impone immodicis laboribus: & ne sæva irâ exæstues adversus terram tibi fidelem. Terra nihil deseivit, atque nolens aperta est furto. Neque precor pro patriâ; huc adsum peregrina. Pisa est mihi patria; & originem habemus ab Elide. Advena colo Siciliam: sed hæc tellus mihi est magìs accepta quàm omnis locus. Ego Arethusa habeo nunc hanc domum, habeo has sedes; quas tu, alma mater, tutas præsta: Quamobrem solum verterem, & appulsus fuerim Ortygiæ per aquas tanti maris, tempus mihi dabitur narrandi opportunum, cùm tu eris libera à curis & faciei alacrioris. Terra mihi permeabilis dat viam; & fluens per antra inferna hîc caput effero, & video astra desueta. Dum igitur fluo sub terris per abyssum infernam, tua Proserpina conspecta est illîc nostris oculis. Illa quidem mœsta, neque adhuc vultu tranquillo, sed tamen regina, sed maxima vasti orbis, sed tamen potens uxor regis Stygii. Mater hæsit tanquam statua *marmorea ad verba audita, & diu par fuit attonitæ: atqui ubi magna dolore magna insania amota est, tollit se in auras ætherias curru: ibi turbata toto vultu invidiam* motura *constitit coram Jove sparsâ comâ: atque ait, Jupiter, Adsum tibi supplex pro meo sanguine, & pro tuo. Si nullus est favor matris, filia tangat patrem; & oramus ne amor sit tibi minor erga illam, quòd in lucem venerit nostro partu. Ecce diu quæsita filia denique à me est inventa.*

NOTÆ.

487. *Alpheïas*] Arethusam dicit, Elidis fontem; quâcum Alpheum fluvium suas in Siciliâ, aquas miscere, suprà diximus.

491. *Fidæ*] Quia feracissima Sicilia.

494. *Pisa*] Urbs Peloponnesi & Alpheum fluvium.

499. *Ortygiam*] Insula fuit juxta Syracusas; olim ponte, deinde aggere juncta continenti, alia à Deo, quæ & Ortygia dicta.

503. *Desuetoque*] Non visa mihi sub terris labenti, dum sub terrâ fui.

510. *Pulsa dolore*] Insania gravis erat, cùm nesciret ubi esset filia; dolor jam gravis est, quia nescit quomodo inventam recuperet.

516. *Nata patrem*] Proserpina enim Jovis ex Cerere filia fuit.

Si

Si reperire vocas, amittere certiùs; aut si
Scire ubi sit, reperire vocas. Quòd rapta, feremus,
Dummodo reddat eam. Neq; enim prædone marito
Filia digna tua est, si jam mea filia digna est.
Jupiter excepit: Commune est pignus, onusque
Nata mihi tecum: sed, si modò nomina rebus
Addere vera placet, non hoc injuria factum,
Verum amor est: neque erit nobis gener ille pudori.
Tu modò, Diva, velis. Ut desint cætera, Quantum
est
Esse Jovis fratrem! quid quòd nec cætera desunt,
Nec cedit nisi sorte mihi? sed tanta cupido
Si tibi dissidii; repetat Proserpina cœlum;
Lege tamen certâ; si nullos contigit illîc
Ore cibos. Nam sic Parcarum fœdere cautum est.
Dixerat. At Cereri certum est educere natam.
Non ita fata sinunt. Quoniam jejunia virgo
Solverat, & cultis dum simplex errat in hortis,
Puniceum curvâ decerpserat arbore pomum:
Sumtaque pallenti septem de cortice grana
Presserat ore suo. Solusque ex omnibus illud
Viderat Ascalaphus; quem quondam dicitur Orphne
Inter Avernales haud ignotissima nymphas,
Ex Acheronte suo furvis peperisse sub antris.
Vidit: & indicio reditum crudelis ademit.
Ingemuit regina Erebi, testemque profanam
Fecit avem: sparsumq; caput Phlegethontide lymphâ
In rostrum, & plumas & grandia lumina vertit.

si appellas invenire, certiùs perdere; aut si appellas invenire, cognoscere ubi sit. Patiemur quòd subiata fuerit, dummodo eam restituat: neque enim filia tua meruit virum prædonem, si jam mea filia meruit. Jupiter respondit: filia est mihi tecum commune pignus & cura: sed si modo velimus imponere propria nomina rebus, hoc inceptum non est injuria, sed amor: neque ille gener nobis erit infamia, modò tu Dea annuas. Quinquam alia desiderentur, quantum est esse fratrem Jovis! quid quòd neque alia desiderantur, neque cedit sorte nisi mihi soli? Verùm si tantum tibi desiderium divortii, Proserpina repetat cœlum, attamen conditione firmâ, si nullam escam illîc tetigit ore: nam sic statutum est legibus fati. Absolverat. At Ceres decrevit abducere filiam. Fata non sic patiuntur: quia puella non servâsset jejunia, sed dum incauta vagatur in hortis cultis, avulserat pomum punicеum ab arbore curvatâ fructu, *& presserat ore suo septem grana excerpta de cortice pallido: atque solus Ascalaphus ex omnibus illud adverterat, quem Orphne non ignobilis inter nymphas infernas dicitur olim genuisse ex Acheronte suo sub cavernis nigris. Aspexit; & sævus prohibuit facultatem reditûs detatione suâ. Regina Orci ingemuit, & mutavit indicem in alitem infamem, & transformavit caput irrigatum aquâ Phlegethontide in rostrum, & plumas, & magnos oculos.*

NOTÆ.

519. *Amittere*] Ac si diceret, *Hoc est potiùs amittere quàm reperire.*

529. *Sonte*] Quâ Jupiter cœli, Pluto inferni rex factus, & Deus.

535. *Solverat*] Quia septem grana mali Punicei *presserat ore suo*, ver. 538.

Ib. *Simplex*] *Rerum imperita.*

539. *Ascalaphus*] Archerontis ex Orphone nymphâ (gorgyran vocat Apollod. lib. I.) filius; qui cùm testatus esset Proserpinam in Plutonis hortis septem grana mali Punicei comedisse, ab ipsâ in Bubonem, pessimi omnis avem, fuit commutatus.

540. *Avernales*] *Infernas.* Est nempe Avernus Campaniæ lacus prope Baias, quem inferorum limen esse poëtæ fabulati sunt; unde & pro ipsis inferis ponitur.

543. *Regina Erebi*] *Proserpina.* Erebus enim, qui inferorum Deus ex Chao & Caligine ortus, pro ipsâ inferorum sede sæpius sumitur.

544. *Phlegethontide*] Phlegethon unus est ex inferorum fluviis, ἀπὸ τῦ φλεγεθεῖν (i. e.) ab *ardendo dictus*: Flammis enim æstuat.

Ille

Ille suâ formâ spoliatus, tegitur alis fulvis, & augetur in caput, & replicatur in prolixos ungues: atque ægrè agitat pennas ortas per pigros lacertos; & fit turpis avis, præsaga futuri doloris, bubo iners, crudele præsagium hominibus.

Ille sibi ablatus fulvis amicitur ab alis;
Inque caput crescit; longosque reflectitur ungues;
Vixque movet natas per inertia brachia pennas:
Fœdaque fit volucris, venturi nuncia luctûs,
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

IX. *Cæterùm hic potest videri dignus pœnâ, delatione & linguæ garrulitate. Unde vobis plumæ & pedes volucrum, Acheloïdes, cùm habeatis vultus puellarum? An quia cùm Proserpina colligeret flores vernos,* vos *Sirenes eratis mistæ in agmine comitum? Quam postquam pervestigâstis incassum per comes terras, repentè ut maria cognoscerent vestram solicitudinem, cupîstis posse ire super undas remigio alarum: & inventis Deos faventes, & vidistis vestra membra flavescere pennis repentinis. Ne tamen illa cantandi peritia à naturâ concessa ad capiendas aures, & tanta facultas oris amitteret usum linguæ, facies puellaris, & sonus humanas superfuit.*

IX. Hic tamen indicio pœnam linguâque videri
Commeruisse potest. Vobis, Acheloïdes, unde
Pluma, pedesque avium, cùm virginis ora geratis?
An quia, cùm legeret vernos Proserpina flores,
In comitum numero mistæ, Sirenes, eratis?
Quam postquam toto frustrà quæsistis in orbe;
Protinus ut vestram sentirent æquora curam,
Posse super fluctus alarum insistere remis
Optastis: facilesque Deos habuistis, & artus
Vidistis vestros subitis flavescere pennis.
Ne tamen ille canor mulcendas natus ad aures,
Tantaque dos oris linguæ deperderet usum:
Virginei vultus, & vox humana remansit.

X. *At Jupiter arbiter inter fratrem suum & tristem sororem, partitus est æqualiter annum currentem.*

X. At medius fratrisque sui, mœstæque sororis
Jupiter ex æquo volventem dividit annum.
Nunc Dea regnorum numen commune duorum
Cum matre est totidem, totidem cum conjuge menses.
Vertitur extemplo facies & mentis & oris:
Nam, modò quæ poterat Diti quoque mœsta videri,
Læta Deæ frons est; ut sol, qui tectus aquosis
Nubibus ante fuit, victis ubi nubibus exit.
Exigit alma Ceres, natâ secura repertâ,
Quæ tibi causa viæ: cur sis, Arethusa, sacer fons?

Nunc Dea numen commune duorum regnorum est totidem menses cum matre, & totidem cum marito. Statim species animi & vultûs mutatur: nam facies Deæ quæ poterat videri tristis etiam Plutoni, est alacris; tanquam sol, qui priùs obductus nebulis humidis, cùm prodit dissectis nebulis. Ceres frugum *altrix quieta, filiâ inventâ, requirit, quæ tibi causa itineris, Arethusa, quamobrem sis fons sacer?*

NOTÆ.

547. *Crescit*] Quippe capite est *Bubo*, magnumque gerit caput.

550. *Dirum*] Ex opinione Veterum.

Sic. Lib. 6. v. 432.

——Tectoque profanus—incubuit Bubo.

Et Virgil. Æneid. 4.

——Ferali carmine Bubo—sæpe queri.

552. *Acheloïdes*] *Sirenes* sunt, Acheloï fluvii & Calliopes Musæ, Melpomenes aut Terpsichores, filiæ; de quarum insidiosis cantibus voluptatum naturam declarantibus, notior fabula quàm ut huc referatur.

561. *Canor*] Id est, cantûs elegantia à naturâ insita.

564. *Medius*] Id est, qui utriusque rationem haberet, nec tamen alterutri in totum faveret.

567. *Cum matre*] Ut per sex menses, quibus sol in signis est Australibus, apud maritum sit infra terram: sex alios quibus visit Borealia signa, emergant, matureſcant, in horrea deportentur fruges. Vel etiam, quòd Luna eadem est quæ Proserpina & Diana, ex æquo utrumque hemisphærium, superius atque inferius illustrans.

571. *Victis ubi nubibus*] *Nubes* dicuntur *vinci* à sole, cum illius calore resolvuntur atque depelluntur.

573. *Sacer fons*] Omnes fontes nymphis sacri esse dicuntur.

Conticuêre

Conticuêre undæ; quarum Dea ſuſtulit alto
Fonte caput: viridesque manu ſiccata capillos,
Fluminis Elei veteres narravit amores.
Pars ego nympharum, quæ ſunt in Achaïde, dixit,
Una fui: nec me ſtudioſiùs altera ſaltus
Legit, nec poſuit ſtudioſiùs altera caſſes.
Sed quamvis formæ nunquam mihi fama petita eſt,
Quamvis fortis eram, formoſæ nomen habebam:
Nec mea me facies nimiùm laudata juvabat.
Quâque aliæ gaudere ſolent, ego ruſtica dote
Corporis erubui; crimenque placere putavi.
Laſſa revertebar (memini) Stymphalide ſilvâ.
Æſtus erat: magnumque labor geminaverat æſtum.
Invenio ſine vortice aquas, ſine murmure euntes,
Perſpicuas imo; per quas numerabilis alto
Calculus omnis erat: quas tu vix ire putares.
Cana ſalicta dabant, nutritaque populus undâ
Sponte ſuâ natas ripis declivibus umbras.
Acceſſi, primúmque pedis veſtigia tinxi:
Poplite deinde tenus. Neque eo contenta, recingor:
Molliaque impono ſalici velamina curvæ:
Nudaque mergor aquis. Quas dum ferioque trahoq;
Mille modis labens, excuſſaque brachia jacto;
Neſcio quod medio ſenſi ſub gurgite murmur:
Territaque inſiſto propioris margine ripæ.
Quò properas, Arethuſa? ſuis Alpheüs ab undis,
Quò properas? iterum rauco mihi dixerat ore.

Fluctus ſiluerunt; ex quorum profundo fonte Dea (Arethuſa) *extulit caput; & poſtquam exſiccâſſet comam glaucam retulit amores antiquos fluvii Elei. Ego, inquit, fui una ex nymphis, quæ ſunt in Achaiâ: neque alia perluſtravit majori affectu nemora, neque alia tetendit plagas majori ſtudio. Sed tametſi nunquam quæſivi laudem pulchritudinis, tametſi ſtrenua eſſem, conſecuta fui tamen famam pulchræ: nec mea forma nimium probata mihi grata erat. Atque ego agreſtis rubore ſum perfuſa dote quâ aliæ ſolent lætari; atque credidi crimen eſſe placere. Defeſſa, (recordor,) rediebam è ſilvâ Stymphalide. Calor erat intenſus, & labor auxerat magnum calorem. Reperio latices ſine voragine, fluentes ſine ſtrepitu, ad imum perlucidos, per quos omnis lapillus erat numerabilis in profundo; quos tu ægrè crederes currere. Salicta alba, & populus nutrita aquâ præbebant ripis declivibus umbras ultro exortas. Adii, atque primò merſi plantam pedis; deinde uſque ad poplitem; neque eo expleta, exuo veſtes; atque impono tenues amictus curvæ ſalici: atque nuda tingor aquis: quas cum plango, moveoque, mille modis me flectens, atque agito meos lacertos, audivi neſcio quod murmur ſub aquis, & tremefacta recipio me ad marginem ripæ proximæ. Quo feſtinas, Arethuſa? Quo feſtinas? iterum dixerat mihi Alpheus rauco ore, ex ſuis aquis.*

NOTÆ.

577. *Siccata*] Eorum more, qui ex aquis emergentes, capillos ad exprimendam aquam in unum cogunt, quos deinde in humeros rejiciunt.

576. *Elei*] *Alphei* nempe, quem Elidem Peloponneſi provinciam rigare vidimus.

577. *Achaïde*] *Achaiâ*; quo nomine non Græciam hoc in loco, ſed Peloponneſi regionem intellige Elidi proximam, cui & illud datum nomen.

578. *Nec me*] Adeóque venatrix fuit, & Dianæ comes fidiſſima.

583. *Ruſtica*] Simplex, neglecto formæ cultu; quod aliæ ſibi honori, hoc mihi crimini duxi, ut formam, quâ placere poſſem, adſtruerem.

585. *Stymphalide*] Eſt *Stymphalus* urbs, fluvii, & montis Arcadici nomen, in Peloponneſo, juxtà Elidem & Achaiam.

590. *Cana*] Quia ſalictis ſolita, ex unâ parte præſertim, non tam ad viriditatem quàm ad lboremm accedunt.

Ib. *Populus*] Abor eſt notiſſima locis hùmidis gaudens, cujus generis hæc alba, alia nigra, foliorum habitâ ratione, appellatur.

Sicut

Aufugio ſine amictu ſicut eram. Altera ripa habuit mea velamina. Tantò magis urget, & uritur: & quia fui nuda, ſum illi viſa paratior. Ego ſic currebam, ille fœtus me ſic urgebat, ut columbæ ſolent fugere accipitrem pennis timidis, ut ſolet accipiter inſequi timidas columbas. Ego volui fugere uſque Orchomenon, & Pſophidem, & Cyllenen, & receſſus Mænalios, & frigidum Erimanthon, & Elin: neque ille adhuc me celerior fuit. Sed ego minor viribus non poteram diu ſuſtinere curſus; ille erat firmus ad longum laborem. Nihilominus cucurri per agros, per colles conſitos arboribus ſaxa etiam, & rupes, & quà nullum erat iter. Sol erat à tergo; aſpexi longam umbram antecedere ante pedes, niſi ſi metus illa cernebat. Sed certè expaveſcebam etiam ſtrepitu pedum, & fortis ſpiritus oris afflabat vittas crinales. Laſſa labore fugæ, corripimur, dixi, Dictynna ſuccurre armigeræ tuæ, cui ſæpe tradidiſti tuos arcus portandos, & ſagittas incluſas pharetrâ. Dea tacta eſt, & admovens unam ex atris nubibus immiſit ſuper me. Fluvius quærit me obductam nebulâ, & neſcius luſtrat circum inanem nubem: & ignarus hic circuit locum quo Dea me occultaverat, & his clamavit.

Sicut eram fugio ſine veſtibus. Altera veſtes
Ripa meas habuit. Tantò magìs inſtat, & ardet:
Et quia nuda fui, ſum viſa paratior illi.
Sic ego currebam; ſic me ferus ille premebat:
Ut fugere accipitrem pennâ trepidante columbæ, 605
Ut ſolet accipiter trepidas agitare columbas.
Uſque ſub Orchomenon, Pſophidaque, Cyllenenque,
Mænalioſque ſinus, gelidumque Erimanthon, & Elin
Currere ſuſtinui. Nec me velocior ille,
Sed tolerare diu curſus ego viribus impar 610
Non poteram: longi patiens erat ille laboris.
Per tamen & campos, per opertos arbore montes,
Saxa quoque & rupes, & quà via nulla, cucurri.
Sol erat à tergo: vidi præcedere longam
Ante pedes umbram: niſi ſi timor illa videbat. 615
Sed certè ſonituque pedum terrebar; & ingens
Crinales vittas afflabat anhelitus oris,
Feſſa labore fugæ; Fer opem, deprèndimur, inquam,
Armigeræ, Dictynna, tuæ; cui ſæpe dediſti
Ferre tuos arcus, incluſaque tela pharetrâ. 620
Mota Dea eſt: ſpiſſiſque ferens è nubibus unam
Me ſuper injecit. Luſtrat caligine tectam
Amnis; & ignarus circum cava nubila quærit.
Biſque locum, quo me Dea texerat, inſcius ambit:
Et bis, Io Arethuſa, Io Arethuſa, vocavit. 625
Quid mihi tunc animi miſeræ fuit? anne quod agnæ eſt,
Si qua lupos audit circum ſtabula alta frementes?
Aut lepori, qui vepre latens hoſtilia cernit
Ora canum, nulloſque audet dare corpore motus?
Non tamen abſcedit: neque enim veſtigia cernit 630
Longiùs ulla pedum. Servat nubemque, locumque.
Occupat obſeſſos ſudor mihi frigidus artus:
Cœruleæque cadunt toto de corpore guttæ.

Io Arethuſa, Io Arethuſa. Quid tunc fuit animi mihi miſeræ? anne quod agnæ eſt, ſi quà audit lupos rabidos circum exceſſa ſtabula? Aut lepori qui tectus dumetis videt victus inimicos canum, neque ullo modo audet movere corpus? Non tamen abiit longiùs; nam nulla cernit ſigna pedum longiùs. Cuſtodit & nubem & locum. Sudor gelidus corripit mea membra nube circumcluſa, & guttæ cæruleæ fluunt de toto corpore.

NOTÆ.

603. *Paratior*] Ad vim patiendam.

607. *Orchomenon*] Urbem Arcadiæ, non procul à Mantinuâ. Sed & alia eſt cognominis in Bœotiâ, inter Thoſpiam & Coroneam.

Ib. *Pſophidaque*] Plures fuerunt eo nomine urbes: Arcadiam intellige.

Ib. *Cyllenenque*] Cyllenen, Mænalon, & Erimanthon, Arcadiæ montes eſſe jam ſæpe diximus.

619. *Dictynna*] *Diana*; quæ unde hoc nomen habuerit, vide ſuprà lib. II. verſu 441.

625. *Amnis*] Alpheus.

Quáque

Quáque pedem movi, manat lacus: éque capillis
Ros cadit: & citiùs, quàm nunc tibi fata renarro,
In laticem mutor. Sed enim cognoscit amatas
Amnis aquas, positoque viri, quod sumserat ore,
Vertitur in proprias, ut se mihi misceat, undas.
Delia rumpit humum. Cæcis ego mersa cavernis
Advehor Ortygiam: quæ me cognomine Divæ
Grata meæ superas eduxit prima sub auras.
XI. Hàc Arethusa tenus. Geminos Dea fertilis angues
Curribus admovit; frænisque coërcuit ora:
Et medium cœli, terræque per aëra vecta est:
Atque levem currum Tritonida misit in arcem
Triptolemo; partimque rudi data semina jussit
Spargere humo, partim post tempora longa recultæ.
Jam super Europen sublimis & Asida terras
Vectus erat juvenis: Sythicas advertitur oras:
Rex ibi Lyncus erat. Regis subit ille penates.
Quà veniat, causamque viæ, nomenque rogatus,
Et patriam: Patria est claræ mihi, dixit, Athenæ,
Triptolemus nomen. Veni nec puppe per undas,
Nec pede per terras: patuit mihi pervius æther.
Dona fero Cereris: latos quæ sparsa per agros
Frugiferas messes, alimentaque mitia reddant.
Barbarus invidit: tantique ut muneris auctor
Ipse sit, hospitio recipit: somnoque gravatum

Et quà pedem intuli, stagnum oritur; atque ros fluit ex comâ; & velocibus quàm nunc tibi refero fata, vertor in aquam. Sed enim fluvius cognoscit latices dilectos, & formâ virili, quam induerat, depositâ, mutatur in suas aquas, ut misceat, se mihi. Diana aperit terram: ego absorpta nigris antris appello ad Ortygiam, quæ grata cognomine Deæ meæ prima eduxit me sub auras superas.

XI. *Huc usque Arethusa. Dea frugum adjunxit gemines dracones curruì, & compescuit eorum ora frænis, & ablata est per aërem medium cœli & terræ, & misit Triptolemo levem currum in arcem Tritonidem; & imperavit mandare data semina partim terræ incultæ, partim post longum spatium renovatæ. Jam adolescens excelsus præterierat Europam & Asiam, appulit ad terras Scythicas. Ibi regnabat Lyncus. Ille ingreditur domum regis. Interrogatus unde veniat, & quæ sit causa itineris, & quid sit nomen, & quæ sit patria: Patria, inquit, est mihi celebres Athenæ, nomen Triptolemus. Neque accessi navi per aquas, neque pede per terras: aër mihi apertus est. Porto munera Cereris, quæ jacta per magnos campos producant messes frugiferas, & cibos dulces. Lyncus barbarus invidit, & ut ipse sit auctor tanti boni, excipit illum hospitio, & dormientem*

NOTÆ.

639. *Delia*] *Diana*, in Delo insulâ nata.

640. *Ortygiam*] Quam supra insulam diximus, primò ponte, deinde aggeribus Siciliæ commissam.

Ib. *Cognomine*] Dicta est nempe Diana *Ortygia* ab insulâ Delo; cui quidem insulæ, à coturnicum copiâ, Ortygiæ nomen apud Græcos.

642. *Dea*] Ceres, quæ frugum Dea.

Ib. *Angues*] Dracones, quibus currum ejus trahi volunt poëtæ. Sic Claud. de raptu Proserpinæ, *Sinuosa draconum membra regunt volucrique per avia nubila tractu signant.*

645. *Tritonida*] Athenas dicit quæ à Pallade Tritoniâ, seu ad Tritonem paludem natâ, hoc nomen acceperunt.

646. *Rudi humo*] Non antea cultæ, indomitæ.

Ib. *Triptolemo*] Hic Eleusii cujusdam, vel ut aliis placet, Celei fuit filius, quam sationis, & totam panificii artem Cererem ideo voluit docuisse, quòd ab ejus patre, dum Proserpinam, filiam quæreret, benignè hospitio excepta fuisset.

647. *Partim post*] Postquam nempe per annî spatium ager requieverat, & denuo cultus fuerit.

648. *Asida*] Asiam dicit minorem; nam majoris partem tenent Scythæ.

649. *Juveneis*] *Triptolemus*, cui ideo currum suum Ceres tradiderat, ut per varias gentes artem, quam ab eâ didicerat, clarem faceret.

Aggre-

invadit enſe. Ceres mutavit illum in Lyncem, dum aggreditur ferro penetrare Triptolemi pectus: & denuo juſſit Mopſopium adoleſcentem agere jacros dracones per aërem.

XII. *Maxima è nobis abſolverat cantus memoratos. At nymphæ dixerunt unâ voce Deas incolentes Heliconem viciſſe. Cùm victæ maledictis inſurgerent; Quandoquidem, inquit, leve eſt vobis dignas eſſe pœnâ per certamen, & augetis delictum conviciis, neque ſecuræ ſumus à vobis, vos penis afficiemus, & ibimus quà iracundia ſuadet. Emathides irrident, & contemnunt minas; & cùm niterentur loqui, & immittere manus petulantes cum ingenti vociferatione, viderunt plumas prodire per ungues ſuos, & lacertos*

Aggreditur ferro. Conantem figere pectus
Lynca Ceres fecit: rurſuſque per aëra miſit
Mopſopium juvenem ſacros agitare jugales.
XII. Finiêrat dictos è nobis maxima cantus.
At nymphæ viciſſe Deas Helicona colentes
Concordi dixêre ſono. Convicia victæ
Cùm jacerent; Quoniam, dixit, certamine vobis
Supplicium meruiſſe parum eſt, maledictaque culpæ
Additis, & non eſt patientia libera nobis;
Ibimus in pœnas; &, quà vocat ira, ſequemur.
Rident Emathides, ſpernuntque minacia verba;
Conatæque loqui, & magno clamore protervas
Intentare manus, pennas exire per ungues
Aſpexêre ſuos, operiri brachia plumis.
Alteraque alterius rigido concreſcere roſtro
Ora vident, volucreſque novas accedere ſilvis.
Dumque volunt plangi; per brachia mota levatæ
Aëre pendebant nemorum convicia picæ.
Nunc quoque in alitibus facundia priſca remanſit,
Raucaque garrulitas, ſtudiumque immane loquendi.

tegi pennis, & cernunt invicem vultus extendi in durum roſtrum, & accedere novas aves ſilvis. Et dum cupiunt percutere pectora, ſublatæ per lacertos agitatos pendebant picæ in aëre, convicia & jurgia ſilvarum. Nunc etiam antiqua eloquentia ſuperſt in avibus, & aſpera loquacitas, & deſiderium pertinax loquendi.

NOTÆ.

660. *Lynca*] Accuſativus Græcus eſt: Lynx enim dicitur genus quoddam cervi, viſu acuriſſimo, & maculis diſtincto tergore, cujuſmodi Bacchi currum trahunt.

661. *Mopſopium*] Athenienſem, Mopſopiæ enim à Mopſopo rege Athenæ dictæ, quæ & à aliis alia nomina acceperunt.

Ib. *Jugales*] Dracones, eidem jugo ſubjectos, quibus Triptolemi currus trahebatur.

662. *Nobis*] Muſis, quos ſuprà verſu 37, pro ſe reſpondendi curam adverſus Pieri filias, Calliopæ Muſarum maximæ & præſtantiſſimæ commiſiſſe vidimus.

663. *Nymphæ*] Quas judices elegerant Muſæ, itemque Pieri filiæ.

669. *Emathides*] *Pieri filiæ*, ab Emathiâ regione oriundæ.

675. *Plangi*] Dolentium more; qui pectus manibus percutiunt.

676. *Nemorum convicia*] Quia jam procul à Muſis convicia jactabant, jactare tamen etiamnum videntur.

P. Ovidii Nasonis
METAMORPHOSEON
LIBER VI.

ARGUMENTUM.

QUO exemplo mota Dea, anum se fecit. Itaque inito cum Arachne texendi certamine, postquam utriusque tela varias transformationes repræsentavit, ipsam in araneam mutavit. Nihil tamen hac Nioben movit, quò minùs amissis liberis in saxum obduresceret. Quo quidem cognito, vulgus Lycios rusticos in ranas à Dianâ versos, & Marsyam ab Apolline excoriatum, in memoriam revocavit. Cùm verò ad consolandos Thebanos urbes finitimæ convenissent, soli defuerunt Athenienses: quoniam à Tereo rege infestabantur. Qui deinde stupratâ Philomelâ in upupam transformatus fuit: quemadmodum & Philomela in luscíniam, ac Progne in hirundinem. Quæ res Pandioni socero intellecta, mortem attulit. Huic in regno successit Erechtheus, è cujus filiâ Orithyiâ, Boreas Calaim procreavit & Zethen; qui in Argonautarum numero quondam fuerunt, cùm Jason, seminatis serpentis dentibus, è quibus homines armati prodiêrunt, & dracone sopito, vellum aureum retulit.

I. PRæbuerat dictis Tritonia talibus aurem;
Carminaque Aönidum, justamque probaverat iram.
Tum secum, laudare parum est; laudemur & ipsæ:
Numina nec sperni sine pœnâ nostra sinamus:
Mæoniæque animum fatis intendit Arachnes,

INTERPRETATIO.

I. *Tritonia admoverat aurem ejusmodi sermonibus, & laudaverat versus Musarum, & justam iram. Tum apud se* dixit, *parum est* aliorum vindictam *laudare*; *Nos etiam ob* similem *laudemur*; *neque patiamur po-*
testatem nostram contemni sine vindictâ. Atque recordatur fatorum Arachnes Mæoniæ;

NOTÆ.

1. *Tritonia*] *Minerva*, à Tritone fluvio Bœotiæ; alii autem Bœotiorum linguâ Τρίτων *caput* significare volunt; quod si ita sit, conveniet fabula de Minervâ ex Jovis capite prognatâ.

5. *Arachnes*] Hæc filia fuit Idmonis Colophonii, lanificii peritissima.

Ib. *Mæoniæ*] *Lydiæ*, à Mæone fluvio, vel à rege.

quam didicerat sibi non cedere laudibus artis lanificæ. Illa non fuit illustris genere, neque origine familiæ, sed arte. Idmon Colophonius ejus pater imbuebat murice Phocaïco lanas bibulas. Mater mortua erat: sed illa quoque fuerat de vulgo, & marito suo æqualis. Ille tamen comparaverat magnam famam suâ arte per urbes Lydiæ; tametsi orta domo exiguâ; & incoleret exiguas Hypæpas. Nymphæ destituerunt sæpe vineta sui Tymoli, ut viderent opus mirandum; Nymphæ Pactolides destituerunt suas undas. Neque gratum erat tantùm inspicere vestes perfectas, tum etiam gratum erat *cùm fierent; tanta fuit artis elegantia. Sive ageret crudam lanam in primos globos: seu emolliret opus digitis, & sæpius pecteret vellera imitantia nebulas diffuso tractu; seu verteret teretem fusum agili pollice; seu pingeret acu, cognosceres eruditam fuisse à Minervâ. Quod tamen ipsa diffitetur: & ægrè ferens tantam magistram, contendat, inquit, mecum: nihil est quod abnuam, si quidem discedam inferior. Minerva imitatur anum: atque annectit fictos canos temporibus, & fulcit quoque debilia membra bacillo. Tum sic occæpit loqui. Ætas provectior non habet omnia quæ odio habeamus. Experientia oritur ab annis senilibus. Ne contemnas meum monitum. Quære tibi laudem maximam in subigendâ lanâ inter mortales: sed cede Deæ: & nimiùm audax ora verbis supplicibus, ut ignoscat tuis sermonibus: Illa ignoscet oranti. Contuetur hanc infensis* oculis, *atque omittit fila inchoata;*

Quam sibi lanificæ non cedere laudibus artis
Audîerat. Non illa loco, nec origine gentis
Clara, sed arte, fuit. Pater huic Colophonius Idmon
Phocaïco bibulas tingebat murice lanas.
Occiderat mater: sed & hæc de plebe, suoque
Æqua viro fuerat. Lydas tamen illa per urbes
Quæsîerat studio nomen memorabile: quamvis
Orta domo parvâ, parvis habitabat Hypæpis.
Hujus ut aspicerent opus admirabile, sæpe
Deseruêre sui Nymphæ vineta Tymoli;
Deseruêre suas Nymphæ Pactolides undas.
Nec factas solùm vestes spectare juvabat;
Tum quoque, cùm fierent; tantus decor affuit arti.
Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes:
Seu digitis subigebat opus, repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas æquantia tractu;
Sive levi teretem versabat pollice fusum;
Seu pingebat acu: scires à Pallade doctam.
Quod tamen ipsa negat: tantâque offensa magistrâ,
Certet, ait, mecum: nihil est quod victa recusem.
Pallas anum simulat: falsosque in tempora canos
Addit, & infirmos baculo quoque fustinet artus.
Tum sic orsa loqui: Non omnia grandior ætas,
Quæ fugiamus, habet. Seris venit usus ab annis.
Consilium ne sperne meum. Tibi fama petatur
Inter mortales faciendæ maxima lanæ.
Cede Deæ: veniamque tuis temeraria dictis
Supplice voce roga. Veniam dabit illa roganti.
Aspicit hanc torvis, inceptaque fila relinquit;

NOTÆ.

6. *Non cedere*] Quanquam non belli tantùm, sed artium Dea est ipsa Pallas.

7. *Loco*] *Locus* sæpe est genus, parentes, avi; hinc quemplam *clare loco natum* dicimus. *Gens* totius familiæ, seu stemmatis est. Priori respondet, quod statim de patre, & matre subjicit; posteriori, quod ait, *orta domo parvâ: domus* enim est gens, & familia.

8. *Colophonius*] Ex Colophone, Lydiæ urbe, Apollinis oraculo clara.

9. *Murice*] Est enim Murex piscis ex cujus sanguine purpureus conficitur color.

Ib. *Phocaïco*] Fuit Phocæa Æolidis civitas quæ purpura claruit.

11. *Illa*] Arachne Idmonis filia.

13. *Hypæpis*] Oppidulo Lydiæ in descensu Tymoli montis ad Caystri pratum.

16. *Pactolides*] Fuit Pactolus Lydiæ fluvius aureas arenas volvens, à quo Nymphæ Pactolides.

20. *Repetita*] Id est, Iterum atque iterùm carminata, & in floccos protractos pexa, ut nubis speciem præberent.

Vixque

Vixque manum retinens, confessaq; vultibus iram,
Talibus obscuram resecuta est Pallada dictis:
Mentis inops, longâque venis confecta senectâ:
Et nimiùm vixisse diu nocet. Audiat istas,
Si qua tibi nurus est, si qua est tibi filia, voces.
Consilii satìs est in me mihi: Neve monendo
Profeciſſe putes; eadem sententia nobis.
Cur non ipsa venit; cur hæc certamina vitat?
Tum Dea, Venit, ait; formamque removit anilem;
Palladaq; exhibuit. Venerantur numina Nymphæ,
Mygdonidesque nurus. Sola est non territa virgo.
Sed tamen erubuit, subitusque invita notavit
Ora rubor, rursusque evanuit. Ut solet aër
Purpureus fieri, cùm primùm Aurora movetur;
Et breve post tempus candescere Solis ab ictu.
Perstat in incepto, stolidæque cupidine palmæ
In sua fata ruit. Neque enim Jove nata recusat:
Nec monet ulteriùs: nec jam certamina differt.
Haud mora; constituunt diversis partibus ambæ,
Et gracili geminas intendunt stamine telas.
Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo:
Inseritur medium radiis subtemen acutis;
Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
Percusso feriunt insecti pectine dentes.
Utraque festinant: cinctæque ad pectora vestes
Brachia docta movent, studio fallente laborem.
Illîc & Tyriam quæ purpura sensit ahenum

& ægrè compescens manus, & prodens iram vultu, prosecuta est Minervam sub vetulæ larvâ *latentem hujusmodi oratione, Amens ades, & exhausta nimiâ senectâ, & obest* tibi *diutius vixisse. Si quam habes nurum, si quam habes filiam,* ea *audiat ista verba. Satis est mihi consilii in me: & ne credas promovisse* quicquam *hortando; idem est nobis animus. Quamobrem ipsa non adest; quamobrem fugit has contentiones? Tum Dea, Adest, inquit; & deposuit figuram anilem; & ostendit* se esse *Minervam. Nymphæ & puellæ Mygdonides colunt Deam, sola virgo non est commota. Sed tamen pudore suffusa est, & rubor repentinus invasit vultus invitos, rursusque discussus est. Si uti aër consuevit fieri rubicundus, cùm primum surgit Aurora, & post aliquod spatium albescere ab irradiatione Solis. Obfirmat se incepto, & properat ad exitium suum stulto desiderio victoriæ. Neque enim filia Jovis refugit; neque hortatur ampliùs; neque jam protrahit certamen. Sine cunctatione utraque statuit duas telas diverso loco; atque intexunt tenus stamine. Tela est alligata jugo: juncus dividit stamen: subtemen medium intexitur radiis oblongis; quod digiti* celeriter *jaciunt; atque dentes inserti percutiunt diffusum inter stamina, pectine icto. Ambæ properant: & habentes amictus collectos ad pectora, agitant peritos lacertos, affectu decipiente laborem. Ibi & purpura, quæ sensit ahenum Tyrium,*

NOTÆ.

38. *Nocet*] Deliram dicit vetulam.

Ib. *Istas*] Ineptas, quibus mihi opus non est.

45. *Mygdonidesque*] Quæ ex Mygdoniâ, Phrygiæ regiuncula Lydiæ vicinâ, ad Arachnen convenerant.

Ib. *Non territa*] Reverentiæ significationem nullam dedit Arachne.

46. *Sed tamen*] Non ita pudorem, & verecundiam penitùs decoxerat, quin rubor, vel invitæ offusus fuerit.

54. *Stamine*] Fila quæ in longum ducta alligantur liciis (quæ sunt prima fila, jugo juncta, telumque ordientia) & subinde attolluntur deprimunturque, dicuntur *Stamina.*

55. *Jugo*] Jugum dicitur in lanificio lignum illud teres, quo telæ stamen alligatur & volvitur.

Ib. *Arundo*] Instrumentum quo deprimitur attolliturque stamen.

56. *Radiis*] *Radius* instrumentum quo subtemen inseritur.

Ib. *Subtemen*] Fila quæ inter stamina transversim inseruntur, alternâ staminum depressione & sublatione; sub *subtemina* dicta, quasi *sub stamina.*

58. *Pectine*] Instrumentum quo addensatur subtemen, cum stamine, dicitur *Pecten.*

61. *Ahenum*] In quo lana purpureo colore imbuebatur.

inseritur, & umbræ leves minimæ differentiæ; qualis arcus facit colorare longam aciem partem vasto ambitu, solis radiis fractis à pluviâ: in quo cùm mille colores varii splendeant, tamen ipsa junctura decipit oculos intuentes: usque adeò quod contiguum est idem est, tamen extrema differunt. Ibi etiam ductile aurum inseritur, & antiqua fabula effingitur in telâ.

II. *Pallas describit collem Martis in arce Cecropiâ, & vetus dissidium de nomine terræ. Duodecim dii sedent cum augustâ majestate in sedibus excelsis, Jove medio. Suus vultus exprimit unumquemque Deorum. Facies Jovis est regia. Facit Deum maris stantem & percutientem longo tridente duram rupem & equum prodeuntem ex mediâ fissurâ rupis, quo munere sibi asserat nomen urbis. At aptat sibi scutum, aptat hastam mucrone acuto, aptat galeam capiti: pectus tegitur ægide. Atque fingit terram ictam suâ hastâ edere fœtum albæ olivæ unà cum baccis: & Deos admirari. Victoria sua finis operis. Ut tamen invida honoris sui cognoscat exemplis quam mercedem possis animo præsumere pro inceptis tam insanis, adjecit in quatuor angulos quatuor certamina*

Texitur, & tenues parvi discriminis umbræ:
Qualis ab imbre solet percussis solibus arcus
Inficere ingenti longum curvamine cœlum:
In quo diversi niteant cùm mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit:
Usq; adeò quod tangit idem est; tamen ultima distant.
Illìc & lentum filis immititur aurum,
Et vetus in telâ deducitur argumentum.
II. Cecropiâ Pallas scopulum Mavortis in arce
Pingit, & antiquam de terræ nomine litem.
Bis sex cœlestes, medio Jove, sedibus altis
Augustâ gravitate sedent. Sua quemque Deorum
Inscribit facies. Jovis est regalis imago.
Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente
Aspera saxa facit, medioque è vulnere saxi
Exsilûisse ferum; quo pignore vindicet urbem.
At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam:
Dat galeam capiti: defenditur ægide pectus.
Percussamque suâ simulat de cuspide terram
Prodere cum baccis fœtum canentis olivæ:
Mirarique Deos. Operi victoria finis.
Ut tamen exemplis intelligat æmula laudis,
Quod pretium speret pro tam furialibus ausis.
Quatuor in partes certamina quatuor addit

NOTÆ.

62. *Tenues parvi*] Umbræ, inquit, gradatim per colorum levia discrimina declinantes, faciunt ut imagines surgere ac extare videantur: non secùs ac radii solis in roridam cavamque nubem se fundentes, refractique fallunt visum, varioque repræsentant Iridis colores.

66. *Transitus*] Unius coloris ad alium.

70. *Cecropiâ*] *Athenienſi*, à Cecrope Athenarum rege.

Ib. *Scopulum*] Per Martis scopulum Areopagum intellige, (nam illa est hujus vocis interpretatio) quo in loco Mars apud 12 Deos de cæde Halirrhothii causam dixit, accusante hujus patre Neptuno.

71. *Antiquam*] Quæ inter Neptunum & Palladem mota, utri Cecropiæ orbi nomen imponere jus esset, decreta antè à diis, ut qui humano generi rem commodiorem invenisset illi urbi nomen imponeret: in quo quidem certamine vicit Minerva, utpote quæ olivam, equo à Neptuno producto, munus hominibus magis acceptum protulit; unde & Athenis nomen suum indidit.

72. *Cœlestes*] Dii majorum Gentium, [mes, *Vulcanus, Mars, Sol, Neptunus, Jupiter, Hercules, Vesta, Diana, Ceres, Juno, Minerva, Venus.*

73. *Suaquemque*] Hoc est, unusquisque Deorum propriâ effingitur figurâ.

77. *Ferum*] *Equum* Ita Virgilius 2 Æn. de equo Trojano.

In latus, inque feri curvam compagibus alvum.

78. *At sibi*] Ita se Pallas effingit in telâ.

82. *Operi*] Opus clausit olivâ, pacis symbolum, in suffragiis victoria.

Clara

Clara colore suo, brevibus distincta sigillis.
Threïciam Rhodopen habet angulus unus, & Hæmon;
Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam;
Nomina summorum sibi qui tribuêre Deorum.
Altera Pygmææ fatum miserabile matris
Pars habet. Hanc Juno victam certamine jussit
Esse gruem; populisque suis indicere bellum.
Pingit & Antigonen ausam contendere quondam
Cum magni consorte Jovis; quam regia Juno
In volucrem vertit; nec profuit Ilion illi,
Laomedonve pater, sumptis quin candida pennis
Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.
Qui supereſt solus Cinyran habet angulus orbum:
Isque gradus templi natarum membra suarum
Amplectens, saxoque jacens, lacrymare videtur.
Circuit extremas oleis pacalibus oras.
Is modus est, operique suâ facit arbore finem.
XX. Mæonis elusam designat imagine tauri
Europen: verum taurum, freta vera putares.
Ipsa videbatur terras spectare relictas,
Et comites clamare suas, tactumque vereri
Assilientis aquæ: timidasque reducere plantas.

conspicua colore suo, effecta parvis figuris: Una pars habet Rhodopen Thraciam, & Hæmum; nunc montes frigidos, olim corpora mortalia, qui sibi dederunt nomina suprèmorum Deorum. Alter angulus refert fatum luctuosum matris Pygmææ. Juno jussit hanc superatam certamine esse gruem; & inferre bellum suis populis. Fingit quoque Antigonen non veritam certare olim cum conjuge magni Jovis, quam Juno regia mutavit in alitem: neque Troja illiopem tulit, neque pater Laomedon, quin acceptis pennis ipsa alba Ciconia sibi plaudat rostro crepitante. Solus angulus, qui restat, habet Cinyran filiabus privatum: atque is amplectens gradus templi qui antè fuerunt *artus suarum filiarum, & stratus in petrâ videtur flere. Cingit ultimas oras oleis pacif.ris. Is fuit finis; atque absolvit opus suâ arbore.*

XX. *Mæonia* Arachne *pingit Europam deceptam formâ tauri: arbitraveris verum* esse *taurum, crederes vera* esse *maria. Ipsa videbatur respicere terras desertas, & invocare suas æquales, & timere tactum aquæ affluentis, & retrahere plantas pavidas.*

NOTÆ.

86. *Sigillis*] In telæ quatuor angulis, quasi appendicis loco, minoribus figuris pinxerat Pallas quæ recenset poëta.

87. *Rhodopen*] Strymonis fuit filia, quam Æmus rex Thraciæ duxit uxorem. Hanc verò ille Junonem suam; Jovem suum illa Æmum appellabat: quare in montes mutati sunt.

89. *Summorum Deorum*] Jovis & Junonis.

90. *Pygmææ*] Gerana matrona à popularibus suis Pygmæis pro numine culta Deos præ se contemsit, Junonem maximè & Dianam; quarum indignatione in gruem est conversa, infestissimam Pygmæis hostem, qui illam venerati fuerant. Pygmos quod attinet, alii in Indiâ, in Arabiâ alii, alii alibi collocaverunt, homunculos non ultra duos pedes altos, quos cum gruibus bellum gerere voluerunt poëtæ.

93. *Antigonen*] Laëmedontis filiam, ob spretam Junonis formam, mutatam in Ciconiam.

98. *Cinyran*] Fuit hic Assyriorum rex, (ab illo diversus quem suprà vidimus Myrrhæ parentem,) qui filias habuit pulcherrimas, atque adeò de more superbiâ elatas, cum Junone de formâ contendere ausas. Eas indignata Dea in sui templi gradus, patrem frigida filiarum corpora amplectentem in saxum mutavit.

101. *Circuit*] Mansit hodieque mos idem, ut ad aulæorum seu peristromatum oras, serta & corollæ, aut ejusmodi leviora adjiciantur.

Ib. *Pacalibus*] *Pacem significantibus, & conciliantibus*, quam quidem Pallas sapientiâ suâ magis quàm armis inter furentes solet constituêre.

104. *Europen*] Quam Agenoris filiam suprâ in Taurum mutatum Jovem rapuisse, & in Cretam avexisse legimus.

Finxit quoque Asterien corripi ab aquilâ certante: finxit Ledam strictam sub alis cygni. Adjecit, ut Jupiter tectus specie Satyri gravidam fecerit formosam Nyctei filiam gemello fœtu: ut fuerit Amphitryon, cùm Tirynthia, te cepit: ut aureus fefellerit Danaën, igneus Asopi filiam; pastor Mnemosynen, anguis versicolor Proserpinam. Finxit te etiam, Neptune, versum in juvencum ferum pro virgine Æoliâ. Tu visus Enipeus gignis Aloïdas: aries ludis Bisaltida. Alma mater frugum

Fecit & Asterien aquilâ luctante teneri;
Fecit olorinis Ledam recubare sub alis:
Addidit, ut Satyri celatus imagine pulchram
Jupiter implêrit gemino Nycteïda fœtu:
Amphitryon fuerit, cùm te, Tirynthia, cepit;
Aureus ut Danaën, Asopida luserit igneus:
Mnemosynen pastor, varius Deoïda serpens.
Te quoque mutatum torvo, Neptune, juvenco
Virgine in Æoliâ posuit. Tu visus Enipeus
Gignis Aloïdas; aries Bisaltida fallis:
Et te, flava comas, frugum minissima mater,
Sensit equum; te sensit avem crinita colubris
Mater equi volucris: sensit Delphina Melantho.
Omnibus his faciemque suam faciemque locorum

comam gerens flavam sensit te equum: mater equi alati comam gerens serpentibus horridam te sensit alitem: Melantho sensit Delphinum. His omnibus & imaginem suam & imaginem locorum

NOTÆ.

108. *Aquilâ*] Jove aquilæ formam assumente, ut Asterien in *coturnicem* mutatam raperet.

109. *Olorinis*] Jovis in Cygnum mutati, qui ut Ledam Tyndari uxorem violaret, eam formam induisse dicitur.

111. *Nycteïda*] Antiopen dicit, Nyctei filiam.

112. *Amphitryon*] Jupiter Alcmenæ amore captus, in Amphitryonem illius maritum conversus cum eâ concubuit, Herculemque ex eâ suscepit.

Ib. *Tirynthia*] Alcmena est, quæ à Tirynthe urbe Argis vicinâ, in quâ natus & educatus Hercules, hoc nomen habuit.

113. *Aureus*] Danaë, Acristi Argivorum Regis filia, à Jove in aureum imbrem mutato compressa, Perseum peperit; ut lib. IV.

Ib. *Asopida*] Ægina est Asopi Bœotiæ regis filia, quam in ignem mutatus Jupiter compressit; ex quâ Æacum suscepit.

114. *Mnemosynen*] Nympha fuit quam Latinè *Memoriam* dixeris, ex quâ novem Musas suscepisse Jovem ideo voluerunt poëtæ, quòd memoriæ beneficio scientiæ omnes comparentur & conserventur.

Ib. *Varius*] Utpote qui maculis distinctus.

Ib. *Deoïda*] *Proserpina* est Cereris filia, quæ à Græcis Δηὼ nominatur, unde fœmininum patronymicum Deois. Ceres autem appellata est Δήω (ut Græci tradunt) παρὰ τῦ δήω, *invenio*. Quando enim Ceres quærens filiam vario loco circuibat, omnes bene illi ominantes dicebant δήεις, *invenies*.

116. *Æolia*] Arne Æoli filia, de quâ Diodorus, lib. V.

Ib. *Enipeus*] Fluvius est Thessaliæ, cujus sub specie Neptunus, Othum & Ephialten, ex Iphimediâ Aloëi gigantis conjuge genuit.

117. *Bisaltida*] Theophane est Bisaltidis filia (de quâ Hyginus fab. 188.) arietis illius mater, cui Phryxum in Colchos vexit.

118. *Frugum*] Ceres est, quæ Neptuni fugiens insidias, in equam mutata, ab ipso equo facto, vim passa est: quo ex concubitu equumne, nomine Arionem, an filiam, quam nominare nefas erat, Ceres pepererit, incertum. Pausan. in Arcad.

119. *Crinita*] Medusa est, quam in Palladis templo Neptunus compressit; quamobrem irata Dea, crines quibus maximè placuerat, in angues transmutavit. Atque hinc natum Pegasum alatum equum nonnulli tradunt quanquam ex ejusdem Medusæ sanguine cretum volunt alii, quo tempore ejus caput Perseus abscidit.

120. *Melantho*] Hanc alii Protei, Deucalionis alii filiam scriptitârunt, ex quâ Neptunus in Delphinum versus, suscepit filium nomine Delphum.

Reddidit.

Reddidit. Est illic agrestis imagine Phœbus:
Utque modò accipitris pennas, modò terga leonis
Gesserit: ut pastor Macareïda luserit Issen.
Liber ut Erigonem falsâ deceperit uvâ:
Ut Saturnus equo geminum Chirona creârit.
Ultima pars telæ, tenui circumdata limbo,
Nexilibus flores hederis habet intertextos.

III. Non illud Pallas, non illud carpere livor
Possit opus. Doluit successu flava virago:
Et rupit pictas cœlestia crimina vestes.
Utque Cytoriaco radium de monte tenebat,
Ter quater Idmoniæ frontem percussit Arachnes:
Non tulit infelix: laqueoque animosa ligavit
Guttura. Pendentem Pallas miserata levavit:
Atq; ita, Vive quidem, pende tamen, improba, dixit:
Lexque eadem pœnæ, ne sis secura futuri,
Dicta tuo generi, serisque nepotibus esto.
Post ea discedens succis Hecateïdos herbæ
Spargit. Et extemplo tristi medicamine tactæ
Defluxere comæ: cumque his & naris & auris.
Fitque caput minimum toto quoque corpore parvæ.
In latere exiles digiti pro cruribus hærent.
Cætera venter habet: de quo tamen illa remittit
Stamen; & antiquas exercet aranea telas.

IV. Lydia tota fremit: Phrygiæque per oppida facti
Rumor it, & magnum sermonibus occupat orbem.

Dedit. Ibi est Apollo specie rusticus: atque fictus est, *ut habuerit modò pennas accipitris, modò dorsum leonis; ut pastor sefellerit Issen Macarei filiam. Ut Bacchus luserit Erigonem fictâ uvâ: ut Saturnus genuerit Chironem dupli-cem* sub *equi* formâ. *Extrema pars telæ cincta subtili fasciâ continet flores insertos hederis flexibus.*

III. *Neque Minerva, neque invidia possit improbare illud opus. Flava virago ingemuit* ob *successum, & laceravit telam pictam,* quæ *cœlestia crimina* continuit. *Atque ut tractabat radium de monte Cytoriaco* petitum, *percussit ter & quater frontem Arachnes Idmoniæ.* Ea *misera non passa est; & superba pressit* suum *jugulum laqueo. Minerva miserata sublevavit pendentem: atque, inquit, Vitâ fruere quidem, attamen pende: & ne sis secura futuri, lex sit eadem tuæ progeniei & ultimis nepotibus. Dein proficiscens inficit* eam *succo herbæ Hecateïdos: & statim capilli infecti noxio veneno, cumque his nasus & auris deciderunt: atque caput fit minimum,* licet *etiam* ipsa valdè *parva* sit *toto corpore. Digiti tenues manent in latere pro pedibus. Alvus habet reliqua: ex quâ tamen illa educit stamen, & in araneam* mutata *texit veteres telas.*

IV. *Tota Lydia fremit, & fama rei currit per urbes Phrygiæ, & invadit magnum orbem rumoribus.*

NOTÆ.

122. *Illic*] In Arachnes telâ depictum.

Ib. *Agrestis*] Cùm Admeti pavit armenta: quod suprà lib. II. vidimus.

124. *Issen*] Hanc Lesbiam fuisse ejus Macarei filiam, de quo Diodorus, qui Jovis & Cyrenes fuit filius, Micyllus arbitratus est.

125. *Erigonen*] Videtur de eâ Erigone hîc intelligendum, quæ Icari fuit filia, & postea inter sidera relata, ut ab Hygino dicitur. Nam hujus patri Icaro vitis propagationem Bacchus dedit, ipsius puellæ mortem contra rusticos Atticos pestilentiâ ultus.

126. *Equo*] Cujus formam Saturnus assumpsit; unde & filius Chiron parte anteriore hominis, posteriore equi formam referebat.

130. *Flava*] *Formosa*; quòd *flavi* crines pulcherrimi haberentur.

131. *Cœlestia*] Id est, quæ Deorum adulteria, ab Arachne picta, haberet.

132. *Cytoriaco*] Pro buxeo posuit, à Cytoro Galatiæ monte buxo abundante.

139. *Hecateïdos*] Aconiti, ab Hecate filiâ Perſæ, quæ mater erat Medeæ, inventi; quod alias tamen è spumâ Cerberi natum dicitur.

Niobe cognoverat illam ante nuptias suas, tum cùm virgo habitabat Sipyli & in Mæoniâ. Neque tamen est dicta pœna popularis suæ Arachnes cedere Diis, & loqui modestiùs. Multa augebant fastus. Verùm neque artes mariti, neque stirps utriusque, & vires magni regni tam placuerunt illi, quamvis ea omnia placebant, quàm sua soboles: & Niobe dicta fuisset beatissima matrum nisi sic visa fuisset sibi. Manto enim filia Tiresiæ fatidica, impulsa afflatu divino prædixerat per medias vias, Ismenides, ite omnes, & offerte pia thura Latonæ, & duplici ejus proli, cum prece; atque inserite laurum comæ. Latona hoc *imperat meo ore. Obsequuntur omnes Thebaïdes, & decorant sua tempora ramis, & thura imponunt sacris focis & preces fundunt. En Niobe adest stipata comitum catervâ, insignis auro inserto vestibus Phrygiis, & pulchra quantùm ira patitur, & agitans cum specioso capite comam sparsam per utrumque humerum. Constitit; & postquam excelsa circumjecit oculos superbâ elatos: Quæ vesania, inquit, præferre Deos rumore* tantùm *cognitos iis quos* quotidie *videtis; aut quamobrem Latona honoratur per altaria; numen meum est adhuc sine thure? Tantalus est mihi pater; cui soli concessum fuit accedere ad epulas deorum:*

Ante suos Niobe thalamos cognoverat illam,
Tum cùm Mæoniam virgo Sipylumque colebat.
Nec tamen admonita est pœnâ popularis Arachnes
Cedere cœlitibus, verbisque minoribus uti.
Multa dabant animos. Sed enim nec conjugis artes,
Nec genus amborum, magnique potentia regni,
Sic placuêre illi, quamvis ea cuncta placebant,
Ut sua progenies: & feliciſſima matrum
Dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset.
Nam fata Tiresiâ venturi præscia Manto
Per medias fuerat, divino concita motu,
Vaticinata vias: Ismenides, ite frequentes,
Et date Latonæ, Latonigenisque duobus
Cum prece thura piâ: lauroque innectite crinem.
Ore meo Latona jubet. Paretur: & omnes
Thebaïdes jussis sua tempora frondibus ornant:
Thuraque dant sanctis, & verba precantia flammis.
Ecce venit comitum Niobe celeberrima turbâ,
Vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro:
Et, quantùm ira sinit, formosa: movensque decoro
Cum capite immissos humerum per utrumq; capillos;
Constitit: utque oculos circumtulit alta superbos;
Quis furor auditos, inquit, præponere visis
Cœlestes? aut cur colitur Latona per aras;
Numen adhuc sine thure meum est? mihi Tantalus auctor;
Cui licuit soli Superorum tangere mensas:

NOTÆ.

148. *Illam*] Arachnen popularem suam, quandoquidem Phrygiæ & Lydiæ imperitabat Tantalus Niobe pater.

149. *Sipylumque*] Fuit Sipylus montis & urbis nomen in Lydiâ.

152. *Artes*] Intelligit *artes* Lyræ Amphioniæ, per quas Thebani muri sunt extructi. Alii legunt *arces*, sed de regno Amphionis statim agitur.

153. *Nec genus*] Nam ab Jove ambo ducebant genus. Amphion enim Jove ex Antiopâ filius fuisse dicitur: Niobe verò neptis ipsius Jovis, cùm Tantali filia fuerit.

156. *Si non*] Niobe, quis æquo sibi plùs visa est felix, evasit infeliciſſima.

157. *Tiresia*] Qui insignis vates fuit Thebanus, Everi filius.

159. *Ismenides*] Thebanæ fœminæ, ab Ismeno Bœotiæ fluvio sic dictæ.

173. *Superorum*] Illos verò hospitio acceptos ad convivium invitavit, in quo Pelopen filium membratim discerptum, eorum divinitatem explorans, admovit: quâ re ad Tartara detrusus est, ubi æternâ fame & siti in mediis aquis & epulis torquetur.

Pleïadum

Pleïadum ſoror eſt genitrix mihi: maximus Atlas
Eſt avus, ætherеum qui fert cervicibus axem:
Jupiter alter avus. Socero quoque glorior illo.
Me gentes metuunt Phrygiæ: me regia Cadmi
Sub dominâ eſt: fidibuſque mei commiſſa mariti
Mœnia cum populis à meque viroque reguntur.
In quamcumque domûs adverto lumina partem,
Immenſæ ſpectantur opes. Accedit eodem
Digna Deâ facies. Huc natas adjice ſeptem,
Et totidem juvenes; & mox generoſque nuruſque.
Quærite nunc, habeat quam noſtra ſuperbia cauſam:
Neſcio quoque audete ſatam Titanida Cæo
Latonam præferre mihi: cui maxima quondam
Exiguam ſedem parituræ terra negavit.
Nec cœlo, nec humo, nec aquis Dea veſtra recepta eſt.
Exul erat mundi; donec miſerata vagantem,
Hoſpita tu terris erras, ego, dixit, in undis,
Inſtabilemque locum Delos dedit. Illa duobus
Facta parens: uteri pars eſt hæc ſeptima noſtri:
Sum felix. Quis enim neget hoc? felixque manebo.
Hoc quoque quis dubitet? tutam me copia fecit.
Major ſum, quàm cui poſſit Fortuna nocere;
Multaque ut eripiat, multò mihi plura relinquet.

Soror Pleïadum eſt mea mater: maximus Atlas eſt avus, qui fulcit colle axem cœli: Jupiter alius avus. Glorior etiam quod ille meus ſocer ſit. Nationes Phrygiæ me timent: regia Cadmi eſt ſub me dominâ: & muri conſtructi lyrâ mei conjugis, populique reguntur à me & conjuge. In quamcunque partem domûs conjicio oculos, infinitæ divitiæ conſpiciuntur. Eſt mihi quoque forma digna Deâ. Huc adde ſeptem filias, & totidem adoleſcentes: & mox generos & nurus. Petite jam quam rationem habeat noſtro gloriatio; & vereamini præponere Latonam Titanidem, filiam neſcio cujus Cæi; cui quidem Latonæ *parituræ vaſtiſſima Tellus olim denegavit parvum locum. Veſtra Dea neque recepta eſt cœlo, neque terrâ, neque aquis.* A toto *exulabat mundo, donec Delos, miſerata errantem, dixit, Tu vagaris per terras, ego per aquas, & obtulit ſedem fluctuantem. Illa facta eſt mater duorum: hæc eſt pars ſeptima noſtra ſtirpis. Sum beata. Quis enim iſtud diffitetur? & perſtabo beata. Quis etiam iſtud inficiatur? Numerus me fecit ſecurum. Major ſum quàm cui fortuna queat obeſſe. Et tametſi multa auferat, relinquet mihi multò plura.*

NOTÆ.

174. *Pleïadum ſoror*] Taygete, una ex Pleïadibus, Atlantis filia. *Pleïades* verò dictæ ſunt Græcis à navigando, quas ſtellas Latini *Vergilias*, à verni temporis indicatione, appellaverunt.

Ib. *Atlas*] Mauritaniæ rex: Dictus eſt cœlum humeris ſuſtentare Atlas, ideo quòd rerum cœleſtium peritiſſimus fuerit ſcrutator.

176. *Alter*] Jupiter enim Tantali pater.

Ib. *Socero*] Quippe patrem habuit Jovem Amphion Niobes maritus.

182. *Septem*] Tzetzes dicit fuiſſe duodecim quos nominat lib. IV. chil. 141. Sed vide Angell. lib. XX. c. 7. Nat. Com. lib. VI. c. 13. & Hegin. fab. 9.

185. *Quoque*] Ordo eſt, *& audete præferre mihi Latonam genitam neſcio quo Cæo?*

Ib. *Neſcio quo*] Per contemptum loquitur. Latona filia fuit Cæi Gigantis. quæ à Jove compreſſa, Apollinem ſimul & Dianam concepit: quod quidem adeò ægrè tulit Juno, ut ſerpentem Pythonem immiſerit, qui eam per totum terrarum orbem inſectaretur, nec uſquam parere permitteret. Ubi autem Apollo & Diana nati ſunt, Pythonem ſagitis confixerunt, & Delon, in quâ nati ſunt, immobilem reddiderunt.

187. *Negavit*] Quippe terras omnes jurejurando obſtrinxerat Juno, ne parturienti Latonæ locum concederent: latuit tum ſub aquâ Delos, quam emergere juſſit Neptunus, & locum parturienti præbere.

191. *Delos*] Dicta eſt *Delos*, ſeu *Manifiſta*, quòd cùm ſub aquis diu latuiſſet, tandem apparuit; vel potiùs quòd Græcis ortum verſus reſpicientibus maximè appareat. Unde fabula nata eſt, quod Apollo (ſeu Sol) & Diana (ſeu Luna) in ea cunabula habuerunt: cùm inde oriri quotidie viderentur, vario eorum motu per zodiacum ad inſulæ fluctuationem attributo.

Exceſsêre

Mea bona jam superaverunt timorum. Ponite aliquid posse subtrahi huic numero meorum filiorum; nihilominus defituta non reducar ad numerum duorum Latonæ; quo exiguo numero quantulùm distat ab iis *quæ orbæ sunt! Discedite à sacris, festinate; & avellite laurum à comis. Diripiunt, & omittunt sacra imperfecta: &, quod* solùm *conceditur, colunt numen murmure secreto. Dea iniquè tulit; & sic affata est duplicem* suam *soboiem in cacumine Cynthi. Ecce ego mater vestra, magnifica vobis genitis, neque cessura cuiquam Dearum nisi Junoni, arguor an sim Dea; & proterreor ab altaribus honoratis per omne ævum, nisi vos opem fertis, ô filii. Neque hic solus* est *dolor. Tantalis addidit probra sævis factis: neque verita est vobis præferre suos filios: neque injuper, quod in ipsam redundet, appellavit* prole *destitutum; & scelesta* specimen *dedit linguæ paternæ. Latona parabat addere preces cùm hæc retulisset: Omitte, inquit Apollo, conqueri (supplicii spatium longum.) Phœbe idem dixit: & obducti nubibus pervenerant ad arcem Cadmeïda celeri descensu per aërem.*

Excesse metum mea jam bona. Fingite demi
Huic aliquid populo natorum posse meorum;
Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum
Latonæ: Turbâ quo quantum distat ab orbâ!
Ite sacris, properate sacris; laurumque capillis
Ponite. Deponunt; infectaque sacra relinquunt;
Quodque licet, tacito venerantur murmure numen.
Indignata Dea est: summoque in vertice Cynthi
Talibus est dictis geminâ cum prole locuta:
En ego vestra parens, vobis animosa creatis,
Et nisi Junoni, nulli cessura Dearum,
An Dea sim, dubitor: perque omnia sæcula cultis
Arceor, ô nati, nisi vos succurritis, aris.
Nec dolor hic solus. Diro convicia facto
Tantalis adjecit: vosque est postponere natis
Ausa suis; & me (quod in ipsam recidat) orbam
Dixit; & exhibuit linguam scelerata paternam.
Adjectura preces erat his Latona relatis:
Desine, Phœbus ait (pœnæ mora longa) querelas.
Dixit idem Phœbe. Celerique per aëra lapsu
Contigerant tecti Cadmeïda nubibus arcem.
Planus erat latéque patens propè mœnia campus,
Assiduis pulsatus equis; ubi turba rotarum,
Duraque molliêrant subjectas ungula glebas.
Pars ibi de septem genitis Amphione fortes
Conscendunt in equos, Tyrioque rubentia fuco
Terga premunt; auroq; graves moderantur habenas.
E quibus Ismenos, qui matri sarcina quondam
Prima suæ fuerat, dum certum flectit in orbem
Quadrupedes cursus, spumantiaque ora coërcet;
Hei mihi! conclamat; medioque in pectore fixus
Tela gerit; frænisque manu moriente remissis,

Erat planities vasta non longè à mœnibus proculcata assiduo equorum cursu, ubi numerus rotarum, & rigida ungula in pulverem resolverant glebas suppositas. Ibi pars septem filiorum Amphionis fatigant equos, & urgent terga rubentia purpura Tyriâ; & tractant habenas auro intextas. E quibus Ismenus, qui olim primum uteri *onus fuerat suæ matri, dum agit in certum gyrum cursus equi sui, & reprimit ora spumantia; Hei mihi! vociferatur, & trajectus per medium pectus fert sagittas, & habenis elapsis manu moriente,*

NOTÆ.

204. *Cynthi*] Qui Deli mons fuit, à quo Apollo *Cynthus*, Diana *Cynthia* dicta est.

211. *Tantalis*] Niobe Tantali filia.

213. *Paternam*] *Linguam Paternam* dicit, quòd Deorum secreta mortalibus effutiisse dictus Tantalus.

216. *Phœbe*] *Diana*, quæ & Luna dicitur.

217. *Cadmeïda*] Thebanam à Cadmo extructam.

218. *Campus*] Hippodromus.

222. *Rubentia*] Quia purpureis ephippiis & phaleris equi instructi & instrati.

223. *Terga*] Equorum ostro instratorum.

224. *Sarcina prima*] Maximus natu.

In

In latus à dextro paulatim defluit armo.
Proximus, audito ſonitu per inane pharetræ,
Fræna dabat Sipylus: veluti cùm præſcius imbris
Nube fugit visà, pendentiaque undique rector
Carbaſa deducit, ne quà levis effluat aura.
Fræna dabat. Dantem non evitabile telum
Conſequitur; ſummâque tremens cervice ſagitta
Hæſit; & exſtabat nudum de gutture ferrum.
Ille, ut erat pronus, per colla admiſſa, jubaſque
Volvitur; & calido tellurem ſanguine fœdat.
Phædimus infelix, & aviti nominis hæres
Tantalus, ut ſolito finem impoſuêre labori,
Tranſiêrant ad opus nitidæ juvenile palæſtræ:
Et jam contulerant arcto luctantia nexu
Pectora pectoribus; cùm tento concita cornu,
Sicut erant juncti, trajecit utrumque ſagitta.
Ingemuêre ſimul; ſimul incurvata dolore
Membra ſolo poſuêre; ſimul ſuprema jacentes
Lumina versârunt; animam ſimul exhalârunt.
Aſpicit Alphenor, laniataque pectora plangens
Advolat, ut gelidos complexibus allevet artus:
Inque pio cadit officio. Nam Delius illi
Intima fatifero rumpit præcordia ferro.
Quod ſimul eductum, pars eſt pulmonis in hamis
Eruta: cumque animâ cruor eſt effuſus in auras:
At non intonſum ſimplex Damaſichthona vulnus
Afficit. Ictus erat, quà crus eſſe incipit, & quà
Mollia nervoſus facit internodia ples.
Dumque manu tentat trahere exitiabile telum,
Altera per jugulum pennis tenus acta ſagitta eſt.
Expulit hanc ſanguis; ſeque ejaculatus in altum
Emicat, & longè terrebratâ proſilit aurâ.
Ultimus Ilioneus non profectura precando
Brachia ſuſtulerat: Dîque ô communiter omnes,
Dixerat, (ignarus non omnes eſſe rogandos)

decidit paulatim in latus à dextro humero. Sipylus proximus relaxabat habenas, auditò ſtrepitu pharetræ per aërem; veluti cùm nauclerus præcognoſcens tempeſtatem fugit. nube conſpectâ, & explicat vela pendentia undique, ne quà levis ventus elabatur. Laxabat habenas. Sagitta ineluctabilis pertingit laxantem, & tremens adhæſit ſummitati cervicis; & ferrum nudum prominebat ex gutture. Ille, ut erat pronus, deſſuit per colla equi *concitati, & jubas; & inficit terram cruore tepido. Miſer Phædimus, & Tantalus hæres nominis avi, poſtquam deſiiſſent à labore ſolito, tranſierant ad opus juvenile ſplendidæ palæſtræ: & jam commiſerunt pectora luctantia pectoribus, ſtricto amplexu, cùm ſagitta impulſa arcu adducto tranſfixit utrumque, ſicut erant connexi. Unà conqueſti ſunt; unà demiſerunt in terram artus portritos dolore; unà proſtrati torſerunt oculos ultimos; unà ſpiritum efflaverunt. Alphenor intuetur, & percutiens pectus apertum accurrit, ut ſoletur membra frigida complexibus, & ſternitur in pia ſeaulitate; nam Delius perrumpit illi intima viſcera ferro mortifero. Quod cùm extractum eſt, pars pulmonis eſt abſtracta,* unà *cum* telo *hamato, & ſanguis eſt ejectus in aërem cum ſpiritu. At una plaga non conficit juvenem Damaſichthonem. Percuſſus fuerat quâ* parte *tibia incipit eſſe, & quâ poples nervoſus nectit mollia internodia. Et dum conatur eripere fatale telum manu alia ſagitta eſt impacta per jugulum uſque ad pennas. Cruor hanc ejecit; cumque in altum prorumperet, exilit & longè fertur aëre diviſo. Ultima Ilioneus tetenderat in cœlum lacertos, nihil promoturos orando: & dixerat, ô dii omnes, communiter (neſcius non omnes eſſe orandos,)*

NOTÆ.

229. *Armo*] Equi.
231. *Fræna dabat*] Ut fugeret.
237. *Colla admiſſa*] Equi colla in fugam concitati, laxatis illi frænis.
240. *Labori*] Agitationi equorum.
241. *Nitidæ*] Quia oleo perungebantur luctaturi.
255. *Quà crus*] Adeóque in genu, ab eo enim crus incipit, & protenditur uſque ad talos, è ſurâ & tibiâ conſtans.
263. *Non omnes*] Sola enim Latona cum Apolline & Dianâ placanda erat.

Parcite.

gnoſcite. Apollo *Arcitenens* miſericordiâ *tactus fuerat, cùm jam ſagitta non fuit revocabilis. Ille tamen procubuit leviſſimo ictu, corde afflicto non profundo vulnere. Rumor damni, & dolor plebis, & fletus ſuorum fecerunt matrem certam cladis repentinæ, quæ ſtupebat Deos potuiſſe* tot filios ſuos interficere, *& indignabatur non veritos eſſe hoc, & quòd tantùm haberent poteſtatis. Nam pater Amphion, ferro trajecto per pectus, obiens ſimul finem impoſuerat vitæ & dolori. Heu! quantum hæc Niobe diſpar erat ab illâ Niobe, quæ modò arcuerat populum ab altaribus Latonæ; & ſuperba ambulaverat per urbem mediam, ſuorum invidiam* in ſe concitans; *at nunc ſtenda etiam inimicis! Devolvitur in corpora frigida, & poſtrem dat oſcula ultima omnibus* ſuis *filiis. A quibus porrigens lacertos* planctu *lividos ad ſidera, Paſcere ſæva Latona, inquit, noſtro dolore, paſcere, & exple cor tuum meâ ærumnâ: & exple ſævâ viſcera: efferor per ſeptem* natorum *obitus: exſili, & triumphâ hoſtis ſuperior. Quamobrem verò ſuperior & plus ambi reſtant infelici, quàm tibi beatæ. Superior ſum etiam poſt tot obitus.*

Parcite. Motus erat, cùm jam revocabile telum
Non fuit, Arcitenens. Minimo tamen occidit ille
Vulnere; non altâ percuſſo corde ſagittâ.
Fama mali, populique dolor, lacrymæque ſuorum
Tam ſubitæ matrem certam fecere ruinæ,
Mirantem potuiſſe; iraſcentemque quòd auſi
Hoc eſſent Superi, quòd tantum juris haberent.
Nam pater Amphion, ferro per pectus adacto,
Finiêrat moriens pariter cum luce dolorem.
Heu! quantùm hæc Niobe, Niobe diſtabat ab illâ,
Quæ modò Latoïs populum ſubmoverat aris,
Et mediam tulerat greſſus reſupina per urbem,
Invidioſa ſuis: at nunc miſeranda vel hoſti!
Corporibus gelidis incumbit; & ordine nullo
Oſcula diſpenſat natos ſuprema per omnes.
A quibus ad cœlum liventia brachia tendens,
Paſcere, crudelis, noſtro, Latona, dolore;
Paſcere, ait; ſatiaque meo tua pectora luctu:
Corque ferum ſatia, dixit: per funera ſeptem
Efferor: exulta; victrixque inimica triumpha.
Cur autem victrix? miſeræ mihi plura ſuperſunt.
Quàm tibi felici. Poſt tot quoque funera vinco.
Dixerat: inſonuit contento nervus ab arcu:
Qui, præter Nioben unam, conterruit omnes.
Illa malo eſt audax. Stabant cum veſtibus atris
Ante toros fratrum demiſſo crine ſorores.
E quibus una, trahens hærentia viſcere tela,
Impoſito fratri moribunda relanguit ore.
Altera, ſolari miſeram conata parentem,
Conticuit ſubitò; duplicataque vulnere cæco eſt.
[Oraque non preſſit, niſi poſtquam ſpiritus exit.]
Hæc fruſtrà fugiens collabitur; illa ſorori
Immoritur; latet hæc; illam trepidare videres.

Finiêrat, nervus ſtrepuit ab arcu adducto, qui tremefecit omnes exceptâ Niobe. Illa eſt audax ob dolorem. Sorores aderant cum pullis veſtibus comâ projectâ ad lectos fratrum: è quibus una avellens ſagittas infixas cordi, moriens deſecit ore impoſito ori *fratris. Altera agreſſa delinire dolorem infelicis matris repentè ſiluit, & eſt incurvata ad* terram *improviſâ plagâ; neque clauſit os niſi dum anima receſſit. Hæc nequicquam fugiens cadit; illa procumbit moriens in ſororem: hæc ſeſe occultat, cernores illam tremere.*

NOTÆ.

273. *Hæc*] Mœrens; non jam, prole extinctâ, ſuperbiens.

275. *Reſupina*] Id eſt, quæ elato & ſuperbo vultu per urbem inceſſerat. V. 168.

283. *Efferor*] *Feror ad ſepulchrum ferox, filiorum morte.* Videtur enim Niobe unà cum filiis ſepties quaſi *efferri. Efferor* vox ſepulturæ propria eſt.

284. *Plura*] Hæc Niobe furioſa idcirco jactat, quòd ſeptem ei filiæ ſupererant.

289. *Demiſſo crine*] Diſſolutis capillis, ut in luctu fieri ſolet.

Ib. *Toros*] Lectulos in quibus erant ad funus compoſiti.

Sexque

Sexque datis leto, diverſaque vulnera paſſis,
Ultima reſtabat; quam toto corpore mater,
Totâ veſte tegens, Unam, minimamque relinque,
De multis minimam poſco, clamavit, & unam. 300
Dumque rogat, pro quâ rogat, occidit. Orba reſedit
Exanimes inter natos, nataſque, virumque:
Diriguitque malis. Nullos movet aura capillos:
In vultu color eſt ſine ſanguine; lumina mœſtis
Stant immota genis: nihil eſt in imagine vivi. 305
Ipſa quoque interiùs cum duro lingua palato
Congelat; & venæ deſiſtunt poſſe moveri.
Nec flecti cervix, nec brachia reddere geſtus,
Nec pes ire poteſt. Intra quoque viſcera ſaxum eſt.
Flet tamen, & validi circumdata turbine venti 310
In patriam rapta eſt. Ibi fixa cacumine montis
Liquitur, & lacrymas etiamnum marmora manant.

V. Tum verò cuncti manifeſtam numinis iram
Fœmina, virque timent: cultuque impenſiùs omnes
Magna gemelliparæ venerantur numina Divæ. 315
Utque fit, à facto propiore priora renarrant.
E quibus unus ait: Lyciæ quoque fertilis agris
Haud impunè Deam veteres ſprevêre coloni.
Res obſcura quidem eſt ignobilitate virorum;
Mira tamen. Vidi præſens ſtagnumque lacumque, 320
Prodigio notum. Nam me jam grandior ævo,
Impatienſque viæ genitor deducere lectos
Juſſerat inde boves; gentiſque illius eunti
Ipſe ducem dederat: cum quo dum paſcua luſtro,
Ecce lacûs medio ſacrorum nigra favillâ 325
Ara vetus ſtabat, tremulis circumdata cannis.

Et ſex interfectis & paſſis variis plagas, ultima ſuperverat: quam mater operiens toto corpore, tota amictu, vociferata eſt, concede unam & natu minimam; peto de multis minimam, & unam. Et dum precatur, obit ea pro quâ precatur. Orba reſedit inter filios mortuos, & filias & maritum: & indurata eſt ærumnis. Nullus ventus agitat comam. Color eſt exſanguis in facie; oculi hærent rigidi in genis triſtibus; nihil eſt vivi in ſtatuâ. Ipſa quoque lingua intus diriguit cum duro palato; & venæ non amplius poſſunt palpitare. Neque collum poteſt flecti, neque lacerti agitare, neque pes incedere. Eſt lapis etiam intra præcordia. Luget tamen, & correpta impetu potentis venti ablata eſt in patriam. Ibi liqueſcit impoſita vertici montis, & ſaxum exſtillat etiamnum lacrymas.

V. Tunc verò omnes & viri & fœminæ metuunt iram numinis: & omnes magis colunt ingentem poteſtatem Deæ gemelliparæ. Atque, ut meos ſic recenſent præterita a facto recentiore. E quibus unus inquit: Incolæ etiam fe-

recis Lyciæ non contempſerunt inulti Divam. Factum eſt quidem minùs cognitum contemptu vatorum, ſed tamen ſtupendum. Vidi ipſe cùm ibi *adeſſem & ſtagnum, & lacum nobilem miraculo. Nam pater* meus *jam ætate provectior, & impar itineri faciundo imperaverat* me *deducere inde boves electos; & ipſe dederat* mihi *proficiſcenti ducem ex illâ natione: quocum dum circumeo paſcua, ecce antiquum altare erectum erat in medio ſtagni, fuſcum atro cinere, cinctum arundinibus tremulis.*

NOTÆ.

303. *Diriguit*] Petrefacta eſt, quia ſtupefacta.

311. *In patriam*] Thebis, inquit Apollodorus, lib. III. relictis, vidua jam atque orba in Sipylum ad patrem Tantalum rediit, &c.

312. *Lacrymas*] Utrum hoc propter ſudorem marmoris? an à rupis, & metalli vapore falſo? Namque Sipylum, referente Plinio, lib. V. c. 29. quod antè Tantalis vocabatur, caput eſt Mæoniæ, ubi nunc eſt ſtagnum fatis abundans. An denique quòd in liberorum ſepulchro ſtatuam lapideam quæ lacrymari videbatur, ſibi Niobe erexerit?

315. *Gemelliparæ*] Latonæ, quæ Apollinem & Dianam uno partu edidit.

317. *Lyciæ*] Regio eſt minoris Aſiæ ad mare Mediterraneum protecta, infra Lydiam.

323. *Gentiſque*] Mihi itineris ducem addidit Lycium.

Reſti-

Dux meus ſubſtitit, & dixit murmure tumido, Adſis Dea: & ego dixi patri murmure, Adſis. Nihilominus exquirebam an altare eſſet Naïadum, an Faunt an Dei alicujus *indigenæ: cùm hoſpes reſpondit talia: ô Juvenis, non Deus monticola huic altari præeſt. Illa dicit hoc ſuum, quam olim regia Juno orbe expulit: quam precantem vix Delos incerta excepit, tum cùm inſula levis circùm fluctuabat. Latona innixa palmæ ſimul & (olivæ) arbori Minervæ, peperit gemellos, novercâ nolente.* Et *cùm peperiſſet, dicitur etiam hinc fugiſſe Junonem, & tuliſſe in ſuo ſinu duo numina exſe orta. Etjam, cùm ſol ardens incenderet agros, Dea oppreſſa longo labore in campis Lyciæ Cbimæras ferentis, exhauſta contraxit ſitim à calore ſolis; & filii avidi exſuxerant mammas lac emittentes. Fortè vidit è longinquo ſtagnum aquæ dulcioris in infirmis vallibus: ruſtici ibi colligebant fruticoſa vimina cum juncis, & ulvam naſcentem in paludibus. Titania audivit, & genu flexo demiſit ſe in terram; ut hibitura traheret frigidam aquam. Agreſtis multitudo prohibent. Deaſic eſt allocuta prohibentes: Quamobrem arcetis ab aquis? uſus aquarum eſt publicus: neque natura privatum fecit cuiquam ſolem, neque aërem neque aquas ſubtiles. Acceſſi ad dona communia. Quæ tamen ero ſupplex ut concedatis. Ego non volebam hîc lavare artus, & membra defeſſa, ſed ſedare ſitim. Os loquentis eſt exſiccatum, & guttura areſcunt; & vix datur tranſitus vocis ab illis. Hauſtus aquæ erit mihi* loco *nectaris: atque agnoſcam ſimul accepiſſe vitam. Præbueriris vitam in aqua. Iſti etiam vos molliant, qui porrigunt parvos lacertos è noſtro gremio: & fortè filii porrigebant lacertos.*

Reſtitit, & pavido, Faveas mihi, murmure dixit,
Dux meus: & ſimili Faveas, ego murmure dixi.
Naïadum, Faunine foret tamen ara rogabam,
Indigenæne Dei: cùm talia reddidit hoſpes:
Non hâc, ô juvenis, montanum numen in arâ eſt.
Illa ſuam vocat hanc, cui quondam regia Juno
Orbe interdixit: quam vix erratica Delos
Orantem accepit, tum cùm levis inſula nabat.
Illîc, incumbens cum Palladis arbore palmæ,
Edidit invitâ geminos Latona novercâ.
Hinc quoque Junonem fugiſſe puerpera fertur;
Inque ſuo portâſſe ſinu duo numina natos.
Jamque Chimæriferæ, cùm Sol gravis ureret arva,
Finibus in Lyciæ, longo Dea feſſa labore,
Sidereo ſiccata ſitim collegit ab æſtu;
Uberaque ebiberant avidi lactantia nati.
Fortè lacum melioris aquæ proſpexit in imis
Vallibus: agreſtes illîc fruticoſa legebant
Vimina cum juncis, gratamq; paludibus ulvam.
Acceſſit, poſitoque genu Titania terram
Preſſit; ut hauriret gelidos potura liquores.
Ruſtica turba vetant. Dea ſic affata vetantes:
Quid prohibetis aquis? uſus communis aquarum:
Nec Solem proprium Natura, nec aëra fecit,
Nec tenues undas. Ad publica munera veni.
Quæ tamen ut detis ſupplex peto. Non ego noſtros
Abluere hîc artus, laſſataque membra parabam:
Sed relevare ſitim. Caret os humore loquentis;
Et fauces arent; vixque eſt via vocis in illis.
Hauſtus aquæ mihi nectar erit: vitamque fatebor
Accepiſſe ſimul. Vitam dederitis in undâ.
Hi quoque vos moveant, qui noſtro brachia tendunt
Parva ſinu: Et caſu tendebant brachia nati.

NOTÆ.

330. *Indigenæne*] Qui non aliunde venerit, ſed ibi ortus ſit ubi colitur: quaſi in eodem ſolo degens.

336. *Novercâ*] Junone Jovis conjuge, quæ adeò Apollinis & Dianæ noverca.

339. *Cbimæriferæ*] Fuit poëtis Chimæra monſtrum caput habens leonis, ventrem capræ, & caudam draconis; revera autem mons Lyciæ ignivomus, cujus cacumen leones, medium capræ, radices autem ſerpentes frequentabant.

341. *Sidereo*] *Sidus* aliquando κατ' ἐξοχὴν pro ſole ponitur.

343. *Lacum*] Fontem Melam vocat Prob. ad Virg. Georg. 2. 1. & paſtorem, qui prohibebat, Neoclem.

358. *Hi*] Infantes, Apollo & Diana.

Quem

Quem non blanda Deæ potuissent verba movere? 360
Hi tamen orantem perstant prohibere: minasque,
Ni procul abscedat, conviciaque insuper addunt.
Nec satìs hoc: Ipsos etiam pedibusque, manuque
Turbavêre lacus: imoque è gurgite mollem
Huc illuc limum saltu movêre maligno. 365
Distulit irâ sitim. Neque enim jam filia Cœi
Supplicat indignis; nec dicere sustinet ultrà
Verba minora Deâ: tollensque ad sidera palmas,
Æternùm stagno, dixit, vivatis in isto.
Eveniunt optata Deæ. Juvat îsse sub undas, 370
Et modò tota cavâ submergere membra palude;
Nunc proferre caput; summo modò gurgite nare:
Sæpe super ripam stagni considere; sæpe
In gelidos resilire lacus. Et nunc quoque turpes
Litibus exercent linguas: pulsoque pudore, 375
Quamvis sint sub aquâ, sub aquâ maledicere tentant.
Vox quoq; jam rauca est, inflataque colla tumescunt;
Ipsaque dilatant patulos convicia rictus.
Terga caput tangunt: colla intercepta videntur:
Spina viret: Venter, pars maxima corporis, albet: 380
Limosoque novæ saliunt in gurgite ranæ.

VI. Sic ubi nescio quis Lyciâ de gente virorum
Rettulit exitium; Satyri reminiscitur alter,
Quem Tritoniacâ Latous arundine victum
Affecit pœnâ. Quid me mihi detrahis? inquit. 385
Ah piget: ah non est, clamabat, tibia tanti!
Clamanti cutis est summos derepta per artus: [nat:
Nec quicquam, nisi vulnus, erat. Cruor undiq; ma-

Quem non potuisset flectere lenis oratio Deæ? Isti tamen pertinaciter arcent precantem: atque insuper adjiciunt minas, nisi procul eat, & probra. Neque istud satis: lutulenta fecerunt insuper ipsa stagna pedibus & manibus; & huc illuc agitaverunt cœnum ex ultimo gurgite saltu protervo. Ira pauliſper *remisit sitim: neque verò jam filia Cœi precatur* rusticos *indigna* hæc patrantes; *neque potest amplius proferre voces humiliores Deæ: & porrigens manus ad astra, in omne ævum, inquit, vivatis in isto stagno. Vota Deæ absolvuntur. Gaudent se condere sub aquas, & nunc tingere totum corpus profundo stagno: nunc exerere caput; nunc natare in supremo lacu: sæpe requiescere ad ripam ejus; sæpe resilire in frigida stagna. Et nunc etiam utuntur contumeliosis linguis ad jurgia: & pudore amisso, quanquam sint sub undis, sub undis* tamen *nituntur convicia jactare. Vox etiam est rauca, & colla tumida inflantur; & ipsa probra diducunt ora hiantia. Dorsum junctum est capiti; collum videtur* quasi *de medio recisum: tergum est viride: alvus, pars maxima corporis, alba est; & recentes ranæ sese jactant in palude lutulentâ.*

VI. *Postquam nescio quis sic narravit interitum hominum de natione Lyciâ; alius commemorat* Marsyam *Satyrum quem* Apollo *Latonæ filius mulctavit supplicio, postquam illum vicisset calamo Tritoniaco. Quamobrem, ait, meam* pellem *mihi deripis? Ah pœnitet: ah, vociferabatur fistula non est tanti,* ut hâc pœnâ affici debeam! *Cutis est ablata vociferanti ab extremis membris: neque erat quicquam, nisi plaga. Sanguis fluit ex omni parte;*

NOTÆ.

376. *Sub aquâ*] Repetitio hæc immediata *sub aquâ, sub aquâ,* ranarum coaxationem exprimere videtur.

383. *Satyri*] Marsyas fuit, qui certamine victus, pelle privatus est ab Apolline; ex ejus verò corpore tantus defluxit sanguis, ut in fluvium fuerit commutatus, qui dicebatur *Marsyas.* Cujus elegantem descriptionem vide apud Q. Curtium lib. 4. sub initio.

384. *Tritoniaca*] Tibiam dicit, quam Pallas ad Tritonem paludem nata invenit: Sed oris sui deformitate dum eam inflaret, indignata, eam abjecit. Reperit Marsyas, & usque adeò sibi placuit ejus sono, ut Apollinem ipsum ad musicæ certamen provocare ausus fuerit.

Detectique

Detectique patent nervi; trepidæque ſine ullâ
Pelle micant venæ. Salientia viſcera poſſis,
Et pellucentes numerare in pectore fibras.
Illum ruricolæ, ſilvarum numina, Fauni,
Et Satyri fratres, & tunc quoque clarus Olympus,
Et Nymphæ flêrunt: & quiſquis montibus illis
Lanigeroſque greges, armentaque bucera pavit.
Fertilis immaduit, madefactaque terra caducas
Concepit lacrymas, ac venis perbibit imis.
Quas ubi fecit aquam, vacuas emiſit in auras.
Inde patens rapidum ripis declivibus æquor,
Marſya nomen habet, Phrygiæ liquidiſſimus amnis.

VII. Talibus extemplò redit ad præſentia dictis
Vulgus; & extinctum cum ſtirpe Amphiona lugent.
Mater in invidiâ eſt. Tamen hanc quoq; dicitur unus
Flêſſe Pelops: humeroque ſuas ad pectora poſtquam
Deduxit veſtes, ebur oſtendiſſe ſiniſtro.
Concolor hic humerus, naſcendi tempore, dextro,
Corporeuſque fuit. Manibus mox cæſa paternis
Membra ferunt junxiſſe Deos; Aliiſque repertis,
Qui locus eſt juguli medius, ſummique lacerti,
Defuit. Impoſitum eſt non comparentis in uſum
Partis ebur: factoque Pelops fuit integer illo.

VIII. Finitimi proceres coëunt: urbeſque propinquæ
Oravêre ſuos ire ad ſolatia reges,
Argoſque, & Sparte, Pelopeïadeſque Mycenæ,
Et nondum torvæ Calydon inviſa Dianæ,

& nervi nudati apparent: & venæ trementes ſine ullâ cute palpitant. Liceat numerare præcordia micantia, & fibras penitùs conſpectas in pectore. Fauni agreſtes, Dii nemorum, & fratres Satyri, & Olympus tunc etiam illuſtris, & nymphæ luxerunt eum: *& quiſquis pavit greges* ovium *lanas ferentium, & armenta boum cornuta in illis montibus. Terra ferax irrigata eſt, & irrigata excepit lacrymas cadentes, ac abſorbuit profundis meatibus: Quas ubi fecit aquam, ejicit in aërem inanem. Inde deſcendens in mare æſtuoſum per pronas ripas, nomen conſecutus eſt Marſya, fluvius limpidiſſimus Phrygiæ.*

VII. *Talibus narratis, ſtatim plebs revertitur ad præſentia* infortunia, *& deflent Amphionem mortuum* unà *cum prole. Invidiam* omnem *in matrem* conjiciunt. *Cæterùm unus Pelops fertur etiam luxiſſe hanc: atque exhibuiſſe ebur in humero lævo, poſtquam deripuit amictus ſuos ad pectus. Hic humerus fuit ex carne & ejuſdem coloris ac dexter quando natus eſt. Dein dicunt Deos conſeruiſſe artus diſſectos manibus parentis; cæteriſque inventis, pars quæ eſt inter collum & extremum lacertum deſiderata eſt. Ebur affixum eſt in locum ejus partis quæ non inveniebatur: & eo* Deorum *beneficio Pelops fuit reſtitutus.*

VIII. *Optimates proximi conveniunt: & oppida vicina Argos, & Sparta, & Mycenæ, Pelopeïades, & Calydon nondum odio habitu Dianæ iratæ,*

NOTÆ.

393. *Olympus*] Satyrus etiam, qui Marſyæ fuit diſcipulus, aliis frater.

397. *Venis*] Venas terræ puta eſſe meatus aquarum & ſpirituum.

404. *Pelops*] Tantali filius, Niobes frater.

405. *Deduxit*] Lugentium more veſtes divellit.

Ib. *Ebur oſtendiſſe*] Pelopem diſcerptum Tantalus Diis epulantibus obtulerat, quod illi nefas cùm advertiſſent, Pelopis membra iterum compoſuerunt, niſi quòd humeri ſiniſtri loco, quem Ceres comederat, eburneum oppoſuerunt.

409. *Qui locus*] Humerus qui medius eſt inter jugulum & brachii ſummitatem.

414. *Argos*] Urbs eſt clariſſima Peloponneſi, ſicut & Sparta, itemque Mycenæ, quas Pelops vel certè ejus poſteri auxiſſe feruntur.

415. *Calydon*] Urbs Ætoliæ, à Calydone Endymionis filio cognominata, ad Pelopon-

Orcho-

Orchomenoſque ferox, & nobilis ære Corinthos,
Meſſeneque ferax, Patræque, humileſque Cleonæ,
Et Nelêa Pylos, neque adhuc Pittheïa Trœzen;
Quæque urbes aliæ bimari clauduntur ab Iſthmo,
Exteriúſque ſitæ bimari ſpectantur ab Iſthmo.
Credere quis poſſit? ſolæ ceſſatis Athenæ.
Obſtitit officio bellum; ſubvectaque ponto
Barbara Mopſopios terrebant agmina muros.
Threïcius Tereus hæc auxiliaribus armis
Fuderat: & clarum vincendo nomen habebat.
Quem ſibi Pandion opibuſque, viriſque potentem,
Et genus à magno ducentem forte Gradivo,
Connubio Progne junxit. Non pronuba Juno,
Non Hymenæus adeſt, non illi Gratia lecto.
Eumenides tenuêre faces de funere raptas;
Eumenides ſtravêre torum; tectoque profanus
Incubuit bubo, thalamique in culmine ſedit.

& Orchomenus ſæva, & Corinthus celebris ære, & Meſſene fertilis, & Patræ, & exiguæ Cleonæ, & Pylus Nelea, & Trœzen nondum Pittheïa dicta; *& urbes aliæ quæ clauduntur ab Iſthmo bimari, quæque extra Iſthmum ſitæ ab illo conſpiciuntur, rogaverunt ſuos reges ut accederent conſolandia* gratiâ. *Quis poſſit fidem adhibere? Solæ Athenæ deeſtis* humanitatis officio: Cui *bellum impedimento fuit, & exercitus barbarus adductus per mare imminebat muris Mopſopiis: Tereus Thracius hunc* exercitum *fugaverat armis auxiliaribus; & habebat nomen magnum ex victoriâ. Quem potentem divitiis & viris, & trahentem genus clarum à magno Marte, Pandion ſibi divinxit conjugio Progne. Juno pronuba non favit illo toro, neque Hymenæus, neque Gratia. Furiæ prætulerunt tædas* novæ nuptæ, *quas de funebribus* rogis *rapuerunt: Furiæ adornaverunt lectum; & bubo obſcœnus inſedit tecto, & ſtetit in faſtigio thalami.*

NOTÆ.

neſi Septentrionem, cujus agris irata Diana, quòd ab Oeneo rege primitias diîs omnibus reliquis offerente prætérita eſſet, aprum ferociſſimum immiſit, quem Meleager interemit.

416. *Orchomenos*] Arcadiæ urbs; alia eſt & Bœotiæ.

Ib. *Ære*] Æs Corinthium magno in pretio fuit, & ad vaſa expetitum. Captâ à L. Mummio & incensâ Corintho, incendio permiſtis plurimis ſtatuis atque ſimulacris, æris, auri argentique venæ in communé fluxêre.

417. *Humiles*] Non à ſitu, ſed incolarum paucitate.

Ib. *Meſſene*] Meſſene eſt in Peloponneſo, cujus incolæ bellis plurimis adverſus Lacedæmonios claruerunt.

Ib. *Patræ*] Sunt in Achaiâ, ad Septentrionem.

Ib. *Cleonæ*] Oppidulum Argolidis.

418. *Nelea*] A Neleo Neſtoris patre regnata in Meſſeniâ ſita.

Ib. *Neque adhuc*] Nondum Pittheus, Theſei avus matermus, ibi regnavit. Trœzen urbs eſt Peloponneſi.

419. *Bimari*] Iſthmus dicitur terra inter duo maria coarctata, atque adeò *bimaris*; quo modo hic Corinthiacus Ægeo & Ionio alluitur. Intra Iſthmum ſunt Peloponneſi urbes, extra vero Achaiæ.

Ib. *Clauduntur*] Iſthmo clauſas intellige urbes quas habet Peloponneſus.

421. *Credere*] *Quis crederet urbem humanitatis, ſtudiis adeò, claram officio defuturam? Sed excuſanda erat, quippe obſidione preſſa à Barbaris, fortè Amazonum, copiis.*

423. *Mopſopius*] Athenienſes, à Mopſopo rege ſic dictos, in quos Amazones illo tempore, auxilio aſſumtis Scythis, incurſârunt, quâ de re Juſtinus.

424. *Tereus*] Thraciæ rex fuit, Martius filius.

426. *Pandion*] Rex Athenarum.

427. *Gradivo*] Mars eſt à *gradiendo*, vel ab haſtæ vibratione Græcè ſic dictus, viz. à κραδάω vel κραδαίνω.

428. *Progne*] Quæ Pandionis fuit filia.

Ib. *Juno*] Quæ Juga & pronuba dicta, ſine cujus numine nullum poſſet feliciter coaleſcere conjugium.

429. *Hymenæus*] Quem jam ſæpe ad nuptias invocatum deum diximus.

Ib. *Gratia*] Tres fuerunt, perpetuæ Veneris comites, Aglaïa, Thalia, Euphroſyne.

430. *Eumenides*] Hæc omnia inauſpicatas nuptias prædicunt. Vide ſimilia de Didonis & Æneæ conjugio, Virg. Lib. Æn. 4.

Progne & Tereus commissi sunt hoc augurio; facti sunt parentes hoc augurio.

Hâc ave conjuncti Progne, Tereusque parentes
Hâc ave sunt facti. Gratata est scilicet illis
Thracia: Dîsque ipsi grates egêre: diemque,
Quâque data est claro Pandione nata tyranno,
Quâque erat ortus Itys, festam jussêre vocari.
Usque adeò latet utilitas! Jam tempora Titan
Quinque per autumnos repetiti duxerat anni:
Cùm blandita viro Progne, Si gratia, dixit,
Ulla mea est, vel me visendæ mitte sorori,
Vel soror huc veniat. Redituram tempore parvo
Promittes socero. Magni mihi numinis instar
Germanam vidisse dabis. Jubet ille carinas
In freta deduci; veloque & remige portus
Cecropios intrat; Piræaque littora tangit.
Ut primùm soceri data copia, dextraque dextræ
Jungitur; infausto committitur omine sermo.
Cœperat, adventûs causam, mandata referre
Conjugis; & celeres missæ spondere recursus.
Ecce venit magno dives Philomela paratu:
Divitior formâ: quales audire solemus
Naïdas & Dryadas mediis incedere silvis;
Si modò des illis cultus, similesque paratus.
Non secùs exarsit conspectâ virgine Tereus,
Quàm si quis canis ignem supponat aristis:
Aut frondem, positasque cremet fœnilibus herbas.
Digna quidem facies, sed & huc innata libido
Exstimulat: pronumque genus regionibus illis
In Venerem est. Flagrat vitio gentisque, suoque.
Impetus est illi, comitum corrumpere curam,
Nutricisque fidem; nec non ingentibus ipsam
Sollicitare datis; totumque impendere regnum;
Aut rapere, & sævo raptam defendere bello.
Et nihil est, quod non effrœno captus amore
Ausit; nec capiunt inclusas pectora flammas.
Jamque moras malè fert; cupidoque revertitur ore

Progne & Tereus commissi sunt hoc augurio; facti sunt parentes hoc augurio. Scilicet Thracia gratulata est illis; & ipsi gratias egerunt diis; & voluerunt appellari diem festatum, quo filia Pandionis nupta est regi illustri, & quo Itys natus est. Usque adeò ignoratur quod bonum est! Jam Titan vexerat tempora per quinque Autumnos anni renovati; cùm Progne demulcens maritum, Si quid apud te possum, inquit, vel mitte me sorori visendæ, vel soror huc accedat. Pollicearis socero eam brevi reversuram. Concedes mihi instar numinis si vidisse me feceris sororem. Ille imperat naves provehi in mare, atque ingreditur portus Athenienses velis & remigibus, atque appellit ad littora Attica. Ut primùm licuit videre socerum, & dextram dextræ conjungere, oratio inchoatur infelici præsagio. Cœperat narrare causam itineris & jussa uxoris, & promittere veloces reditus Philomelæ, siquidem *missa* fuerit. *Ecce Philomela adest splendida superbo ornatu, splendidior pulchritudine; & quales solemus audire Naïadas & Dryadas ambulare in mediis silvis; si modò addas illis ornatus & similes apparatus. Tereus non aliter incensus est visâ puellâ, quàm si quis subjiciat ignem flavis aristis, aut incendat raniculos & herbas impositas fœnilibus. Vultus quidem insignis, sed ingenita libido etiam hunc excitat; & in illis terris hominis sunt* maximè *propensi in Venerem. Uritur vitio gentis, & suo. Impensùs stimulatur corrumpere custodiam comitum, & fidem nutricis, aut etiam delinire illam magnis muneribus, atque insumere totum regnum; vel auferre, & tueri ablatam crudeli bello. Neque quicquam est quod non audeat irretitus immoderato amore: neque pectus est capax reconditi ignis. Jamque iniquè fert moras, & ore cupido redit*

NOTÆ.

437. *Itys*] Terei & Progne filius.

446. *Cecropios*] Athenienses, à Cecrope rege Athenarum.

Ib. *Piræaque*] Fuit Piræum navale & portus Athenienſis, à Themistocle instructus.

453. *Dryadas*] Nymphæ inter silvestres formosissimæ, quæ tamen Philomelæ speciem non æquarent, nisi pari etiam ornatu indutæ.

Ad

Ad mandata Prognes; & agit sua vota sub illis.
Facundum faciebat amor. Quotiesque rogabat
Ulteriùs justo, Prognen ita velle ferebat.
Addidit & lachrymas, tanquam mandâsset & illas.
Prò Superi, quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent! ipso sceleris molimine Tereus
Creditur esse pius: laudemque à crimine sumit.
Quid quod idem Philomela cupit? patriosque lacertis
Blanda tenens humeros, ut eat visura sororem,
Perque suam, contraque suam, petit usque salutem.
Spectat eam Tereus; præcontrectatque videndo:
Osculaque, & collo circumdata brachia cernens,
Omnia pro stimulis, facibusque, ciboque furoris
Accipit. Et quoties amplectitur illa parentem,
Esse parens vellet; neque enim minùs impius esset.
Vincitur ambarum genitor prece. Gaudet, agitque
Illa patri grates; & successisse duabus
Id putat infelix, quod erit lugubre duabus.
Jam labor exiguus Phæbo restabat; equique
Pulsabant pedibus spatium declivis Olympi:
Regales epulæ mensis, & Bacchus in auro
Ponitur. Hinc placido traduntur sua corpora somno.
At rex Odrysius, quamvis secessit, in illâ
Æstuat: & repetens faciem, motusque, manusque,
Qualia vult fingit, quæ nondum vidit: & ignes
Ipse suos nutrit, curâ removente soporem.
Lux erat: &, generi dextram complexus euntis
Pandion, comitem lachrymis commendat obortis:
Hanc ego, care gener, quoniam pia causa coëgit,
[Et voluêre ambæ, voluisti tu quoque, Tereu,]
Do tibi: perque fidem, cognataque pectora supplex,
Per Superos oro, patrio tuearis amore:
Et mihi sollicitæ lenimen dulce senectæ

Prognes ad commemoranda *jussa; & promovet sua vota sub* simulatione *desiderii* quo flagrabat Progne. *Amor reddebat disertum: & quoties orabat plùs quàm justum esset, dicebat Prognem sic optare. Adjecit etiam lacrymas, quasi etiam imperâsset illas. Proh dii, quantum corda hominum habent obscuræ ignorantiæ! Tereus creditur esse pius ipso conatu facinoris & habet laudem à crimine. Quid quòd Philomela idem optat? & blandè amplectens ulnis humeros patris, petit usque & per suam, & contra suam salutem, ut discedat visura* suam *sororem. Tereus eam intuetur, & antè eam contrectat videndo: & cernens ora, & lacertos circumductos collo, sumit omnia pro aculeis, & tædis, & escâ furoris. Et quoties illa complectitur patrem, optaret esse pater; neque enim esset minùs impius. Pater superatur prece utriusque. Ille lætatur & gratias agit patri, & misera arbitratur bene id cessisse duabus, quod erit luctuosum duabus. Jam parvus labor supererat Soli, & ejus equi feriebant pedibus spatium cœli deorsum vergentis* (i. e. occidui) *Dapes regiæ, & vinum in vasis deauratis apponitur mensis: inde suæ corpora committunt somno suavi. At rex Odrysius, quanquam seorsim se receperat, ardet tamen in Philomelâ; & revolvens mente vultum, & motus, & manus, putat qualia vult* ista *quæ nondum vidit: & ipse alit suas flammas, amore impediente somnum. Dies advenerat, & Pandion amplexus dextram generi abituri, commendat* illi *comitem lachrymis prorumpentibus. Ego, (siquidem utraque exoptavit, & tu* quoque *cupivisti, Tereu) committo tibi hanc, dilecte gener, quoniam pia causa suasit: & precor supplex per fidem, & corda cognata, & per Deos, ut protegas* eam *amore patrio: & mihi amabile solatium senectutis anxiæ* de reditu filiæ

NOTÆ.

377. *Contraque suam*] Quia à Tereo non solùm stuprata, sed etiam linguâ fuit privata.

478. *Præcontrectat*] Tanto libidinis ardore Philomelam intuetur, ut oculis antequam manibus contrectare videatur.

486. *Equi*] Soli trahentes currum.

Ib. *Exiguus*] Penè erat diei finis.

490. *Odrysius*] Tereum dicit, ab Odrysis Thraciæ populis, sic dictum.

Quamprimum (omnis erit nobis mora longa) remittas.
Tu quoque quamprimum (ſatìs eſt procul eſſe ſororem,)
Si pietas ulla eſt, ad me, Philomela, redito.
Mandabat; pariterque ſuæ dabat oſcula natæ:
Et lacrymæ mites inter mandata cadebant.
Utque fide pignus dextras utriuſque popoſcit;
Inter ſeque datas junxit; natamque nepotemque
Abſentes memori pro ſe jubet ore ſalutent:
Supremumque vale, pleno ſingultibus ore,
Vix dixit: timuitque ſuæ præſagia mentis.
At ſimul impoſita eſt pictæ Philomela carinæ;
Admotumque fretum remis, telluſque repulſa eſt;
Vicimus, exclamat: mecum mea vota feruntur.
Exſultatque, & vix animo ſua gaudia differt
Barbarus: & nuſquam lumen detorquet ab illâ.
Non aliter, quàm cùm pedibus prædator obuncis
Depoſuit nido leporem Jovis ales in alto:
Nulla fuga eſt capto: ſpectat ſua præmia raptor.
Jamque iter effectum; jamque in ſua littora feſſis
Puppibus exiêrant: cùm rex Pandione natam
In ſtabula alta trahit, ſilvis obſcura vetuſtis:
Atque ibi pallentem, trepidamq; & cuncta timentem,
Et jam cum lacrymis, ubi ſit germana, rogantem,
Includit: faſſuſque nefas, & virginem, & unam
Vi ſuperat; fruſtrà clamato ſæpe parente,
Sæpe ſorore ſuâ, magnis ſuper omnia Divis.
Illa tremit, velut agna pavens, quæ ſaucia cani
Ore excuſſa lupi, nondum ſibi tuta videtur:
Utque columba, ſuo madefactis ſanguine plumis,
Horret adhuc, avidoſque timet, quibus hæſerat, ungues.
Mox ubi mens rediit; paſſos laniata capillos,
Lugenti ſimilis, cæſis plangore lacertis,
Inuendens palmas, Prô diris, Barbare, factis,
Prô crudelis, ait! nec te mandata parentis
Cum lacrymis movêre piis, nec cura ſororis,
Nec mea virginitas, nec conjugialia jura?
Omnia turbaſti. Pellex ego facta ſorori:
Tu geminis conjux. Non hæc mihi debita pœna.

ocyùs remittat (omne ſpatium erit nobis longum). Tu quoque, Philomela, ſi pietas eſt aliqua, reverte ad me ocyùs: (ſatìs eſt, quòd ſoror tua Progne *longè* à me *abeſt.)* Hujuſmodi *mandata dedit: atque ſimul baſia præbebat ſuæ filiæ: & molles lacrymæ fluebant inter jubendum. Et poſtquam petivit dextras utriuſque in teſtimonium fidei, & conſeruit junctas inter ſe, mandat ut ſalutem inpertiantur ore memori, & filiæ ſuæ* Progne, *& nepoti* Ity, qui *abfuerant: Et vix potuit dicere extremùm vale,* ita *vox impediebatur ſuſpiriis: & reformidavit divinationes ſuæ mentis. At cùm primùm Philomela eſt impoſita pictæ navi, & mare percuſſum remis, & terra relicta, Vicimus vociferatur: mea deſideria avehuntur mecum. Atque barbarus triumphat, & ægrè differt animo ſua gaudia, & nuſquam dimovit oculos ab illâ. Non ſecùs ac cùm avis Jovis capax* aquila *unguibus acutis depoſuit leporem in excelſo nido;* lepus *correptus non poteſt effugere;* illa autem *avida intuetur ſuam prædam. Jamque itinere confecto deſcenderant in ſua littora de navibus jactatis, cùm rex ducit filiam Pandionis in excelſa ſtabula, tecta annoſis arboribus; atque ibi includit pallidam, trementem, & omnia tuentem, & jam lacrymantem, & petentem ubi ſit* ſua *ſoror; & poſtquam profeſſus eſſet amorem infandum, vi vincit puellam, & unam, patre ſæpe nequicquam citato, ſæpe ſorore ſuâ, maximè verò diis magnis. Illa trepidat tanquam agna timida, quæ vulnerata erepta faucibus veteris lupi, nondum ſibi videatur ſecura; & tanquam columba, plumis ſuis infectis ſuo ſanguine, timet adhuc atque horret ungues aſperos quibus incluſa erat. Mox ubi animus rediit, diſcerptam comam habens, ſimilis lugenti, brachiis contuſis plangendo, porrigens manus. Proh, inquit, Barbare, nefando facinore, proh inhumane! neque juſſa patris cum lachrymis piis te tetigerunt, neque me virginitas, neque fœdera connubialia? Omnia confudiſti. Ego ſum facta adultera ſorori, tu maritus utrique. Non ſum digna hoc ſupplicio.*

Quin

Quin animam hanc (ne quod facinus tibi, perfide, reſtet)
Eripis? atque utinam feciſſes ante nefandos
Concubitus! vacuas habuiſſem criminis umbras.
Si tamen hæc Superi cernunt; ſi numina Divûm
Sunt aliquid; ſi non periêrunt omnia mecum;
Quandocunque mihi pœnas dabis. Ipſa pudore
Projecto tua facta loquar. Si copia detur,
In populos veniam: ſi ſilvis clauſa tenebor,
Implebo ſilvas, & conſcia ſaxa movebo.
Audiat hæc æther, & ſi Deus ullus in illo eſt.
Talibus ira feri poſtquam commota tyranni;
Nec minor hâc metus eſt: causâ ſtimulatus utrâque;
Quo fuit accinctus, vaginâ deripit enſem:
Arreptamque comâ, flexis poſt terga lacertis,
Vincla pati cogit. Jugulum Philomela parabat;
Spemque ſuæ mortis viſo conceperat enſe.
Ille indignanti, & nomen patris uſque vocanti,
Luctantique loqui comprênſam forcipe linguam
Abſtulit enſe fero. Radix micat ultima linguæ.
Ipſa jacet, terræque tremens immurmurat atræ.
Utque ſalire ſolet mutilatæ cauda colubræ,
Palpitat: & moriens Dominæ veſtigia quærit.
Hoc quoque poſt facinus (vix auſim credere) fertur
Sæpe ſuâ lacerum repetîſſe libidine corpus.
Suſtinet ad Prognen poſt talia facta reverti:
Conjuge quæ viſo germanam quærit: at ille
Dat gemitus fictos, commentaque funera narrat.
Et lacrymæ fecêre fidem. Velamina Progne
Deripit ex humeris auro fulgentia lato:
Induiturque atras veſtes: & inane ſepulcrum
Conſtituit: falſiſque piacula manibus infert:
Et luget non ſic lugendæ fata ſororis.

Quamobrem non eripis hanc animam, ne quod nefas tibi maneat perpetrandum, *perfide*; *atque utinam eripuiſſes ante ſceleſtos concubitus*; *crimine caruiſſem moriens. Si tamen Dîi hæc vident, ſi poteſtas eorum eſt aliquid, ſi omnia non interîerunt mecum, aliquando exſolves mihi pœnas. Ego ipſa propalabo tua facinora pudore depoſito. Siquidem mihi liceat accedam ad homines*; *ſi tenebor clauſa in nemoribus, implebo nemora, & movebo lapides conſcios. Cœlum & ſi quis Deus eſt in illo iſtud audiat. Poſtquam ira crudelis tyranni eſt excita ejuſmodi* vocibus, *neque timor eſt irâ levior, impulſus utrâque causâ* irâ & timore, *educit vaginâ gladium quo fuit inſtructus, & cogit correptam capillis ferre vincula, brachiis retortis in tergum. Philomela parabat jugulum, & conceperat ſpem ſuæ necis gladio conſpecto. Ille abſcidit duro gladio linguam correptam forcipe, dum* illa interim *indignatur, & uſque citat nomen parentis, & conatur loqui. Ultima radix linguæ movetur. Ipſa* lingua *jacet; & palpitans murmurat ſuper terram,* ſanguine ipſius *nigrantem. Atque ut cauda ſerpentis interciſi conſuevit micare, vibrat; & moriens* videtur *quærere veſtigia Dominæ. Dicitur etiam iterum tentâſſe ſuâ libidine corpus* linguâ *mutilatum poſt hoc ſcelus: (O rem penè incredibilem?) Audet redire ad Prognen poſt talia facinora: quæ marito conſpecto rogat de ſorore; at ille emittit gemitus ſimulatos, & refert mortem fictam* Philomelæ. *Et lacrymæ* Terei *perſuaſerunt* ei ut ſororis mortem veram eſſe crederet. *Progne lacerat ab humeris veſtes micantes lato auro: & tegitur pullo amictu: & ſtruit vacuum ſepulcrum: & infert piacula fictis umbris: & deflet ſortem ſororis non ita deflendæ,*

NOTÆ.

560. *Dominæ*] *Philomelæ*, ad quam modò quaſi dominam pertinebat.

568. *Inane*] Cadavere vacuum, quod Græci κενοτάφιον, Latini *Tumulum Honorarium* vocant, quale ad eorum manes qui peregrè interîerant placandos, tranſitumque Stygium impetrandum, ſolebant extruere.

569. *Falſis*] Quia nondum mortua erat Philomela.

570. *Non ſic*] Quia potiùs erat ulciſcenda.

Signa Deus bis sex acto lustraverat anno.
Quid faciat Philomela? fugam custodia claudit:
Structa rigent solido stabulorum mœnia saxo:
Os mutum facti caret indice. Grande dolori
Ingenium est: miserisque venit solertia rebus.
Stamina barbaricâ suspendit callida telâ:
Purpureasque notas filis intexuit albis,
Indicium sceleris: perfectaque tradidit uni:
Utque ferat dominæ, gestu rogat. Illa rogata
Pertulit ad Prognen: nec scit quid tradat in illis.
Evolvit vestes sævi matrona tyranni:
Germanæque suæ carmen miserabile legit;
Et (mirum potuisse!) silet. Dolor ora repressit:
Verbaque quærenti fatis indignantia linguæ
Defuerant: nec flere vacat. Sed fasque nefasque
Confusura ruit: pœnæque in imagine tota est.
Tempus erat, quo sacra solent Trieterica Bacchi
Sithoniæ celebrare nurus. Nox conscia sacris.
Nocte sonat Rhodope tinnitibus æris acuti:
Nocte suâ est egressa domo regina: Deique
Ritibus instruitur, furialiaque accipit arma.
Vita caput tegitur: lateri cervina siniſtro
Vellera dependent: humero levis incubat hasta.
Concita per silvas, turbâ comitante suarum,
Terribilis Progne, furiisque agitata doloris,
Bacche, tuas simulat. Venit ad stabula avia tandem:
Exululatque, Evoëque sonat, portasque refringit:

Apollo Deus Lucis percurrerat duodecim signa exacto anno. Quid facere posset Philomela? Custodes obstant effugio; muri stabulorum alte sunt edificati duris lapidibus: os mutum sceleris indicare non potest. Magna sagacitas oritur ex anxietate: & calliditas adest rebus afflictis. Illa astuta telæ barbaricæ inseruit licia, & implicuit rubras literas filis candidis, indicium facinoris; & postquam absoluta essent, dedit uni ex ancillis, & precatur gestis ut portet ad dominam. Illa portavit ad Prognen quæ rogata fuerat portare, neque novit quid afferat in illis. Conjux crudelis tyranni explicat telam, & legit literas luctuosas suæ sororis, & (mirum potuisse eam tacere) tacet: dolor occlusit os; & voces satis infensæ destituerunt linguam quærentem: neque spatium datur lugendi. Sed perturbatura omne fas & nefas prorumpit; & tota versatur in imaginatione supplicii quo maritum afficiat. Tempus erat quo mulieres Thraciæ consuverunt celebrare sacra Trieterica Bacchi. Nox conscia sacris. Rhodope fremit nocte tinnitibus æris acutè sonantis: regina egressa domo suâ nocte: & ornatur more Bacchantium; & sumit arma furialia. Caput obducitur pampinis: pellis cervina pendet à lævo latere; hasta levis imponitur humero. Progne furens per silvas, agmine comitante suarum, terribilis, & impulsa furiis iræ, imitatur tuas furias, Bacche: Pervenit denique ad stabula devia: atque exululat, Evoëque perstrepit, & proterit portas:

NOTÆ.

571. *Lustraverat*] *Irradiaverat, aut circumierat.*

576. *Barbaricâ*] Telam Phrygio more texuisse dicit, quâ fati sui iniquitatem perscripserit.

581. *Vestes*] A Philomelâ missas.

582. *Carmen*] Narrationem indicium.

583. *Mirum potuisse*] Siquidem fœmina, & vehementer dolens.

Ib. *Dolor*] Quia maximus, quique ad certam vindictam attentus.

587. *Trieterica*] Festa Græcè *à tribus annis* dicta, tertio quoque anno, in triennalis expeditionis memoriam, quam in Indiam Bacchus suscepit.

588. *Sithoniæ*] Thraciæ; nam Sithonia pars est Thraciæ.

Ib. *Nox conscia*] Quia sacra Bacchi nocte solebant celebrari.

589. *Rhodope*] Mons Thraciæ.

Ib. *Æris acuti*] Id est, tympanorum ex ære acutè sonantium, quibus insanientes etiam utebantur.

593. *Vellera*] Nebrides dicit, seu damarum aut cervorum pelles, quas in Bacchi sacris adhibebant.

Ib. *Hasta*] Thyrsum dicit, quod gestamen erat Bacchantium, hasta pampinis vel hederâ involuta.

597. *Evoëque*] Vide suprà, lib. IV. v. 522.

Germa-

Germanamque rapit: raptæque insignia Bacchi
Induit: & vultus hederarum frondibus abdit:
Attonitamque trahens intra sua limina ducit.
Ut sensit tetigisse domum Philomela nefandam,
Horruit infelix: totoque expalluit ore.
Nacta locum Progne, sacrorum pignora demit,
Oraque develat miseræ pudibunda sororis:
Amplexuque petit. Sed non attollere contrà
Sustinet hæc oculos; pellex sibi visa sororis:
Dejectoque in humum vultu, jurare volenti,
Testarique Deos, per vim sibi dedecus illud
Illatum, pro voce manus fuit. Ardet & iram
Non capit ipsa suam Progne, fletumque sororis
Corripiens, Non est lacrymis hîc, inquit, agendum,
Sed ferro: sed si quid habes, quod vincere ferrum
Possit. In omne nefas ego me, germana, paravi.
Aut ego, cum facibus regalia tecta cremâro,
Artificem mediis immittam Terea flammis:
Aut linguam, aut oculos, aut quæ tibi membra pudo-
Abstulerunt, ferro rapiam: aut per vulnera mille [rem
Sontem animam expellam. Magnum quodcunq; paravi:
Quid sit, adhuc dubito. Peragit dum talia Progne,
Ad matrem veniebat Itys. Quid possit, ab illo
Admonita est: oculisque tuens immitibus, Ah quàm
Es similis patri! dixit. Nec plura locuta,
Triste parat facinus; tacitâque exæstuat irâ.
Ut tamen accessit natus, matrique salutem
Attulit, & parvis adduxit colla lacertis,
Missaque blanditiis puerilibus oscula junxit:
Mota quidem est genitrix, infractaque constitit ira:
Invitique oculi lacrymis maduêre coactis.
Sed simul ex nimiâ matrem pietate labare

& aufert sororem, & aptat ablatæ habitus Bacchi, & tegit faciem foliis hederarum, & ducens stupefactam trahit ad domum suam. Cùm misera Philomela advertit se intrâsse domum scelestam horrore extimuit, & expalluit toto vultu. Progne adepta locum secretum, *deponit ornamenta sacrificiorum, & aperit vultus verecundos infelicis sororis; & illam amplectitur. Verùm hæc non audet contrà erigere oculos, cùm sibi visa esset adultera sororis: atque facie in terram demissâ, cùm vellet jurare & Deos in testimonium vocare, illud opprobrium sibi oblatum fuisse per vim, manu* illud significat quod *voce* indicare non poterat. *Progne ipsa æstuat, neque continet iram suam, & reprehendens lacrymas sororis: non, ait, hic est faciendum fletibus sed ferro, sed si quid habes quod possit superare ferrum. O soror! ego me instituí ad omne nefas* perpetrandum. *Aut postquam ego incendero domum regiam tædis, injiciam perfidum Tereum in medios ignes: aut exsecabo cultro linguam, aut oculos, aut membra quæ tibi rapuerunt pudicitiam; aut exturbabo* corpore *animam scelestam per mille plagas. Quodcunque instituí magnum est*; *nescio* tamen *adhuc quale fit* futurum. *Dum Progne talia exequitur, Itys properabat ad matrem: docta est ab illo* malo *quo posset* Tereum afficere: *atque* illum *adspiciens torvis oculis, Ah, inquit, quàm similis es genitori; nec plura locuta luctuosum factum meditatur, & exardet secretâ irâ. Postquam tamen filius adiit, atque matrem salutavit, & implicuit collo parva brachia, & dedit suavia juncta adulationibus puerilibus, mater tacta est quidem, & ira imminuta est: atque oculi cœpti humidi facti sunt lacrymis* obortis. *Sed cùm primùm ex nimio amore* se *genitricem* ad misericordiam flecti

NOTÆ.

603. *Pignora*] Hederâs, cervinas pelles, hastam.

615. *Artificem*] Auctorem & nefandi incestûs actorem.

618. *Magnum*] *Supplicium scilicet, vel malum.*

619. *Quid sit*] Nondum decrevi, quo malo Tereum affectura sim.

Ib. *Peragit talia*] Dum talia loquitur, & minatur.

620. *Ab illo*] Quia illo præsente, eundem in dapibus patri apponendum Progne excogitavit.

627. *Infractaque constitit ira*] Hoc est, ira quam conceperat in filium Progne, ipsius blanditiis *infracta*, i. e. penitùs, aut multùm fracta.

629. *Matrem*] *Matrem* hic pro *affectu materno* Prognes ponit poëta.

advèrtit: rursus deflexit oculos à filio ad faciem sororis: & intuens ambos alternis vocibus, quamobrem, ait, unus me demulcet blandimentis, altera tacet sublatâ linguâ? Quamobrem illa non appellat germanam quam hic dicit genitricem? Cogitâ, ô filia Pandionis, cui viro sis nupta. Desciscis à pristinâ claritate. *Scelus est pietate* uti *in maritum Tereum. Et sine omni cunctatione, corripuit Ityn; veluti cùm tigris Gangetica* rapit *fœtum lactentem cervæ per obscuras silvas. Cùmque essent in vastæ domûs parte secretiore. Progne percutit gladio* puerum *porrigentem manus, & jam cognoscentem suam mortem, & jam vociferantem: Eja genitrix; & insilientem in collum;* percutit eum *quâ parte pectus committitur lateri. Neque deturquet oculos. Unus ictus satis erat illi ad necem: Philomela aperit ejus jugulum gladio. Atque discerpunt artus adhuc vivos, & habentes adhuc aliquid animæ. Pars ejus fervet in amplis cacabis; pars crepitat in verubus: pars domûs secreta infecta est sanie. Conjux admovet his mensis Tereum* cœdis filii *nescium; cùmque simulâsset sacrificium ritu patrio, ad quos sit fas soli marito accedere, amandavit comites & servos. Ipsa Tereus positus in excelso atque in solio avito epulatur, & demittit in suum ventrem filium suum. Et tanta erat cæcitas mentis, Adducite huc Ityn, inquit. Progne nequit occultare inhumanam lætitiam; & jam exoptans esse nuncia exitii à se facti, Habes, inquit, intra* teipsum *quod petis. Ille oculos versat in omnes partes & petit ubi sit. Cùm illum quæreret, atque citaret, Philomela, sicut habuit crines solutos nefandâ cæde, prorupit, & jecit caput sanguinolentum Ityos in faciem genitoris: neque unquam magis optavit posse fari, atque indicare lætitiam dignâ oratione. Tereus* Rex *Thracius evertit mensas magno clamore,*

Sensit: ab hoc iterum est ad vultus versa sororis; 630
Inque vicem spectans ambos, Cur, admovet, inquit,
Alter blanditias; raptâ silet altera linguâ;
Quam vocat hic matrem, cur non vocat illa sororem?
Cui sis nupta vide, Pandione nata, marito.
Degeneras. Scelus est pietas in conjuge Tereo. 635
Nec mora: traxit Ityn: veluti Gangetica cervæ
Lactentem fœtum per silvas tigris opacas.
Utque domûs altæ partem tenuêre remotam;
Tendentemque manus, & jam sua fata videntem,
Eja, & jam, mater, clamantem, & colla petentem
Ense ferit Progne, lateri quà pectus adhæret: 641
Nec vultum avertit. Satìs illi ad fata vel unum
Vulnus erat; jugulum ferro Philomela resolvit.
Vivaque adhuc, animæq; aliquid retinentia membra
Dilaniant. Pars inde cavis exsultat ahenis: 645
Pars verubus stridet: manant penetralia tabo.
His adhibet conjux ignarum Terea mensis:
Et patrii moris sacrum mentita, quod uni
Fas sit adire viro, comites, famulosque removit.
Ipse sedens solio Tereus sublimis avito 650
Vescitur: inque suam sua viscera congerit alvum.
Tantaque nox animi est, Ityn huc arcessite, dixit.
Dissimulare nequit crudelia gaudia Progne:
Jamque suæ cupiens exsistere nuncia cladis,
Intus habes, quod poscis, ait. Circumspicit ille, 655
Atque ubi sit, quærit. Quærenti, iterûmque vocanti,
Sicut erat sparsis furiali cæde capillis,
Prosiliît, Ityosque caput Philomela cruentum
Misit in ora patris: nec tempore maluit ullo
Posse loqui, & meritis testari gaudia dictis. 660
Thracius ingenti mensas clamore repellit,

NOTÆ.

634. *Cui sis*] Seipsam alloquitur. *Ego sum nata à Pandione viro generosissimo, omnique virtute prædito rege: nupta tamen conjugi turpissimo.*

635. *Degeneras*] *A tuis degeneras, si tantum scelus inultum patiaris:* hoc ideo dicit; quòd materno affectu sese ab ulciscendâ injuriâ revocari sentiret.

636. *Gangetica*] Indica, à Gange maximo Indiæ fluvio.

648. *Patrii*] Athenienses.

660. *Meritis*] *Appositis, convenientibus* ei quæ tantum gaudium seu vindictæ solatium expoſceret.

Vipe-

Vipereasque ciet Stygiâ de valle sorores;
Et modò, si possit, reserato pectore diras
Egerere inde dapes, semesaque viscera gestit.
Flet modò, seque vocat bustum miserabile nati: 665
Nunc sequitur nudo genitas Pandione ferro.
Corpora Cecropidum pennis pendere putares;
Pendebant pennis. Quarum petit altera silvas:
Altera tecta subit. Neque adhuc de pectore cædis
Excessere notæ; signataque sanguine pluma est. 670
Ille dolore suo, pœnæque cupidine velox,
Vertitur in volucrem; cui stant in vertice cristæ:
Prominet immodicum pro longâ cuspide rostrum.
Nomen Epops volucri: facies armata videtur.
Hic dolor ante diem longæque extrema senectæ 675
Tempora Tartareas Pandiona misit ad umbras.

IX. Sceptra loci, rerumque capit moderamen Erechtheus;
Justitiâ dubium, validisne potentior armis.
Quatuor ille quidem juvenes, totidemque creârat
Fœmineæ sortis; sed erat par forma duarum. 680
E quibus Æolides Cephalus te conjuge felix,
Procri, fuit: Boreæ Tereus, Thracesque nocebant:
Dilectâque diu caruit Deus Orithyïâ,
Dum rogat, & precibus mavult quàm viribus uti.

atque vocat sorores vipereas de valle infernâ; & nititur, modò ut possit, evomere ex aperto pectore cibos, & viscera dimidiâ parte comesa. Nunc luget, & se appellat triste sepulcrum filii, nunc persequitur stricto ense filias Pandionis. Arbitrares harum corpora tolli pennis: & revera sublata erant pennis: quarum una it in nemora: altera se recipit in domicilia. Neque adhuc signa necis abierunt à pectore, & pluma est maculata cruore. Ille celer suâ irâ, & desiderio vindictæ mutatur in avem; in cujus summo capite cristæ eminent. Rostrum nimiùm extenditur vice longi mucronis, quo fugientes sequebatur. *Avis vocatur Upupa: vultus videtur armis instructus. Hæc ærumna deturbavit Pandionem ad Manes inferos ante tempus & ultimos dies productæ senectutis.*

VIII. *Erechtheus sumit imperium loci, & regni gubernationem*; atque *incertum est* fueritne *major æquitate, an armis potentibus. Ille quidem genuerat quatuor mares & totidem conditionis fœmineæ: sed pulcritudo duarum erat æqualis: è quibus Cephalus Æolides fuit beatus te uxore, Procri: Tereus & Thraces oberant Boreæ*; & hic *Deus desideravit amatam Orithyïam, dum orat, & satiùs credit orare quàm vim facere.*

NOTÆ.

662. *Vipereas*] Furias vocat Tereus, quas antea colubris, capillorum loco, horridas vidimus.

664. *Viscera*] Ityn dicit: Sunt namque nati parentum *viscera*.

667. *Cecropidum*] *Athenienſium*, Prognes & Philomelæ.

Ib. *Pennis*] Ita velociter à Tereo fugerunt ut volare crederes.

668. *Altera silvas*] Philomela in luscíniam mutata.

669. *Altera tecta*] Progne in hirundinem transfigurata.

672. *Volucrem*] Upupam, quæ à Græcis *Epops* dicitur; quam quidem Terei Tempore primò in Daulide, & quidem in Terei tumulo visam scriptitârunt.

674. *Armata*] Ita pennæ circa oculos sunt dispositæ, ut eos *galea* ferè habere videatur.

677. *Erechtheus*] Qui rex fuit Athenis ante Pandionem posteriorem, Prognes & Philomelæ patrem: ut regum Athenienſium seriem turbâsse poëta videatur, quam Pausanias & Eusebius tradiderunt. Ita enim illa se habet. *Actæus*, ut nonnullis placet, primus Atticam tenuit, deinde *Cecrops, Cranaus, Amphictyon, Erichthonius, Pandion, Erechtheus, Cecrops* II. *Pandion* II. *Ægeus* Thesei pater.

680. *Duarum*] Procris & Orithyïæ.

681. *Æolides*] Cephalus erat filius Deioneï cui pater fuit Æolus, juxta Pausaniam; Deionei gener juxta Strabonem, lib. XX.

682. *Boreæ*] Hoc est facinus recens Terei, & Thracum nota fævitia nocebant Boreæ (qui Thrax, & Strymonis fl. filius,) Orithyïæ nuptias ambienti.

Ast

At poſtquam nihil profecerat lenibus verbis, terribilis indignatione, quæ familiaris eſt & nimiùm frequens illi vento; & jure, inquit, quamobrem enim omiſi mea arma, feritatem, & potentiam, & iram, & ſpiritus minaces atque adhibui blandas voces, quibus mihi turpe eſt uti? Violentia me decet; fugo per vim opacas nubes; commoveo mare pervim, & dejicio nodoſas quercus, & facio duras nives, & verbero tellurem grandine. Ego idem, cùm incurri in fratres in aëre patente, nam is mihi eſt campus, tantis viribus certo, ut aër medius perſonet noſtris certaminibus, & flammæ erumpant eliſæ ex amplis nubibus. Ego idem cùm intravi cavas ſpeluncas terræ & turbidus ſubmiſi meum dorſum infimis antris, perterrefacio Umbras & totum mundum. Oportuit me ambire nuptias his auxiliis; & Erechtheus erat parandus ſocer per vim, non rogandus. Poſtquam Boreas hæc dixiſſet; aut non minora iſtis, agitavit pennas, quarum motibus tota terra eſt agitata, &

Aſt ubi blanditiis agitur nihil, horridus irâ,
Quæ ſolita eſt illi nimiúmque domeſtica vento;
Et meritò, dixit: quid enim mea tela reliqui,
Sævitiam, & vires, iramque, animoſque minaces,
Admovique preces; quarum me dedecet uſus?
Apta mihi vis eſt: Vi triſtia nubila pello:
Vi freta concutio, nodoſaque robora verto,
Induroque nives, & terras grandine pulſo.
Idem ego cùm fratres cœlo ſum nactus aperto,
(Nam mihi campus is eſt) tanto molimine luctor,
Ut medius noſtris concurſibus intonet æther;
Exiliantque cavis eliſi nubibus ignes.
Idem ego, cùm ſubii convexa foramina terræ,
Suppoluſque ferox imis mea terga cavernis;
Sollicito manes, totumque tremoribus orbem.
Hâc ope debueram thalamos petiiſſe: ſocerque
Non orandus erat, ſed vi faciendus Erechtheus.
Hæc Boreas, aut his non inferiora locutus,
Exeuſſit pennas: quarum jactatibus omnis
Afflata eſt tellus; latumque perhorruit æquor.
Pulvereamque trahens per ſumma cacumina pallam,
Verrit humum, pavidamque metu caligine tectus
Orithyïan amans fulvis amplectitur alis.
Dum volat, arſerunt agitati fortiùs ignes.
Nec priùs aërii curſûs ſuppreſſit habenas,
Quam Ciconum tenuit populos, & mœnia, raptor.
Illîc & gelidi conjux Actæa tyranni,

atque ducens pallam pulverulentam per ſuprema faſtigia, radit terram, & obductus tenebris amans comprehendit nigris alis Orithyïam timore exſanguem. Dum volat, amor concuſſus validiùs æſtuavit; neque antè præ dolore traxit aut cohibuit curſum aërium, quàm pervenerat ad populos & muros Ciconum. Ibi & Athenienſis uxor Borcæ frigidi tyranni

NOTÆ.

687. *Et meritò*] *Dilecta*, ſupple, *careo Orithyia.* Sed terribilis & indignantis venti impetum oportuit præcipiti illâ oratione exprimere.

694. *Campus*] *In aëre libero campus meus eſt, in quo pro arbitrio volito ac diſcurro.*

695. *Intonet*] Ex phyſicorum mente, qui ex colliſione nubium tonitru aiunt commoveri, fulmina emitti.

696. *Eliſi*] Excuſſi è nubibus, earum explosione.

697. *Idem ego*] Hoc etiam ex eorum ſententiâ: volunt enim terræ motus fieri per ventos in cavernis terræ clauſos, unde ſine magno impetu exire non poſſint.

697. *Convexa*] Pro *concava*, ut paſſim apud poëtas: *convexus* enim propriè de exteriore globi rotunditate dicitur: *concavus* de interiore.

703. *Pennas*] Quas ventis affigere ob celerem motum placet poëtis.

705. *Pulveream*] Eleganter, & ex naturâ ficci venti: unde Boreas vocatur *Scopæ viarum*, & verſu ſequenti *verrit humum.*

710. *Ciconum*] Qui populi ſunt Thraciæ, juxta Hebrum.

711. *Actæa*] Athenienſis Orithyïa.

Et

Et genitrix facta eſt: partus enixa gemellos;
Cætera qui matris, pennas genitoris haberent.
Non tamen has unà memorant cum corpore natas:
Barbaque dum rutilis aberat ſubnixa capillis,
Implumes Calaïſque puer, Zetheſque fuerunt.
Mox pariter ritu pennæ cœpêre volucrum
Cingere utrumque latus; pariter flaveſcere malæ.
Ergo, ubi conceſſit tempus puerile juventæ,
Vellera cum Minyis nitido radiantia villo
Per mare non motum primâ petiêre carinâ.

& mater facta eſt; cum emiſiſſet gemellos, qui habebant pennas patris, reliqua matris. Dicunt tamen has pennas *non fuiſſe ortas ſimul cum corpore: & Calais & Zethes fuerunt implumes, dum barba prolixa rubicundæ comæ deerat. Mox pennæ cœperunt ſimul tegere utrumque latus in modum avium, & malæ ſimul flaveſcere. Ergo ubi ætas puerilis locum dedit juventuti, iverunt primâ navi cum Minyis ad vellera petenda fulgentia ſplendente lanâ, per mare non* priùs *agitatum.*

NOTÆ.

712. *Gemellos*] Calain & Zethen.

720. *Vellera*] De aureo illo arietis vellere loquitur, qui Phryxum in Colchos portavit; quod ille, immolato ariete, in luco Martis ſuſpendit; Argonautæ, Jaſone duce, ſurripuerunt. De quibus deinceps.

Ib. *Minyis*] Argonautas dicit, qui à Minyis, omnium præſtantiſſimis, id nomen habuerunt. Fuerunt autem Minyæ Theſſaliæ populi, quibus Minyas, Orchomeni fluvii filius, nomen impoſuit.

721. *Per mare*] Pelias, quò ſibi retineret Theſſaliæ regnum, quod tutelæ ſuæ commiſſum fuerat Æſone patre Jaſonis ſub hâc fide, ut reſtitueretur Jaſoni adulto; ſimul oraculo montis, ut ſibi caveret ab Æolidis, ùm ex his multos de medio ſuſtuliſſet, neque idem in Jaſone liceret, ſub prætextu ſpecioſo immortalis gloriæ ex repetito vellere aureo, quod Phryxus in Colchidem portaverat, in certum mortis diſcrimen illum mandavit qui tamen victor rediit. Iſ. Tzetzes ad Lycophronem ibi: τῆς ξεινοβάκχης ἐν τοῖ Οἰνώνης φύγας.

Ib. *Non motum*] Quia primam longam navem fuiſſe volunt Argo, quam Argos quidam à nonnullis dicitur texuiſſe, qui illi nomen impoſuit. Quanquam alii aliter; non primam, ne quidem apud Græcos voluerunt multi: plures denique ad expeditionem Colchicam profectas non pauci arbitrantur.

P. Ovidii Nasonis
METAMORPHOSEON
LIBER VII.

ARGUMENTUM.

POſtquam Jaſon domum cum Medeâ rediit, Æſoni ſocero ſuo illa juventutem reddidit. Eandemque & Peliæ pollicita, præmiſſo arietis in agnum tranſmutati ſpecimine, dolo eum occidit. Inde per varia loca multis inſignia transformationibus delata, poſt occiſos liberos, Ægeo nupſit. Contra hunc poſtea bellum movit Minos, collectis undique copiis; ut & è Paro. Æacus verò ab Ægeo ſtetit, & ad eum Myrmidones ſuos, è formicis ortos, auxilio miſit, duce Cephalo; qui aliquando uxorem ſuam, mutatâ ſibi formâ, in adulterium pellexerat, canemque ſuum ſimul cum vulpe in ſaxa converti viderat.

INTERPRETATIO.

1. *Et jam Minyæ ſulcabant mare navi Pagaſæâ; & Phineus viſus erat agens miſeram ſenectutem in cæcitate continuâ; & juvenes Boreâ ſati abegerant aves virgineas ab ore infelicis ſenis;*

JAmque fretum Minyæ Pagaſæâ puppe ſecabant,
Perpetuâque trahens inopem ſub nocte ſenectam
Phineus viſus erat; juveneſque Aquilone creati
Virgineas volucres miſeri ſenis ore fugârant;

NOTÆ.

1. *Minyæ*] Argonautæ; vide verſ. 720. libri ſuperioris.

Ib. *Pagaſæâ*] Argo eſt à Pagaſis Theſſaliæ urbe, non procul à Pelio monte, juxta quam fabricata eſt navis ſic dicta.

2. *Perpetuâ ſub nocte*] Quia occæcatus; hæc eſt enim Phinei fabula. Agenoris ſeu Phœnicis fuit filius, rex Arcadiæ, vel potiùs Thraciæ, qui Cleopatrâ, Boreæ filiâ, in uxorem ſumptâ, duos quos ex eâ ſuſceperat filios Harpalices vel Ideæ ſuperinductæ novercæ conſilio, oculis privavit, quamobrem à diis eo ſupplicio, affectus, ut cæcus ipſe harpyïas aſſiduas haberet ſceleris vindices, quæ menſam deprædarentur. Argonautas verò cùm benignè accepiſſet, tanto malo ab illis liberatus eſt; quippe qui adverſus harpyïas Calain & Zethen alatos fratres immiſerunt, à quibus uſque ad Strophadas inſulas profugatæ ſunt.

3. *Juvenes*] Calain dicit & Zethen, quos Boreâ ſatos antè diximus.

4. *Virgineas*] Harpyïas dicit, quæ vultu virgineo, auribus urſinis, corpore vulturino, manibus uncis, volatiles fictæ, Ponti ac Terræ filiæ. Vide Virg. Æn. v. 212.

Multaque

Multaque perpeſſi claro ſub Iäſone, tandem
Contigerant rapidas limoſi Phaſidos undas.
Dumque adeunt regem, Phryxeaque vellera poſcunt;
Lexque datur numeris magnorum horrenda laborum:
Concipit interea validos Æëtias ignes,
Et luctata diu, poſtquam ratione furorem
Vincere non poterat: Fruſtrà, Medea, repugnas,
Neſcio quis Deus obſtat, ait. Mirumque, niſi hoc eſt,
Aut aliquid certè ſimile huic, quod amare vocatur.
Nam cur juſſa patris nimiùm mihi dura videntur?
Sunt quoque dura nimis. Cur, quem modò denique vidi,
Ne pereat, timeo? quæ tanti cauſa timoris?
Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes, infelix. Si poſſem, ſanior eſſem.
Sed trahit invitam nova vis; aliudque Cupido,
Mens aliud ſuadet. Video meliora, proboque;
Deteriora ſequor: Quid in hoſpite, regia virgo,
Ureris? & thalamos alieni concipis orbis?
Hæc quoque terra poteſt, quod ames, dare. Vivat, an ille
Occidat, in Diîs eſt. Vivat tamen; idque precari
Vel ſine amore licet. Quid enim commiſit Iäſon?
Quam niſi crudelem non tangat Iäſonis ætas,
Et genus, & virtus? quam non, ut cætera deſint,

& perpeſſi plurima ſub illuſtri Jaſone, appulerant denique ad fluctus impetuoſos lutulenti Phaſidis. Et dum inviſunt regem, atque petunt pellem Phryxi, & conditio tremenda proponitur numero ingentium certaminum, interea Æëtias admittit violentum amorem: Et poſtquam diu reſtitiſſet, neque poſſet ſuperare amoris æſtum ratione; Necquicquam, dicit, reſiſtis, Medea, neſcio quis Deus prohibet: mirumque niſi hoc eſt quod appellatur amare, aut certè aliquid ſimile huic. Nam quamobrem mandata parentis mihi videntur nimiùm aſpera? Sunt etiam nimiùm aſpera. Quamobrem metuo, ne is, quem modò denique ſum intuita, occidat? quæ cauſa tanti metûs? Miſera expelle ignes ferventes corde virgineo, ſi queas. Siquidem liceret, ſapientior eſſem. Sed vis nova rapit nolentem; atque amor aliud inſinuat, ratio aliud: Video potiora, atque iis aſſentior, in pejora ruo. Quamobrem ardes in advenâ, puella regia; atque cupis nuptias peregrinæ regionis? Hæc quoque regio poteſt dare quod diligas. Penes Deos eſt, an ille vivat, an intereat. Vivat nihilominus; atque licet id orare ſine amore. Nam quid patravit Jaſon? quam niſi immitem non moveat juventus Jaſonis, & nobilitas, & virtus? quam non poſſit tangere ejus elegantia,

NOTÆ.

5. *Jaſone*] Qui Argonautarum dux, Æſonis filius. Adi notas in verſ. 721, libri ſuperioris.

6. *Phaſidos*] Phaſis fluvius eſt Colchidis.

7. *Regem*] Æëten Medeæ patrem.

Ib. *Phryxeaque*] Pellem dicit arietis, quo Phryxus in Colchos vectus; quem quidem arietem pædagogum fuiſſe nomine *Crium*, Latinè Arietem nonnulli: Alii navem volunt fuiſſe, cujus in prorâ inſigne Aries. Phryxum quod attinet: Athamantis fuit & Nepheles filius, cui per multas ambages cùm Ino, ſuperinductâ noverca, inſidias ſtrueret, mater arietem vellere aureo Neptuno & Theophane natum, ut nonnullis placet, tradidit, quo per æëra unà cum ſorore Helle aſportaretur. Atque ille quidem incolumis in Colchicam terram pervenit, ſorore tamen amiſsâ, quæ periculi magnitudine exterrita in mare decidit, quod ab eâ *Helleſpontus* dictum.

8. *Numeris laborum*] Plurimos ſuperandos eſſe labores, priuſquam vellus aureum deriperet. Æëta Jaſoni, illud poſcenti, reſponderat.

9. *Concipit*] Juno & Pallas de Jaſone ſollicitæ, propter certamina tam periculoſa illi ab Æëtâ propoſita, Veneri perſuaſerunt, ut Cupidinem ad Medeam mitteret, qui Jaſonis amore ipſam inflammaret.

Ib. *Æëtias*] Medea eſt Æëtæ filia, quæ amore flagrans, quo conſilio pericula vitare poſſet, Jaſonem perdocuit.

19. *Nova vis*] Magna amoris potentia mihi nunquam antehac experta.

Forma movere poteſt? certè mea pectora movit.
At, niſi opem tulero, taurorum afflabitur ore:
Concurretque ſuæ ſegeti, tellure creatis
Hoſtibus: aut avido dabitur fera præda draconi.
Hoc ego ſi patiar, tum me de tigride natam,
Tum ferrum & ſcopulos geſtare in corde fatebor.
Cur non & ſpecto pereuntem? oculoſque videndo
Conſcelero? cur non tauros exhortor in illum,
Terrigenaſque feros, inſopitumque draconem?
Dî meliora velint. Quanquam non iſta precanda,
Sed facienda mihi. Prodamne ego regna parentis,
Atque ope neſcio quis ſervabitur advena noſtrâ,
Ut, per me ſoſpes, ſine me det lintea ventis,
Virque ſit alterius; pœnæ Medea relinquar?
Si facere hoc, aliamve poteſt præponere nobis,
Occidat ingratus. Sed non is vultus in illo,
Non ea nobilitas animo eſt, ea gratia formæ,
Ut timeam fraudem, meritique oblivia noſtri.
Et dabit antè fidem: cogamque in fœdera teſtes
Eſſe Deos. Quid tuta times? accingere; & omnem
Pelle moram. Tibi ſe ſemper debebit Iaſon,
Te face ſolenni junget ſibi; perque Pelaſgas
Servatrix urbes matrum celebrabere turbâ.
Ergo ego germanam, fratremque, patremque, Deoſq;
Et natale ſolum ventis ablata relinquam?

quanquam reliqua deſiderentur? Certè tetigit meum cor. At, niſi juvero, inficietur ſpiritu taurorum, & dimicabit cum ſuâ ſegete: nempe *cum hoſtibus terrâ genitis; aut objicietur fera præda rapaci draconi. Si ego hoc tulero, tum me agnoſcam ortam ex tigride, & gerere ferrum & ſilices in corde. Quamobrem etiam non video procumbentem, & reos facio oculos ſpectando? Quamobrem non inſtigo tauros adverſus illum, & crudeles homines terrâ genitos, & draconem pervigilem? Dii lætiora concedant. Quanquam non iſta mihi oranda, ſed facienda. Egone verò tradam regna genitoris, & neſcio quis peregrinus incolumis erit noſtro auxilio, ut, per me ſalvus, tamen ſine me navem ſolvat, & ſit maritus alterius,* ego interim *Medea tradar ſupplicio? Si poteſt tale facinus admittere, vel præferre nobis aliam, ingratus pereat. Verùm non ea eſt illius facies, non ea generoſitas in ingenio, aut elegantia pulchritudinis, ut metuam dolum, & contemptum noſtri beneficii. Atque priùs* quam eum juvero, *promittet* me ſibi uxorem futuram; *& vocabo Deos teſtes ad fœdera. Quid metuis cùm ſis certa? Aggredere, & ſubmove omnem cunctationem. Jaſon ſe debebit ſemper tibi, Te ſibi adjunget tædâ ſolemni, & cantaberis à populo per urbes Græcas Servatrix matrum. Ergo ego deſeram ſororem, & fratrem, & patrem, & Deos, & terram patriam avecta ventis?*

NOTÆ.

29. *Taurorum*] Hi erant labores quos Jaſoni Æëta impoſuit, verſ: 8. ut ignivomos boves jugo ſubjiceret; homines armatos è terrâ ortos, & draconem ſuperaret.

30. *Suæ ſegeti*] De armatis hominibus loquitur, qui ex ſatis draconis dentibus exſurgentes, Jaſonis fatoris ſeges dicuntur.

31. *Draconi*] Immanis ille erat & pervigil, qui vellus aureum cuſtodiebat.

34. *Cur non & ſpecto*] Ingenioſiſſimè ſeipſam à crudelitate dehortatur Medea, qui ad uſque crudelitatis metas ultimas pervadit, quibus terreatur.

37. *Quanquam non*] Quaſi dicat, Sed non opus eſt precari me, at Dii hæc avertant infortunia, cùm ipſa poſſim avertere.

38. *Prodamne*] Statim retrahit ſe, & memînit quantum ſcelus ſit patrem & ipſius regnum prodere; deinde in priorem ſententiam iterum iterumque relabitur, huc illuc varie impulſa.

41. *Pœnæ*] Aut dolori, quo afficiar ex illius amore; aut potiùs ſupplicio, quod mihi infliget pater.

49. *Pelaſgas*] *Græcas*; antiqui enim fuerunt Græciæ populi, qui Pelaſgi dicti ſunt, creandi, à Pelaſgo Jovis filio nonnullis denominati, qui & Pelaſgiæ provinciæ infra Macedoniam nomen dederunt.

51. *Germanam*] Chalciopen, quæ Phryxo nupſerat.

Ib. *Fratrem*] Abſyrtum.

Nempe

Nempe pater sævus, nempe est mea barbara tellus,
Frater adhuc infans: stant mecum vota sororis.
Maximus intra me Deus est. Non magna relinquam;
Magna sequar: titulum servatæ pubis Achivæ,
Notitiamque loci melioris, & oppida, quorum
Hîc quoque fama viget, cultusque, artesque virorum:
Quemque ego cum rebus, quas totus possidet orbis,
Æsonidem mutâtîe velim: quo conjuge felix
Et Dîs cara ferar, & vertice sidera tangam.
Quid, quòd nescio qui mediis concurrere in undis
Dicuntur montes, ratibusque inimica Charibdis
Nunc sorbere fretum, nunc reddere; cinctaque sævis
Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo?
Nempe tenens quod amo, gremioq; in Iasonis hærens,
Per freta longa ferar. Nihil illum amplexa verebor:
Aut, si quid metuam, metuam de conjuge solo.
Conjugiumne vocas, speciosaque nomina culpæ
Imponis, Medea, tuæ? quin aspice quantum
Aggrediare nefas: &, dum licet, effuge crimen.
Dixit: & ante oculos rectum pietasque, pudorque
Constiterant; & victa dabat jam terga Cupido.
Ibat ad antiquas Hecates Perseïdos aras,
Quam nemus umbrosum, secretaq; silva tegebant.
Et jam fortis erat, pulsusque resederat ardor.

Scilicet genitor est terribilis, scilicet mea terra est barbara frater adhuc infans; desideria sororis faciunt mecum. Deus maximus est in me: non deseram magna; sequar magna: laudem liberatæ juventutis Achivæ, & cognitionem terræ humaniores, & urbes, quarum his etiam laus est clara; & cultus, & artes virorum: & Æsonis filium, pro quo ego optarim commutare opes quas universus mundus continet; quo marito dicar beata, & Dîs accepta, & tangam astra capite. Quid si montes, nescio quo, dicuntur congredi in mediis aquis, & Charibdis infensa navibus nunc haurire æquor, nunc egerere; & Scylla vorax circumdata feris canibus latrare in mari Siculo? Nimirum amplectens quod amo, & hærens in sinu Jasonis, vehar per vastum mare: illum tenens nihil timebo; aut si quid vereor, verear de solo marito. At verò hoc appellas connubium, Medea, & obumbras pulchris nominibus crimen tuum? Imò vide quantum scelus incipias, & dum datum, evita crimen. Absolvit: & æquum, & pietas, & pudor hæserant præ oculis; & amor jam discedebat victus. Ibat ad vetera altaria Hecates Perseïdos, quæ silva opaca, & arbores occultæ velabant. Et jam firma erat ad resistendum amorem, *& amor extrusus remissus erat.*

NOTÆ.

54. *Sororis*] Quæ de filiorum salute anxia, quos Argonautæ naufragium passos, cùm in Græciam patrimonii repetendi causâ navigârent, opportunè servaverant, Medeæ sororis implorabat. Atque adeò rationes omnes dissolvit Medea, quæ suo amori officiebant.

55. *Maximus*] Videor mihi à Deo quodam intus moveri, & vehementiùs ad hoc impelli: fortè intelligit deum Cupidinem.

56. *Pubis Achivæ*] Argonautas dicit ex omni juventute Græcâ delectos.

59. *Quem*] Jasonem.

61. *Sidera tangam*] *Tangere sidera* dicuntur, qui sibi felices videntur.

63. *Montes*] Cyaneas dicit seu Symplegades insulas, vel potiùs scopulos, in ipso ponti Euxini ostio, non magno intervallo distantes, qui longè navigantibus modò coïre, modò disjungi videntur.

Ib. *Charybdis*] Gurges est in freto Siculo, obvia quæque absorbens, iterumque removens.

65. *Scylla*] Scopulus est in freto Siculo è regione Charybdis; de quo antè.

74. *Hecates*] Tam multa & tam diversa tradunt de Hecate istâ, ut vix certi quicquam de eâ dici possit. Quidam, cum quibus facit poëta noster, illam Persæ faciunt filiam, quæ Æëtæ patruo, Solis filio nupserit, cui Circen, Medeam, & Absyrtum pepererit; atque eam cum Dianâ, Lunâ, & Proserpinâ confundunt.

Cùm

Cùm aspicit Æsonidem; tum ignis oppressus recanduit. Malæ sunt pudore suffusæ, & erubuit toto vultu. Quemadmodum exigua scintilla, & quæ tecta est sub injecto cinere, solet capere escam ab aurâ; & augeri & mota renovari in antiquos calores; sic jam segnis amor, quem jam credares marcescere, excitatus est formâ præsentis juvenis, postquam aspexit illum. Et fortè filius Æsonis fuit speciosior solito, illâ die. Posses veniam dare amanti. Intuetur, & habet oculos intentos in ejus faciem, quasi nunc primum vidisset: Et arbitratur insana se cernere vultum plusquam humanum; neque deflectit ab illo. Postquam autem cœpit loqui, & manum corripuit, & quatenus hospes fuit petivit opem verbis supplicibus, & pollicitus est lectum: Illa dicit non sine lacrymis prorumpentibus. Quid agam scio, neque, ignorantia illius quod æquum est me fallet, sed amor. Tutus eris auxilio nostro; sospes memineris stare promissis. Ille jurat per sacra Deæ triformis, & divinitatem quæ erat in illo luco, & per parentem soceri futuri intuentem omnia, & per successus suos, & per tanta discrimina.

Cùm videt Æsoniden; extinctaque flamma revixit.
Erubuere genæ; totoque recanduit ore.
Ut solet à ventis alimenta assumere, quæque
Parva sub inductâ latuit scintilla favillâ,
Crescere, & in veteres agitata resurgere vires:
Sic jam lentus amor, jam quem languere putares,
Ut vidit juvenem, specie præsentis inarsit.
Et casu, solito formosior Æsone natus
Illâ luce fuit. Posces ignoscere amanti.
Spectat; & in vultu, veluti nunc denique viso,
Lumina fixa tenet: nec se mortalia demens
Ora videre putat; nec se declinat ab illo.
Ut verò cœpitque loqui, dextramque prehendit;
Hospes & auxilium submissâ voce rogavit,
Promisitque torum: lacrymis ait illa profusis,
Quid faciam video: nec me ignorantia veri
Decipiet, sed amor. Servabere munere nostro:
Servatus promissa dato. Per sacra triformis
Ille Deæ, lucoque foret quod numen in illo,
Perque patrem soceri cernentem cuncta futuri,
Eventusque suos, per tanta pericula jurat.
Creditus, accepit cantatas protinus herbas,
Edidicitque usum; lætusque in tecta recessit.
Postera depulerat stellas Aurora micantes:
Conveniunt populi sacrum Mavortis in arvum;
Consistuntque jugis. Medio Rex ipse resedit
Agmine purpureus, sceptroque insignis eburno.
Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
Æripedes tauri; tectæque vaporibus herbæ
Ardent. Utque solent pleni resonare camini,
Aut ubi terrenâ silices fornace soluti

Verbis suis fidem inveniens continuò accepit gramina incantata & perdoctus est eorum usum; atque hilaris domum rediit. Sequens Aurora disparcrè fecerat sidera radiantia; populi concurrunt in campum sacrum Martis, & hærent in colibus. Rex ipse purpurâ indutus, & conspicuus sceptro eburno, sedit in mediâ turba. Ecce tauri ahenipedes exspirant ignem naribus adamantinis: & gramina afflata incenduntur. Et sicuti camini referti consueverunt strepere, aut cum saxa excocta fornace terrenâ

NOTÆ.

88. *Nec se declinat*] Nec oculos suos ab illo avertit spectando.

94. *Triformis*] Hecaten dicit, quæ cùm una sit, triplex vulgò putatur. Luna in cœlis, Diana in terris, & Hecate inferis; quam etiam triplici capite, equi, canis, & hominis, nonnulli fixerunt. Vide infrà, vers. 194.

96. *Soceri*] Solem dicit Æëtna patrem; quanquam propriè Æëtem ipsum socerum Jason appellare debuisset.

97. *Eventus*] Quos in tantis periculis perinde sibi lætos optat, ut fidem servabit.

101. *In arvum*] Campum dicit Marti sacrum, ubi Æripedes tauri domandi, draconis dentes seminandi, terrigenæ priùs delendi, quàm ad lucum Jason pergeret, & ex fago vellus aureum deriperet.

104. *Adamanteis*] Quas ignis efflatus non posset destruere.

105. *Æripides*] Habentes pedes ex ære, à Vulcano factos.

107. *Silices*] Periphrasis est calcis.

Concipiunt

Concipiunt ignem liquidarum aspergine aquarum:
Pectora sic intus clausas volventia flammas,
Gutturaque uita sonant. Tamen illis Æsone natus
Obvius it. Vertêre truces venientis ad ora
Terribiles vultus, præfixaque cornua ferro;
Pulvereumque solum pede pulsavere trisulco;
Fumificisque locum mugitibus implevêre.
Diriguêre metu Minyæ. Subit ille; nec ignes
Sentit anhelatos: tantum medicamina possunt.
Pendulaque audaci mulcet palearia dextrâ:
Suppositosque jugo pondus grave cogit aratri
Ducere, & insuetum ferro proscindere campum.
Mirantur Colchi; Minyæ clamoribus implent,
Adjiciuntque animos. Galeâ tum sumit ahenâ
Vipereos dentes; & aratos spargit in agros.
Semina mollit humus valido prætincta veneno;
Et crescunt, fiuntque sati nova corpora dentes.
Utque hominis speciem maternâ sumit in alvo,
Perque suos intus numeros componitur infans,
Nec nisi maturus communes exit in auras:
Sic ubi viscerjbus gravidæ telluris imago
Effecta est hominis, fœto consurgit in arvo:
Quodque magis mirum, simul edita concutit arma.
Quos ubi viderunt præacutæ cuspidis hastas
In caput Hæmonii juvenis torquere parantes;
Demisêre metu vultumque, animumque Pelasgi.
Ipsa quoque extimuit, quæ tutum fecerat illum:
Utque peti vidit juvenem tot ab hostibus unum,
Palluit; & subitò sine sanguine frigida sedit.
Neve parum valeant à se data gramina, carmen

æstuant irrigatione aquarum fluentium, sic pectora volventia intus ignes, & fauces ardentes perstrepunt. Nihilominus filius Æsonis obviàm procedit. Tauri truculenti arrexerunt horrendos oculos, & cornua ferro instructa ad vultus venientis: & percusserunt terram pulverulentam pede bifido, & implevcrunt locum mugitibus fumantibus. Minyæ obstupuerunt pavore. Ille accedit, neque tangitur flammis efflatis: tantum valent incantamenta. Atque palpat manu pendentia palearia, & cogit tauros submissos jugo trahere ponderosum vomus aratri, & findere agrum insolitum. Colchi stupent; Minyæ acclamationibus hortantur atque addunt animos. Tum Jason *capit ex galeâ æneâ dentes draconis; & jacit in arvum subactum. Terra emollit semina antè imbuta potenti medicamine; quæ statim augentur; & dentes sparsi mutantur in nova corpora. Et quemadmodum puerulus induit formam hominis in ventre matris, atque fingitur intus per suas* omnes *particulas: neque prodit in aërem publicum nisi maturus; sic ubi absoluta est species hominis in visceribus terræ prægnantis, erigitur in campo fœcundo; & quod magis stupendum* erat, *movet arma unà nata. Quos ubi Græci conspexerunt nitentes jaculari hastas mucrone acuto* præfixas *in caput juvenis Hæmonii, dejecerunt faciem & cor pavore. Ipsa* Medea *etiam quæ illum securum præstiterat, exterrita atque exanimata est, cùm advertit juvenem solum impugnari à tot hostibus: & statim gelida facta est & exsanguis. Et ne herbæ à se oblatæ parum possint, cantat carmen*

NOTÆ.

120. *Colchi*] Scythiæ sunt populi, Ægyptiorum coloni.

Ib. *Implent*] Pro *hortari* hîc & aliis in locis apud poëtas sumitur. Ut Virg. in Æn. 7.

——*Turnus Rutulos animus audacibus implet.*

122. *Vipereos*] Partem dentium serpentis â Cadmo interfecti ad Æetem miserunt Pallas & Mars.

123. *Valido*] Quippe quod armatos homines ex dentibus educeret.

132. *Hæmonii*] Jasonem dicit Thessalum; nam aut ab Hæmo monte Thessaliæ vicino, aut Hæmone Deucalionis filiâ Thessalia *Hæmonia* seu *Æmonia* dicta.

133. *Pelasgi*] Minyæ, Thessali.

opiferum; & acceſſit artes arcanas. Poſtquam ille projeciſſet magnum lapidem in hoſtes medios, convertit in ipſos bellum à ſe ſummotum. Fratres terrâ ſati procumbunt per plagas reciprocas, & intereunt bello ſociali. Græci gratulantur, & amplectuntur victorem, & manent in amplexibus. Tu etiam, barbara Medea, cuperes tenere victorem: Verecundia impedivit incœptum: at amplexa eſſes; ſed cura famæ compeſcuit te, ne faceres. Quod conceditur, gaudes ſecreto amore, & gratias agis incantamentis, & diis auctoribus eorum. Reſtat ſopire graminibus draconem inſopitum, qui quidem criſtâ & tribus linguis conſpicuus, atque acutis dentibus terribilis, cuſtos erat velleris aurei. Poſtquam in hunc injecit herbas ſucci Lethæi, terque protulit voces inducentes quietum ſoporem, quæ poſſint pacare æquor citum, & flumina agitata; ſopor illabitur in oculos ſomni neſcios: & heros Æſonius potitur vellere aureo; atque elatus ſpolio, & ferens ſecum altera ſpolia, auctorem doni, voti compos appulit ad portus Iolciacos cum uxore.

Auxiliare canit; ſecretaſque advocat artes.
Ille, gravem medios ſilicem jaculatus in hoſtes,
A ſe depulſum Martem convertit in ipſos.
Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres;
Civilique cadunt acie. Gratantur Achivi:
Victoremque tenent; avidiſque amplexibus hærent.
Tu quoque victorem complecti, barbara, velles;
Obſtitit incepto pudor; at complexa fuiſſes:
Sed te, ne faceres, tenuit reverentia famæ.
Quod licet, affectu tacito lætaris: agiſque
Carminibus grates, & Diis auctoribus horum.
Pervigilem ſupereſt herbis ſopire draconem.
Qui criſtâ linguiſque tribus præſignis, & uncis
Dentibus horrendus, cuſtos erat arietis aurei.
Hunc poſtquam ſparſit Lethæi gramine ſucci;
Verbaque ter dixit placidos facientia ſomnos,
Quæ mare turbatum, quæ concita flumina ſiſtant:
Somnus in ignotos oculos ſubrepit: & auro
Heros Æſonius potitur: ſpolioque ſuperbus,
Muneris auctorem ſecum ſpolia altera portans,
Victor Iolciacos tetigit cum conjuge portus.

II. Hæmoniæ matres pro natis dona receptis,
Grandævique ferunt patres; congeſtaque flammâ
Thura liquefiunt, inductaque cornibus aurum
Victima vota cadit. Sed abeſt gratantibus Æſon,
Jam propior leto, feſſuſque ſenilibus annis.
Cùm ſic Æſonides: O cui debere ſalutem
Confiteor, conjux, quanquam mihi cuncta deciſti,
Exceſſitque fidem meritorum ſumma tuorum;

II. *Matres Hæmoniæ, & patres ætate provecti* ad templa *portant munera pro filiis receptis, & thura cumulata liquefcunt in igne, & victima devota habens cornua illita auro mactatur. Sed Æſon jam vicinior morti, & confectus ſenio deeſt gratulantibus: Cùm ita Æſonides,* ait, *O uxor, cui agnoſco me debere ſalutem, tametſi mihi omnia indulſiſti, & numerus tuorum beneficiorum ſuperat fidem:*

NOTÆ.

138. *Auxiliare*] Reſervârat ſibi Medea carmen magicum potentiſſimum, quod adjuvandis veneficiis adhiberet. Hoc ab affectu *auxiliare* & *ſecretas artes* optimè vocat poëta.

148. *Diis*] Inferis, Hecatæque imprimis.

150. *Tribus*] Triſulca videtur ſerpentum lingua quia eam celerrimè vibrant.

152. *Lethæi*] Id eſt, oblivionem inducentis, ſomniferi.

155. *Oculos*] Draconis pervigiliis, qui nunquam antea dormire conſueverat.

157. *Muneris auctorem*] Medeam, quæ noctu ad velleris aurei cuſtodes per dolum admiſſa, ſimul Argonautas introduxit, raptoque vellere cum Jaſone aufugit.

158. *Iolciacos*] *Theſſalicos:* Fuit enim Iolcus urbs Theſſaliæ, non longè à mari, Jaſonis patriâ.

161. *Inducta*] De more ſacrorum, in quibus majorum hoſtiarum cornua inaurabantur.

Si

Si tamen hoc possunt; quid enim non carmina possunt?
Deme meis annis, & demptos adde parenti.
Nec tenuit lacrymas. Mota est pietate rogantis:
Dissimilemque animum subiit Æëta relictus.
Non tamen affectus tales confessa: Quod, inquit,
Excidit ore pio, conjux, scelus? ergò ego cuiquam
Posse tuæ videar spatium transcribere vitæ?
Nec sinat hoc Hecate; nec tu petis æqua: sed isto,
Quod petis, experiar majus dare munus, Iäson.
Arte meâ soceri longum tentabimus ævum,
Non annis revocare tuis. Modò Diva triformis
Adjuvet; & præsens ingentibus annuat ausis.
Tres aberant noctes, ut cornua tota coïrent,
Efficerentque orbem; Postquam pleniſſima fulsit,
Ac solidâ terras spectavit imagine Luna;
Egreditur tectis vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos:
Fertque vagos mediæ per muta silentia noctis
Incomitata gradus. Homines, volucresque, feraque
Solverat alta quies: nullo cum murmure sepes,
Immotæque silent frondes; silet humidus aër;
Sidera sola micant: ad quæ sua brachia tendens
Ter se convertit; ter sumtis flumine crinem
Irroravit aquis; ternis ululatibus ora
Solvit: &, in durâ submisso poplite terrâ,
Nox, ait, arcanis fidissima, quæque diurnis
Aurea cum Lunâ succeditis ignibus astra;
Tuque triceps Hecate, quæ cœptis conscia nostris
Adjutrixque venis, cantusque, artesq; magarum;
Quæque magas, Tellus, pollentibus instruis herbis;
Auræque, & venti, montesque, amnesque, lacusque,

si tamen carmina hoc possunt; quid enim carminæ non possunt? tolle de meis annis, & adjice eos sublatos meo patri. Neque compescuit fletus. Tacta est Medea *pietate orantis: &* pater *Æëta, quem deseruit, venit in mentem non simili* affectu motam: *Non tamen agnoscit ejusmodi affectos. Quid, ait, nefas erupit ex ore tuo, marite? Ego igitur credar posse transponere in quemquam tempus vitæ tuæ? Neque Hecate hoc concedat, neque tu poscis justa: Verùm Jason, nitar largiri donum majus isto quod poscis: Enitemur nostrâ scientiâ producere ætatem soceri, non demere ex annis tuis:* Hecate *Dea triformis faveat, & propitia adsit magnis conatibus. Tres decrant noctes, ut cornua integra lunæ concurrerent, & implerent orbem. Postquam pleniſſima splenduit, ac vidit terras totâ formâ, prodit domo* Medea *tecta amictu soluto, nuda uno pede, sparsam habens comam per humeros nudos; & sola dirigit gressus incertos per alta silentia mediæ noctis. Sopor tranquillus tenuerat homines, & aves, & feras: sepes sine omni strepitu, & folia quieta tacent: aër madidus tacet, sola astra splendent: ad quæ porrigens suos lacertos ter se convertit; ter asperſit aquis hausſis ex fluvio comam; ternis clamoribus aperuit os; atque genu posito in solo arido, Nox, inquit, certissima secretis, atque sidera splendida, quæ succenturiata estis luci diurnæ* pariter *cum lunâ, Tuque triceps Hecate, quæ conscia nostris ausis & opifera ades, & incantamenta, & artes magarum, & Terra, quæ illis præbes potentia gramina, & auræ & venti, & montes, & fluvii, & stagna,*

NOTÆ.

171. *Tales*] Quales ex pio Jasonis pectore in patrem erumpebant.

173. *Transcribere*] Metaphora ab iis, qui nomina aut pecuniam aliis creditoribus *transcribunt*.

179. *Tres aberant*] A plenilunio tres aberant dies. Luna autem veneficiorum præses, quæ plena efficaciùs *despumat in herbas*, & largiùs *virus lunare ministrat*, Lucan. 6.

183. *Nuda pedem*] Ex solenni ritu. Magarum Nudipedalia, Nyctelia, & ritus cæteros habes apud Theoc. Idyll. 2. Virg. Ecl. 4. & Æn. 4. aliosque.

Ib. *Nudos*] Legendum potiùs *nudis*.

194. *Triceps*] Cui caput dextrum equinum, sinistrum caninum, medium humanum vel nullum.

& Dî omnes silvarum, & Dii omnes noctis adeste: quorum beneficio, quando libuit fluvii recurrerunt in suas scatarigines, ripis stupentibus; cohibeo maria quæ mota sunt, & cieo quieta carmine, fugo nebulas, & nubes immitto, expello & arcesso ventos, elido vocibus & cantu guttura serpentum, & quatio vivas rupes, & quercus erutas suo solo, & cogo montes trepidare, & terram boare, & umbras prodire ex sepulchris. Duco te etiam, Luna, quamvis æra Temesæa leniant tuos labores. Currus etiam avi pallet nostro carmine; Aurora fit pallida nostris succis. Vos, ô succi, mihi oppressistis ignes taurorum, & coëgistis collum impatiens jugi ferre curvum aratrum. Vos incendistis invicem anguigenas in sæva certamina: & somnum induxistis custodi pervigili, & misistis aurum in urbes Græcas custode eluso. Nunc opus est venenis, per quæ senecta reparata revertatur ad florem ætatis, & denuo sumat primos annos. Atque hoc concedetis; nam neque astra incassùm nicuerunt, neque currus adductus cervice draconum gladiatorum frustrà adest.

Diîque omnes nemorum, Diîque omnes noctis adeste:
Quorum ope, cùm volui, ripis mirantibus amnes
In fontes rediêre suos; concussaque sisto,
Stantia concutio cantu freta; nubila pello;
Nubilaque induco: ventos abigoque, vocoque:
Vipereas rumpo verbis & carmine fauces:
Vivaque saxa, suâ convulsaque robora terrâ,
Et silvas moveo; jubeoque tremiscere montes;
Et mugire solùm, manesque exire sepulchris.
Te quoque, Luna, traho, quamvis Temesæa labores
Æra tuos minuant. Currus quoque carmine nostro
Pallet avi; pallet nostris Aurora venenis.
Vos mihi taurorum flammas hebetâstis; & unco
Haud patiens oneris collum pressistis aratro.
Vos serpentigenis in se fera bella dedistis:
Custodemque rudem somni sopîstis: & aurum
Vindice decepto Graïas misistis in urbes.
Nunc opus est succis; per quos renovata senectus
In florem redeat, primosque recolligat annos.
Et dabitis; neque enim micuerunt sidera frustrà;
Nec frustrà volucrum tractus cervice draconum
Currus adest. Aderat demissus ab æthere currus,
Quo simul ascendit; frænataq; colla draconum
Permulsit, manibusque leves agitavit habenas,
Sublimis rapitur: subjectaque Thessala Tempe
Despicit, & creteis regionibus applicat angues:
Et quas Ossa tulit, quas altus Pelion herbas,
Othrysque, Pinduque, & Pindo major Olympus,

Currus devolutus ab aëre aderat. In quem statim atque insilit; atque delinit colla frænata draconum, & concussit manibus levia lora, in altum tollitur, & ex sublimi intuetur Thessala Tempe subjecta, & admovit dracones regionibus cretosis; diligenter inspicit gramina, quæ Ossa, quæ excelsus Pelion, & Othrys, & Pindus, & Olympus major Pindo protulerunt;

NOTÆ.

204. *Temesæa æra*] Pro quibusvis ex ære ad tinnitum paratis instrumentis potuit; quorum sono vim carminum, quæ audire non posset Luna, frangere se veteres arbitrabantur. Est verò Temesa Bruttiorum oppidum ære clarum.

209. *Avi*] *Solis* nempe, quem curru vehi volucrum.

212. *Serpentigenis*] De armatis hominibus loquitur, qui ex draconis à Jasone seminatis dentibus nati erat.

213. *Custodem*] Draconem pervigilem.

214. *Vindice*] Custode dracone.

222. *Tempe*] Eo nomine appellabatur locus Thessaliæ amœnissimus juxta Peneum, suprà à poëtâ descriptus.

223. *Creteis*] Cretâ abundantibus; qualis quidem est Thessalia. Duæ posteriores syllabæ in *creteis* contrahuntur.

224. *Ossa & Pelion*] Sunt hi omnes montes Thessaliæ.

Perspicit:

Perſpicit: & placitâ partim radice revellit;
Partim ſuccidit curvamine falcis ahenæ,
Multa quoque Apidani placuerunt gramina ripis,
Multa quoque Amphryſi: neque eras immunis, Enipeu:
Nec non Peneæ, nec non Spercheïdes undæ
Contribuêre aliquid, juncoſaque littora Bœbes.
Carpit & Euboïcâ vivax Anthedone gramen,
Nondum mutato vulgatum corpore Glauci.
Et jam nona dies curru, penniſque draconum,
Nonaque nox omnes luſtrantem viderat agros;
Cùm rediit: neque erant paſti, niſi odore, dracones;
Et tamen annoſæ pellem poſuêre ſenectæ.
Conſtitit adveniens citra limenque, foreſque;
Et tantùm cœlo tegitur: refugitque viriles
Contactus; ſtatuitque aras è ceſpite binas,
Dexteriore Hecates, at lævâ parte Juventæ.
Quas ubi verbenis, ſilvâque incinxit agreſti,
Haud procul egeſtâ ſcrobibus tellure duabus
Sacra facit: cultroſque in guttura velleris atri
Conjicit, & patulas perfundit ſanguine foſſas.
Tum ſuper invergens liquidi carcheſia Bacchi,
Æneaque invergens tepidi carcheſia lactis,
Verba ſimul fundit, terrenaque numina poſcit:
Umbrarumque rogat raptâ cum conjuge regem,
Ne properent artus animâ fraudare ſeniles.

& partim revellit radice probatâ: partim ſuccidit curvamine falcis æreæ. Multæ etiam herbæ probatæ ſunt in ripis Apidani, multæ etiam Amphryſi; neque eras inutilis, Enipeu; fluvius etiam Peneus atque Sperçheus aliquid contulerunt, nec non littora juncoſa Bœbes. Colligit etiam herbam ex Anthedone Eubœicâ, cujus virtus, Glauci corpore nondum transformato, non vulgò cognita eſt. Et jam nona dies & nona nox conſpexerat Medeam *percurrentem campos curru & pennis draconum; cùm rediit; neque dracones erant refecti niſi odore, & tamen exuerunt pellem longevæ ſenectutis. Adveniens ſubſtitit citra limen & januam; & nullum habet tectum præter cœlum, atque ſecubat à marito, & ponit duo altaria ex ceſpite, dexteriore Hecates, at parteſiniſtrâ Juventæ. Quæ poſtquam circumdedit verbenis, & frondibus ſilveſtribus, non longe erutâ terrâ ſacra facit duabus foſſis: atque immittit cultros in jugula ovium nigrarum, & ſpargit ſcrobes apertas cruore. Tum ſuper invertens pocula liquidi vini, atque invertens ærea pocula calidi lactis, unà voces profert, & vocat Deos terreſtres, & precatur Deum umbrarum cum uxore quam rapuit, ne feſtinent privare animâ membra ſenilia.*

NOTÆ.

227. *Curvamine*] Falce æreâ curvâ.

Ib. *Ahenæ*] Æris, utpote purioris metalli, quàm ferri uſus in herbis ſecandis, ſpectris fugandis, lunæ laboribus ſublevandis. Macrob. Stat. lib. V. c. 9. Cœl. Rhod. lib. X. cap. 20.

228. *Apidani*] Theſſaliæ eſt fluvius; utì etiam & Amphryſus.

229. *Immunis*] Apoſtrophe ad fluvium, quem non *immunem*, i. e. ſine munere, fuiſſe ait, quia Medea in illius æquè ac cæterorum fluminum ripis herbas collegit.

231. *Bœbes*] Bœbeidis Theſſaliæ lacus juxta Bœben, cujus meminit Strabo.

232. *Anthedone*] Urbs fuit Bœotiæ ad Euripum ſeu Euboicum ſinum poſita.

233. *Glauci*] Qui piſcator in Deum marinum mutatus; de cujus metamorphoſi infrà lib. XIII. v. 904.

241. *Juventæ*] Quæ alio nominæ *Hebe* dicitur, juventutis Dea.

242. *Verbenis*] Eſt verbena herba notiſſima, in ſacris aſſidua, cujus nomine quælibet aris adhibitæ ſæpe intelliguntur.

244. *Atri*] Ritè hæc omnia; Sacrificium nempe diis inferis nigræ pecudes, nocturno tempore ſub terrâ nempe in ſcrobe depreſsâ victimæ capite, latice & omnibus inverſis immolabantur.

246. *Invergens*] *Vergere*, inquit Servius, *eſt converſâ in ſiniſtram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in ſacris inferis fit: fundere autem eſt ſupinâ manu libare, quod fit ſacris ſupernis.*

Ib. *Carcheſia*] Pocula ſunt, quæ Græcis tantùm nota eſſe ſcripſit Macrobius.

249. *Raptâ cùm*] Plutonem dicit cum Proſerpinâ ab eo raptâ.

250. *Seniles*] Æſonis, cujus causâ hæc omnia Medea paraverat.

Quos postquam delinivit precibus & longo murmure, imperavit exhaustum corpus Æsonis produci ad altaria, & extendit in graminibus passis altè sopitum Æsonem & similem mortuo. Cogit Jasonem, & servos hinc procul recedere, atque hortatur arcere oculos profanos à mysteriis. Admoniti abeunt. Medea fluente comâ incedit circum altaria incensa more Bacchantium, & imbuit tædas in mille partes fissas in nigrâ cruoris scrobe, & imbutas accendit super duo altaria. Atque ter purgat senem igne, ter aquâ, ter sulphure. Interea potens medicamen bullit in admoto cacabo, & salit, & albicat spumis turgescentibus. Illîc excoquit radices excisas valle Hæmoniâ, & semina, & flores & succos acres. Addit lapides allatos ex ultimo oriente, & arenas quas aquæ recurrentes Oceani abluerunt. Adjicit insuper pruinas collectas cùm luna totâ nocte luceret, & alas turpes strigis, cum ipsis carnibus, & intestina lupi dubii soliti mutare faciem feram in hominem. Neque ibi defuit squameum tenuis Chelydri Ciniphii, aut jecur longævi cervi: quibus adhuc adjicit rostrum & caput cornicis passæ novem secula. Postquam peregrina paravit mortali Æsoni medicamen inceptum his & mille aliis rebus sine nomine; omnia miscet ramo jam diu arido mitis olivæ, atque confudit quæ in profundo erant cum iis quæ erant in summo. Ecce virga immersa ferventi lebeti

Quos ubi placavit precibusque, & murmure longo;
Æsonis effœtum proferri corpus ad aras
Jussit: & in plenos resolutum carmine somnos
Exanimi similem stratis porrexit in herbis.
Hinc procul Æsoniden, procul hinc jubet ire ministros:
Et monet arcanis oculos removere profanos
Diffugiunt jussi. Passis Medea capillis
Bacchantûm ritu flagrantes circuit aras:
Multifidasque faces in fossâ sanguinis atrâ
Tingit; & intinctas geminis accendit in aris.
Terque senem flammâ, ter aquâ, ter sulphure lustrat.
Interea validum posito medicamen aheno
Fervet, & exsultat; spumisque tumentibus albet.
Illîc Hæmoniâ radices valle resectas,
Seminaque, & flores, & succos incoquit acres.
Adjicit extremo lapides oriente petitos,
Et, quas Oceani refluum mare lavit, arenas,
Addit & exceptas lunâ pernocte pruinas,
Et strigis infames, ipsis cum carnibus, alas;
Inque virum soliti vultus mutare ferinos
Ambigui profecta lupi. Nec defuit illîc
Squamea Cinyphii tenuis membrana Chelydri,
Vivacisque jecur cervi: quibus insuper addit
Ora caputque novem cornicis sæcula passæ.
His & mille aliis postquam sine nomine rebus
Propositum instruxit mortali barbara munus;
Arenti ramo jampridem mitis olivæ
Omnia confudit; summisque immiscuit ima.
Ecce vetus calido versatus stipes aheno

Neque ibi defuit spolium

NOTÆ.

256. *Profanos*] Non initiatos.

268. *Pruinas*] Illud est proculdubio, quod *spumam lunæ*, & *lunare virus* Lucanus vocitat, apud quem magicæ hujusmodi farraginis plurima invenies.

269. *Strigis*] Quæ avis est nocturna, mali ominis magno capite, rostro adunco; in cujus generis volucres fagas vetulas infantibus, quorum sanguinem fugerent, vel quibus ubera admoverent, insidiantes, sese vertere fabulati sunt; quam ob rem præsertim infames.

271. *Ambigui*] Quia luporum induere formam, quos lycanthropos dixerunt, crediderunt veteres.

Ib. *Profecta*] Eo nomine, itemque *proficia* appellabantur viscera seu intestina, quæ in sacrificiis *profecuissent*.

272. *Cinyphii Chelydri*] Testudinis aquaticæ, cujus generis habet Cinyps Africæ propriæ fluvius.

274. *Novem*] Ætatem hominum novies superat cornix: Aratus in Phænom. vocat ἐννεάκρηα κορώνη.

Fit

Fit viridis primò: nec longo tempore frondem
Induit; & subitò gravidis oneratur olivis.
At quàcunque cavo spumas ejecit aheno
Ignis, & in terram guttæ cecidêre calentes:
Vernat humus: floresque, & mollia pabula surgunt.
Quod simul ac vidit, stricto Medea recludit
Ense senis jugulum: veteremque exire cruorem
Passa, replet succis. Quos postquam combibit Æson
Aut ore acceptos, aut vulnere, barba, comæque
Canitie positâ nigrum rapuêre colorem.
Pulsa fugit macies: abeunt pallorque, situsque;
Adjectoque cavæ supplentur sanguine venæ;
Membraque luxuriant. Æson miratur, & olim
Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.

III. Viderat ex alto tanti miracula monstri
Liber; & admonitus juvenes nutricibus annos
Posse suis reddi, capit hoc à Tethye munus.

IV. Neve doli cessent; odium cum conjuge falsum
Phasias assimulat: Peliæque ad limina supplex
Confugit, atque illam (quoniam gravis ipse senectâ)
Excipiunt natæ. Quas tempore callida parvo
Colchis amicitiæ mendacis imagine cepit.
Dumque refert, inter meritorum maxima, demptos
Æsonis esse situs, atque hâc in parte moratur,
Spes est virginibus Peliâ subjecta creatis,
Arte suum parili revirescere posse parentem,
Idque petunt: pretiumque jubent sine fine pacisci.

fit primò viridis: nec multò post emittit folia, & statim tegitur gravibus olivis. At quàcunque flamma eructavit spumas ex profundo cacabo, & guttæ calidæ ceciderunt in terram, ea viret, & ibi flores & tenera grămina succrescunt. Quod statim atque Medea advertit, evaginato gladio aperuit guttur senis, & morata dum vetus sanguis esset exhaustus implet illud succis. Quos postquam Æson absorbuit aut acceptos ore aut plagâ, barbâ & capilli celeriter *acceperunt atrum colorem, candore deposito. Macies expulsa abiit: pallor & squalor excedunt, & venæ capaces turgescunt cruore injecto, & artus pinguescunt. Æson stupet, & se talem recordatur fuisse antè cùm quadraginta annos natus esset.*

III. *Bacchus conspexerat ex cœlo prodigia tanti miraculi, & videns ætatem juvenilem posse reponi suis nutricibus, accipit hoc beneficium à Tethye.*

IV. *Neve fraudes omittantur Phasias fingit odium falsum cum marito; atque fugit supplex ad domum Peliæ: & ejus filiæ, quoniam ipse tardus fuit senio, illam excipiunt: quas brevi astuta Colchis delusit specie fictæ benevolentiæ. Dumque narrat atque recenset in numero maximorum beneficiorum, senium Æsonis esse sublatum, atque insistit in hâc parte* orationis, *spes est injecta filiabus Peliæ, patrem suum posse juvenilibus annis restitui pari artificio. Atque id poscunt; & hortantur eam mercedem proponere quantam vellet.*

NOTÆ.

284. *Vernat*] Ut veris tempore salet, virescit.

288. *Barba*] Medea, inquit Palæphatus, invenit quæ canos capillos in nigros verteret. Prima quoque lavacrum calidum repperit, cujus vis medica vegetiores redderet homines, & sanitati restitueret. Eam quoque testatur Diogenes apud Stobæum, rationem inveniisse quâ molles & inertes fortes & prudentes fierent. Atque hinc locus datus fabulæ.

295. *Nutricibus*] Quas lib. III. v. 314. *Nysiidas* dixit; sed Fast. 5. *Hyadas:* Pherecydes apud Homeri Comment. *Dodonæas.*

296. *Tethye*] Apud quam (Oceani uxorem) latuisse Bacchum, dum Lycurgum fugeret, fabulæ tradiderunt.

297. *Dolî*] Medeæ fraudibus assuetæ.

298. *Phasias*] Medea ipsa, à Phasi Colcharum fluvio sic dicta.

Ib. *Peliæ*] Qui Pelias, Æsonis frater, Thessaliæ regnum sibi à fratre commissum quod Jasoni adulto restitueret, per fraudem retinebat: quamobrem, dolis quoque, & simulato Jasonis odio, Medea illum de medio tollere aggreditur.

302. *Meritorum*] Quibus ingratum Jasonem sibi maximè devincire studuerat.

303. *Situs*] Squalores, & Senium.

Ib. *Moratur*] Ut puellis illis suum quoque patrem ad juveniles annos revocandi studium injiceret.

306. *Pretium sine fine*] Maximum & immensum.

Illa aliquantulùm tacet; & videtur hærere, atque incertas facit mentes precantium simulatâ vultûs *gravitate. Mox postquam promisit, ut fides, inquit, hujus beneficii sit certior;* Aries *dux gregis, qui est provectior ætate inter ovis vestras, fiet agnus medicamento. Continuò villosus* aries, *qui jam exhaustus fuit multis annis, adducitur, cornu sinuato circum vacua tempora: cujus postquam venefica aperuit flaccidum jugulum cultro Hæmonio, & tinxit ferrum pauculo cruore, misceat simul artus pecudis & potentes succos in profundo cacabo. Membra corporis contrahuntur, atque spoliatur cornibus; & annis* simul *cum cornibus; & teneri* agni *balatus auditur in medio aheno. Nec mora agnus erumpit, dum rimantur balatum; & exsultat fugâ; & sequitur ubera lactea. Filiæ Peliæ admirando hæserunt, & postquam promissa fecerunt fidem, tum verò acrius urgent. Sol ter exuerat jugo equos ingressos Oceanum occidentalem, & astra splendentia radiabant quartâ nocte, cùm Æëtias fallendi perita*

Illa brevi spatio silet; & dubitare videtur
Suspenditque animos, fictâ gravitate, rogantes.
Mox ubi pollicita est, Quò sit fiducia major
Muneris hujus, ait: qui vestras maximus ævo est
Dux gregis inter oves, agnus medicamine fiet.
Protinus innumeris effœtus laniger annis
Attrahitur, flexo circum cava tempora cornu:
Cujus ut Hæmonio marcentia guttura cultro
Fodit, & exiguo maculavit sanguine ferrum;
Membra simul pecudis, validosque venefica succos
Mergit in ære cavo. Minuuntur corporis artus:
Cornuaque exuitur, nec non cum cornibus annos;
Et tener auditur medio balatus aheno.
Nec mora, balatum mirantibus exilit agnus:
Lascivitque fugâ; lactantiaque ubera quærit.
Obstupuêre satæ Peliâ: promissaque postquam
Exhibuere fidem, tum verò impensius instant.
Ter juga Phœbus equis in Ibero gurgite mersis
Demserat, & quartâ radiantia nocte micabant
Sidera; cùm rapido fallax Æëtias igni
Imponit purum laticem, & sine viribus herbas.
Jamque neci similis, resoluto corpore, regem,
Et cum rege suo custodes somnus habebat,
Quem dederant cantus, magicæque potentia linguæ.
Intrârant jussæ cum Colchide limina natæ:
Ambiêrantque torum; Quid nunc dubitatis inertes?
Stringite, ait, gladios: veteremque haurite cruorem,
Ut repleam vacuas juvenili sanguine venas.

imponit igni puram aquam, & gramina inutilia. Jamque somnus morti similis oppresserat regem, corpore resoluto, atque custodes cum rege suo, quem quidem somnum *incantamenta & vis magica linguæ creaverat. Filiæ admonitæ subiêrant cubiculum cum Colchide, atque circumsteterant lectum; Quid nunc hæretis pigræ? Nudate enses, atque extrahite sanioſum sanguinem, ut repleam inanes venas sanguine juvenili.*

NOTÆ.

308. *Fictâ gravitate*] Quia difficile fuisset tantum beneficium impetrare; quod quidem eò Medea simulabat, ut magis rogantium accenderet desiderium, ipsa verò proditionis suspicione liberetur.

Ib. *Animos rogantes*] Sic *dextram precantem* dixit Virgilius.

309. *Quò sit*] Quò firmiùs credatis me largiri vobis posse quod rogaris.

315. *Exiguo*] Non enim sanguine abundant animalia senio confecta.

323. *Exhibuêre fidem*] Quandoquidem aries Medeæ operâ agni lasciviam recipisset.

324. *Ter juga*] Hoc est; *tres dies transiêrant.* Nam Phœbus, adveniente nocte, fingitur demere jugà equis, qui currum ejus trahunt.

Ib. *Ibero*] Mari occiduo seu Atlantico, in quod Iberus fluvius Hispaniæ se exonerat. Ex sensu vulgi sol dicitur se in æquore Hesperio mergere, ibique diurnum emensus iter, equos reficere.

328. *Resoluto*] In somno partes corporis dissolvi videntur.

In

In manibus vestris vita est, ætasque parentis.
Si pietas ulla est, nec spes agitatis inanes,
Officium præstate patri; telisque senectam
Exigite: & saniem conjecto emittite ferro.
His, ut quæque pia est, hortatibus impia prima est,
Et ne sit scelerata, facit scelus. Haud tamen ictus
Ulla suos spectare potest; oculosque reflectunt;
Cæcaque dant sævis aversæ vulnera dextris.
Ille, cruore fluens, cubito tamen allevat artus:
Semilacerque toro tentat consurgere: & inter
Tot medios gladios pallentia brachia tendens;
Quid facitis, gnatæ? quid vos in fata parentis
Armat, ait? cecidêre illis animique, manusque.
Plura locuturo cum verbis guttura Colchis
Abstulit, & calidis laniatum mersit ahenis.
V, VI. Quòd nisi pennatis serpentibus îsset in auras;
Non exempta foret pœnæ: fugit alta superque
Pelion umbrosum Philyreïa tecta, superque
Othryn, & eventu veteris loca nota Cerambi.
Hic ope nympharum sublatus in aëra pennis,
Cùm gravis infuso tellus foret obruta ponto,
Deucalioneas effugit inobrutus undas.
VII. Æoliam Pitanen à lævâ parte relinquit,
Factaque de saxo longi simulacra draconis:
Idæumque nemus, quo raptum furta juvencum

Vita atque anni vestri patris sunt in vestris manibus. Si pietas est aliqua, nec spes concepistis frustraneas, bene meremini de parente; atque expellite senium cultris, atque tabum educite immisso ferro. His monitis, ut quæque maximè est pia, prima est impia; & ne sit nefaria, admittit nefas. Nulla tamen potest intueri suos ictus; & detorquent oculos, atque aversæ infligunt plagas incertas crudelibus manibus. Ille tamen in sanguine mersus sustinet membra cubito, & semilacer conatur exilire lecto atque medius inter tot ensis, porrigens lacertos exsangues, Quid agitis, filiæ, inquit; quid vos ad arma compellit contra vitam vestri *patris? Animi & manus earum elanguerunt. Medea præscidit jugulum & voces* illius *plura locuturi, & discerptum projecit in ferventem cacabum.*

V, VI. *Quòd nisi in aërem se evexisset alatis draconibus non impunè id facinus tulisset: sublimis evasit & super Pelion opacum, & domum Philyreïam, & super Othryn, & sedes antiqui Cerambi, eventu inclytas. Hic raptus in aërem alis, auxilio nympharum, cum gravis terra fuit oppressa mari immisso, vitavit intactus aquas Deucalionei diluvii.*

VII. *Deserit à sinistrâ parte Pitanen Æoliam, & imaginem oblongi serpentis factam de lapide, & silvam Idæam, quâ juvencum furtivum*

NOTÆ.

339. *Ut quæque*] Quò magìs quæque pia erat, eò magis festinat patris sanguinem emittere, quod revera erat impium.

342. *Cæca vulnera*] Quæ non videbant.

352. *Philyreïa tecta*] Quia in illis Thessaliæ montibus versatus est Chiron, Saturni & Philyræ filius.

353. *Othryn*] Qui mons Thessaliæ.

Ib. *Cerambi*] Hic in avem à nymphis mutatus, ut alii in Scarabæum, in Parnassum (quam intelligit per *loca nota*) sublatis superfuit diluvio Deucalioneo.

Ib. *Veteris*] Antiquissimi, quippe qui ante diluvium vixerit.

356. *Deucalioneas*] Quæ Deucalionis tempore terram obruerunt.

357. *Pitanen*] Urbs est Æoliæ haud procul à Caici fluminis ostio, in minore Asiâ.

358. *Draconis*] De Lesbio illo loqui videtur, de quo postea Metam. XI. qui quod Orphei caput in Hebron abjectum, & ad Lesbum inde delatum, morsu violare tentâsset, ab Apolline in saxum mutatus fuit. Atque ita optimè locorum ratio se habebit, siquidem juxta Lesbum, vel saltem ex hujus insulæ adverso, sita est Pitane, quæ loca unà cum dracone ad sinistram reliquerit.

359. *Idæumque nemus*] Phrygium dicit, nam & alius in Cretâ fuit mons Ida, qui non à sinistrâ Medeæ iter faciendi parte cum Lesbo & Pitane stare potuisset.

Ib. *Juvencum*] Fuit Thyoneus Bacchi filius, ut scripsit Acro ad Horatii Carmin. lib. I. Od. 17. quem Phrygiis pastoribus juvencum

Occuluit

Sub ſpecie cervi Bacchus celavit.

VIII. *Et quâ genitor Corythi ſepultus eſt exiguâ arcâ.*

IX. *Itemque campos quos Mæra tremefecit novo latratu.*

X. *Deſerit inſuper urbem Eurypili, quâ matres Coæ induerunt cornua, quo tempore exercitus Herculis abiret.*

XI. *Et Rhodon Phœbæam, & Thelchinas Iälyſios, quorum oculos inficientes omnia aſpectu Jupiter exoſus, ſubjecit aquis fraternis.*

XII. *Prætervît etiam muros Cartheïos antiquæ Ceæ, quâ pater Alcidamas erat admiraturus mitem columbam potuiſſe oriri de corpore filiæ.*

Occuluit Liber falſi ſub imagine cervi.
VIII. Quáque pater Corythi parvâ tumulatur arenâ.
IX. Et quos Mæra novo latratu terruit agros.
X. Eurypylique urbem, quâ Coæ cornua matres
Geſſerunt, tum cùm diſcederet Herculis agmen.
XI. Phœbeamque Rhodon, & Iälyſios Thelchinas,
Quorum oculos ipſo vitiantes omnia viſu
Jupiter exoſus, fraternis ſubdidit undis.
XII. Tranſit & antiquæ Cartheïa mœnia Ceæ,
Quâ pater Alcidamas placidam de corpore natæ
Miraturus erat naſci potuiſſe columbam.
XIII. Inde lacus Hyries videt, & Cycneïa Tempe,
Quæ ſubitus celebravit olor. Nam Phyllius illic
Imperio pueri volucreſque, ferumque leonem
Tradiderat domitos: taurum quoque vincere juſſus
Vicerat; & ſpreto toties iratus amore,

XIII. *Poſtea intuetur ſtagna Hyries, & Tempe Cycneïa, quæ cycnus repentinus ſi frequentavit. Nam Phyllius illîc obtulerat alites, & crudelem leonem ſuperatos juſſu pueri: domuerat etiam taurum, quem juſſus erat domare; atque amore toties contempto indignans,*

NOTÆ.

volunt abegiſſe, cujus causâ ab illis requireretur: ipſum verò, ne furtum pateſceret, in venatorem, juvencum in cervum à Baccho mutatum fuiſſe.

361. *Quáque*] Cebrenam dicit Troadis oppidulum, ubi Paris, (Strabo, lib. XIII.) qui ex Oenone ſuſcepit Corythum, ſepultus fuit.

362. *Mæra*] Icarii fuit canis, nomine Mærâ, quæ Erigonæ patrem à paſtoribus peremtum ululatibus ſuis indicavit: unde & deorum voluntate in cœlum tranſlata, & communiori nomine Canicula dicta. Verum de eâ hîc agi non eſt veriſimile, ſi quidem in Atticâ Mæram illam fuiſſe conſtat, cùm jam quæ ad Medeæ ſiniſtram eſſent loca, Naſo percurrat.

363. *Eurypili*] Hic fuit Herculis filius, qui in inſula Co regnavit, augur peritiſſimus.

Ib. *Quâ Coæ cornua matres*] Cos inſula eſt in Ægeo mari. Mulieres autem Coæ, cùm ægrè ferrent ab Hercule armenta Geryoni erepta per agros ſuos fuiſſe acta, Junonem dicuntur conviciari: quare Juno eas omnes in vaccas transformavit.

364. *Herculis*] In Co inſulâ urbem cognomen expugnavit Hercules, cæſo Eurypylo, abductâque filiâ ejus Chalciope.

365. *Rhodon*] Quæ inſula eſt Mediterranei maris, Soli ſacra, ejus Coloſſo olim nobiliſſima.

Ib. *Iälyſios*] Qui laſum unam ex Rhodi urbibus tenuerunt.

Ib. *Thelchinas*] Fuerunt Thelchines Iälyſi incolæ ex Cretâ profecti, periti artifices, ſed faſcinatores, quos Jupiter perdidit.

368. *Cartheïa*] A Carthea Ceæ inſulæ urbe, quæ quidem Cea Atticæ ob oriente eſt oppoſita in mari Ægæo.

371. *Lacus Hyries*] Id eſt, quem fecit Hyrie Cygni mater, amiſſi filii dolore in illum ſoluta.

Ib. *Cycneïa Tempe*] Non Theſſalica illa celeberrima dicit, ſed Bœotica *Teumeſſa*, à vicino Teumeſo monte appellata, quæ à Cycni caſu poëta jam videtur denominâſſe.

373. *Pueri*] *Cycni*, cujus amore Phyllius ille tenebatur.

Ib. *Volucres*] Vultures, quos amoris præmium Cycnus quoque petiverat, ut ex Antonini Liberalis Metam. didicimus.

Præmia poſcenti taurum ſuprema negabat.
Ille indignatus, Cupies dare, dixit; & alto
Deſiluit ſaxo. Cuncti cecidiſſe putabant:
Factus olor niveis pendebat in aëre pennis.
XIV. At genitrix Hyrie ſervari neſcia flendo
Delicuit; ſtagnumque ſuo de nomine fecit.
XV, XVI. Adjacet his Pleuron: in quâ trepidantibus alis
Ophias effugit natorum vulnera Combe. [arva
XVII, XVIII. Inde Calaureæ Latoïdos aſpicit
In volucrem verſi cum conjuge conſcia regis.
Dextera Cyllene eſt; in quâ cum matre Menephron
Concubiturus erat, fævarum more ferarum.
XIX. Cephiſon procul hinc deflentem fata nepotis,
Reſpicit in tumidam Phocen ab Apolline verſi;
Eumelique domum lugentis in aëre natam.
XX. Tandem vipereis Ephyren Pyrenida pennis
Contigit. Hîc ævo veteres mortalia primo
Corpora vulgârunt pluvialibus edita fungis.
XXI. Sed poſtquam Colchis arſit nova nupta venenis,

nolebat tradere taurum petenti cum *pro ultimâ mercede. Ille dolens, Voles, inquit, præbere: atque ſe præcipitem dedit de rupe. Omnes arbitrantur dejectum eſſe: at ille mutatus in cygnum tollebatur in aërem pennis candidiſſimis.*

XIV. *At mater Hyrie, ignara* ejus *ſalutis exhauſta eſt lacrymando, & fecit lacum de ſuo nomine.*

XV, XVI. *Pleuron ſita eſt juxta illam; in quâ Combe Ophias vitavit plagas filiorum agitatis alis.*

XVII, XVIII. *Inde videt campos Calaureæ Latoïdos conſcios regis mutati in avem cum uxore. Cyllene eſt dexterâ: in quâ Menephron erat concubiturus cum genetrice, pro conſuetudine crudelium ferarum.*

XIX. *Hinc procul ſpectat Cephiſum lugentem fata nepotis mutati ab Apolline in grandem vitulum marinum; & domum Eumeli, qui filiam in aëre morientem lugebat.*

XX. *Denique* Medea *pervenit Corinthum Pirenida pennis draconum. Antiqui dixerant corpora humana hîc orta primis temporibus ex fungis pluvialibus.*

XXI. *Sed poſtquam nova nupta flagravit venenis Medeæ,*

NOTÆ.

377. *Ille*] Puer *Cycnus*.

382. *Pleuron*] Ætoliæ eſt urbs multùm ab Hyries lacu & Bœotiâ diſſita; quamobrem *Brauron* reponendum cum viris doctis arbitror, qui Atticæ, vicus eſt Geographis notiſſimus Bœotiæ vicinus.

383. *Ophias*] Ophii filia.

384. *Calaureæ*] Quæ inſulæ eſt ſinûs Argolici inter Creſam & Peloponneſum Demoſthenis morte nota.

Ib. *Latoïdos*] Quam Latona pro Delo dicitur cum Neptuno permutâſſe.

385. *In volucrem*] Hic fuiſſe videtur Ceyx rex Trachinis, qui cùm tempeſtate, in mari periiſſet; poſtea unà cum uxore Halcyone in aves halcyonidas converſi ſunt, ut in lib. XI. fusè deſcribitur.

386. *Cum matre*] Cum Bliade matre ſuâ, & Cyllene filiâ in Arcadiâ (ubi Mons Cyllene) concubuit. Hygin. fab. 253.

388. *Cephiſon*] Plures fuerunt Cephiſi; ſed hîc de Bœotico agi veriſimile eſt.

389. *Phocen*] Vitulum dicit marinum.

390. *Eumeli domum*] Patres dicit Achaiæ urbem maritimam, in quâ regnavit Eumelus; cujus filius Antheas, Triptolemi à patre hoſpitio accepti currum, dormiente illo, conſcendit, ex quo dejectus interiit. Atque adeò pro *natam*, *natum* legendum eſſe autumant. Antheam inſuper Eumeli filiam fuiſſe dicunt nonnulli quam in avem mutatum Eumelum ploraviſſe conjiciunt.

391. *Ephyren*] Corinthum dici, ab Ephyre Oceani filiâ, quæ ibi prima habitavit, ſic dictam.

Ib. *Pirenida*] A Pirene fonte, qui ad Acrocorinthi montis radices ſitus.

394. *Nova nupta*] Creüſa, Creontis Corinthiorum regis filia; ad quem Medea, dolens ſibi eam à Jaſone præpoſitam, veſtem venenis imbutam miſit; per quam non Creüſa, ſed Creontis regia deflagravit.

Fla-

& mare utrumque ſpectavit domum regis incenſam. Medea gladium impium tingit ſanguine ſuorum fi-ſiorum: Et ſic mater in-iquam de patre vindictam ſumens, vitavit arma Jaſonis. Hinc abrepta draconibus Titaniacis ſubit arces Athenienſes, quæ conſpexerunt pariter te, æquiſſime Phineu, teque ſenem Peripha volantes, & neptem Polypemonis ſuſtentatam novis alis.

XXII. *Ægeus hanc hoſpitio ſuſcipit, vituperandus in* hoc *uno facinore; neque hoſpitium eſt ſatis, jungit* eam *ſibi etiam jure connubii. Jamque Theſeus adoleverat filius incognitus patri, qui pacem firmaverat in Iſthmo bimari ſuâ virtute. Medea parat in hujus cladem venenum, quod olim advexerat ſecum à regionibus Scythicis. Illud dicunt ſatum ex denti-bus canis Echidneæ. Eſt antrum obſcurum caligi-noſo aditu; eſt iter devexum per quod heros Tyrin-thius abſtraxit vinculis ſrmiter & quaſi adamante complicatis Cerberum reluctantem, & detorquentem oculos à die & adiis ſplendidis qui impulſus irâ rabioſâ ſimul replevit aërem latratu triplicis oris; & infecit virentes campos ſpumis albis. Has credunt coactas, & nactas ſuccum feracis & fœcundæ terræ aſſumſiſſe potentiam nocendi. Quæ vivacia, quæ progerminant in durâ rupe,*

Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque.
Sanguine natorum perfunditur impius enſis;
Ultaque ſe malè mater, Jaſonis effugit arma.
Hinc Titaniacis ablata draconibus, intrat
Palladias arces; quæ te, juſtiſſime Phineu,
Teque, ſenex Peripha, pariter vidêre volantes.
Innixamque novis neptem Polypemonis alis.
XXII. Excipit hanc Ægeus, facto damnandus in uno:
Nec ſatis hoſpitium eſt, thalami quoq; fœdere jungit.
Jamque aderat Theſeus proles ignara parenti:
Qui virtute ſuâ bimarem pacaverat Iſthmon.
Hujus in exitium miſcet Medea quod olim
Attulerat ſecum Scythicis aconiton ab oris.
Illud Echidneæ memorant è dentibus ortum
Eſſe canis. Specus eſt tenebroſo cæcus hiatu:
Eſt via declivis, per quam Tyrinthius heros
Reſtantem, contraque diem, radioſque micantes
Obliquantem oculos, nexis adamante catenis,
Cerberon abſtraxit: rabidâ qui concitus irâ
Implevit pariter ternis latratibus auras,
Et ſparſit virides ſpumis albentibus agros.
Has concrêſſe putant: nactaſque alimenta feracis
Fœcundique ſoli, vires cepiſſe nocendi.
Quæ, quia naſcuntur durâ, vivacia, caute,

NOTÆ.

395. *Utrumque*] Ionium & Ægeum inter quæ poſita eſt Corinthus.

396. *Natorum*] Mermeri & Pheretis, quos ex Medeâ Jaſon ſuſceperat; ipſe dolore amens in patris vindictam mactavit. Quanquam à Corinthiis trucidatos alii voluerun..

398. *Titaniacis*] Ex Titani ſanguine ortis; vel quos à Titane ſeu ſole Medea cum curru acceperat.

399. *Palladias*] Athenas à Pallade, quæ ibi præcipuè colebatur, ita dictas.

401. *Polypemonis*] Cui & *Procruſtes* nomen fuit, quem quidem latronem Theſeus occidit: De nepti, utì de Periphâ & Phineo, non habeo quod referre poſſim.

402. *Ægeus*] Qui Theſei pater.

404. *Ignara*] Quia Ægeus Æthram uxorem apud Pittheum patrem ſuum commorantem juſſerat non priùs ad ſe filium mittere quàm ſaxum, cui calceos & enſem ſubjecerat, per ſe adultus revolvere poſſet.

405. *Iſthmon*] Corinthiacum, quem latrones infederant à Theſeo peremti.

407. *Aconiton*] Herba veneni, ut aiunt, præſentiſſimi, quam quidem ex Cerberi canis, ad ſuperos ab Hercule tracti, bile natam fuiſſe volunt. Plin. I. II. c. 27.

408. *Echidneæ*] Quia ex Echidnâ monſtro ortus Cerberus.

409. *Specus*] Apud Heracleam Ponticam ubi monſtratur is ad inferos aditus, copioſè, naſcitur. Plin. ibid.

410. *Tirynthius heros*] Herculem dicit à Tirynthe, ubi natus eſt.

411. *Contraque diem*] Quam non conſuevit intueri inferorum canis.

Agreſtes

Agreſtes aconita vocant. Ea conjugis aſtu
Ipſe parens Ægeus nato porrexit, ut hoſti.
Sumſerat ignarâ Theſeus data pocula dextrâ;
Cùm pater in capulo gladii cognovit eburno
Signa ſui generis; facinuſque excuſſit ab ore.
Effugit illa necem, nebulis per carmina motis.
XXIII. At genitor, quanquam lætatur ſoſpite nato;
Attonitus tantum leti diſcrimine parvo
Committi potuiſſe nefas, fovet ignibus aras,
Muneribuſque Deos implet; feriuntque ſecures
Colla toroſa boum vinctorum cornua vittis.
Nullus Erechthidis fertur celebratior illo
Illuxiſſe dies. Agitant convivia patres,
Et medium vulgus: nec non & carmina, vino
Ingenium faciente, canunt. Te, maxime Theſeu,
Mirata eſt Marathon Cretæi ſanguine tauri:
Quodque ſuis ſecurus erat Cromyona colonus,
Munus, opuſque tuum eſt. Tellus Epidauria per te
Clavigeram vidit Vulcani occumbere prolem:
Vidit & immitem Cepheſias ora Procruſten:
Cercyonis letum vidit Cerealis Eleuſis.

ruſtici appellant Aconita. Ipſe pater Ægeus illa tulit filia tanquam hoſti, uxoris dolo. Theſeus ne ſcius acceperat oblata pocula dextrâ; cùm parens cognovit in capulo eburno enſis indicia ſuæ ſtirpis, & depulit ſceleſtum venenum ab ore. Illa vitavit mortem, incantatione ſuâ nebulas ſibi inducens.

XXIII. *At pater Ægeus, quamvis gaudet filio incolumi, ſtupens tantum facinus potuiſſe patrari, levi intervallo mortis incendit ignem ſuper altaria; & cumulans dona diis offert; ſecures percutiunt colla nervoſa taurorum habentium cornua religata tæniis. Nullus dies dicitur illuxiſſe majori cultu ab Erechthidis celebratus. Patres & ipſa plebs frequentant epulas; atque, Baccho ſtimulante ingenium, cantant verſus. Te mirata eſt Marathon, maxime Theſeu, ſanguine tauri Cretæi; & tuum eſt donum atque opus, quòd agricola tutus ab apro Cromyonios colit agros. Terra Epidauria vidit progeniem Vulcani clavam gerentem à te obrutam: Regio Cepheſias vidit quoque ferum Procruſten* peremptum; *Eleuſis Cerealis vidit mortem Cercyonis.*

NOTÆ.

419. *Aconita vocant*] Ἀπὸ τῆς Ἀκόνης, à Cote; quòd in cotibus naſcatur.

Ib. *Conjugis*] Medeæ, quæ ut regni ſucceſſionem ad filium Medum derivaret, advenientem Theſeum è medio tollere properabat.

423. *Signa ſui generis*] Id eſt, quibus prolem ſuam cognoſcere antè inſtituerat, cùm ſaxo enſem cum calceis ſuppoſuit.

Ib. *Facinus*] Aconitum, quod ipſe Theſeo propinaverat.

424. *Nebulis*] Quibus illi delituit.

426. *Diſcrimine*] Differentiâ. Parum enim abfuit, quin Theſeus venenum hauriret.

430. *Erechthidis*] *Athenienſibus*, ab Erechtheo ſic dictis.

433. *Te, maxime Theſeu*] Hoc pro carmine eſt, quod in Theſei laudem cecinerunt Athenienſes.

434. *Marathon*] Urbs eſt agri Attici.

Ib. *Cretæi*] Taurum dicit efferatum, Cretam infeſtantem, quem domandum Euryſtheus Herculi propoſuit. Illum verò ad ſe perductum Euryſtheus dimiſit, quem, cùm Atticam devaſtaret, Theſeus mactavit.

435. *Suis*] Cromyoniam dicit ſuem à Theſeo interfectam, quæ Crommeonem agri Corinthiaci vicum infeſtabat.

436. *Tellus Epidauria*] Fuit Epidaurus Peloponneſi oppidum, Æſculapii templo clarum.

437. *Prolem*] Periphetam dicit circà Epidaurum latrocinia ſua exercentem, qui à κορύνη ſeu clavâ, *Corynetas* dictus eſt.

438. *Cepheſias*] Quà Cephiſus præterfluit Eleuſin, urbem Atticæ.

Ib. *Procruſten*] Hic hoſpites in lecto quodam proſtratos, longiores decurtabat, breviores extendebat.

439. *Cercyonis*] Qui viatores in palæſtrâ victos, aut etiam certare recuſantes interficiebat. Pauſan. in Atticis.

Ib. *Cerealis*] Quia in illo Atticæ vico *majora* Cereris myſteria celebrabantur.

Occidit

Ille Sinis interiit, perversè usus ingentibus viribus; qui poterat flectere firmas arbores; & cogebat à fastigio ad terram pinus latè dejecturas corpora hominum. Iter ad Alcathoën & muros Lelegeïos est securum & apertum Scirone occiso: Et terra, & aqua recusat locum ossibus dissecti latronis, quæ diu agitata tempus dicitur mutâsse in petras: & nomen Scironis illic manet. Si velimus recensere laudes tuas, & annos tuos, præclara gesta superent annos. Concipimus vota publica pro te, ô invicte; in tui gratiam indulgemus Baccho. Regis domus *personat acclamationibus populi, & precibus benevolentium; neque locus ullus lugubris est in totâ urbe.*

Occidit ille Sinis, magnis malè viribus usus;
Qui peterat curvare trabes; & agebat ab alto
Ad terram latè sparsuras corpora pinus.
Tutus ad Alcathoën Lelegeïa mœnia limes
Compositò Scirone patet; sparsique latronis
Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda:
Quæ jactata diu fertur durâsse vetustas
In scopulos. Scopulis nomen Scironis inhæret.
Si titulos, annosque tuos numerare velimus,
Facta premant annos. Pro te, fortissime, vota
Publica suscipimus: Bacchi tibi sumimus haustus.
Consonat assensu populi, precibusque faventûm
Regia: nec totâ tristis locus ullus in urbe est.

XXIV. Nec tamen (usque adeò nulli sincera voluptas;
Sollicitique aliquid lætis intervenit) Ægeus
Gaudia percepit nato secura recepto.
Bella parat Minos; qui quanquam milite, quanquam
Classe valet, patriâ tamen est firmissimus irâ:
Androgeïque necem justis ulciscitur armis.
Ante tamen bellum vires acquirit amicas:
Quâque potens habitus, volucri freta classe pererrat.
Hinc Anaphen sibi jungit, & Astypaleïa regna;
Promissis Anaphen, regna Astypaleïa bello:

XXIV. *Neque tamen (usque adeò nulli lætitia pura est, atque aliquid tristitiæ objicitur festivis) Ægeus sensit voluptatem tutam, filio recuperato. Minos vocat ad arma; qui tametsi potens est militibus, & navibus, irâ tamen paternâ* ob filii mortem *fortior evadit, & vindicat mortem Androgei æquis armis. Tamen ante bellum comparat copias auxiliares, & quâ classe creditus est valere, percurrit maria celeri classe. Hinc sibi adjungit Anaphen & regna Astypaleïa, Anaphen pollicitis, regna Astypaleïa minis:*

NOTÆ.

440. *Sinis*] Latro fuit Isthmum obsidens, qui obvios quosque ad pinus vi maximâ inflexas alligabat, quibus emissis miseri distraherentur, Pari verò supplicio à Theseo affectum fuisse eum refert Pausanias.

443. *Alcathoën*] Megares ab Alcathoo restauratæ, postquam sublato Niso vastatæ fuissent à Mincë. Pausan. in Att.

Ib. *Lelegëïa*] A Lelege ædificatâ.

444. *Compositò Scirone*] Quia hunc Scironem in illis locis grassantem, quæ ab eo *Scironia* saxa dicta sunt, ex iisdem scopulis Theseus in mare deturbavit: unde alios latro ille pedibus, quos sibi lavari jubebat, præcipites dare solitus fuerat.

446. *Scopulis*] *Scironides petræ* dicuntur.

449. *Facta premant*] Id est, *Annos numero facta superabunt.*

Ib. *Vota*] *Theseïa* festa significat, Athenienfibus in Thesei honorem instituta.

456. *Minos*] Jovis filius est Europâ, rex Cretæ, qui Athenienfibus pestem imprecatus, quòd filium Androgeum per invidiam occidissent: grave quoque adversus eosdem bellum excitavit.

457. *Patriâ irâ*] Patri conveniente ob cædem filii Androgei.

461. *Anaphen*] Cretici pelagi est insula.

Ib. *Astypaleïa*] Ab Astypalæâ insulâ Carpathii muris.

Hinc

Hinc humilem Myconon, cretoſaque rura Cimoli,
Florentemq; Cythnon, Scyron, planamq; Seriphon,
Marmoreamque Paron, quâque impia prodidit arcem
Sithonis accepto, quod avara propoſcerat, auro.
Mutata eſt in avem, quæ nunc quoque diligit aurum;
Nigra pedem, nigris velata monedula pennis.
XXV. At non Oliaros, Didymæque, & Tenos, & Andros,
Et Gyaros, nitidæque ferax Peparethos olivæ,
Gnoſſiacas juvêre rates; latere inde ſiniſtro
Oenopiam Minos petît Æacidëia regna.
Oenopiam veteres appellavêre; ſed ipſe
Æacus Æginam genitricis nomine dixit.
Turba ruit, tantæque virum cognoſcere famæ
Expetit. Occurrunt illi Telamonque, minorque
Quam Telamon, Peleus, & proles tertia Phocus.
Ipſe quoque egreditur tardus gravitate ſenili
Æacus; &, quæ ſit veniendi cauſa, requirit.
Admonitus patrii luctûs ſuſpirat, & illi
Dicta refert rector populorum talia centum:
Arma juves oro pro gnato ſumpta; piæque
Pars ſis militiæ. Tumulo ſolatia poſco.

hinc parvam Myconon, & campos cretoſos Cimoli, & Cythnon claram, Scyron, & Seriphon planam, & Paron marmore abundantem, & quà impia Sithonis prodicit arcem, auro accepto, quod avara expetîerat. Verſa eſt in avemquæ etiam num, amat aurum; atra pedibus monedula, tecta atrit pennis.

XXV. *At non Oliaros, & Didymæ, & Tenos, & Andros, & Gyaros, & Peparethos fertilis ſplendidæ olivæ opem tulerunt navibus Cretenſibus. Poſtea Minos venit Oenopiam, regna Æacidëia à parte lævâ, Antiqui dixerunt Oenopiam; ſed ipſe Æacus vocavit Æginam, nomine matris. Populus accurrit, & cupit cernere virum tantâ laude* celebratum. *Telamon, & Peleus junior quàm Telamon, & Phocus tertius filius, obviàm illi procedunt. Ipſe etiam Æacus gravatus tarditate ſenili ex ædibus prodîit; & petit quæ ſit cauſa adventûs. Rex centum civitatum recordatus luctûs paterni ſuſpirat, & illi narrat talia: Precor, ut tuearis arma capta pro ulciſcenda* filii *nece, & venias in ſocietatem belli piâ* causâ ſuſcepti: *Peto* ultionem, *quæ ſepultos* manes *placet.*

NOTÆ.

463. *Myconon*] Eſt Mycone, ſeu Myconus, Ægæi maris inſula, una ex Cycladibus.

Ib. *Cimoli*] Quæ inſula eſt in Cretico mari, inter Sporadas.

464. *Cythnon*] Hæc, cum tribus ſequentibus, inter Cycladas recenſetur.

465. *Quâque*] Locus hic proculdubio corruptus: Nec ſatis ſequentia inter ſe cohærent.

466. *Sithonis*] Thracia aliqua mulier, à Sithoniâ Thraciæ parte.

468. *Nigra*] Rubris pedibus eſſe monedulas, quibus monetæ amor & furacitas nomen dedit, ſcripſerunt alii.

469. *At non Oliaros*] Inſulæ ſunt Ægæi ex Cycladibus, quæ Minoïs auxilium adverſus Athenienſes non tulerunt.

Ib. *Didymæ*] Ita dictæ à figurâ; *gemellæ* namque videntur.

Ib. *Tenos*] Neptuni templo celebris fuit.

Ib. *Andros*] Ab Andro Anii filio cognominata.

470. *Gyaros*] Hanc inter Sporadas recenſent nonnulli, quæ ad Cycladas referri debet. Steriliſſima fuit inſula; quòd etiam noxios Romani deportabant.

Ib. *Peparethos*] Inter Cycladas etiam numeratur, oleo abundans.

471. *Gnoſſiacas*] Naves Minoïs, cui Gnoſſius urbs Cretica regia fuit.

472. *Oenopiam*] Æginam dicit inſulam in Sinu Saronico, Æacidarum origine mariſque imperio olim nobilem, cujus nomen mutavit Ægina Aſopi filia, Æaci mater, illuc à Jove tranſlata.

Ib. *Æacidëia*] Ubi Æacus Jovis filius regnavit.

474. *Nomine*] Hinc orta Junonis invidia, immiſſaque peſtilentia.

476. *Telamon*] Æaci filius, ut & Peleus & Phocus.

480. *Luctûs*] Propter Androgeum Minoïs filium interfectum.

481. *Rector*] Minos Cretæ inſulæ, centum urbibus olim celebris, rex ipſe celeberrimus.

Huic

Ad quem Asopiades respondit, Poscis impossibilia, & non admittenda meæ civitati: neque enim ulla est terra magis amica, quam hæc Cecropidis: Ea sunt fœdera inter nos. Ille *mœstus discedit, atque inquit. Magno tibi constabunt tua fœdera; & satiùs ducit esse bellum minitari quàm gerere, atque ibi antè perdere suas opes. Classis Lyctia poterat videri ex mœnibus Oenopiis; cùm navis Attica impulsa pleno velo appellit, & subit portus amicos, quæ vehebat Cephalum, atq; unà jussa patriæ Æacidæ: juvenes agnoverunt Cephalum, quamvis non visum longo tempore, & dextras junxerunt, & duxerunt ad domum genitoris. Heros* corpore *præstans, & habens etiamnum judicia pristinæ formæ ingreditur; & gerens ramum olivæ domesticæ, ætate provectior, habet à dextrâ & sinistra, duos juniores Clyton & Buten Pallante satos. Postquam primi congressus exhauserunt suam orationem, Cephalus exponit* mandata *quæ ab* Athenienſibus *acceperat, & petit auxilium; & memorat fœdus, & jura majorum; ante adjicit imperium totius Achaiæ affectari. Postquam ita defendisset causam concreditam eloquio, Æacus, lævâ positâ in capulo sceptri, Ne, inquit, opem petite, Athenæ, sed accipite. Neque parum fidenter existimatæ opes, quas hæc insula habet,* esse *vestras; immo omnis iste splendor rerum mearum discedat. Non careo viribus; superest mihi miles, atque in hostem. Dîs gratia, tempus est prosperum, & quod excusationem* negandi auxilii *non patitur. Immo, inquit Cephalus, ita eveniat, voveo ut tuæ opes augeantur civibus*

Huic Asopiades, Petis irrita, dixit, & urbi
Haud facienda meæ: neque enim conjunctior ulla
Cecropidîs hâc est tellus. Ea fœdera nobis.
Tristis abit: Stabuntque tibi tua fœdera magno,
Dixit; & utiliùs bellum putat esse minari,
Quàm gerere, atque suas ibi præconsumere vires.
Classis ab Oenopiis etiamnum Lyctia muris
Spectari poterat; cùm pleno concita velo
Attica puppis adest, in portusque intrat amicos:
Quæ Cephalum, patriæque simul mandata ferebat.
Æacidæ longo juvenes post tempore visum
Agnovêre tamen Cephalum, dextrasque dedêre,
Inque patris duxêre domum. Spectabilis heros,
Et veteris retinens etiamnum pignora formæ,
Ingreditur: ramumque tenens popularis olivæ
A dextrâ, lævâque duos ætate minores
Major habet, Clyton & Buten, Pallante creatos.
Postquam congressus primi sua verba tulerunt:
Cecropidum Cephalus peragit mandata, rogatque
Auxilium; fœdusque refert, & jura parentum:
Imperiumque peti totius Achaïdos addit.
Sic ubi mandatam juvit facundia causam;
Æacus in capulo sceptri nitente sinistrâ,
Ne petite auxilium, sed sumite, dixit, Athenæ:
Nec dubiè vires, quas hæc habet insula, vestras
Ducite, & omnis eat rerum status iste mearum.
Robora non desunt. Superest mihi miles, & hosti.
Gratia Diîs, felix & inexcusabile tempus.
Immo ita sit, Cephalus, crescat tua civibus opto

NOTÆ

484. *Asopiades*] Æacus, ex Æginâ Asopi filia ortus.

490. *Lyctia*] Cretenſis, in quâ quidem classe Lyctus etiam urbs Cretæ suos habeat milites.

495. *Cephalum*] Dejonis, vel, ut alii volunt, Mercurii & Herses, quam Cecrops genuit, filium, virum formosissimum, quem etiam Aurora amavit.

498. *Olivæ*] Pacis signi.

500. *Major*] Cephalus natu grandior.

Ib. *Pallante*] Qui Pallas Pandionis Athenarum regis fuit filius.

503. *Fœdus*] Quod Æginetas inter & Athenienſes percussum fuerat.

504. *Peti*] A Minoë: Quod, ut causæ suæ faveret, Æacumque periculi metu moveret, Cephalus addebat.

509. *Omnis eat*] In vestrum auxilium. Malo legere cum Heinsio, *Communis rerum status iste mearum est*, mihi scilicet cum Athenis.

510. *Mihi*] Hoc est, *Supersunt mihi milites, & adjuvandos, & repellendos hostes.*

Res, ait. Adveniens equidem modò gaudia cepi;
Cùm tam pulchra mihi, tam par ætate juventus
Obvia processit. Multos tamen inde requiro,
Quos quondam vidi vestrâ priùs urbe receptus.
Æacus ingemuit; tristique ita voce locutus:
Flebile principium melior fortuna sequetur.
Hanc utinam possem vobis memorare! sine ullo
Ordine nunc repetam. Neu longâ ambage morer vos;
Ossa, cinisque jacent, memori quos mente requiris.
Et quota pars illi rerum perière mearum!
Dira lues irâ populis Junonis iniquæ
Incidit exosæ dictas à pellice terras.
Dum visum mortale malum, tantæque latebat
Causa nocens cladis: pugnatum est arte medendi.
Exitium superabat opem; quæ victa jacebat.
Principio cœlum spissâ caligine terras
Pressit; & ignavos inclusit nubibus æstus.
Dumque quater junctis implevit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem,
Letiferis calidi spirârunt flatibus Austri.
Constat & in fontes vitium veniisse, lacusque;
Milliaque incultos serpentum multa per agros
Errâsse; atque suis fluvios temerâsse venenis.
Strage canum primâ, volucrumq; oviumq; boumq;
Inque feris subiti deprênsa potentia morbi.
Concidere infelix validos miratur arator
Inter opus tauros; medioque recumbere sulco.
Lanigeris gregibus balatus dantibus ægros
Sponte suâ lanæque cadunt, & corpora tabent.
Acer equus quondam, magnæque in pulvere famæ,
Degenerat palmas: veterumque oblitus honorum,
Ad præsepe gemit, morbo moriturus inerti.

Equidem modò applellens lætatus sum, cùm tam elegans juventus, tam similis ætate mihi occurrit: attamen multos inde exquiro, quos vidi olim cùm *exceptus* essem in *vestrâ urbe. Æacus suspiravit, atque sic locutus est lugubri sono: Lætior fortuna sequetur triste principium. Utinam possem vobis hanc referre! nunc narrabo sine ullo ordine: & ne vos detineam prolixo verborum circuitu; quos expetis mente memori, jacent* nîl nisi *ossa & cinis: & cùm illi occiderunt, quota pars occidit rerum mearum! Crudelis pestis immissa est populis irâ Junonis infensæ* atque *odio persequentis tellurem appellatam ab adulterâ. Quamdiu strages credita terrestris, & prava causa tanti mali* nos *fugit, medicâ arte utebamur.* Atqui *Clades vincebat auxilium, quod nihil profuit. Initio aër incubuit terris opacâ caligine, & inclusit calores inertes nubibus. Et dum luna quater implevit orbem cornibus concurrentibus & quater diminuta dissolvit orbem plenum, noti tepentes flaverunt auris pestiferis. Certum est* corruptionem aëris *irrepsisse in fontes, & flagna, atque multa millia anguinum serpsisse per campos desertos, & infecisse flumina suis venenis. Vis mali præcipitis primò nota est interritu canum & avium, & ovium, & boum, itemque ferarum. Miser agricola stupet fortes tauros procumbere inter* arandum, *atque cadere in medio sulco. Vellera ultro defluunt ovium gregibus emittentibus balatus languidos, & corpora extenuantur. Equus nuper generosus, multâ laude* nobilis *in campo contemnit victoriam; atque immemor honorum præteritorum gemit ad præsepe periturus morbo ignavo.*

NOTÆ.

518. *Melior*] Quia postquam suorum jacturam enarraverit Æacus, Jovis beneficium memorabit.

523. *Lues*] Pestem dicit, cujus descriptionem plerique omnes poëtæ ex Thucydide, qui pestem Athenienses elegantissimè expressit, desumpserunt.

524. *Exosæ*] Æginam insulam, à pellice quam odit denominatam.

536. *Strage canum*] Hæc ex primo Iliad. sumpta videntur. Pecudes enim ad terram pronæ, & cerebro minùs frigidæ quam homines, τῆς νοσωδεὶς ἀτμῆς, *hauriebant, & ex his primùm quibus* odora vis.

Aper oblitus est frendere: Cerva non credit cursui; neque ursi invadunt valida armenta. Morbus retinet omnia; atque corpora turpia strata sunt per nemora, per campos, & per vias. Aër est infectus odoribus. Stupenda dico. Neque canes, neque aves rapaces, neque lupi villis *candentes illa* cadavera *gustaverunt: liquefacta diffluunt, atque efflant halitu, & spargunt latè contagia. Lues dimanavit ad infelices agricolas clade majore, atque grassatur intra muros magnæ urbis. Primò præcordia æstuant, atque rubor & difficilis respiratio sunt signa ardoris inclusi. Lingua aspera turget, atque ora exsiccata hiant venis exsultantibus; & aër infectus attrahitur per hiatum. Nequeunt tolerare suppositas vestes, aut ullos amictus: sed immittunt pectora inflata in humum: neque corpus refrigeratur terrâ sed terra ardet ex corpore* imposito. *Neque medicus opem ferre potest, & ipsa fera lues invadit eos; atque artes nocent iis qui illas profitentur. Quò quisque propiùs accedit, & fidentiùs fert opem morbido, celeriùs mortem incurrit. Et cùm spes salutis recessit, & cognoscunt finem contagii in obitu, obsequuntur libidini; neque ullo modo sunt solliciti de eo quod juvet; nihil enim juvat. Hinc inde, pudore abjecto consistunt ad fontes, & flumina, & amplos puteos: neque antè est sitis adempta potando, quàm vita. Multi ibi oppressi non possunt inde sese tollere; atque pereunt in ipsis aquis: nonnullus tamen etiam illas bibit. Et, adeò tædet odiosi tori infelices, ut inde prorumpant; vel si vires impedunt stare, devolvant corpora in terram, & quisque vitet suas domos; suæ sedes cuique videntur exitiales. Et quia causa ignoratur, locus causa creditur vitii. Cerneres semimortuos vagari per vias, dum poterant consistere; alios lugentes & humi stratos & torquentes oculos ultima motu.*

Non aper iraſci meminit; non fidere curſu
Cerva; nec armentis incurrere fortibus urſi.
Omnia languor habet; Silviſque, agriſque, viiſque
Corpora fœda jacent. Vitiantur odoribus auræ.
Mira loquor. Non illa canes, avidæve volucres,
Non cani tetigêre lupi: dilapſa liqueſcunt,
Afflatuque nocent; & agunt contagia latè.
Pervenit ad miſeros damno graviore colonos
Peſtis, & in magnæ dominatur mœnibus urbis.
Viſcera torrentur primò; flammæque latentis
Indicium rubor eſt, & ductus anhelitus ægrè.
Aſpera lingua tumet; trepidiſque arentia venis
Ora patent; auræque graves captantur hiatu.
Non ſtratum, non ulla pati velamina poſſunt;
Dura ſed in terrâ ponunt præcordia: nec ſit
Corpus humo gelidum, ſed humus de corpore fervet.
Nec moderator adeſt: inque ipſos fæva medentes
Erumpit clades; obſuntque auctoribus artes.
Quò propior quiſque eſt, ſervitque fideliùs ægro,
In partem leti citiùs venit. Utque ſalutis
Spes abiit, finemque vident in funere morbi;
Indulgent animis: & nulla, quid utile, cura eſt:
Utile enim nihil eſt. Paſſim poſitoque pudore,
Fontibus, & fluviis, puteïſque capacibus hærent:
Nec priùs eſt extincta ſitis, quàm vita, bibendo.
Inde graves multi nequeunt conſurgere, & ipſis
Immoriuntur aquis: aliquis tamen haurit & illas.
Tantaque ſunt miſeris inviſi tædia lecti;
Proſiliunt; aut, ſi prohibent conſiſtere vires,
Corpora devolvunt in humum; fugiuntque penates
Quiſque ſuos: ſua quiq; domus funeſta videtur.
Et quia cauſa latet, locus eſt in crimine notus.
Semianimes errare viis, dum ſtare valebant,
Aſpiceres; flentes alios, terræque jacentes;
Laſſaque verſantes ſupremo lumina motu.

NOTÆ.

550. *Dilapſi*] Cadavera intacta à canibus & vulturibus tabes abſumerat.

551. *Afflatuque nocent*] Expirant enim odoris fœditatem intolerabilem.

561. *Moderator*] Medicum dicit.

562. *Obſunt*] Quia dum apud ægros verſantur, peſte quoque corripiuntur.

[Membraque

[Membraque pendentis tendunt ab sidera cœli,
Hîc, illîc ubi mors deprênderat exhalantes.]
Quid mihi tunc animi fuit? an, quod debuit esse,
Ut vitam odissem, & cuperem pars esse meorum?
Quò se cunque acies oculorum flexerat, illîc
Vulgus erat stratum. Veluti cùm putria motis
Poma cadunt ramis, agitatâque ilice glandes.
Templa vides contrà gradibus sublimia longis:
Jupiter illa tenet. Quis non altaribus illis
Irrita thura tulit? quoties pro conjuge conjux,
Pro gnato genitor, dum verba precantia dicit,
Non exoratis animam finivit in aris,
Inque manu thuris pars inconsumpta reperta est!
Admoti quoties templis, dum vota sacerdos
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum,
Haud expectato ceciderunt vulnere tauri!
Ipse ego sacra Jovi pro me, patriâque, tribusque
Cùm facerem natis, mugitus victima diros
Edidit; & subitò collapsa sine ictibus ullis
Exiguo tinxit subjectos sanguine cultros.
Fibra quoq; ægra notas veri, monituſq; Deorum
Perdiderat. Tristes penetrant ad viscera morbi.
Ante sacros vidi projecta cadavera postes:
Ante ipsas, quò mors foret invidiosior, aras.
Pàrs animam laqueo claudunt; mortisque timorem
Morte fugant: ultroque vocant venientia fata.
Corpora missa neci nullis de more feruntur
Fûneribus: neque enim capiebant funera portæ.
Aut inhumata premunt terras: aut dantur in altos
Indotata rogos. Et jam reverentia nulla est:
Deque rogis pugnant; alieniſque ignibus ardent.

Atque hinc inde ubi mors corripuerat efflantes animam, tollunt artus ad astra cœli imminentis. Quid mihi fuit tunc mentis? an, quod oportuit esse, ut vitam odio haberem, & optarem esse pars meorum qui occubuerunt? *In quamcunque partem lumen oculorum se obverterat, ibi erat plebs jacens: quemadmodum cùm poma corrupta defluunt ramis agitatis, aut glandes quercu concussâ. Cernis è regionè templa excelsa longis gradibus; Jovi dicata sunt. Quis non immisit thura inutilia illis aris? Quoties dum consors tori fundit preces pro consorte, pater pro filio, efflavit spiritum ad altaria* Deorum vota *non audientium? Atque pars thuris inventa est integra in manu. Quoties boves adducti ad templa procubuerunt non expectato ictu, dum sacerdos fundit preces, & spargit vinum purum inter cornua. Cùm ipse ego sacra facerem Jovi pro me, pro patriâ, atque tribus filiis, victima emisit horrendos mugitus; atque statim procumbens sine ullis ictibus, infecit cultros immissos pauco sanguine. Fibra etiam morbida amiserat signa quibus verum* cognoscitur *& voluntas Deorum: fera lues grassatur in præcordia: Conspexi cadavera prostrata ad sacra* templorum *limina*; immo *ad altaria ipsa, ut mors esset magis odiosa. Pars suffocant spiritum fune, atque depellunt metum obitûs obitu; & arcessunt fata sponte accidentia. Corpora morti tradita nullis exsequiarum* honoribus *efferuntur pro more, neque enim valvæ erant capaces exsequiarum. Vel sternuntur humi absque sepulturâ; vel inhonorata tolluntur in excelsos rogos. Neque jam ulla est veneratio: atque certant de rogis, & comburuntur alienis flammis.*

NOTÆ.

580. *Pendentis*] Undique suspensi, convexi.

587. *Vides*] Hoc dicit Æacus, digito templum demonstrans.

594. *Fundit*] Post libatam, avulsus setis, post immolatam, sale & farre fronti interspersis, probata est hostia, vino, eoque mero, inter cornua fuso.

595. *Haud expectato*] Lue, non securi ceciderunt.

600. *Fibra*] Per viscerum patres extremas futurorum veritatem rimari solebant Haruspices; quæ quidem partes cùm morbo absorptæ & vitiatæ essent, nullum indicium habebant.

606. *Nullis de more*] Nullo exequiarum honore honestata dicit cadavera, cùm ea *ne quidem* portæ capere potuissent quæ efferre studuissent. *Funus* est pompa exequiarum.

609. *Indotata*] Nec thure in rogum ingesto, nec ab amicis collatis muneribus contra quàm vulgò fiebat.

Nulli sunt qui lugeant; atque animæ nullis lacrymis honoratæ liberorum & virorum, & juvenum, & senum errant. Neque locus est satis vastus ad sepulchra, neque ligna satis copiosa ad ignes. Stupens tantâ perturbatione rerum miserarum, ô Jupiter, dixi, siquidem non falsò dicunt te venisse in amplexus Æginæ Asopidos, Neque te pudet esse nostrum patrem, magne pater; vel restitue mihi meos, vel compone me etiam tumulo. Ille favoris indicium fecit fulgure, & tonitru prospero. Accipio, inquam, atque oro ista sint lætæ indicia tuæ voluntatis: propignore felici accipio præsagium quod mihi offers. Fortè adstitit quercus de semine Dodonæo, Jovi sacra rarissima amplis ramis. Nos ibi vidimus formicas grana colligentes & trahentes parvo ore longo ordine magnum pondus, atque tenentes suam semitam per asperum corticem quercûs. Cùm coptam admirarer, Totidem, inquam, concede mihi cives, Parens optime, atque imple urbem hominibus vacuam. Quercus excelsa concussa est atque strepitum edidit ramis agitatis sine vento. Artus tremuerunt mihi timido, & capilli erant erecti horrore. Nihileminus deosculatus sum terram atque quercum: neque testabar me sperare, sperabam tamen, atque servabam mente mea desideria. Nox subsequitur: atque sopor invadit corpora defatigata sollicitudinibus. Eadem quercus visa est mihi adesse coram oculis, totidem habens ramos, & totidem animalia ramis; atque tremere eâdem agitatione; atque diffundere in proximos campos turbam formicarum grana ferentium. Quæ repentè visa est augeri, & major atque major fieri.

Qui lacryment, desunt: indefletæque vagantur
Natorumq; virûmq; animæ, juvenumq; senumque.
Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes.
Attonitus tanto miserarum turbine rerum,
Jupiter ô, dixi, si te non falsa loquuntur
Dicta sub amplexus Æginæ Asopidos îsse:
Nec te, magne pater, nostri pudet esse parentem;
Aut mihi redde meos: aut me quoque conde sepul-
Ille notam fulgore dedit, tonitruque secundo. [chro.
Accipio, sintque ista precor felicia mentis
Signa tuæ, dixi: quod das mihi, pigneror, omen.
Fortè fuit juxtà patulis rarissima ramis
Sacra Jovi quercus de semine Dodonæo.
Hic nos frugilegas aspeximus agmine longo
Grande onus exiguo formicas ore gerentes,
Rugosoque suum servantes cortice callem.
Dum numerum miror, Totidem, pater optimè, dixi,
Tu mihi da cives: & inania mœnia reple.
Intremuit, ramisque sonum fine flamine motis
Alta dedit quercus. Pavido mihi membra timore
Horruerant, stabantque comæ. Tamen oscula terræ,
Roboribusque dedi: nec me sperare fatebar;
Sperabam tamen; atque animo mea vota fovebam.
Nox subit: & curis exercita corpora somnus
Occupat. Ante oculos eadem mihi quercus ad-
esse, 635
Et ramos totidem, totidemque animalia ramis
Ferre suis visa est; parilique tremiscere motu:
Graniferumque agmen subjectis spargere in arvis.
Crescere quod subitò, & majus majusque videri,

NOTÆ.

611. *Vagantur*] Ex veterum opinione, qui insepultorum vel minùs splendidè compositorum umbras errare dictitabant.

616. *Asopidos*] Filiæ Asopi, qui Bæotiæ fluvius in finum Corinthiacum labens.

623. *De semine Dodonæo*] Id est, ex illarum quercuum genere, quæ apud Dodonam crevere. Dodona autem est civitas Chaoniæ reg. Epiri, sic dicta à Dodone Jovis & Europæ filiâ; huic propinquum erat nemus Jovi sacrum, ubi templum Jovis Dodonæi fuisse dicitur. Columbas in hâc silvâ vaticinantes fingunt, quid Thessali mulieres fatidicas περιστερὰς, i. e. *columbas* vocârunt: alii autem quercus ipsas vocales volunt, & consulentibus edere oraculo solitas.

629. *Intremuit*] Firmandi ominis causâ, exauditis precibus.

Ac

Ac se tollere humo; rectoque adsistere trunco:
Et maciem numerumque pedum, nigrumq; colorem
Ponere: & humanam membris inducere formam.
Somnus abît. Damno vigilans mea visa; querorq;
In Superis opis esse nihil. At in ædibus ingens
Murmur erat: vocesque hominum exaudire videbar,
Jam mihi desuetas. Dum suspicor has quoque somni,
Ecce venit Telamon properus: foribusque reclusis,
Speque, fideque, pater, dixit, majora videbis.
Egredere. Egredior: qualesque in imagine somni
Visus eram vidisse viros: ex ordine tales
Aspicio, agnoscoque. Adeunt; regemque salutant.
Vota Jovi solvo, populisque recentibus urbem
Partior, & vacuos priscis cultoribus agros,
Myrmidonasque voco; nec origine nomina fraudo.
Corpora vidisti. Mores, quos ante gerebant,
Nunc quoque habent: parcumque genus, patiensque laborum,
Quæsitique tenax, & qui quæsita reservent.
Hi te ad bella pares annis, animisque sequentur,
Cùm primùm, qui te feliciter attulit, Eurus
(Eurus enim attulerat) fuerit mutatus in Austros.
XXVI. Talibus atque aliis longum sermonibus illi
Implevêre diem. Lucis pars ultima mensæ
Est data, nox somnis. Jubar aureus extulerat sol:
Flabat adhuc Eurus; redituraque vela tenebat.
Ad Cephalum Pallante sati, cui grandior ætas;
Ad regem Cephalus, simul & Pallante creati
Conveniunt. Sed adhuc regem sopor altus habebat.

& se efferre supra terram & stare erecto corpore, & deponere gracilitatem, & copiam pedum & colorem atrum, & induere figuram humanam per artus. Sopor excussus est. Experrectus condemno mea insomnia; atque doleo nihil esse auxilii à Diis. At murmur magnum erat in regiâ meâ, atque videbar audire sonitum virorum cui jamdiu non fueram assuetus. Dum dubito ne & de hoc sono somniavi tantùm, ecce Telamon adest festinans atque januâ apertâ, Genitor, inquit, comperies majora spe atque fide tuâ. Prodi quæso. Prodeo, atque video & cognosco tales viros singulatim, quales credideram vidisse per simulacra soporis. Accedunt, & salutant me tanquam *suum regem. Rependo vota Jovi, & distribuo urbem atque arva orba antiquis colonis in novos populos: atque appello Myrmidonas; neque spolio eos nativo nomine. Aspexisti corpora. Iisdem vivunt moribus quibus priùs imbuti erant: gens parsimoniæ studens, & labori addicta, & servans quod lucrifecit, & reponens parta in futurum. Hi annis atque fortitudine similes comitabuntur te ad pugnas, statim atque subsolanus, qui te feliciter adduxit, (subsolanus enim adduxerat) fuerit versus in Notos.*

XXVI. *Illi consumserunt longum diem hujusmodi atque aliis colloquiis. Pars diei novissima concessa est epulis, nox soporis. Sol splendidus advexerat lucem; Subsolanus adhuc spirabat, atque impediebat carbasa reversura. Filii Pallantis cœunt ad Cephalum, qui provectior erat ætate; Cephalus & filii Pallantis unà adeunt regem Æacum: sed somnus gravis adhuc illum tenebat.*

NOTÆ.

640] *Recto*] Qualis est hominum.

646. *Desuetas*] Quia omnes prope tabe interîerant.

Ib. *Somni*] Quia res videbatur incredibilis.

654. *Myrmidonasque*] Μύρμηξ nempe Græcis formica dicitur: Revera autem illum ideo nomen Æginetis impositum, quòd formicarum more, prædonum metu in antris degerent, terram foderent & agriculturam exercerent qui Æaci precibus in homines mutati finguntur, quòd docente illo, naves ædificare hostibus resistere, in hominum denique conspectum prodire inceperint. Strabo lib. VIII.

660. *Austros*] Quibus ex Æginâ ad Athenas navigatio opportuna.

662. *Pars ultima mensæ*] Prandia enim vetustiori ævo prorsùs ignota.

665. *Pallante sati*] Pallantis Athenienſis filii duo Clytus & Butes.

Excipit Æacides illos in limine Phocus:
Nam Telamon fraterque viros ad bella legebant.
Phocus in interius ſpatium pulchroſque receſſus
Cecropidas ducit. Cum queis ſimul ipſe reſedit,
Aſpicit Æoliden ignotâ ex arbore factum
Ferre manu jaculum, cujus fuit aurea cuſpis.
Pauca priùs mediis ſermonibus ille locutus,
Sum nemorum ſtudioſus, ait, cædiſque ferinæ:
Quâ tamen è ſilvâ teneas haſtile reciſum,
Jamdudum dubito: certè, ſi fraxinus eſſet,
Fulva colore foret: ſi cornus, nodus ineſſet.
Unde ſit ignoro: ſed non formoſius iſto
Viderunt oculi telum jaculabile noſtri.
Excipit Actæis è fratribus alter: & uſum
Majorem ſpecie mirabere, dixit, in iſto.
Conſequitur quodcunque petit: Fortunaque miſſum
Non regit; & revolat nullo referente cruentum.
Tum verò juvenis Nereïus omnia quærit;
Cur ſit, & unde datum; quis tanti muneris auctor,
Quæ petit, ille refert; ſed, quæ narrare pudori eſt,
Quâ tulerit mercede, ſilet: tactuſque dolore
Conjugis amiſſæ, lacrymis ita fatur obortis:
Hoc me, nate Deâ, (quis poſſit credere?) telum
Flere facit, facietque diu; ſi vivere nobis
Fata diu dederint. Hoc me cum conjuge carâ
Perdidit. Hoc utinam caruiſſem munere ſemper!
Procris erat (ſi fortè magìs pervenit ad aures
Orithyïa tuas) raptæ ſoror Orithyïæ.
Si faciem moreſque velis conferre duarum,
Dignior ipſa rapi. Pater hanc mihi junxit Erechtheus:

Phocus excipit illos ad fores: nam Telamon atque ejus frater Peleus *habebant delectum virorum pro militiâ. Phocus ducit Athenienſes in penetralia, atque ornatos ſucceſſos regiæ, cum quibus ſtatim atque ſedit, videt Æoliden gerere manu telum fabricatum ex ligno ignoto, cujus mucro fuit aureus. Ille priùs pauca præfatus ex uſu communi, inquit, gaudeo ſilvis & ferarum interitu; quo tamen ex ligno ſit deſumptum jaculum, quod tractas, jam diu incertus ſum; certè ſi eſſet ex fraxino, eſſet colore flavo; ſi ex corno, nodus ineſſet. Neſcio ex quo ligno ſit: ſed noſtri oculi non aſpexerunt haſtile pulchrius iſto. Unus ex fratribus Athenienſibus reſpondet: Atque, inquit, miraberis in iſto utilitatem majorem formâ. Attingit quicquid appetit; & nulli ſubjicitur fortunæ; & redit ſanguine infectum nemine referente. Tum* vero *juvenis Nereïus percunctatur cuncta; quamobrem, & unde ſit ablatum; quis auctor tanti doni. Ille reddit quæ poſcit; ſed tacet quæ indecorum eſt referre, & quâ mercede acceperit; atque mœrore commotus propter uxorem perditam, ſic incipit, lacrymis profluentibus. Hoc jaculum, nate Deâ (quis poſſit fidem adhibere?) mihi movet fletus, & movebit diu, ſi fata nobis conceſſerint vivere diu. Hoc me prodidit cum dilectâ uxore: utinam caruiſſem ſemper iſto dono! Procris (ſi fortè potiùs Orithyïa pervenit ad aures tuas) erat ſoror Orithyïæ ablatæ.* Atque equidem *ipſa Procris dignior abripi; ſi velis comparare formam & mores utriuſque. Pater Erechtheus mihi hanc dedit conjugem;*

NOTÆ.

672. *Æoliden*] Cephalum Dionis filium Æoli nepotem, ſiquidem Deionem Apollodorus inter Æoli liberos recenſet.

674. *Mediis*] Id eſt, quæ in medium ſine omni peculiari ſcopo proferri ſolent.

681. *Alter*] Clytus nempe, ſeu Butes, de quibus ſuprà.

683. *Conſequitur*] Videtur ex Aquifoliâ factum; de quâ vide Plin. lib. xxiv. cap. 13.

685. *Nereïus*] Phocus, quem ex Pſamathe Nereï filiâ Æacus ſuſtulit.

688. *Mercede*] Procri nempe uxore pro communicato lecto jaculum ab ipsâ Cephalus accepit; cùm ſeſe illa in hoſpitam mutâſſet; ſuum verò eſſe Cephalum non cognoviſſet.

690. *Deâ*] Pſamathe nymphâ, quam Phoci matrem diximus.

695. *Orithyïa*] Erechthei Athenienſium regis filia, quam ob formam Boreas rapuiſſe dicitur.

Hanc

Hanc mihi junxit Amor. Felix dicebar, eramque:
(Non ita Diis visum est) ac nunc quoq; forsitan essem.
Alter agebatur post pacta jugalia mensis:
Cùm me cornigeris tendentem retia cervis
Vertice de summo semper florentis Hymetti
Lutea manè videt pulsis Aurora tenebris:
Invitumque rapit. Liceat mihi vera referre,
Pace Deæ; quòd sit roseo spectabilis ore,
Quòd teneat lucis, teneat confinia noctis,
Nectareis quòd alatur aquis; ego Procrin amabam:
Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore.
Sacra tori, coïtusque novos, thalamosque recentes,
Primaque deserti referebam fœdera lecti.
Mota Dea est: &, Siste tuas, ingrate, querelas,
Procrin habe, dixit. Quòd si mea provida mens est,
Non habuisse voles. Meque illi irata remisit.
Dum redeo, mecumque Deæ memorata retracto,
Esse metus cœpit, ne jura jugalia conjux
Non bene servâsset. Faciesque, ætasque jubebant
Credere adulterium: prohibebant credere mores.
Sed tamen abfueram: sed & hæc erat, unde redibam,
Criminis exemplum: sed cuncta timemus amantes.
Quærere, quo doleam, studeo; donisq; pudicam
Sollicitare fidem. Favet huic Aurora timori:
Immutatque meam (videor sensisse) figuram.
Palladias ineo non cognoscendus Athenas:
Ingrediorque domum. Culpâ domus ipsa carebat;
Castaq; signa dabet: dominoque erat anxia rapto.
Vix aditu per mille dolos ad Erichthida facto;
Ut vidi, obstupui: meditataque pœnè reliquî
Tentamenta fide: malè me, quin vera faterer,
Continui; malè quin, ut oportuit, oscula ferrem.

Amor hanc mecum sociavit. Beatus credebar, & beatus *eram: (Non ita placitum erat diis) & nunc essem fortè si modò iis placuisset. Secundus mensis incipiebat post sponsalia, cùm Aurora crocea me conspicit manè dejectis tenebris ex fastigio Hymetti semper florentis, struentem plagas cervis cornutis; atque* me *aufert repugnantem. Concedatur mihi narrare vera, sine odio Deæ: quòd sit pulcherrima facie roseâ, quòd* media sit *inter confinia diei, & noctis, quòd vivat liquore nectareo; Ego amabam Procrin; Procris erat semper mihi in corde, Procris erat in ore. Repetebam sacra lecti, & recentes concubitus, & nuptias nuperas, & prima jura tori derelicti. Dea est accensa; atque, inquit, reprime tuas querimonias, ingrate, Procrin obtineas. Quòd si meus animus aliquid prospicit, optabis non habuisse* eam: *atque irata me illi reddidit. Dum revertor, atque revolvo mecum Deæ monita, occœpi timere, ne uxor non bene custodivisset fœdera connubialia: atque pulchritudo & anni suadebant mihi credere* eam *adulterium commisisse: mores dehortabantur credere. Verùm tamen discesseram: verùm & hæc* Aurora *à quâ revertebar, erat exemplum adulterii; verùm* nos *amantes omnia reformidamus. Nitor fingere quod me sollicitet; atque tentare muneribus fidem pudicitiæ. Aurora favit huic pavori; atque vertit meam formam: (videor sensisse.) Subeo Athenas Palladias nulli cognoscendus, atque intro domum. Ipsa domus vacabat crimine, & indicia faciebat castitatis, atque erat sollicita ob dominum ablatum. Accessu vix dato ad Erechthei filiam per mille artes, cùm intuitus sum, obstupui: atque propemodum deserui fidei experimenta animo instituta: ægrè me repressi, quin agnoscerem vera; ægrè quin, ut decuit, suavia darem.*

NOTÆ.

702. *Hymetti*] Qui Atticæ mons est, thymo, melle, apibus, & marmore nobilis.

704. *Rapit*] Formosissimi juvenis amore incensa.

710. *Prima*] Nam Procridi dederat fidem se cum aliâ muliere non coiturum.

Ib. *Deserti lecti*] Derelictæ uxoris.

719. *Criminis*] Aurora enim exemplo monstravit, quàm facilè mulieres in adulterium incidant.

720. *Quærere*] Tzetzes 1 Chil. 20. narrat deprehensam à Cephalo cum Pteleonte juvene, à quo acceperat auream coronam.

726. *Erechthida*] Quæ ipsa Procris est Erichthei filia.

728. *Fidê*] Pro *fidei*, antiquè.

Triſtis erat: ſed nulla tamen formoſior illâ
Eſſe poteſt triſti; deſiderioque calebat
Conjugis abrepti. Tu collige, qualis in illâ,
Phoce, decor fuerit: quam ſic dolor ipſe decebat.
Quid referam, quoties tentamina noſtra pudici
Reppulerint mores? quoties, Ego, dixerit, uni
Servor, ubicunque eſt: uni mea gaudia ſervo?
Cui non iſta fide ſatìs experientia ſano
Magna foret? non ſum contentus: & in mea pugno
Vulnera; dum cenſus dare me pro nocte paciſcor.
Muneraque augendo tandem dubitare coëgi.
Exclamo: Malè tectus ego en, malè pactus adulter
Verus eram conjux: me, perfida, teſte teneris.
Illa nihil: tacito tantummodo victa pudore
Inſidioſa malo cum conjuge limina fugit;
Offensâque mei genus omne peroſa virorum
Montibus errabat ſtudiis operata Dianæ.
Tum mihi deſerto violentior ignis ad oſſa
Pervenit: orabam veniam; peccâſſe fatebar,
Et potuiſſe datis ſimili ſuccumbere culpæ
Me quoque muneribus; ſi munera tanta darentur:
Hoc mihi confeſſo, læſum priùs ulta pudorem,
Redditur, & dulces concorditer exigit annos.
Dat mihi præterea, tanquam ſe parva dediſſet
Dona, canem munus; quem cùm ſua traderet illi
Cynthia, Currendo ſuperabit, dixerat, omnes.
Dat ſimul & jaculum; manibus quod (cernis) habemus.

Mœſta erat: verùm tamen nulla poteſt eſſe pulchrior quàm illa etiam dum mœſta fuit; atque flagrabat deſiderio mariti ſublati. Tu, Phoce, conjice, qualis fuerit in illâ venuſtas, quam ærumna ipſa ſic decebat. Quamobrem dicam, quoties honeſti mores coarguerint noſtros conatus? quoties dixerit, Ego ſervor uni, ubicunque eſt; ſervo meam voluptatem uni? Cui ſapienti iſtud periculum fidei non ſit ſatìs tutum? Non ſum expletus; & tendo in meum exitium, dum ſpondeo pretium pro nocte, atque cumulando dona ſubegi eam *denique vacillare. Vociferor; Ecce ego malè occultus, male promiſſus adulter, eram verus maritus: coargueris me teſte, infida. Illa nihil* reſpondit: *ſed tantùm ſuperata ſecreto pudore vitat domum, in quâ ſibi inſidiæ erant ſtructæ, cum perverſo conjuge: atque odio habens totam gentem virorum ob meam injuriam, per montes vagatur dedita miniſteriis Dianæ. Tum amor vehementior pervadit oſſa* mea *cùm derelictus eſſem; precabar ut ignoſceret, & agnoſceham me in culpâ eſſe: & potuiſſe etiam in ejuſmodi crimen venire oblatis donis, ſiquidem tanta dona offerrentur. Redit ad me poſtquam ea agnoviſſem antè ulta pudorem offenſum; atque unanimis tranſigit annos amabiles. Dat mihi inſuper, (ſicuti dediſſet ſe* tanquam *exiguum munus,) canem, quem cùm ſua Diana illi daret, dixerat, antevertet cunctus curſu. Tradit* mihi *unà telum, quod,* ut *vides, tractamus manibus.*

NOTÆ.

732. *Conjugis*] Mariti Cephali, quem putabat ab Aurorâ fuiſſe raptum.

737. *Fide*] Pro *fidei*, iterum; niſi mavis eum uno Vaticano, *Cui non iſta ſatìs fidei*, ut obſervavit Cioſanus.

739. *Cenſus*] Amplas ſuas divitias pro concubitu.

744. *Fugit*] Atque tum ad Minoëm Cretæ regem pervenit, à quo jaculum inevitabile & canem Lælapa accepit, quem nulla fera poſſet evitare; quibus quidem muneribus ipſa quoque ſpecie mutata Cephalum maritum ad nictum adulterium pellexit, quod & pariter deprehenſo exprobavit. Quanquam aliter Hyginus, itemque Ovidius noſter.

745. *Offensâque mei*] *Quòd me offendiſſet*, nam activè vox illa plerumque ſumitur *offenſi* paſſivè.

746. *Studiis*] *Venationi.*

751. *Hoc*] Non tamen ſatìs apertè, neque utì ſuprà indicavimus, ſeſe à Procri deceptum, ut obſcurè fatetur.

755. *Cynthia*] Diana, à Cyntho Deli inſulæ monte, ubi nata dicitur.

XXVII. Muneris alterius quæ sit fortuna requiris?

Accipe. Mirandi novitate movebere facti.
Carmina Laïades non intellecta priorum
Solverat ingeniis: & præcipitata jacebat
Immemor ambagum vates obscura suarum.
Scilicet alma Themis non talia linquit inulta.
Protinus Aöniis immittitur altera Thebis
Pestis; & exitio multi pecorumque, suoque
Rurigenæ pavere feram. Vicina juventus
Venimus: & latos indagine cinximus agros.
Illa levi velox superabat retia saltu:
Summaque transibat positarum lina plagarum.
Copula detrahitur canibus, quos illa sequentes
Effugit, & volucri non secius alite ludit.
Poscor & ipse meum consensu Lælapa magno;
Muneris hoc nomen. Jamdudum vincula pugnat
Exuere ipse sibi, colloque morantia tendit.
Vix bene missus erat; nec jam poteramus, ubi esset,
Scire; pedum calidus vestigia pulvis habebat:
Ipse oculis ereptus erat. Non ocior illo
Hasta, nec excussæ contorto verbere glandes,

XXVII. *Posisne quæ sit fors alterius dona? Audi. Tangeris novitate facti: stupendi. Laïades explicuerat ænigmata quæ majores non poterant comprehendere, atque vates ambigua dicta sui procubuit oblita ænigmatum suorum. Nimium alma Themis non sinit talia impunita. Extemplo aliud monstrum excitatur in Thebas Aonias; atque plurimi coloni aluerunt feram damno pecorum atque suo. Proxima juventus accurrimus; atque circumdedimus vastos campos indagine. Illa agilis superabat plagas facili saltu; atque transgrediebatur supremos funes retium extensorum. Canes solvuntur, quos insequentes illa prævertit, neque aliter eos frustratur quàm avis volatilis. Meus Lælaps petitur à me unanimi voto; Hoc* erat *nomen dono. Jam diu ipse nititur se expedire loris & collo* ea detrahere *quæ morabantur* eum inter currendum. *Vix bene solutus erat, neque jam poteramus nôsse ubi esset; Pulvis calidus retinebat impressionem pedum; ipse erat sublatus ab oculis. Jaculum non fertur velocius illo, neque globi emissi funda contortâ,*

NOTÆ.

757. *Alterius*] *Canis* nempe.

759 *Carmina*] Quibus Sphingis monstri ex Typhone & Echidnâ nati, ænigma continebatur: montem Sphingium juxta Thebas Sphinx ille infederat, unde in viatores impetum facere solebat. *Quodnam illud esset animal, quod manè quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes esset?* interrogabat: cui rei cùm nullus posset satisfacere, imperitos laniabat. Ænigma verò dissolvit Oedipus, qui *Hominem animal illud esse dixit*, de quo Sphinx loquebatur; *siquidem ille in infantiâ manibus & pedibus repens veriùs quàm incedens quadrupes videretur, cùm adolescens bipes, senio confectus & baculo nitens tripes dici mereretur.* Atque hujus solutionis dolore sese Sphinx de saxo præcipitem dedit.

759. *Laïades*] *Oedipus* Laii Thebanorum regis filius.

761. *Vates obscura*] Sphinx monstrum capite & vultu puellam, alis avem, reliquo corpore leonem referens; à Junone adversus Thebanos immissum.

762. *Themis*] Cœli ac Terræ filia, quæ hominesquod fas sit servare docebat, cujus vetustissimum fuit in Bœotiâ oraculum.

Ib. *Talia*] (i. e.) Cædem Laii & nuptias Oedipi cum matre suâ Jocastâ.

763. *Aöniis*] *Bœotiis*; est enim Aonia Bœotiæ pars montana.

764. *Pestis*] De vulpe intelligit: quomodo & alibi *pestis Nemæa* pro Leone sumitur.

765. *Pavere*] Non modò eam feram pueros rapuisse, sed ei trigesimo quoque die unum expolitum fuisse, quem ablatum devorabat, narrant Ant. Liberalis.

766. *Indagine*] Hoc est, hominum, plagarum, retium, formidinum circumducto. Venationi vox propria.

770. *Ludit*] Deludit, decipit. Vulpes enim circumcurrendo maximè canes eludunt.

771. *Lælapa*] Qui canis fuit Cephalo à Procri datus, ab impetu & velocitate sic dictus.

772. *Vincula*] Vinculum, quo tenebatur.

Nec

neque levis fugitta ab arcu Gortyniaco. Culmen montis medii tollitur super campos subjectos: Illuc ascendo, atque specto novos cursus: undefera conspecta est interdum corripi, nunc se subtrahere ab ipso vulnere. Neque vasra fugit recto calle, & in campum, sed eludit rictus insequentis: & recurrit in circulum, ne hostis Lælaps *utatur suis viribus. Hic urget, & sequitur* eam in cursu sibi *æqualem, atque similis corripienti non corripit, atque intentat morsus inanes in aërem. Confugiebam ad auxilium teli: quod dum dextera vibrat, dum conor inserere digitos in amenta, dimovi oculos; atque reflexeram rursus reductos ad eundem locum, video (monstrum) duo marmorea* signa *in mediâ planitie: crederes hoc fugere, illud latrare. Nempe Deus voluit utrumque indomitum esse in contentione cursûs: si quis Deus auxilio fuit illis.*

Nec Gortyniaco calamus levis exit ab arcu.
Collis apex medii subjectis imminet arvis:
Tollor eò, capioque novi spectacula cursûs:
Quà modò deprendi, modò se subducere ab ipso
Vulnere visa fera est. Nec limite callida recto,
In spatiumque fugit; sed decipit ora sequentis:
Et redit in gyrum, ne sit suus impetus hosti.
Imminet hic, sequiturque parem: similisque tenenti
Non tenet, & vacuos exercet in aëra morsus.
Ad jaculi vertebar opem: quod dextera librat
Dum mea, dum digitos amentis indere tento,
Lumina deflexi: revocataque rursus eódem
Rettuleram, medio (mirùm) duo marmora campo
Adspicio: fugere hoc, illud latrare putares.
Scilicet invectos ambo certamine cursûs
Esse Deus voluit; si quis Deus adfuit illis.

XXVIII. Hactenus: & tacuit. Jaculo quod crimen in ipso?
Phocus ait. Jaculi sic crimina reddidit ille.
Gaudia principium nostri sint, Phoce, doloris.
Illa priùs referam. Juvat ô meminisse beati
Temporis, Æacida, quo primos ritè per annos
Conjuge eram felix; felix erat illa marito.
Mutua cura duos, & amor socialis habebat.
Nec Jovis illa meo thalamos præferret amori:
Nec me quæ caperet, non si Venus ipsa veniret,
Ulla erat. Æquales urebant pectora flammæ.
Sole ferè radiis feriente cacumina primis,
Venatum in silvis juveniliter ire solebam:
Nec mecum famulos, nec equos, nec naribus acres

XXVIII. *Hucusque* locutus est Cephalus: *dein siluit. Quâ in culpâ fuit telum, inquit Phocus? Ille sic exposuit culpam tesi. Lætitia sit initium nostræ ærumnæ, Phoce: eam priùs narrabo. Gratum est, ô Æacida, recordari felicis temporis, quo eram perfectè beatus uxore primis annis: illa erat beata viro. Sollicitudo reciproca, atque amor conjugalis tenebat ambos; neque illa anteponeret lectum Jovis meo amori; neque ulla erat, quæ me amore incenderet, non si Venus ipsa adesset. Par amor flagrabat in corde* utriusque. *Quamprimum ferè sol illustraverat* montium *fastigia radiis suis, consueveram profisci ad venationem in nemora more juvenum: neque patiebar servos, neque equos, neque canes odoros mecum*

NOTÆ.

778 *Gortyniaco*] *Cretenſi. Gortyn* enim, quæ & *Gortys* dicitur, Cretæ inſulæ urbs eſt, ſagittariâ arte celeberrima.

782. *Fera*] Vulpem hanc Teumeſſiam, à Teumeſſo Thebanorum vico, vocat Pauſanias in Bœoticis. Palæphatus verò & Tzetzes 1 Chil. 20. virum fuiſſe aiunt, cui nomen Alopex, &c.

784. *Ne ſit ſuus*] Non enim poſſunt toto impetu currere canes, cùm tergiverſantem perque varios orbes ſeſe morſibus ſubtrahentem feram perſequuntur.

788. *Amentis*] *Amenta* ſunt lora, quibus jacula faciliùs longiuſque emittuntur.

790. *Marmora*] In quæ fera & canis mutati ſunt, uti quidem Naſoni placuit; nam illi aliter.

792. *Ambo*] Pro *ambos* antiquè.

798. *Æacida*] Phocum Æaci filium alloquitur.

Ire

Ire canes, nec lina sequi nodosa sinebam.
Tutus eram jaculo. Sed cum satiata ferinæ
Dextera cædis erat; repetebam frigus, & umbras,
Et, quæ de gelidis halabat vallibus, auram.
Aura petebatur medio mihi lenis in æstu:
Auram expectabam; requies erat illa labori.
Aura (recordor enim) venias, cantare solebam;
Meque juves, intresque sinus, gratissima, nostros;
Utque facis, relevare velis, quibus urimur, æstus.
Forsitan addiderim (sic me mea fata trahebant)
Blanditias plures: &, Tu mihi magna voluptas,
Dicere sim solitus, tu me reficisque, fovesque:
Tu facis, ut silvas, ut amem loca sola; meoque
Spiritus iste tuus semper captatur ab ore.
Vocibus ambiguis deceptam præbuit aurem
Nescio quis: nomenque auræ tam sæpe vocatum
Esse putans nymphæ, nympham mihi credit amari.
Criminis extemplò ficti temerarius index
Procrin adit; linguâque refert audita susurra.
Credula res amor est. Subito collapsa dolore,
Ut sibi narratur, cecidit; longoque refecta
Tempore, se miseram, se fati dixit iniqui:
Deque fide questa est. Et crimine concita vano,
Quod nihil est, metuit; metuit sine corpore nomen:
Et dolet infelix veluti de pellice verâ.
Sæpe tamen dubitat, speratque miserrima falli;
Indicioque fidem negat; &, nisi viderit ipsa,
Damnatura sui non est delicta mariti.
Postera depulerant Auroræ lumina noctem;
Egredior, silvasque peto: victorque per herbas,
Aura veni, dixi, nostroque medere labori.
Et subitò gemitus inter mea verba videbar
Nescio quos audîsse. Veni, tamen, optima, dixi.
Fronde levem rursus strepitum faciente caducâ,
Sum ratus esse feram; telumque volatile misi.
Procris erat; medioque tenens in pectore vulnus,

venire, neque retiâ nodosa apportari. Securus eram telo. Sed cùm manus expleta erat nece ferinâ, me recipiebam ad frigus & umbras atque auram, quæ oriebatur ex frigidis vallibus. Aura à me requirebatur in medio calore: expectabam auram; illa erat recreatio labori. Consueveram canere, (nam memini) accedas aura; atque mihi sis salatio, subeas gremium nostrum, amabilis; atque ut soles, velis lenire calores quibus ardemus. Fortè adjecerim plura lenocinia: (ita me fata cogebant) atque consueverim dicere, Tu mihi summa voluptas, tu me restituis, atque solaris, tu facis ut diligam nemora, & loca deserta; & tuus halitus semper captatur ab ore meo. Nescio quis adhibuit aures falsas sonis ancipitibus; atque credens nomen auræ toties citatum esse nymphæ, arbitratur nympham à me diligi. Continuò inconsultus delator falsi criminis adoritur Procrin, atque narrat quæ audierat linguâ trepidâ. Amantes omnia facilè credunt. Cùm sibi referretur, procubuit oppressa dolore repentino; & recreata post longum tempus, se infelicem, se perversi fati fœminam prædicavit, atque conquesta est de fide meâ; atque impulsa falso delicto, timet quod nihil est, timet nomen sine re; atque misera sollicita est tanquam de certâ adultera. Attamen sæpe hæret, atque infelicissima sperat decipi, & non adhibet fidem accusationi, & nisi ipsa conspexerit, non est damnatura crimina sua viri. Cùm sequens Auroræ lumen fugaverat tenebras, discedo, atque me confero in nemora: & voti compos, atque stratus in herbâ, Aura ades, dixi, atque succurre nostri labori. Atque repentè videbar audîsse nescio quæ suspiria inter meas voces: Accede tamen optima, dixi. Cùm denuo folia cadentia levem strepitum ederent, credidi adesse feram aliquam; atque contorsi jaculum volatile. Procris erat; atque habens plagam in medio pectore,

NOTÆ.

814. *Sinus*] Qui æstuant, pectus captandæ auræ aperiunt; ibi enim potissimùm calores sentiuntur.

836. *Victor*] Ferarum cæde satiatus.

Hei mihi! exclamat, Postquàm ego cognovi vocem fidæ uxoris, accurri festinans atque exanimis ad vocem. Infelix reperio semivivam, & inficientem amictus suo cruore, atque evellentem jaculum, quod mihi dono dederat, ex plagâ; & sublevo corpus mihi carius meo manibus scelestis; & amictu derepto à pectore curavi crudele vulnus; atque nitor reprimere sanguinem, & precor ne me scelestum destituat suo obitu. Illa exhaustâ viribus, & jam obiens, sibi vim fecit, ut hæc pauca proferret: Precor humilis per Deos cœlestes, & meos, per si quid bene sum merita de te, & per amorem causam meæ necis, nunc etiam perseverantem cùm morior, ne sinas Auram succedere nostris thalamis. Sic ait, & tum denique & cognovi, & admonui eam erravisse de nomine. Verùm quid proderat admonuisse? Deficit, & exiguæ vires abeunt cum cruore. Et dum licet aliquid intueri, me intuetur, atque exspirat miseram animam in me, & in nostro ore. Secura verò facta videtur obire facie minùs inquietâ. Lugens Cephalus *narrabat ista lugentibus; & ecce Æacus intrat cum duobus filiis, atque nelite recenter conscripto; quem Cephalus accipit cum strenuis viris armatis.*

Hei mihi! conclamat. Vox est ubi cognita fidæ
Conjugis, ad vocem præceps amensque cucurri.
Semianimem, & sparsas fœdantem sanguine vestes,
Et sua (me miserum!) de vulnere dona trahentem
Invenio; corpusque meo mihi charius ulnis
Sontibus attollo, scissâque à pectore veste
Vulnera sæva ligo; conorque inhibere cruorem:
Neu me morte suâ sceleratum deserat, oro.
Viribus illa carens, & jam moribunda, coëgit
Hæc se pauca loqui: per nostri fœdera lecti,
Perque Deos supplex oro, superosque, meosque;
Per si quid merui de te bene: perque manentem
Nunc quoque, cùm pereo, causam mihi mortis, amorem;
Ne thalamis Auram patiare innubere nostris.
Dixit; & errorem tum denique nominis esse
Et sensi, & docui. Sed quid docuisse juvabat?
Labitur: & parvæ fugiunt cum sanguine vires.
Dumque aliquid spectare potest, me spectat; & in me
Infelicem animam nostroque exhalat in ore.
Sed vultu meliore mori secura videtur.
Flentibus hæc lacrymans heros memorabat; & ecce
Æacus ingreditur duplici cum prole, novoque
Milite; quem Cephalus cum fortibus accipit armis.

NOTÆ.

850. *Nomen*] Auræ, quod non minùs illi fatale, quàm Auroræ priùs. Namque Procris timens Auroram, ut habet Hygin. fab. 189. matutino tempore secuta eum, ut observaret, inter virgulta delituit: quæ cùm Cephalus moveri vidit, jaculum inevitabile misit, & Procrin conjugem suam interfecit.

853. *Meos*] Inferos dicit, ad quos descendebat.

857. *Errorem nominis*] Credidit nempe Procris Auram, Amicæ nomen esse, quæ sibi suum Cephalum subtraheret.

861. *Nostroque*] Ad veterum alludit morem, quibus, prout quisque moribundo charissimus, solemne fuit expirantis fugientem animam & extremum halitum excipere, & oculos claudere. *Et extremus si quis super halitus errat, ore legam*

——Anna Didoni, soror. Æn. 4.

862. *Secura*] Pellicis curâ liberata. Jam enim ex Cephalo cognoverat *auram* non esse nympham, ut ipsa putabat, sed levem ventorum flatum.

Ib. *Meliore*] *Ante diem morior, sed nullâ pellice læsa: Hoc faciet positum te mihi, terra, levem.* Hæc eadem Procris, L. III. de Arte amandi.

864. *Duplici*] Telamone & Peleo, qui copias, Athenienſibus auxilium, conscripserant.

P. Ovidii Nasonis
METAMORPHOSEON
LIBER VIII.

ARGUMENTUM.

Minos interim Alcathoën obsidit. Quâ captâ, Nisus in Haliætum, & Scylla in Cirin fuerunt translati. Hinc in Cretam ille reversus est, ubi Minotaurus labyrintho erat inclusus: Quem cùm Theseus deinde de medio sustulisset, cum Ariadne in patriam rediens, eam in itinere dereliquit. Hinc eam Bacchus assumpsit, ejusque coronam inter sidera collocavit. Icarus verò, cùm ex insulâ conaretur post patrem evolare, submersus est; ejusque exsequias celebrantem patrem vidit perdix, è Talo nupèr transformata. Theseus interea, cùm valde celebris jam esset, ad aprum Calydonium (cujus interfectore sublato, sorores ejus in Meleagrides aves Mutatæ sunt,) fuit convocatus. Inde ad Acheloum divertitur, & Echinades insulas conspicit, in quas Naiades erant conversæ. Quod ita fieri potuisse, Lelex primum Baucidis & Philemonis probat exemplo, qui in arbores fuerint commutati; sicut & domus ipsorum in templum, ac pagus ipse in stagnum. Achelous deinde Protei & Mestræ transformationes adjicit, ac suas denique, quibus usus quondam fuerat, cùm ipsum premeret Hercules gratiâ Deianiræ.

JAM nitidum retegente diem, noctisque fugante
Tempora Lucifero, cadit Eurus; & humida surgunt
Nubila. Dant placidi cursum redeuntibus Austri
Æacidis, Cephaloque; quibus feliciter acti

INTERPRETATIO.

I. *Lucifero jam aperiente clarum diem, atque depellente tempora noctis subselanus flare desinit; atque nubes humidæ ingruunt. Noti lenes permittunt reditum Æacidis revertentibus, atque Cephalo; à quibus feliciter impulsi*

NOTÆ.

2. *Cadit Eurus*] Qui Cephalo, ex Æginâ insulâ, Athenas redituro adversus erat.

1b. *Lucifero*] Lucifer stella est Veneris, quinque errantium infima terræque proxima.

4. *Æacidis*] Militibus ab Æaco in auxilium Athenas missis, & Cephalo datis. *Nam Telamon fratrique cures ad bella parabant*, v. 676. lib. 7.

Ante

appulerunt ad portus Athenienſes optatos priuſquam expectarentur. Interea Minos depopulatur oras Lelegeïas, periculum facit virium ſuarum bellicarum in urbe Alcathoë, quam Niſus poſſidet: cui pilus inſignis colore purpureo de medio vertice inter venerandos canos erat firmamentum potentis regni. Sexta cornua lunæ reſurgentis renovabantur, & belli eventus erat adhuc incertus; & victoria diu fertur inter utrumque incertis pennis. Turris regia erat adjuncta muris reſonatibus, in quibus Apollo, filius Latonæ, dicitur depoſuiſſe lyram: Sonus ejus marſit in lapidibus. Nata Niſi conſueverat illuc ſæpe aſcendere, atque percutere vocales lapides parvo filice, dum eſſet tempus pacis, Conſueverat quoque ſæpe inde intueri exercitus, & pugnas duri Martis. Jamque etiam didicerat per diuturnitatem belli nomina ducum, & arma & equos, & cultus & pharetras Cretenſes. Noverat præſertim vultus ducis Europæi, plus etiam quàm noſſe expediit. Ejus arbitrio, ſeu Minos texerat caput galeâ criſtis ornatâ, in galeâ pulcher erat; ſeu corripuerat clypeum radiantem auro, pulchrum erat corripuiſſe clypeum. Vibraverat longa jacula brachiis ictum librantibus, puella probabat ſolertiam additam viribus. Adduxerat arcus curvatos aptatâ ſagittâ, jurabat Apollinem ſic conſiſtere ſagittis correptis.

Ante expectatum portus tenuêre petitos.
Interea Minos Lelegeïa littora vaſtat;
Prætentatque ſui vires Mavortis in urbe
Alcathoë, quam Niſus habet; cui ſplendidus oſtro
Inter honoratos medio de vertice canos
Crinis inhærebat, magni fiducia regni.
Sexta reſurgebant orientis cornua Phœbes;
Et pendebat adhuc belli fortuna; diuque
Inter utrumque volat dubiis Victoria pennis.
Regia turris erat vocalibus addita muris;
In quibus auratam proles Latoïa fertur
Depoſuiſſe lyram: ſaxo ſonus ejus inhæſit.
Sæpe illuc ſolita eſt aſcendere filia Niſi,
Et petere exiguo reſonantia ſaxa lapillo;
Tum cùm pax eſſet. Bellum quoque ſæpe ſolebat
Spectare, éque illâ rigidi certamina Martis.
Jamque morâ belli procerum quoque nomina nôrat,
Armaque, equoſque, habituſque, Cydoneaſque pharetras.
Noverat ante alios faciem ducis Europæi;
Plùs etiam, quam nôſſe ſat eſt. Hâc judice Minos,
Seu caput abdiderat criſtatâ caſſide pennis,
In galeâ formoſus erat; ſeu ſumſerat auro
Fulgentem clypeum, clypeum ſumſiſſe decebat.
Torſerat adductis haſtilia lenta lacertis;
Laudabat virgo junctam cum viribus artem.
Impoſito patulos calamo ſinuaverat arcus,
Sic Phœbum ſumtis jurabat ſtare ſagittis:

NOTÆ.

6. *Lelegïa*] *Megarenſia* dicit. Atticis proxima, à Lelege Ægyptio advenâ, qui Megara inſtauravit, incolaſque à ſe Lelegas nominari voluit; cujus nepotes, Scirones & Niſus, de regno diſceptantes arbitrum delegerunt Æacum; is regnum Niſo adjudicavit. Pauſan. in Atticis. *Vide Farnab.*

8. *Alcathoë*] Megara dicit, ab Alcathoo, Pelopis filio, reſtaurata & munita.

Ib. *Niſus*] Pandionis, Athenarum regis filius, cui in diviſione regni à patre facta Megara obtigerunt. Strabo. l. IX.

10. *Fiducia*] Si quidem quàm diu illum crinem Niſus haberet, in fatis erat ut regno privari non poſſet.

11. *Sexta*] Adeóque ſextus menſis erat ab inceptâ obſidione.

13. *Dubiis*] Quibus modò in hanc, modò in adverſam partem inclinare ſolet.

14. *Vocalibus*] Alcathoo Megara mœnibus cingenti operam navans Apollo lyram depoſuit; ſonus autem lyræ in ſubjectos lapides tranſiit, ita ut ſi quis calculo eos percuſſerit, ſonum redderent. Pauſan. in Att.

17. *Filia Niſi*] *Scylla* eſt.

22. *Cydoneaſque*] *Cretenſes*, à Cydone Cretæ urb.

23. *Europæi*] *Minois*, Europæ ex Jove filii.

24. *Plùs*] Quia ejus amore correpta, ad patriæ proditionem pellecta fuit.

Cùm

Cùm verò faciem demto nudaverat ære,
Purpureusque albi stratis insignia pictis
Terga premebat equi, spumantiaque ora regebat:
Vix sua, vix sanæ virgo Niseïa compos
Mentis erat. Felix jaculum, quod tangeret ille,
Quæque manu premeret, felicia frœna vocabat.
Impetus est illi, (liceat modò) ferre per agmen
Virgineos hostile gradus: est impetus illi,
Turribus è summis in Gnossia mittere corpus
Castra: vel æratas hosti recludere portas;
Vel si quid Minos aliud velit. Utque sedebat
Candida Dictæi spectans tentoria regis:
Læter ait, doleamne geri lacrymabile bellum,
In dubio est. Doleo quòd Minos hostis amanti est.
Sed nisi bella forent, numquid mihi cognitus esset?
Me tamen acceptâ poterat deponere bellum
Obside: me comitem, me pacis pignus habere.
Si, quæ te peperit, talis, pulcherrime rerum,
Qualis es ipse, fuit, meritò Deus arsit in illâ.
O ego ter felix, si pennis lapsa per auras
Gnossiaci possem castris insistere regis:
Fassaque me, flammasque meas, quâ dote, rogarem,
Vellet emi! tantùm patrias ne posceret arces.
Nam pereant potiùs sperata cubilia, quàm sim
Proditione potens. Quamvis sæpe utile vinci
Victoris placidi fecit clementia multis.
Justa gerit certè pro nato bella perempto:
In causâque valet, causamque tuentibus armis.
Ut puto, vincemur. Qui si manet exitus urbem,
Cur suus hæc illi referabit mœnia Mavors,
Et non noster amor? melius sine cæde, moràque,

Cùm verò retexerat vultus depositâ æreâ galeâ, utque purpurâ indutus insidebat dorso equi candidi decorato phaleris, & coërcebat ora frementia, vix puella Niseïa erat in suâ potestate, vix sani animi. Dicebat telum beatum quod ille tractaret, & habenas beatas, quas manu teneret. Optat, modò concedatur, inferre gressus virgineos in exercitum hostilem; optat impellere corpus suum ex culmine turris in castra Gnossia, vel aperire valvas æreas munitas hosti; vel si Minos aliquid aliud cupiat. Cúmque sederet aspiciens alba tentoria regis Dictæi: Nescio, inquit, an lætandum mihi potiùs sit quàm dolendum quòd hoc bellum luctuosum geratur. Molestum est quòd Minos est hostis amanti: Verùm, nisi bellum esset, anne mihi esset notus? Nihilominus poterat bello finem imponere me acceptâ obside, poterat *habere me comitem & pignus pacis. Si* illa *quæ te genuit, formosissime* omnium *rerum, fuit talis qualis tu es, jure Deus illam perdité amavit. O ego ter beata, si vecta pennis per aërem, possim pervenire ad castra regis Gnossiaci, & confessa quæ ego sim, & qualis sit meus amor, rogarem* ipsum *quâ dote vellet emi! Tantùm ne peteret arces patrias. Nam excidam potiùs thalamis expetitis, quam votis potiar prodendo* patrem: *quamquam clementia victoris modesti causa est ut bonum fuerit multis subigi. Profectò arma infert justa pro filio occiso; atque potentior est in causâ, & in armis, quibuscum defendit causam. Credo equidem superabimur: Qui finis si destinetur urbi; quamobrem sua vis bellica aperiet illi istos muros, & non noster Amor? Melius poterit vincere sine strage,*

NOTÆ.

40. *Gnossia*] Minoïs, cui Gnossus, Cydon, Gortyn, centum denique, ut volunt, Cretæ urbes serviebant, à quibus poëtæ sua sumpserunt insulæ epitheta.

43. *Dictæi*] *Minoïs* iterum, à Dicte Cretæ monte sic dicti.

48. *Obside*] Et sanè regum liberi *obsides* plerumque pacis & fœderum poscebantur olim & dabantur.

49. *Quæ*] *Europa*, ex quâ Jupiter Minoën cum Rhadamantho & Sarpedone suscepit.

53. *Me*] Quòd nisi regis essem filia.

54. *Vellet emi*] Alludit fortè poëta ad consuetudinem veterum, apud quos tribus modis nuptiæ fiebant, *usu, confarreatione & coëmptione.*

58. *Nato*] *Androgeo*, ab Athenienſibus ex invidiâ cæso, lib. VII. ver. 671.

& cunctatione, & dispendio sui sanguinis. Quàm timeo certè, ne aliquis temerarius lædat tuum cor, Minos! quis enim tam crudelis, ut nisi ignarus, non vereatur intendere in te sævum hastile? Impensâque sui poterit superare cruoris.
Quàm metuo certè, ne quis tua pectora, Minos,
Vulneret imprudens! quis enim tam dirus, ut in te
Dirigere immitem, nisi nescius, audeat hastam?
Cœpta placent, & stat sententia tradere mecum
Dotalem patriam, finemque imponere bello.
Verùm velle parum est. Aditus custodia servat;
Claustraque portarum genitor tenet. Hunc ego solùm
Infelix timeo; solus mea vota moratur.
Dii facerent, sine patre forem! sibi quisque profectò
Fit Deus. Ignavis precibus fortuna repugnat.
Altera jamdudum succensa cupidine tanto
Perdere gauderet, quodcunque obstaret amori.
Et cur ulla foret me fortior? ire per ignes,
Per gladios ausim. Neque in hoc tamen ignibus ullis,
Aut gladiis opus est: opus est mihi crine paterno.
Illa mihi est auro pretiosior, illa beatam
Purpura me, votique mei factura potentem.
Talia dicenti, curarum maxima nutrix,
Nox intervenit; tenebrisque audacia crevit.
Prima quies aderat, quâ curis fessa diurnis
Pectora somnus habet. Thalamos taciturna paternos
Intrat; & (heu facinùs!) fatali nata parentem
Crine suum spoliat; prædâque potita nefandâ
Fert secum spolium sceleris; progressaque portâ
Per medios hostes (meritis fiducia tanta est)
Pervenit ad regem, quem sic affata paventem:
Suasit amor facinus. Proles ego regia Nisi,
Scylla, tibi trado patriosque meosque penates:
Præmia nulla peto, nisi te. Cape pignus amoris,
Purpureum crinem. Nec me nunc tradere crinem,
Sed patrium tibi crede caput. Sceleratæque dextrâ

Subit cubiculum patris sine strepitu; & (heu nefas) filia revellit patri pilum fatalem; & compos rapinæ nefariæ secum portat prædam festinans & egressa portâ (tanta est spes beneficii) per medios hostes accedit ad regem; quem novitate rei obstupefactum, sic allocuta est: Amor auctor fuit facinoris. Ego Scylla, filia regis Nisi, tibi prodo Deos patrios & meos, nullam opto mercedem præter te. Sume pilum rubrum, pignus amoris; neque arbitreris me nunc tibi offerre pilum, sed vitam paternam. Atque manu

NOTÆ.

72. *Sibi quisque*] Ut apud Virg. *Sua cuique Deus fit dira cupido.*

75. *Fatali crine*] In quo urbis fata continebantur. Crinis hic fatalis significat secretum Nisi consilium, quod in capite summo fuit: hoc autem hostibus prodito, nil superest, nisi urbis expugnatio.

88. *Meritis*] Cùm Minoï patrem patriamque perfida proderet.

Munera

Munera porrexit. Minos porrectâ refugit:
Turbatusque novi respondit imagine facti:
Dii te submoveant, ô nostri infamia sæcli,
Orbe suo: tellusque tibi pontusque negentur.
Certè ego non patiar Jovis incunabula Creten,
Quæ meus est orbis, tantum contingere monstrum.
Dixit: &, ut leges captis justissimus auctor
Hostibus imposuit, classis retinacula solvi
Jussit; & æratas impelli remige puppes.
Scylla, freto postquam deductas nare carinas,
Nec præstare ducem sceleris sibi præmia vidit,
Consumptis precibus violentam transit in iram:
Intendensque manus, passis furibunda capillis,
Quò fugis, exclamat, meritorum auctore relictâ,
O patriæ prælate meæ, prælate parenti?
Quò fugis, immitis? cujus victoria nostrum
Et scelus & meritum est. Nec te data munera, nec te
Noster amor movit; nec quòd spes omnis in unum
Te mea congesta est; nam quò deserta revertar?
In patriam? superata jacet. Sed finge manere:
Proditione meâ clausa est mihi. Patris ad ora,
Quæ tibi donavi? Cives odêre merentem:
Finitimi exemplum metuunt. Obstruximus orbem
Terrarum nobis, ut Crete sola pateret.
Hâc quoque sic prohibes? sic nos, ingrate, relinquis?
Non genitrix Europa tibi, sed inhospita Syrtis,
Armeniæve tigres, Austrove agitata Charybdis.
Nec Jove tu natus: nec mater imagine tauri
Ducta tua est. Generis falsa est ea fabula vestri.

sua dona nefanda. Minos adversatur oblata: atque territus cogitatione inauditi sceleris, Dii inquit, te tollant suo polo, ô dedecus nostro ævi; terraque & aqua tibi interdicantur. Profectò, inquit, ego non sinam tantum monstrum tangere Creten cunas Jovis, quæ meum est regnum. Sic ait; & postquam legislator æquissimus dedisset leges devictis hostibus, imperavit vincula classis solvi, & naves ære instructas agi. Cùm Scylla advertit puppes immissas pelago natare, neque ducem sibi reddere mercedem flagitii; exhaustis precibus erumpit in acrem iram; & vesana porrigens manus, sparsâ comâ, vociferatur. Quo fugis, ô præpositе patri, me, quæ beneficii illius auctor fui, derelictâ? Quò fugis, barbare? cujus victoria fuit per nostrum flagitium & beneficium. Neque oblata dona, neque noster amor tetigit te; neque quòd omnis spes mea posita est in te solo? Nam quò redeam destituta? In patriam? Illâ victa jacet. At pone eam stare: mihi est denegata ob meam proditionem. In conspectum patris, quem tibi tradidi? Cives odio prosequuntur me, *quæ* id *merita sum; Vicini reformidant exemplum. Exulamus orbe; ita ut sola Crete ex toto mundo nobis aperta esset. Sic arces etiam ab eâ? Sic nos deseris ingrate? Europa non te genuit, sed Syrtis inhospita, & tigres Armeniæ, vel Charybdis vento vexata. Neque tu Jove satus; neque mater deluса est specie tauri, ea fabula vestræ stirpis est ficta.*

NOTÆ.

95. *Refugit*] Quippe Justitiæ famâ apud inferos constitutum judicem denique, tantum scelus admittere dedecuisset. Neque verò poëtarum fuit commentum ejusmodi ethnicorum virtus: illius exempla plurima habent historici.

97. *Dii te*] Supplicium, quo olim afficiebantur parricidæ, Scyllæ Minos imprecatur. Corio namque insuebantur cum simiâ, gallo, & serpente, ac in mare aut fluvium projiciebantur, ne aut cœlum aspicere, aut in terrâ, aquâve quiescere possent.

100. *Monstrum*] Quod contra naturam, monstrum vocatur, patrem autem prodi à filiâ maximè contra naturam est.

111. *Scelus*] Qui prodidit patrem.

Ib. *Meritum*] Quia victorem effecit Minoëm.

120. *Syrtis*] Syrtes dicuntur loca illa vadosa & scopulosa littoris Africi, cujus accolæ feri & peregrinis infestissimi habiti sunt.

121. *Armeniæve tigres*] Quæ in Armeniâ Asiæ regione ferocissimæ inveniuntur.

122. *Tauri*] Pulcherrimi tauri formam induisse Jovem, quâ Europam delusit & rapuit, suprà vidimus.

Et ferus, & captus nullius amore juvencæ,
Qui te progenuit, taurus fuit. Exige pœnas,
Nise pater. Gaudete malis modò prodita nostris
Mœnia: nam fateor, merui; & sum digna perire.
Sed tamen ex illis aliquis, quos impia læsi,
Me perimat. Cur, qui vicisti crimine nostro,
Insequeris crimen? scelus hoc patriæq; patríq;
Officium tibi sit. Te verè conjuge digna est,
Quæ torvum ligno decepit adultera taurum;
Dissortemque utero fœtum tulit. Ecquid ad aures
Perveniunt mea dicta tuas, an inania venti
Verba ferunt, îdemque tuas, ingrate, carinas?
Jam jam Pasiphaën non est mirabile taurum
Præposuisse tibi: tu plus feritatis habebas.
Me miseram! properare juvat; divulsaque remis
Unda sonat. Mecum simul ah mea terra recedit.
Nil agis, ô frustrà meritorum oblite meorum.
Insequar invitum; puppimque amplexa recurvam
Per freta longa trahar. Vix dixerat, insilit undis;
Consequiturque ratem, faciente Cupidine vires,
Gnossiacæque hæret comes invidiosa carinæ.
Quam pater ut vidit (nam jam pendebat in auras
Et modò factus erat fulvis Halyæëtos alis)
Ibat, ut hærentem rostro laniaret adunco,
Illa metu puppim dimittit: at aura cadentem
Sustinuisse levis, ne tangeret æquora, visa est.
Pluma fuit. Plumis in avem mutata vocatur
Ciris; & à tonso est hoc nomen adepta capillo.
II. Vota Jovi Minos taurorum corpora centum
Solvit; ut egressus ratibus Curetida terram

Taurus qui te genuit & fuit ferus, & nullius juvencæ amore tactus. Pater Nise, repete pœnas. Muri modò à me *traditi exultate gaudio ex nostris ærumnis: agnosco enim, merui, & sum digna mori. Cæterùm aliquis ex illis, quos offendi impia, me interficiat: quamobrem* tu, *qui victoriâ potitus es nostro scelere, scelus ulcisceris? Hoc flagitium in patriam atque parentem sit tibi beneficium. Adultera quæ ferum taurum fefellit ligneâ* vaccæ formâ *atque fœtum dissimilis naturæ gestavit ventre, verè digna est te marito. Pertinguntne tuas aures mea verba? an venti auferunt ea irrita, iidemque tuas naves ingrate? Jam jam non est mirum Pasiphaën pluris fecisse taurum quam te: tu plus habebas ferocitatis. Me infelicem! festinare* tibi *est gratum; atque fluctus eruti remis strepitum edunt; ah meum solum recedere* videtur *unà mecum. Frustrà laboras, ô incassùm immemor beneficiorum meorum. Persequar nolentem; atque correptâ curvâ navi, abripiar per vastum mare. Vix desiêrat; sese immittit in aquas: & pertingit naves, amore præbente vires; & comes odiosa affixa est navi Gnossiacæ. Quam postquam parens intuitus est, (nam jam sese librabat in aëre, & modò mutatus fuerat in Halyæëton rufis alis) accedebat, ut discerperet* navi *affixam rostro recurvo. Illa remittit puppim timore: at levis aër visus est sustentâsse* eam *ruentem, ne in mare decideret. Pluma fuit: facta avis per plumas appellatur Ciris; atque illud nomen habuit à tonsâ comâ.*

II. *Postquam Minos egressus navibus appulit ad terram Curetum, persolvit Jovi vota centum corpora*

NOTÆ.

132. *Quæ torvum*] *Pasiphaë* est, Minoïs conjux, cui, Tauri amori incensæ, vaccam ligneam Dædalus fabricavit, cujus ope cum bruto corpus commiscuit; unde Minotaurus, monstrum mediâ parte hominem, reliquo taurum referens, procreatus est.

133. *Dissortem*] Nam vir & taurus videbatur Minotaurus.

139. *Recedit*] Videtur recedere terrâ, abeuntibus navibus, ex opinione vulgi.

146. *Halyæëtos*] Quoddam genus est aquilæ, Ciri, cujus formam induit Scylla, maximè infensus.

151. *Tonso*] Ἀπὸ τοῦ κείρειν, *à tondendo*, quòd patris crinem purpureum totondisset. Ipsam quod attinet, plurimi alaudam esse volunt; alii solitariam avem, vertice in medio cristam habentem purpuream, cæteris plumis variè coloratis, quæ in rupibus, scopulis, itemque solis littoribus ævum exigat.

153. *Curetida*] *Cretam* dicit, quam incoluerunt olim Curetes nutritii Jovis.

Con-

Contigit; & ſpoliis decorata eſt regia fixis.
Creverat opprobrium generis: fœdumque patebat
Matris adulterium monſtri novitate biformis.
Deſtinat hunc Minos thalamis removere pudorem;
Multiplicique domo, cæciſque includere tectis.
Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis
Ponit opus; turbatque notas, & lumina flexum
Ducit in errorem variarum ambage viarum.
Non ſecùs ac liquidus Phrygiis Mæandros in arvis
Ludit, & ambiguo lapſu refluitque, fluitque:
Occurrenſque ſibi venturas aſpicit undas:
Et nunc ad fontes, nunc in mare verſus apertum,
Incertas exercet aquas. Ita Dædalus implet
Innumeras errore vias: vixque ipſe reverti
Ad limen potuit: tanta eſt fallacia tecti.
Quo poſtquam tauri geminam juveniſque figuram
Clauſit; & Actæo bis paſtum ſanguine monſtrum
Tertia ſors annis domuit repetita novenis:
Utque ope virgineâ nullis iterata priorum
Janua difficilis filo eſt inventa relecto;

taurorum; atque baſilica ornata eſt appoſitis ſpoliis. Dedecus gentis auctum erat; & turpe adulterium matris manifeſtum erat novitate monſtri bimembris. Minos conſtituit tollere illud probrum ex cubiculis, atque coërcere domo ſinuosâ, & occultis tectis. Dædalus inſignis peritiâ artis fabrilis ſtruit opus & confundit indicia, & inducit oculos in errorem ancipitem flexu diverſarum viarum. Quemadmodum fluidus Mæander ludit in campis Phrygiis, atque currit & recurrit flexu dubio, & modò flexus ad ſcaturigines, modò ad mare agit aquas ambiguo curſu fluentes: *ita Dædalus intexit infinitas vias fallaciis; atque ipſe ægre potuit redire ad januam; tantus eſt error domûs. Quo poſtquam conjecit duplicem formam tauri & hominis; & tertia ſors iterata poſt novem annos ſuperavit monſtrum bis refectum ſanguine Athenienſi; & porta abſtruſa nullis repetita priorum reperta eſt auxilio puellæ filo relecto;*

NOTÆ.

154. *Spoliis*] Ex more victoris. Hoſtium enim ſpoliis poſtes, ædium limina, atria, ut enſibus, clypeis, galeis, navium roſtris condecorare Romani conſueverunt; quibus antiquitus venerationem & majeſtatem augebant. Eorum quippe aſpectus ad ſimilia facinora intuentes hortabatur.

155. *Opprobrium*] *Minotaurus*, ſupernè homo, infernè bos, filius ſanè fuit Paſiphaës ex Tauro Minoïs duce, vel ſcribâ. De quo fusè Natal. Com. lib. 6. cap. 3.

158. *Multiplici*] De labyrintho loquitur, plurimis ſinuoſis erroribus viarumque irremeabilibus ambagibus, à Dædalo conſtructo, in quem Minotaurum monſtrum Minos concludi juſſit.

159. *Dædalus*] Faber fuit Athenienſis, qui ſtatuas etiam uſque adeò mirabilis ſtructuræ dicitur feciſſe, ut ſpirare & ambulare viderentur.

160. *Notas*] *Signa*, quibus aliquis, labyrinthum ingreſſus, iter relegere poſſit, ſeu exitum invenire.

162. *Mæandros*] Fluvius eſt Phrygiæ in minore Aſiâ, qui ita ſinuoſus, ut ſæpe ad caput recurrere videatur: unde & pro perplexis & involutis rebus ſignificandis, quas *Mæandro* dicimus uſurpatur.

163. *Ambiguo*] Quia quorſum fluat, ambigitur.

170. *Actæo*] *Athenienſi*. Duriſſimâ enim lege tenebantur Athenienſes, Androgei Interfecti causâ, quotannis, ut quibuſdam placet, ſeptem puberes mares ſorte delectos, à Minotauro vorandos, totidemque virgines, ex nonnullorum ſententiâ, tributi loco in Cretam mittere.

171. *Annis novenis*] *Nono quoque anno*: Quanquam quotannis repetitum fuiſſe tributum alii ſcripſerunt.

172. *Virgineâ*] Poſteaquam, inquit, auxilio *Virginis* Ariadnes è labyrintho Theſeus eſt egreſſus, navem conſcendit. *Nullis iterata*] Ad quàm nemo eorum qui priùs ab Athenienſibus miſſi fuerunt, in Cretam redire potuit.

173. *Relecto*] Ad limen filum alterâ extremitate alligare doctus fuerat, quod continuum progrediendo evolvens, regreſſus indicem ſequeretur.

ſtatim Ægides carbaſa expliciti verſus Dian, abductâ Minoïde, atque ferus deſtituit ſociam in illo littore; Bacchus auxilium atque amplexus tulit deſtitutæ, & multa dolenti; atque ut eſſet illuſtris immortali ſidere, intulit cœlo coronam decerptam fronte. Illa volat per ſubtilem aërem; & dum volat, uniones mutantur in ſtellas repentinas & figurâ coronæ remanente, ſtant in loco qui medius eſt inſiſtentis genu, & tractantis ſerpentem.

III. *Interea Dædalus exoſus Creten & longum exilium, & tactus amore terræ patriæ, retentus erat mari. Quamvis, ait, claudat Minos terram & aquam, aër eſt apertus. Diſcedemus illâc. Minos imperet* licet *cunctis, non imperium obtinebit in aërem. Dixit; & convertit ingenium ad artes inauditas, & novitatem excogitat in naturâ; Nam concinnat pennas cœptas à minimâ, breviore ſequente longum; ut credas in modum collis* paulatim *auctas eſſe. Pari modo fiſtula agreſtis ſenſim fuit olim compoſita inæqualibus arundinibus. Tum connectit mediam* pennarum partem *lino, & infimam ceris; atque ita conſtructas curvat exiguo flexu;*

Protinus Ægides, raptâ Minoïde, Dian
Vela dedit: comitemque ſuam crudelis in illo
Littore deſeruit. Deſertæ, & multa querenti
Amplexus & opem Liber tulit. Utque perenni
Sidere clara foret, ſumptam de fronte coronam
Immiſit cœlo. Tenues volat illa per auras:
Dumque volat, gemmæ ſubitos vertuntur in ignes,
Conſiſtuntque loco, ſpecie remanente, coronæ,
Qui medius nixique genu eſt, anguemque tenentis.
III. Dædalus interea Creten longumque peroſus
Exilium, tactuſque ſoli natalis amore,
Clauſus erat pelago. Terras licet, inquit, & undas
Obſtruat, at cœlum certè patet. Ibimus illâc.
Omnia poſſideat; non poſſidet aëra Minos.
Dixit; & ignotas animum dimittit in artes:
Naturamque novat. Nam ponit in ordine pennas,
A minimâ cœptas, longam breviore ſequenti:
Ut clivo creviſſe putes. Sic ruſtica quondam
Fiſtula diſparibus paulatim ſurgit avenis.
Tum lino medias, & ceris alligat imas;
Atque ita compoſitas parvo curvamine flectit,

NOTÆ.

174. *Ægides*] *Theſeus*, Ægei filius, qui juvenes liberandi causâ in Cretam cum illis navigaverat.

Ib. *Minoïde*] *Ariadne*, Minoïs filia.

Ib. *Dian*] Inſula eſt una ex Cycladibus, quæ & *Naxus* dicitur, multis itemque aliis nominibus inſignita; in quâ Ariadno, Bacchi admonitu ut nonnullis placet, à Theſeo relicta.

176. *Deſertæ*] In patris domo à Baccho vitiatam, quo tempore ad Minoa pervenit, coronæ pretio illectam, quidam prodidit, qui conſcripſit Cretica.

178. *Sidere*] Corona eſt ſignum, Boötæ ab humero ſiniſtro proximum, novem in orbem diſpoſitis ſtellis lucidum. Illam verò dicitur Vulcanus ex auro & gemmis Indicis fabricâſſe, quarum ſplendore dicitur Theſeus labyrinthi tenebras diſcuſſiſſe. De quâ alia alii ſcripſerunt.

Ib. *Fronte*] Ariadnes.

182. *Qui*] Locus, in quo Corona eſt, inter Herculem & Ophiuchum.

Ib. *Medius*] Inter *Engonaſin* & *Ophiuchum*.

Ib. *Nixi*] De Hercule loquitur, qui dextero genu nixus in cœlo figuratur, (ideo ἐν γόνασι dicitur) draconem Heſperidum cuſtodem interficere tentans. Quâ de re vide Hyginum.

Ib. *Anguemque*] Ophiuchus Græcis dicitur, ſidus cœleſte, quam nonnulli Æſculapium, alium alii in cœlum tranſlatum comminiſcuntur.

184. *Exilium*] Athenis enim profugerat cædis reus, ob interfectum per invidiam diſcipulum quem nonnulli ſororis filium ſcripſerunt.

185. *Pelago*] Nam in Cretâ inſulâ erat, clauſus inſuper labyrinthi ſui cuſtodiâ quo, propter navatam Paſiphaæ in amoribus operam, à Minoë detruſus erat.

189. *Novat*] Quia, ut inquit Horatius,

Expertus vacuum Dædalus aëra
Pennis non homini datis.

Ib. *Ponit*] Quomodo alitibus natura aptavit, ut aërem validè poſſint impellere.

Ut

Ut veras imitentur aves. Puer Icarus unà
Stabat: &, ignarus sua se tractare perîcla,
Ore renidenti, modò quas vaga moverat aura,
Captabat plumas: flavam modò pollice ceram
Mollibat: lusuque suo mirabile patris
Impediebat opus. Postquam manus ultima cœptis
Imposita est; geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus: motâque pependit in aurâ.
Instruit & natum: Medioque ut limite curras,
Icare, ait, moneo. Ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas: si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola; nec te spectare Boöten,
Aut Helicen jubeo, strictumque Orionis ensem.
Me duce carpe viam. Pariter præcepta volandi
Tradit; & ignotas humeris accommodat alas.
Inter opus monitusque genæ maduêre senîles:
Et patriæ tremuêre manus. Dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo: pennisque levatus
Antè volat; comitique timet, velut ales, ab alto
Quæ teneram prolem produxit in aëra nido.
Hortaturque sequi; damnosasque erudit artes:
Et movet ipse suas, & nati respicit alas.
Hos aliquis, tremulâ dum captat arundine pisces,
Aut pastor baculo, stivâve innixus arator,
Vidit, & obstupuit, quique æthera carpere possent,
Credidit esse Deos. Et jam Junonia lævâ
Parte Samos fuerant, Delosque, Parosque relictæ:
Dextra Lebynthos erat, fœcundaque melle Calymne.

ut simulent veras aves. Puer Icarus unà adstat; & nescius se tenere sua discrimina nunc læto vultu corripiebat pennas, quas ventus mobilis abstulerat; nunc subigebat flavam ceram pollice, atque morabatur opus admirandum parentis suo ludo. Postquam novissima manus addita est incœptis, ipse artifex commisit suum corpus in alas, & sustentatus est aëre agitato. Accommodat etiam alas filio; atque inquit, hortor te, Icare, ut voles medio spatio; ne, si inferior eas, aqua impediat pennas; si altior, ignis inflammet: Vola inter utrumque. Neque impero te intueri Boöten aut Ursam, aut gladium evaginatum Orionis: tene iter me duce. Docet similiter leges volandi, & aptat humeris alas ignotas. Genæ senîles humidæ sunt factæ inter opus, & præcepta; atque manus patriæ trepidârunt. Obtulit suavia filio suo non iterum renovanda, atque pennis sustentatus antè volat, & metuit comiti; sicut avis, quæ protulit mollem progeniem in aërem ab excelso nido. Admonet sequi; & docet artes noxias; &

ipse agitat suas, & respicit alas nati. Dum aliquis piscator virgâ tremulâ, aut pastor fultus scipione, vel arator stivâ, intuitus est ipsos, & miratus est, atque arbitratus est esse Deos, qui possunt tenere aërem. Et jam Samos Junonia, & Delos, & Paros fuerunt præteritæ à parte sinistrâ; Lebynthos, & Calymne melle affluens, erant à dextrâ:

NOTÆ.

201. *Libravit*] Alligatis namque sibi illis factitiis alis, se agitatu illarum in aërem sustulit, iisque expansis aliquandiu pependit.

206. *Nec te*] Neque ad sinistram declina, neque ad dextram.

Ib. *Boöten*] Signum cœleste, sicut & Helice seu Ursa, de quibus antea: quibus quidem nautæ inter suum solebant dirigere.

207. *Orionis*] Orion ἀπὸ τῦ ὄυρου hoc est, ab *urinâ* fuit cognominatus, quòd ex Jovis & Mercurii urinâ fingitur natus.

210. *Maduêre*] Lacrymavit periculi novitate exterritus, quod puero præsertim imminere sentiebat.

212. *Non iterum*] Quod quidem nesciebat pater Dædalus, sed ex ingenio est poëtæ.

215. *Damnosas*] Quia per illas Icarum filium perdidit Dædalus.

220. *Junonia*] Junoni ibi natæ, educatæ, & Jovi in uxorem traditæ fama; Cariæ adjacens.

221. *Delos, Paros*] Ægæi insulæ Cyclades, ut sæpe dictum.

222. *Lebynthos*] Hanc cum sequente alii inter Cycladas inter Sporadas alii recensent.

cùm adoleſcens cœpit exultare volatu temerario, & reliquit ducem, atque impulſus deſiderio cœli, carpſit viam ſublimiùs. Propinquitas ſolis fervidi liquefacit ceras odoratas, quæ erant vincula pennarum. Ceræ tacuerant: ille movet brachia nuda, & deſtitutus remigio, nullo ſuſtentatur aëre: & ora citantia nomen patrium excipiuntur aquâ cœruleâ, quæ habuit nomen ab illo. At miſer parens, neque jam parens, Icare, inquit, Icare, inquit, Ubi es? quâ orâ te veſtigem, Icare, dicebat? videt pennas inter fluctus, & maledixit ſuis artibus; & ſepulturæ mandavit corpus; atque terra appellata eſt à nomine Icari ibi *inhumati. Perdix loquax proſpexit ab ilice frondosâ hunc ſepelientem corpus infelicis filii; & alas concuſſit, & indicia fecit lætitiæ canendo:* Perdix quidem *tunc avis ſola neque conſpecta ſuperiore ætate, & nuper facta avis, tibi magnum probrum, Dædale. Namque ſoror ejus, fati neſcia, huic dederat ſuum filium inſtituendum, puerum natum annos duodecim, ingenio diſcendi avido. Ille etiam imitatus eſt ſpinas, quas obſervabat in medio piſce: atque incidit ferro acuto dentes continuos; & invenit uſum ferræ. Primus etiam junxit duo brachia ferrea ex uno nodo; ut illis diſſitis æquali ſpatio, pars altera hæreret, pars altera deſcriberet circulum. Dædalus livore tactus eſt, atque* illum *disjecit ex ſacrâ arce Minervæ.*

Cum puer audaci cœpit gaudere volatu;
Deſeruitque ducem: cœlique cupidine tactus
Altiùs egit iter. Rapidi vicinia Solis
Mollit odoratas pennarum vincula ceras.
Tabuerant ceræ: nudos quatit ille lacertos:
Remigioque carens non ullas percipit auras.
Oraque cœruleâ patrium clamantia nomen
Excipiuntur aquâ: quæ nomen traxit ab illo.
At pater infelix, nec jàm pater, Icare, dixit,
Icare, dixit, ubi es? quâ te regione requiram,
Icare, dicebat? Pennas aſpexit in undis;
Devovitque ſuas artes; corpuſque ſepulchro
Condidit; & tellus à nomine dicta ſepulti.
Hunc miſeri tumulo ponentem corpora nati
Garrula ramosâ proſpexit ab ilice perdix:
Et plauſit pennis: teſtataque gaudia cantu eſt;
Unica tunc volucris; nec viſa prioribus annis:
Factaque nupèr avis, longum tibi, Dædale, crimen.
Namq; huic tradiderat, fatorum ignara, docendam
Progeniem germana ſuam, natalibus actis
Bis puerum ſenis, animi ad præcepta rapacis.
Ille etiam medio ſpinas in piſce notatas
Traxit in exemplum: ferroque incidit acuto
Perpetuos dentes; & ferræ repperit uſum
Primus: & ex uno duo ferrea brachia nodo
Vinxit; ut, æquali ſpatio diſtantibus illis,
Altera pars ſtaret, pars altera duceret orbem.
Dædalus invidit; ſacrâque ex arce Minervæ

NOTÆ.

223. *Puer*] *Icarus*, Dædalum patrem, ſequi contemnens.

228. *Remigio*] *Alarum remigio* uſus quoque Virgilius: non eos re profectò, ſiquidem non alis, ſed navi, velis novi cujuſdam artificii inſtructa, regiam Minoïs claſſem Dædalus effugerit, quæ tamen Icarum, ſcopulo cum navi impactum, corripuit.

230. *Aquâ*] *Mari*, quod ab Icaro *Icarium* dictum eſt, ſicuti & inſula Samo proxima ab eodem Icariæ nomen accepit.

237. *Ab ilice*] Quanquam rariſſimè arboribus perdices inſident.

240. *Longum*] Quippe perdicem, quem alii Colum, diverſis itemque nominibus nonnulli appellant, ſororis filium, Dædalus per invidiam, quòd multo ingenio valeret, de tecto dejecit; quem quidem excipiens Minerva, in *perdicem* avem mutavit.

245. *Traxit*] Qui ad ſpinæ exemplum ferram invenit.

247. *Ex uno*] Illum circini quoque inventorem fuiſſe ait.

Præ-

Præcipitem misit, lapsum mentitus. At illum,
Quæ favet ingeniis, excepit Pallas; avemque
Reddidit: & medio velavit in aëre pennis.
Sed vigor ingenii quondam velocis, in alas,
Inque pedes abiit: Nomen, quod & antè, remansit.
Non tamen hæc altè volucris sua corpora tollit,
Nec facit in ramis altoque cacumine nidos;
Propter humum volitat; ponitque in sepibus ova,
Antiquique memor, metuit sublimia, casûs.
IV. Jamque fatigatum tellus Ætnea tenebat
Dædalon: & sumtis pro supplice Cocalus armis
Mitis habebatur. Jam lamentabile Athenæ
Pendere desiêrant Theseâ laude tributum.
Templa coronantur: bellatricemque Minervam
Cum Jove Diisque vocant aliis, quos sanguine voto,
Muneribusque datis, & acerris thuris honorant.
Sparserat Argolicas nomen vaga fama per urbes
Theseos: & populi, quos dives Achaïa cepit,
Hujus opem magnis imploravêre periclis:
Hujus opem Calydon, quamvis Meleagron haberet,
Sollicitâ supplex petiit prece. Causa petendi
Sus erat, infestæ famulus, vindexque Dianæ.
Oenea namque ferunt, pleni succesſibus anni
Primitias frugum Cereri, sua vina Lyæo,
Palladios flavæ latices libâsse Minervæ.
Cœptus ab agricolis Superos pervenit ad omnes

falsò prædicans eum *incautè cecidisse. At Pallas, quæ amplectitur ingenio præditos, illum excepit, & mutavit in alitem, & induit pennis in medio aëre, Sed vis ingenii olim celeris conceſſit in alas atque pedes; nomen, quod etiam antè* illi erat, *remansit. Et tamen avis non effert ſuum corpus in ſublime, neque ſtruit nidos in ramis, & excelſo faſtigio; volitat juxta terram & ponit ova in ſepibus, & recordans veteris lapſus timet excelſa.*

IV. *Jamque terra Ætnæa hubebat Dædalum defeſſum: & Cocalus habebatur lenis, armis captis in gratiam ſuppliciis* Dædali: *Jam Athenæ omiſerant ſolvere luctuoſum tributum, virtute Theſei. Templa* coronis *decorantur; atque invocant Palladem belli præſidem cum Jove & cæteris Diis, quos honorant ſanguine promiſſo, & donis oblatis & acerris thuris. Fama velox impleverat urbes Argolicas laudibus Theſei: & populi, quos dives Achaia habuit, ejus petiverunt auxilium in urgentibus diſcriminibus: Calydon ſupplex imploravit prece anxiâ ejus auxilium, quamvis haberet Meleagrum. Aper miniſter & ultor Dianæ infenſæ erat cauſa implorandi. Namque aiunt Oeneum ob fertilitatem anni copiâ redundantis obtuliſſe primitias, frumentum Cereri, ſua vina Baccho, oleum flavæ Minervæ. Honor* ſacrificiorum *invidioſus ortus ab ruricolis permanavit ad omnes* reliquos.

NOTÆ.

255. *Nomen quod & antè*] Nomen Talus Perdix quoque fuit cognominatus.

260. *Tellus*] *Sicilia*, ubi Mons Ætna.

261. *Cocalus*] Siciliæ rex, ad quem Dædalus confugit, quique Minoëm dicitur fustuliſſe.

262. *Mitis habebatur*] Quanquam interfecerat Minoa.

263. *Theſeâ*] Theſei enim virtute interfectus eſt Minotaurus. Hoc verò ad connectendas fabulas narrantur. *Tributum*] Ob cædem Androgei Athenienſibus â Minoë impoſitum.

265. *Voto ſanguine*] Victimarum, quas vovérent, ſi Theſeus victor ex Cretâ reverteretur.

270. *Calydon*] Urbs Ætoliæ, contra quam Aprum ferociſſimum, ſeu potiùs latronem immitiſſimum Diana, in ſacrificio quodam ab Oeneo rege neglecta immiſit.

270. *Meleagron*] Oenei regis filium.

273. *Succeſſibus*] De frugum copiâ loquitur.

274. *Lyæo*] Latinè *Libero* patri, Baccho: cui vinum dicatum, ſicuti Minervæ oleum, frumenta prima matura Cereri.

275. *Palladios latices*] Oleum dicit ex baccis, quas fert arbor à Pallade producta, expreſſum. Sic *laticemque lyæum* pro vino Virg.

276. *Agricolis*] Agricolas vocat Deos agriculturæ, aut certè earum rerum, quæ per agriculturam comparantur, tutores, quales Bacchus, Ceres, Minerva.

Deos: aiunt sola altaria Dianæ filiæ Latonæ neglecta vacua fuisse, sine sacrificio. Dii etiam moventur irâ. At, ait, non inultæ patiemur; & quæ contemptæ, non appellabimur etiam sine vindice: atque contempta excitavit per campos Oeneos suum ultorem, quantò Epirus herbosa non habet tauros majores; sed agri Siculi habent minores. Oculi rubent sanguine & igne, cervix horrenda fiat erectis setis, & illæ rigent pares spissis spiculis: & sunt sicuti excelsæ lanceæ. Spuma bulliens currit per vastos armos cum magno strepitu, dentes sunt pares dentibus Indis. Fulmen erumpit ex ore: folia incendi videntur anhelitu. Is modò proterit segetes in herbâ crescente; & resecat spes agricolæ ploraturi nondum maturas: atque præoccupat segetem in spicis. Area & granaria expectant incassùm messes promissas. Racemi uvis pleni proteruntur cum longis frondibus, atque bacca cum ramis olivæ semper virescentis. Rabiem etiam exercet in pecora. Neque pastor, neque canes, neque torvi tauri possunt tueri armenta. Populi diffugiunt: neque sese securos arbitrantur nisi intra muros urbis, donec Meleager atque simul delecta cohors juvenum convenerunt desiderio gloriæ. Ambo Tyndaridæ, alter insignis cestibus, alter equo; & Jason auctor primæ navis, & Theseus amicitiâ conjunctissimus cum Pirithoö,

Invidiosus honos: solas sine thure relictas
Præteritæ cessasse ferunt Latoïdos aras.
Tangit & ira Deos. At non impunè feremus;
Quæque inhonoratæ, non & dicemur inultæ,
Inquit: & Oeneos ultorem spreta per agros
Misit aprum; quantò majores herbida tauros
Non habet Epirus; sed habent Sicula arva minores.
Sanguine & igne micant oculi, riget horrida cervix,
Et setæ densis similes hastilibus horrent,
Stantque velut vallum, velut alta hastilia setæ.
Fervida cum rauco latos stridore per armos
Spuma fluit: dentes æquantur dentibus Indis.
Fulmen ab ore venit: frondes afflatibus ardent.
Is modò crescenti segetes proculcat in herbâ:
Nec matura metit fleturi vota coloni,
Et Cererem in spicis intercipit. Area fustrà,
Et fustrà expectant promissas horrea messes.
Sternuntur gravidi longo cum palmite fœtus.
Baccaque cum ramis semper frondentis olivæ.
Sævit & in pecudes. Non has pastorve, canesve,
Non armenta truces possunt defendere tauri.
Diffugiunt populi: nec se, nisi mœnibus urbis,
Esse putant tutos: donec Meleagros, & unà
Lecta manus juvenum coïêre cupidine laudis.
Tyndaridæ gemini, spectatus cestibus alter,
Alter equo; primæque ratis molitor Iäson,
Et cum Pirithoö felix concordia Theseus,

NOTÆ.

277. *Invidiosus*] Qui Dianæ spretæ invidiam in alios Deos, qui sibi præferebantur, pareret.

283. *Epirus*] Regio ab ortu est Græciæ finitima, quæ & Chaonia dicta.

288 *Dentibus*] *Elephantinis*, Calydonii apri dentes adportavit Cæsar Augustus, devicto Antonio. Pausan. in Arcad. è quibus unus in templo Liberi patris suspensus, in hortis Cæsaris, erat unius pedis & quadrantis. Natal. Com. lib. 7. cap. 4.

284. *Fulmen*] De dentibus loquitur ex apri ore prominentibus, quibus, fulminis in modum, obvia quælibet frendens proterit.

291. *Fleturi*] Postquam perditam messem cognoverit.

301. *Tyndaridæ*] *Castor & Pollux*, qui vulgò Tyndari filii crediti; erant tamen Jovis, qui, in Cycnum mutatas, Lædæ, Tyndari uxori, vitium obtulit.

Ib. *Cestibus*] Κάστορα δ' Ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα. Homer. Iliad, 3. De cestibus, vid. lib. 5. 107.

392. *Ratis molitor*] *Argo*, cujus extruendæ auctor fuit Jason.

303. *Pirithoö*] Ixionis fuit filius firmissimo amicitiæ fœdere cum Theseo conjunctus.

Et

Et duo Theſtiadæ, proleſque Apharei Lynceus,
Et velox Idas; & jam non fœmina Cæneus,
Leucippuſque ferox, jaculoque inſignis Acaſtus,
Hippothoöſque, Dryaſque, & cretus Amyntore Phœnix,
Actoridæque pares, & miſſus ab Elide Phyleus.
Nec Telamon aberat, magnique creator Achillis:
Cumque Pheretiade, & Hyanteo Iolao
Impiger Eurytion, & curſu invictus Echion,
Naryciuſque Lelex, Panopeuſque, Hyleuſque, feroxque
Hippaſus, & primis etiamnum Neſtor in annis.

& duo Theſtiadæ, & Lynceus filius Apharei, & citus Idas, & Cæneus nunc non fœmina, & ſævus Leucippus, & Acaſtus ſpectatus jaculo, & Hippothoös, & Dryas, & Phœnix filius Amyntoris, & Actoridæ æquales, & Phyleus miſſus ab Elide. Neque Telamon aberat, & pater magni Achillis, & acer Eurytion cum Pheretiade & Iolao Hyanteo, & Echion invictus curſu, & Lelex Narycius, & Panopeus, & Hyleus, & ferox Hippaſus, & Neſtor adhuc in primus annis.

NOTÆ.

304. *Theſtiadæ*] Toxeum dicit & Plexippum, Theſtii filios, Althææ fratres, Meleagri avunculos, quos ipſe poſtea interfecit: quemadmodum in ſequentibus videbimus.

Ib. *Lynceus*] Apharei fuit filius, qui propter eximiam rerum cœleſtium terreſtrium, aſtrorum præſertim & metallorum notitiam, trans æthera terræque barathra viſu penetrâſſe dicitur. Argonauta etiam fuit.

305. *Idas*] Lyncei fuit frater.

Ib. *Cæneus*] Fuit Cæneus Elati filia, in marem à Neptuno, pro dereptæ virginitatis pretio, mutata: cujus fusè hiſtoriam Metam. 12. à 176. verſu refert poëta.

306. *Leucippus*] Apharei fuit frater, Perierei ſeu Perieris filius, pater Phœbes, & Elariæ, quas Caſtor & Pollux rapere conati ſunt.

Ib. *Acaſtus*] Peliæ Theſſalorum regis fuit filius.

307. *Hippothoös*] Hujus ut & Dryantis 173. capite meminit Hyginus. Illum autem Geryonis facit filium, cùm *Cercyonis*, ex Pauſaniâ legendum ſit.

Ib. *Phœnix*] Hic, poſtquam matris ſuaſu, cum patris pellice rem habuiſſet, ejus iram effugiens ad Peleum pervenit, à quo perbenignè acceptus, Achillis inſtitutioni præfectus fuit.

308. *Actoridæ*] Actoris Elienſis par fratrum dicit Eurytum & Creatum, ab Hercule poſtea occiſos.

308. *Phyleus*] Augeæ fuit filius, quem Hercules, patre occiſo, quòd purgati ſtabuli mercedem denegaret, ejus loco regnare juſſit.

309. *Telamon*] Rex fuit Salaminis, Æaci filius, Ajacis pater.

Ib. *Creator*] Peleum dicit Telamonis fratem.

310. *Pheretiade*] Admetum intellige, Pheretis filium, Alceſtis maritum.

Ib. *Iolao*] Hunc Iphicli filium Hercules in interficiendâ hydrâ ſocium habuit. *Hyanteus* dicitur quia Bœoticus. Hyantes enim Bœotiæ populi.

311. *Eurytion*] Argonauta, Iri filius, qui filius fuit Actoris ut ex Apollonio colligitur.

Ib. *Echion*] Hujus etiam meminit idem Apollonius, qui eum Mercurii facit filium.

312. *Lelex*] Locrenſes, qui Narycem urbem antiquiſſimam obtinuerunt, à Plinio & Strabone *Leleges* etiam dicuntur: & nomine forſitan, ut conjecit commentator, ab iſto Lelege mutuato.

Ib. *Panopeus*] Phoci videtur eſſe filius, à quo *Panopæa* urbs Phocidis nomen habuit, ut notat Pauſanias.

Ib. *Hyleus*] Hic unà cum Rhœto ab Atalantâ, cui vim afferre paraverat, occiſus.

313. *Hippaſus*] Hunc quoque Euryti filium Hyginus inter Apri venatores recenſet.

Ib. *Primis Neſtor*] Primam jam, ex tribus quas vixit, ætatem agens: & ex his nonnullos ipſe recenſet, Iliad 1.

Et

& quos Hippocoön misit antiquis Amyclis, & socer Penelopes, cum Ancæo Parrhasio & callidus Ampycides, & Oeclides adhuc securus ab uxore, & Tegeæa honos nemoris Lycæi. Fibula expolita huic connectebat extremam vestis partem; Capillus erat simplex coactus in unum nodum. Pharetra eburnea pendens ex humero sinistro strepebat; sinistra etiam tractabat arcum. Hujusmodi erat ornatus: vultus quem verò posses appellare virgineum. Heros Calydonius hanc simul intuitus est, & simul cupivit, Deo aversо: atque amorem occultum concepit & ait, O beate, si ista aliquem virum respexerit! neque tempus & pudor patiuntur plura proferre: opus majus ingentis pugnæ illum *impellis. Silva spissa arboribus, quam nullum ævum recideràt; incipit à plano, & prospicit declives campos. Quò postquam viri adventárunt, pars ponunt plagas, pars tollunt vincula canibus, pars legunt vestigia pedum, atque optant invenire id quod sibi futurum est periculum. Vallis erat curva, quo cogebantur rivi aquæ pluvialis. Salix flexilis, & leves ulvæ, & junci paluſtres, & vimina, & parvæ cannæ sub longâ arundine sunt in parte infimâ lacunæ. Sævus aper inde excitatus ruit in hostes confertos, tanquam ignis excussus nubibus disjectis.*

Et quos Hippocoön antiquis misit Amyclis;
Penelopesque socer, cum Parrhasio Ancæo,
Ampycidesque sagax, & adhuc à conjuge tutus
Oeclides, nemorisque decus Tegeæa Lycæi.
Rasilis huic summam mordebat fibula vestem:
Crinis erat simplex nodum collectus in unum:
Ex humero pendens resonabat eburnea lævo
Telorum custos: arcum quoque læva tenebat.
Talis erat cultus: facies, quam dicere verè
Virgineam in puero, puerilem in virgine posses.
Hanc pariter vidit, pariter Calydonius heros
Optavit renuente Deo: flammasque latentes
Hausit, &, O felix, si quem dignabitur, inquit,
Ista virum! nec plura sinunt tempusque, pudorque
Dicere; majus opus magni certaminis urget.
Silva frequens trabibus, quam nulla ceciderat ætas,
Incipit à plano: devexaque prospicit arva.
Quò postquam venêre viri; pars retia tendunt;
Vincula pars adimunt canibus: pars pressa sequuntur
Signa pedum: cupiuntque suum reperire periclum.
Concava vallis erat: quâ se demittere rivi
Assuerant pluvialis aquæ. Tenet ima lacunæ
Lenta salix, ulvæque leves, juncique paluſtres,
Viminaque, & longâ parvæ sub arundine cannæ.
Hinc aper excitus medios violentus in hostes
Fertur, ut excussis elisi nubibus ignes.

NOTÆ.

314. *Hippocoön*] Lacedæmonius fuit, cujus filios Enæsimum Alcona, Amycum & Dexippum, (priore excepto, qui ab apro interiit,) Hercules unà cum patre occidit.

Ib. *Amyclis*] Fuerunt Amyclæ urbs Laconiæ, ab Amyclâ Lacedæmonis filio ædificatæ & cognominatæ.

315. *Penelopesque socer*] *Laertes* est Ulyssis pater.

Ib. *Ancæo*] Huic Lycurgum patrem assignaverunt Apollonius & Hyginus in venatorum catalogo. Arcas fuit; nam Parrhasia urbis est & Arcadiæ regiuncula.

316. *Ampycides*] *Melampus* est Ampyci filius, ideo sagax quòd vates fuit.

317. *Oeclides*] Amphiaraum intellige Oeclei filium; qui vaticinandi peritissimus, cùm à Thebano bello se non rediturum cognovisset, ita (ne eò proficisceretur,) latitavit, ut tamen uxori Eriphylæ, quam fidissimam credebat, omnia indicaverit. Illa verò, aureo monili ab Adrasto corrupta, maritum prodidit; qui Thebanum agrum ingressus, unà cum curru à tellure fuit absorptus.

317. *Tegeæa*] *Atalantam* dicit, formosissimam puellam, Tegeâ Arcadiæ urbe oriundam.

Ib. *Lycæi*] Qui Arcadiæ est.

324. *Calydonius heros*] *Meleagrum* intellige, Calydone oriundum, ut suprà dictum.

325. *Renuente*] Ille enim malè suus amor cessit, ut infra patebit.

333. *Sum periculum*] Aprum nempe, à quo sibi periculum immineret.

Sternitur incursu nemus; & propulsa fragorem
Silva dat. Exclamant juvenes; prætentaque forti
Tela tenent dextrâ, lato vibrantia ferro.
Ille ruit; spargitque canes, ut quisque ruenti
Obstat; & obliquo latrantes dissipat ictu.
Cuspis Echionio primùm contorta lacerto
Vana fuit, truncoque dedit leve vulnus acerno.
Proxima, si nimiis mittentis viribus usa
Non foret, in tergo visa est hæsura petito;
Longiùs it: auctor teli Pagasæus Iäson.
Phœbe, ait Ampycides, si te coluique, coloque;
Da mihi, quod petitur, certo contingere telo.
Quà potuit, precibus Deus annuit. Ictus ab illo est,
Sed sine vulnere aper: ferrum Diana volanti
Abstulerat jaculo; lignum sine acumine venit.
Ira feri mota est; nec fulmine leniùs arsit;
Lux micat ex oculis, spiratque è pectore flamma.
Utque volat moles adducto concita nervo,
Cùm petit aut muros, aut plenas milite turres;
In juvenes certo sic impete vulnificus sus
Fertur; & Eupalamon, Pelagonaque dextra tuentes
Cornua prosternit. Socii rapuêre jacentes.
At non letiferos effugit Enæsimus ictus
Hippocoönte satus. Trepidantem, & terga parantem
Vertere succiso liquerunt poplite nervi.
Forsitan & Pylius citra Trojana perisset
Tempora; sed sumpto posità conanime ab hastâ,
Arboris insiluit, quæ stabat proxima, ramis:
Despexitque loco tutus, quem fugerat, hostem.
Dentibus ille ferox in querno stipite tritis

Arbores proteruntur impetu, & impulsæ personant. Juvenes vociferantur, & tenent strenua manu venabula opposita, radiantia amplo ferro. Ille ruit, & proturbat canes, ut quisque sese opponit ruenti; & prævertit latrantes ictu obliquo. Mucro primò impulsus brachio Echionio fuit inutilis, & leviter vulneravit stipitem acernum. Proximus, nisi impulsus esset nimiis viribus jaculantis, visus fuit hæsurus in tergo apri petito: fertur longiùs. Jason Pagasæus illum *jaculatus fuerat. Phœbe, inquit, Ampycides, si te honoravi, atque honoro, concede mihi ferire certo jaculo quod petitur. Deus favit precibus quà licuit. Aper fuit tactus ab ille, sed sine vulnere: Diana revellerat ferrum telo volanti: hastile sine mucrone accessit. Ira feri excitata est, neque moderatiùs efferbuit quàm fulmen. Ignis splendet ex oculis, & æstus prodit ex pectore: Et quemadmodum glans impulsa nervo circumacto volat, cùm petit aut mœnia, aut turres confertas militibus, sic aper vulnera intentans, ruit in juvenes certo impetu, atque proterit Eupalamon & Pelagonem defendentes dextrum cornu* agminis sui. *Commilitones abstulerunt protritos: At Enæsimus, filius Hippocoöntis, non vitavit ictus mortiferos. Nervi destituerunt trementem & conantem fugere poplite reciso. Fortè etiam Pylius occidisset ante tempora Trojana, sed capto impetu ab hastâ impactâ, immisit se in ramos arboris quæ erat proxima; atque securus in* arboris *cacumine, deorsum aspexit hostem quem fugerat. Ille sævus dentibus exacuatis in trunco querno*

NOTÆ

345. *Echionio*] Echionis.

349. *Pagasæus*] Pro *Thessalo*; à Pagasis Thessaliæ urbe, haud procul à monte Pelio.

350. *Ampycides*] *Mopsus* Ampyci filius, Apollinis sacerdos.

357. *Moles*] Saxa intelligit, vel ejusmodi alia, balistâ aut simili machinâ emissa.

360. *Eupalamon*] Ignobiliores fuerint hi duo verisimile est, siquidem non aliter quam suâ morte, quod quidem sciam, cogniti.

361. *Cornua*] Aciem nempe in aprum instruxerant, in cujus dextro cornu duo isti fato iniquo reperti sunt.

365. *Pylius*] *Nestor*, qui Pylo imperavit. Quod Nestori hîc poëta, commentator Homeri tribuit Thessalitæ, qui ut Agri itidem, Meleagri patruelis, huic venationi interfuit.

minatur cladem, & confidens armis recentibus, laceravit femur magni Othriadæ dente recurvo. Ac fratres gemelli, nondum astra cœlestia, ambo insignes vehebantur equis candidioribus nive albâ; ambo librabant agitatione tremulâ, hostilium mucrones asper aërem. Inflexissent plagas, nisi jus setis horridus transisset inter obscuras arbores, & loca invia telis & equis. Telamon persequitur; & improvidus desiderio currendi, cecidit pronus, correptus radice arboris. Dum Peleus hunc tollit, Atalanta *Tegeæa aptavit nervo expeditam sagittam, & contorsit arcu curvato. Sagitta affixa sub aure feræ, leviter vulneravit corpus extremum, & rubefecit setas pauco cruore. Neque tamen illa erat alacrior successu sui ictûs quam Meleager. Creditur advertisse primus & primus monstrâsse sociis sanguinem aspectum; & dixisse, Reportabis gloriam quâ digna est* tua *virtus. Viros puduit,* Aprum à virgine primò percussum fuisse; *seque exhortantur, & incendunt animos cum vociferatione, & vibrant jacula sine ordine. Numerus obest* jaculis *immissis, & prohibet ictus, quos studet figere.*

Imminet exitio, fidensque recentibus armis
Othriadæ magni rostro femur hausit adunco.
At gemini, nondum cœlestia sidera, fratres,
Ambo conspicui, nive candidioribus albâ
Vectabantur equis; ambo vibrata per auras
Hastarum tremulo quatiebant spicula motu.
Vulnera fecissent; nisi setiger inter opacas,
Nec jaculis isset nec equo loca pervia, silvas.
Persequitur Telamon: studioque incautus eundi,
Pronus ab arboreâ cecidit radice retentus;
Dum levat hunc Peleus, celerem Tegeæa sagittam
Imposuit nervo, sinuatoque expulit arcu.
Fixa sub aure feri summum distrinxit arundo
Corpus; & exiguo rubefecit sanguine setas.
Nec tamen illa sui successu lætior ictus,
Quàm Meleagros erat. Primus vidisse putatur:
Et primus sociis visum ostendisse cruorem:
Et, meritum, dixisse, feres virtutis honorem.
Erubuêre viri; seque exhortantur, & addunt
Cum clamore animos: jaciuntque sine ordine tela.
Turba nocet jactis, &, quos petit, impedit ictus.
Ecce furens contra sua fata bipennifer Arcas,
Discite fœmineis quàm tela virilia præstent,
O juvenes, operique meo concedite, dixit.
Ipsa suis licèt hunc Latonia protegat armis;
Hunc tamen invitâ perimet mea dextra Dianâ.
Talia magniloquo tumidus memoraverat ore;
Ancipitemque manu tollens utrâque securim,
Institerat digitis primos suspensus in artus;
Occupat audacem, quâque est via proxima leto,
Summa ferus geminos direxit in inguina dentes.

Ecce Arcadius Ancæus, *bipenni instructus, & incensus contra sua fata, Cognoscite, inquit, ô juvenes, quantùm arma virilia antecellent fœmineis; & locum date meæ virtuti. Quamvis ipsa Diana hunc tueatur suis armis, tamen manus mea hunc mactabit nolente Dianâ, Talia inflatus protulerat ore superbo; & tollens bipennem ambabus manibus, innitebatur elatus in primas partes digitorum* pedem. *Trux* aper *prævertit audentem, & quâ iter est morti proximum, immisit geminos dentes in extrema inguina.*

NOTÆ.

370. *Recentibus armis*] Quæ modò *in stipite querno* exacuerat.

371. *Othriadæ*] Quis sit, incertum.

372. *Nondum cœlestia*] Gemini, qui unum ex Zodiaci signis constituunt: Castor ac Pollux esse dicuntur.

391. *Arcas*] Vide suprà ver. 515.

397. *Ancipitem*] Ἀμφίτομον.

398. *Digitis*] Ita verò in illos solent insurgere, qui totis viribus ictum nituntur impingere.

Con-

Concidit Ancæus; glomerataque sanguine multo
Viscera lapsa fluunt: madefactaque terra cruore est.
Ibat in adversum proles Ixionis hostem
Pirithous, validâ quatiens venabula dextrâ.
Cui procul Ægides, O me mihi carior, inquit,
Pars animæ consiste meæ; licet eminus esse
Fortibus: Ancæo nocuit temeraria virtus.
Dixit; & æratâ torsit grave cuspide cornum:
Quo bene librato, votique potente futuro,
Obstitit esculeâ frondosus ab arbore ramus.
Misit & Æsonides jaculum; quod casus ab illo
Vertit in immeriti fatum latrantis, & inter
Ilia conjectum, tellure per ilia fixum est.
At manus Oenidæ variat; missisque duabus,
Hasta prior terrâ, medio stetit altera tergo.
Nec mora: dum sævit, dum corpora versat in orbem,
Stridentemque novo spumam cum sanguine fundit,
Vulneris auctor adest, hostemque irritat ad iram;
Splendidaque adversos venabula condit in armos.
Gaudia testantur socii clamore secundo;
Victricemque petunt dextræ conjungere dextram;
Immanemque ferum multâ tellure jacentem
Mirantes spectant; neque adhuc contingere tutum
Esse putant: sed tela tamen sua quisque cruentat.
Ipse pede impositio caput exitiabile pressit;
Atque ita, Sume mei spolium, Nonacria, juris,
Dixit; & in partem veniat mihi gloria tecum.
Protinus exuvias rigidis horrentia setis
Terga dat, & magnis insignia dentibus ora.
Illi lætitiæ est cum munere muneris auctor:
Invidêre alii; totoque erat agmine murmur.
E quibus ingenti tendentes brachia voce,
Pone, age, nec titulos intercipe, fœmina, nostros,
Thestiadæ clamant: neu te fiducia formæ

Ancæus lapsus est; & intestina involuta multo cruore loco mota sparguntur, atque humus infecta est sanguine. Pirithous, filius Ixionis, ferebatur in hostem oppositum agitans spicula forti manu. Ad quem Theseus è longinquo, ô, ait, pars animæ meæ, mihi carior me, mane: Non decet strenuos longè abesse: Virtus imprudens obfuit Ancæo. Dixit; & jaculatus est hastile cornum instructum mucrone æneo. Cui fortiter jacto, aprumque percussuro, ramus frondosus ejculi impedimento fuit, Jason *Æsonis filius jaculatus est etiam telum, quod fors ab illo detorsit in exitum canis,* tale fatum *non meriti, & auctum inter ilia, impingebatur per ilia in terram. At dextra Oenidæ diversum* habuit eventum; *&, duobus jaculis liberatis, priùs adhæsit solo, alterum tergo medio* feri; *& sine cunctatione, dum furit, dum torquet corpus in gyrum, & emittit spumam stridentem cum novo cruore, qui plagam inflixit, adest, atque provocat hostem ad iram; & immittit coruscantem hastam in armos oppositos. Comites indicant lætitiam fervente vociferatione: atque appetunt conferere dextram cum dextrâ victrice; & stupentes intuentur ingentem aprum porrectum vasto spatio: neque arbitrantur* eum *adhuc securè tangi posse; sed tamen singuli cruore inficiunt sua jacula. Ipse calcavit caput horrendum pede impositio; atque ita: Accipe, inquit, Nonacria, exuvias, quæ jure mihi* ipsi debentur, *& mihi sit laus communis tecum. Continuò porrigit spolia, viz. tergora rigentia setis horridis, & caput conspicuum magnis dentibus. Auctor doni illi gratus est, pariter ac* ipsum *donum. Cæteri livore tacti sunt & murmur erat per totum cœlum. E quibus Thestiadæ porrigentes brachia cum magno clamore, Depone, age, mulier; neque præripe nostram gloriam; neve confidentia pulchritudinis tibi*

NOTÆ.

405. *Ægides*] *Theseus*, Ægei filius.
408. *Cornum*] Hastile, ex cornо arbore.
414. *Oenidæ*] *Meleagri*, Oenei filii.
418. *Auctor vulneris*] Meleager.
426. *Nonacria*] *Atalanta*, à Nonacri, Arcadiæ monte.
Ib. *Juris mei*] Quia aprum occiderat.
427. *Tecum*] Quæ primò vulnerâsti.
434. *Thestiadæ*] *Plexippus & Toxeus*, Thestii filii Meleagri avunculi.

Deci-

inponat; & auctor muneris *tactus tuo amore procul erit. Atque* ita Atalantæ *auferunt donum, & jus illud offerendi* Meleagro Vir *bellicosus non passus est, & fremens irâ ardente, Discite,* inquit, *prædones gloriæ alienæ quantùm differant acta à minis: Atque percussit exitiali ense pectus Plexippi, nihil ejusmodi reformidantis. Non sinit hærere* diu *Toxeum dubitantem quid agat, atque cupientem ulcisci fratrem, simul & metuentem cladem eandem, quâ frater* modò ereptus est, *atque recalefecit ferrum, quod nece priori erat calidum, cruore fraterno. Althæa Deorum altaribus accumulabat munera pro filio victoriâ potito, cùm statim intuetur fratres mortuos. Quæ,* his visis, pectus *plangit, & implet urbem tristibus clamoribus; & induit vestes pullas, positis iis quæ auro erant intextæ. At statim atque auctor* eorum *mortis nunciatus est, omnis mœror amissus est, & mutatus est à fletibus in desiderium vindictæ. Cauaex erat, quem, cùm Thestias esset puerpera, tres sorores injecerunt in ignem, atque trahentes fila fatalia admoto pollice, dixerunt, ô modò in lucem edite, præstamus eadem tempora & tibi & stipiti. Quâ sententiâ prolatâ postquam Deæ abierunt, mater abstulit lignum ardens à flammâ, atque irrigavit aquis fluentibus. Ille stipes fuerat diu occultus in intimis penetralibus; atque* ibi *custoditus defenderat tuam vitam, ô adolescens. Mater hunc depromsit, atque jussit ligna scindi in ussulas, & supponit flammam infensam:* iis in foco *compositis. Tum quatèr aggressa immittere stipitem in ignem, quatèr ab incæpto destitit.* Affectus *matris & sororis* in animo Althææ inter se *certant, & duo nomina in diversum trahunt eumum unum. Sæpe vultus expallescebant timore facinoris futuri:*

Decipiat; longéque tuo sit captus amore
Auctor; & huic adimunt munus, jus muneris illi.
Non tulit, & tumidâ frendens Mavortius irâ,
Discite raptores alieni, dixit, honoris,
Facta minis quantùm distent. Hausitque nefando
Pectora Plexippi, nil tale timentia, ferro.
Toxea, quid faciat, dubium, pariterque volentem
Ulcisci fratrem, fraternaque fata timentem,
Haud patitur dubitare diu; calidumque priori
Cæde recalfecit consorti sanguine telum.
Dona Deûm templis nato victore ferebat;
Cùm videt extinctos fratres Althæa referri.
Quæ plangore dato, mœstis ululatibus urbem
Implet; & auratas mutavit vestibus atris.
At simul est auctor necis editus; excidit omnis
Luctus: & à lacrymis in pœnæ versus amorem est.
Stipes erat, quem, cùm partus enixa jaceret
Thestias, in flammam triplices posuêre sorores;
Staminaque impresso fatalia pollice nentes,
Tempora, dixerunt, eadem lignoque, tibique,
O modò nate, damus. Quo postquam carmine dicto
Excesêre Deæ; flagrantem mater ab igne
Erripuit torrem: sparsitque liquentibus undis.
Ille diu furat penetralibus abditus imis;
Servatusque tuos, juvenis, servaverat annos.
Protulit hunc genetrix, tædasq; in fragmina poni
Imperat; & positis inimicos admovet ignes.
Tum conata quater flammis imponere ramum
Cœpta quater tenuit. Pugnat materque, sororque,
Et diversa trahunt unum duo nomina pectus.
Sæpe metu sceleris pallebant ora futuri:

NOTÆ.

435. *Longè*] Id est: ne interficiaris, sitque longè ab amatore tuo separeris.

437. *Mavortius*] *Bellicosus*, vel ex Marte genitus; siquidem unâ & eâdem nocte, referente Hygino, Mars & Oeneus cum Althæâ concubuerunt.

439. *Nefando*] Quia eo avunculum suum Meleager appetiit.

444. *Consorti sanguine*] Toxei; qui Plexippi frater fuit.

452. *Thestias*] *Altheâ*, Thestii filia.

463. *Pugnant*] Suadebat dolor, ut Meleagrum, fratrum interfectorem, soror ulciscereture: dolor obstabat, quòd in filium mater sæviret.

Sæpe

Sæpe ſuum fervens oculis dabat ira ruborem,
Et modò neſcio quid ſimilis crudele minanti
Vultus erat; modò quem miſereri credere poſſes:
Cúmque ferus lachrymas animi ſiccaverat ardor;
Inveniebantur lachrymæ tamen. Utque carina
Quam ventus, ventoque rapit contrarius æſtus,
Vim geminam ſentit, paretque incerta duobus:
Theſtias haud aliter dubiis affectibus errat,
Inque vices ponit, poſitamque reſuſcitat iram.
Incipit eſſe tamen melior germana parente;
Et, conſanguineas ut ſanguine leniat umbras,
Impietate pia eſt. Nam poſtquam peſtifer ignis
Convaluit. Rogus iſte cremet mea viſcera, dixit.
Utque manu dirâ lignum fatale tenebat;
Ante ſepulchrales infelix adſtitit aras.
Pœnarumque Deæ triplicis furialibus, inquit,
Eumenides, ſacris vultus advertite veſtros.
Ulciſcor, facioque nefas. Mors morte pianda eſt;
In ſcelus addendum ſcelus eſt, in funera funus:
Per coacervatos pereat domus impia luctus.
An felix Oeneus nato victore fruetur;
Theſtius orbus erit? meliùs lugebitis ambo.
Vos modò, fraterni manes, animæque recentes,
Officium ſentite meum; magnoque paratas
Accipite inferias, uteri mala pignora noſtri.
Hei mihi! quò rapior? fratres ignoſcite matri.
Deficiunt ad cœpta manus. Meruiſſe fatemur
Illum, cur pereat: mortis mihi diſplicet auctor.

Sæpe ira ardens ſtargebat ſuum ruborem in oculos. Et nunc facies erat ſimilis minanti neſcio quid atroci; nunc verò eam poſſes arbitrari tangi miſericordiâ. Et poſtquam vehemens animi indignatio ſiccaverat lachrymas, tamen lachrymæ reperiebantur: Et quemadmodum navis quam aura, atque fluctus contrarius auræ, aufert, patitur duplicem violentiam, atque fluctuans viciſſim obſequitur duobus; ſimiliter Theſtias vagatur huc illuc *incertis animi motibus; atque alternis vicibus omittit iram, & excitat omiſſam. Nihilominus ſoror incipit eſſe fortior matre, & ut mulceat fratrum manes* filii *ſanguine, pia eſt impietate. Nam poſtquam exitiales flammæ auctæ ſunt, Pyraiſta, inquit, depaſcat mea præcordia. Utque tractabat ſtipitem fatalem ſævâ manu, miſera ſtetit ad altaria ſepulchralia, atque, inquit, Tres furiæ, Deæ pœnarum, convertite veſtros oculos ad ſacra feralia. Punio atque admitto ſcelus: Funus eſt expiandum funere; facinus augendum eſt facinore, mors morte. Domus nefaria diſjiciatur per mœrores cumulatos. An beatus Oeneus gaudebit filio victore: Theſtius erat filiis privatus? Uterque juſtiùs flebitis. Vos tantùm umbræ fraternæ, atque animæ recens in orcum admiſſæ, experimini meum officium; atque ſumtis inferias magno pretio comparatas, mala pignora noſtri ventris, Hei mihi! quò aufero: fratres parcite matri. Manus non ſufficiunt ad auſus* meos *peragendos. Agnoſcimus illum dignum eſſe, qui occidat*; hoc tamen mihi *diſplicet* ut ego nato meo forem *funeris cauſa.*

NOTÆ.

472. *Vim geminam*] Duplicem violentiam, & venti & æſtûs maris.

475. *Melior*] Qui filium perdere ſtatuit.

477. *Impietate pia*] *Pia*, in ulciſcendo fratrum cædem. *Impia*, necando filium.

480. *Sepulchrales aras*] *Rogum* dicit, in quem, ſtipitem quo filii fata continebantur, conjectura erat: quem quidem rogum venuſtè *aram* dicit, ubi, occiſis fratribus, viſcera ſua *immolabat.*

482. *Eumenides*] *Furiæ*, Alecto, Tiſiphone, & Megæra, Nocte & Acheronte ſatæ, malefactorum infernales ultrices.

483. *Mors morte*] Cædes fratrum morte filii, purganda eſt. *Nefas*] Quod Meleager in interficiendis avunculis nefas patraverat dum Althæa ulciſcitur, aliud in occidendo filio admittit.

487. *Theſtius*] Althææ, itemque Plexippi & Toxei, quos Meleager interfecerat, pater.

488. *Recentes*] Novi Orci incolæ, recens ad inferos depulſi.

489. *Magno*] Filii ſc. mei nece.

490. *Inferias*] Eo nomine appellantur, quæ Manibus fiebant, ſacrificia.

491. *Ignoſcite*] Ita loquitur mater, quæ fratribus filium immolare veretur.

Ergo

Adeóque inultus discedet, atque vivus, & victor, & inflatus læto eventu, obtinebit regnum Calydonis? Vos jacebitis cinis paucus & manes frigidi? Non equidem feram. Occidat iste sceleſtus; atque ſecum trahat ſtem patris, & ſimul cladem regni & patriæ. Ubi eſt animus maternus? ubi ſunt pia jura parentum, & labores decem menſium quos tuli? O utinam infans combuſtus fuiſſes primis ignibus, atque ego id permiſiſſem! Vixiſti noſtro beneficio: jam obibis tuo delicto? Sume mercedem facinoris, atque redde ſpiritum bis datum, primo partu, deinde torre ablato, vel me adjice buſtis fraternis. Et voveo, & nequeo. Quid faciam? Nunc plagæ fratribus impactæ, & ſimulacbrum tantæ ſtragis obverſatur meis oculis. Nunc pietas & nomina materna molliunt mentem. Me infelicem! modo calamitoſo vincetis: ſed vincite, fratres; dummodo, inquit, ego ad mortem ſequar vos, & ſolatia quæ vobis præbuero; atque averſa immiſit in flammas medias manu trepidâ ſtipitem funeſtum. Ille aut

Ergo impunè feret: vivuſque, & victor, & ipſo
Succeſſu tumidus regnum Calydonis habebit? 495
Vos cinis exiguus, gelidæque jacebitis umbræ?
Haud equidem patiar. Pereat ſceleratus; & ille
Spemque patris, regnique trahat, patriæq; ruinam.
Mens ubi materna eſt; ubi ſunt pia jura parentum?
Et, quos ſuſtinui, bis menſûm quinque labores? 500
O utinam primis arſiſſes ignibus infans;
Idque ego paſſa forem! vixiſti munere noſtro:
Nunc merito moriêre tuo. Cape præmia facti;
Biſque datam, primùm partu, mox ſtipite rapto,
Redde animam; vel me fraternis adde ſepulchris. 505
Et cupio, & nequeo. Quid agam: modo vulnera fratrum
Ante oculos mihi ſunt, & tantæ cædis imago;
Nunc animum pietas, maternaque nomina frangunt
Me miſeram! malè vincetis, ſed vincite, fratres:
Dummodo, quæ dedero vobis ſolatia, voſque 510
Ipſe ſequar, dixit: dextrâque averſa trementi
Funereum torrem medios conjecit in ignes.
Aut dedit, aut viſus gemitus eſt ille dediſſe
Stipes; & invitis correptus ab ignibus arſit.
Inſcius atque abſens flammâ Meleagros ab illâ 515
Uritur: & cæcis torreri viſcera ſentit
Ignibus: at magnos ſuperat virtute dolores.
Quòd tamen ignavo cadat, & ſine ſanguine leto,
Mœret; & Ancæi felicia vulnera dicit,
Grandævumque patrem, fratremque, piaſque ſorores
Cum gemitu, ſociamq; tori vocat ore ſupremo; 521

ingemuit, aut ſaltem viſus eſt ingemiſcere, atque correptus ab ignibus cunctantibus flagravit. Meleager ignarus atque abſens, abſumitur eo igne, atque ſentit præcordia uri ſecretâ flammâ; at vincit ingentes cruciatus virtute. Dolet tamen quòd pereat morte ſegni & ſine vulnere; atque ait plagas Ancæi eſſe beatas. Et appellat patrem, ætate provectum, cum gemitu, & fratrem, & pias ſorores, & Cleopatram conſortem tecti, ultimâ voce;

NOTÆ.

497. *Ille*] Alios quidem filios habuit Oeneus ſed Meleagro longè diſpares; quippe in bello ob Plexippi & Toxei mortem orto periêrunt.

500. *Bis quinque*] Lunares.

501. *Primis*] Quo tempore torrem, ſubmonentibus Parcis, Althæa flammis ſubtraxerat.

502. *Munere noſtro*] Quæ ſtipitem, ſeu torrem, in hunc uſque diem ſervavi.

506. *Cupio*] Fratres ulciſci, & vice versâ filium ſervare. Neutrum poteſt, qui utrumque per alterum impeditur.

509. *Malè vincetis*] Malè fratres dicit vincere, quos ut ulciſcatur, filium perdere ſtatuit.

511. *Averſa*] Dolens, & invita ex more funebri. *Averſi tenuêre facem.* En. 6.

512. *Funeſtum*] Funereum, funeriſque & mortis Meleagri cauſam.

516. *Cæcis*] Maximis, internis, occultis, quorumque cauſam ignorabat.

520. *Fratrem*] Tydeum intelligo, quanquam alios Oenco aſſignat Anton. Liberalis.

For-

Forsitan & matrem. Crescunt ignisque dolorque;
Langueſcuntq; iterum. Simul est extinctus uterque,
Inque leves abiit paulatim spiritus auras:
Alta jacet Calydon. Lugent juveneſque, seneſq;
Vulguſque, procereſque gemunt: sciſſæque capillos
Planguntur matres Calydonides Eveninæ.
Pulvere canitiem genitor, vultuſque seniles
Fœdat humi fuſus; ſpatioſumque increpat ævum.
Nam de matre manus diri ſibi conſcia facti
Exegit pœnas, acto per viſcera ferro.
Non mihi ſi centum Deus ora ſonantia linguis,
Ingeniumque capax, totumque Helicona dediſſet;
Triſtia perſequerer miſerarum dicta ſororum.
Immemores decoris liventia pectora tundunt
Dumq; manet corpus, corpus refoventque foventque:
Oſcula dant ipſi, poſito dant oſcula lecto.
Poſt cinerem, cineres hauſtos ad pectora verſant:
Affuſæque jacent tumulo: ſignataque ſaxo
Nomina complexæ, lacrymas in nomina fundunt:
Quas, Parthaoniæ tandem Latoïa clade
Exſatiata domûs, præter Gorgenque nurumque
Nobilis Alcmenæ, natis in corpore pennis,
Allevat: & longas per brachia porrigit alas,
Corneaque ora facit, verſaſque per aëra mittit.

V. Interea Teſeus ſociati parte laboris
Functus, Erechtheas Tritonidos ibat ad arces.

fortaſſe & matrem. Flamma & cruciatus augentur; minuuntur denuo, ambo unà ſunt exhauſti, & ſpiritus paulatim diſſipatus eſt in tenuem aërem. Excelſa Calydon luctu proſtrata eſt. Juvenes & ſenes mœrent: plebs & primores gemunt: matres Calydonides Eveninæ laceras habentes comas ſe tundunt. Pater Oeneus humi jacens dehoneſtat vanos & faciem ſenilem pulvere; atque damnat longam ætatem. Namque matrem quod attinet, manus ſibi conſcia repetivit pœnas facinoris, enſe trajecto per præcordia. Si Deus præbuiſſet mihi ora loquentia centum linguis, & ingenium capax, & univerſum Heliconem, non enarrarem lugubres ſermones infelicium ſororum. Illæ oblitæ decoris plangunt livida pectora: & quamdiu corpus ſupereſt, fovent atque reforvent corpus: Illud corpus deoſculantur, deoſculantur lectum oppoſitum. Poſtquam in cinerem redactum eſſet cadaver, *preſſant cinerem collectum ad pectora, atque jacent proſtratæ ad ſepulchrum: & complexæ nomen* Meleagri *inſculptum lapidi fundunt lachrymas in nomen. Quas tandem Latona expleta exitio domûs Parthaoniæ* tollit, *pennis genitis in corpore, præter Gorgen & nurum celebris Alcmenæ; atque extendit prolixas alas per lacertos, & ora in roſtra vertit; & ablegat* eas in aves *mutatas per aërem.*

V. *Interea Theſeus, defunctus parte laboris* ſibi cum multis *communis, revertebatur ad arces Erechtheas Minervæ.*

NOTÆ.

527. *Eveninæ*] Eveni, Ætoliæ fluvii, accolæ.

528. *Pulvere canitiem*] Quod in magnis mœroribus fieri conſuevit.

529. *Spatioſum*] Quia, ſi maturiùs obiiſſet, filii mortem non vidiſſet.

531. *Ferro*] Laqueo vitam finivit, inquit Diodor. Sic. lib. 5.

537. *Lecto*] *Funebri feretro.*

541. *Parthaoniæ*] *Oenei* eſt à patre Parthaone ſic dicti.

542. *Nurum*] *Deianira* eſt, uxor Herculis.

544. *Porrigit*] In aves ſunt mutatæ, quas à Meleagro fratre Meleagrides dixerunt, Ideo verò Meleagri nomine inſignitæ illæ aves, quòd certis quibuſdam temporibus in Bœotiam ex Africâ circa Meleagri tumulum convolarent. Vide Plin. lib. 10. cap. 26.

546. *Laboris*] In interficiendo apro.

547. *Erechtheas*] *Athenienſes*; in quibus olim Erechtheus regnaverat.

Ib. *Tritonidos*] *Palladem* dicit, cui à Tritone Libyæ palude, ubi primùm apparuit & educata eſt, hoc nomen impoſitum. Athenis verò ſuum dediſſe illam nihil eſt opus toties repetere.

Achelous auctus pluviâ obſtruxit viam, & remoratus eſt redeuntem. Subi domum meam, inquit, illuſtris Cecropida; neque te objice unais furentibus. Conſueverunt abripere tigna integra, & devolvere moles tranſverſas cum magno ſonitu. Vidi excelſa ſtabula propinqua ripæ avelli cum gregibus: neque illîc profuit quicquam *armenti quòd eſſent valida, neque equis quòd eſſent celeres. Hic etiam torrens, nivibus liquefactis de monte, abſorbuit multa corpora juvenilia vortice in modum turbinis* ſe volvente. *Securior eſt mora, donec fluenta ferruntur intra conſuetas ripas: donec ſua foſſa contineat paucas aquas. Theſeus aſſenſus eſt, &, inquit, utar, Acheloe, & domo & ſuaju tuo: atque uſus eſt utroque. Intrat atria exſtructa pumice multùm concavo, & tophis aſperis, Terra erat madida lento muſco. Conchæ diſtinguebant ſupremum lacunar alterno murice. Jamque Sole permenſo duas partes diei, Theſeus & ſocii laborum ſeſe compoſuerunt in lectos; hâc parte Ixionides, illâ Lelex heros Trœzenius jam diſtincta habens tempora paucis* crinibus *canis; aliique quos fluvius Acarnanum, feſtiviſſimus ob tantum hoſpitem, dignos judicaverat eo honore. Continùo nymphæ nudos pedes habentes appoſuerunt dapes menſis admotis, & epulis ſublatis fuderunt vinum in gemmeum* poculum. *Tum heros maximus procul videns maria oculis obverſa, Quis, ait, ille locus? & indicat digito: atque aſſigna nomen,*

Clauſit iter, fecitque moras Acheloïs eunti,
Imbre tumens. Succede meis, ait, inclyte, tectis,
Cecropida: nec te committe rapacibus undis.
Ferre trabes ſolidas, obliquaque volvere magno
Murmure ſaxa ſolent. Vidi contermina ripæ
Cum gregibus ſtabula alta trahi: nec fortibus illîc
Profuit armentis, nec equis velocibus eſſe.
Multa quoque hic torrens nivibus de monte ſolutis
Corpora turbineo juvenilia vortice merſit.
Tutior eſt requies, ſolito dum flumina currant
Limite; dum tenues capiat ſuus alveus undas.
Annuit Ægides: utarque, Acheloë, domoque
Conſilioque tuo, reſpondit: & uſus utroque eſt.
Pumice multicavo, nec lævibus atria tophis
Structa ſubit. Molli tellus erat humida muſco.
Summa lacunabant alterno murice conchæ.
Jamque duas lucis partes Hyperione menſo,
Diſcubuêre toris Theſeus comiteſque laborum:
Hâc Ixionides, illâ Trœzenius heros
Parte Lelex, raris jam ſparſus tempora canis:
Quoſque alios parili fuerat dignatus honore
Amnis Acarnanum, lætiſſimus hoſpite tanto.
Protinus appoſitas nudæ veſtigia Nymphæ
Inſtruxêre epulis menſas: dapibuſque remotis
In gemmâ poſuêre merum. Tum maximus heros
Æquora proſpiciens oculis ſubjecta, Quis, inquit,
Ille locus? digitoque oſtendit, &, Inſula nomen

NOTÆ.

548 *Archeloïs*] Fluvius Acarnaniam ab Ætolia dividens. Vel igitur multum ad occaſum expatiatus erat aper, nec à Calydone venire Theſeum eſt arbitrandum; vel circa locorum ſitum multùm errâſſe poëtam eſt confitendum: nam Calydoni Athenas petenti nullo modò obſtare poteſt Achelous qui hinc longè magis ad occaſum aquas ſuas devolvit.

550. *Cecropida*] *Athenienſis*; à Cecrope primo Athenienſium rege.

561. *Nec lævibus*] Tophus nempe lapis aſper & cavernoſus.

563. *Lacunabant*] Laquear muricibus, (qui conchicæ ſunt genus) itemque conchis diſtinctum, & teſſelatum erat.

564. *Duas*] Ut tertia reliqua eſſet, quâ ferè Romani, cibum ſumpturi, ad quorum mores videtur alludere poëta, ſolebant diſcumbere.

Ib. *Hyperione*] *Sole*, qui à patre Hyperione Cœli filio illud etiam nomen habuit.

566. *Ixionides*] *Pirithous* Ixionis filius, Theſei perpetuus comes.

Ib. *Trœzenius*] Sic dictus Lelex à Trœzene ubi Pittheus regnavit, ille verò habitavit.

572. *Gemmâ*] Phialâ gemmeâ potiùs quàm gemmatâ, ut quæ fluviatili Deo magis conveniat.

Quod

Quod gerat illa, doce. Quanquam non una videtur.
Amnis ad hæc, Non est, inquit, quod cernimus unum.
Quinque jacent terræ: spatii discrimine fallunt.
Quóque minùs spretæ factum mirere Dianæ;
Naiades hæ fuerant: quæ, cùm bis quinque juvencos
Mactâssent, rurisque Deos ad sacra vocâssent,
Immemores nostri festas duxêre choreas.
Intumui: quantusque feror, cùm plurimus, unquam,
Tantus eram: pariterque animis immanis & undis,
A silvis silvas, & ab arvis arva revelli.
Cumque loco Nymphas, memores tum denique nostri
In freta provolvi. Fluctus nostrerque, marisque
Continuam diduxit humum; partesque resolvit
In totidem, mediis quot cernis Echinadas undis.
VI. Ut tamen ipse vides, procul, en procul una recessit
Insula grata mihi. Perimelen navita dicit.
Huic ego virgineum dilectæ nomen ademi.
Quod pater Hippodamas ægrè tulit: inq; profundum
Propulit è scopulo parituræ corpora natæ.
Excepi; nantemque ferens, O proxima cœlo
Regna vagæ, dixi, sortite, tridentifer, undæ,
In quo desinimus, quo sacri currimus amnes,
Huc ades, atque audi placidus, Neptune, precantem.
Huic ego, quam porto, nocui. Si mitis, & æquus,
Si pater Hippodamas, aut si minùs impius esset;
Debuit illius misereri; ignoscere nobis.
Affer opem; mersæque præcor feritate paternâ

quod illa insula habeat, quanquam non videtur unica. Ad hæc fluvius. Non est, inquit, unum, quod vidimus. Quinque terræ sunt porrectæ, decipiunt oculos parvâ *differentiâ intervalli. Atque, ut minùs stupeas vindictam Dianæ neglectæ; hæ* insulæ *fuerunt Naides: quæ, cùm immolâssent decem juvencos, atque invitâssent Deos ruris ad sacra, agitaverunt choreas festus nostri oblitæ. Inflatus sum, atque tantùm intumescens excurro, quantùm cùm maxime exundo: & æqualiter terribilis irâ & fluctibus abripui nemora à nemoribus, & campos à campis. Et protraxi in mare Nymphas, tum denique nos reveritas, cum loco. Unda nostra & freti divellit solum conjunctum, atque divisit in totidem partes, quod vides Echinadas in mediis fluctibus.*

VI. *Cæterùm, uti cernis ipse procul, ecce una insula mihi accepta procul abiit. Nautæ vocant Perimelen. Ego sustuli huic amatæ nomen virgineum. Quod parens Hippodamas iniquo animo passus est: & deturbavit ex caute corpus filiæ fœtum enixuræ. Excepi, & sustentans natantem, ô dixi, Tridentifer, qui consecutus est sorte imperium in aquas incertas proximum cœlo, in quo nos fluvii sacri subsistimus, in quem fluimus, huc adsis, atque æquus ausculta oranti, Neptune. Ego obfui huic, quam fero. Si parens Hippodamas esset lenis & justus, aut minùs impius, debuit illius misereri, & nobis parcere.* Neptune, *subveni, & præbe, quæso, submersæ* sævitiâ paternâ *locum* habitationis:

NOTÆ.

577. *Spatii discrimine*] Quia parvum, vixque è longinquo prospicientibus conspicuum.

578. *Factum*] *Vindictam*, quô sui contemptum ulta est in Oeneo & suis.

581. *Immemores*] Non enim rivulos suos, ut priùs, in Acheloum devexerunt.

582. *Intumui*] Optimè & fluvii iram, & ejus erumpentem impetum ob oculos ponit.

585. *Memores tum*] Tum demum intellexerunt, quem, per ludibrium, de diis agrestibus inhonoratum præterii sient.

588. *Echinadas*] Quæ insulæ sunt ad Acheloï Ætoliæ fluvii ostium, ex limo ab eo devecto conflatæ; quibus quidem, vel ab Echinis quibus abundare dicuntur, vel ab Echino quodam vate, ut sensit Apollodorus, nomen illud impositum.

590. *Perimelen*] Est una Echinadum ante os finûs Corinthiaci.

591. *Virgineum*] Illam vitiavi.

595. *Tridentifer*] *Neptunum* dicit, cui tridens pro sceptro attributum.

597. *Huc ades*] Ex precantium formulâ Deos orantium, ut adsint.

Da, Neptune, locum: vel, sit locus ipsa, licebit.
Hanc quoque complectar. Movit caput æquoreus rex:
Concussitque suis omnes assensibus undas.
Extimuit Nymphe: nabat tamen. Ipse natantis
Pectora tangebam trepido salientia motu:
Dumque ea contrecto, totum duresc̃ere sensi
Corpus; & inductâ condi præcordia terrâ.
Dum loquor: amplexa est artus nova terra natantes,
Et gravis increvit mutatis insula membris.

VII. Amnis ab his tacuit. Factum mirabile cunctos
Moverat. Irridet credentes, utque Deorum
Spretor erat, mentisque ferox Ixione natus;
Ficta refers, nimiùmque putas, Acheloë, potentes
Esse Deos, dixit, si dant, adimuntque figuras.
Obstupuêre omnes, nec talia dicta probârunt:
Ante omnesque Lelex, animo maturus & ævo,
Sic ait: Immensa est, finemque potentia cœli
Non habet: & quicquid Superi voluêre, peractum est.
Quóque minùs dubites; tiliæ contermina quercus
Collibus est Phrygiis, modico circumdata muro.
Ipse locum vidi: nam me Pelopeïa Pittheus
Misit in arva, suo quondam regnata parenti.
Haud procul hinc stagnum; tellus habitabilis olim;
Nunc celebres mergis, fulicisque palustribus undæ.
Jupiter huc, specie mortali, cumque parente
Venit Atlantiades positis caducifer alis.
Mille domos adiêre, locum, requiemque petentes:
Mille domos clausêre feræ. Tamen una recepit,

vel concedatur ut ipsa sit locus. Complectar hanc etiam. Deus maris capite annuit, atque movit omnes aquas juo nutu. Nympha exterrita est: natabat tamen; egomet tangebam pectus natantis palpitans motu timido: & dum illud tango, adverti universum corpus indurari, & viscera premi terrâ appositâ: Dum verba facio; nova terra complexa est membra nantia, & in insulam ponderosam aucta est versis artubus.

VII Post hæc fluvius siluit. Factum mirandum omnes tetigerat. Filius Ixionis exsibilat fidem adhibentes; atque ut erat Deorum contemptor, & superbo animo, vana memoras, inquit, atque credis Deos nimiùm posse, Acheloë, siquidem præbent atque tollunt formas. Omnes mirati sunt; neque ejusmodi verbis faverunt: & Lelex ante omnes, mente sapiens atque ætate, sic dicit: Potestas Deorum est infinita: neque terminis ullis comprehenditur; & quodcumque Dii cupierunt, absolutum est. Et ut minùs hæsites, quercus est proxima tiliæ in valibus Phrygiis cincta parvo muro. Ego vidi locum: nam Pittheus misit me in agros Pelopeïos, qui olim sub potestate fuerant Pelopis sui patris. Non longè inde lacus; terra olim hospitalis: Nunc aquæ frequentatæ à mergis & fulicis palustribus. Jupiter figurâ humanâ & caducifer Atalantiades descendit cum patre, omissis alis. Accesserunt ad mille domos, rogantes hospitium & requiem. Obices obserârunt mille domos. Tamen una accepit illos;

NOTÆ.

603. *Hanc quoque complectar*] Huc est, postquam in insulam erit conversa. Perimelen enim, vel insulas Echinadas Achelous alluit.

Ib. *Movit caput*] Annuendi causâ.

605. *Nabat tamen*] Modum quo insulæ nonnunquam ex advectis varii generis quisquilis, lignis, &c. intermixto fluctuante limo formantur, planissimè sub fabulæ titulo descripsit poëta.

613. *Ixione natus*] *Pirithous* ex centaurorum, superûm contemptorum, genere.

622. *Pelopeïa*] *Phrygiam* dicit, Asiæ minoris, regionem, Tantalo Pelopis patri regnatam, in quam à Pittheo Pelopis filio Lelex dimissus.

625. *Fulicis*] Aves sunt aquaticæ. *Coots.*

626. *Parente*] Maiâ Atlantis filiâ, à quo Mercurius dicitur Atlantiades.

Parva

Parva quidem, ſtipulis & cannâ tecta plauſtri:
Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon
Illâ ſunt annis juncti juvenilibus, illâ
Conſenuêre casâ: paupertatemque fatendo
Effecêre levem, nec iniquâ mente ferendam.
Nec refert, dominos illîc, famuloſne requiras;
Tota domus duo ſunt: îdem parentque, jubentque.
Ergo ubi Cœlicolæ parvos tetigêre penates;
Submiſſoque humiles intrârunt vertice poſtes;
Membra ſenex poſito juſſit relevare ſedili:
Quo ſuperinjecit textum rude ſedula Baucis.
Inde foco tepidum cinerem dimovit: & ignes
Suſcitat heſternos: foliiſque & cortice ſicco
Nutrit: & ad flammas animâ producit anili:
Multifidaſque faces, ramaliaque arida tecto
Detulit, & minuit, parvoque admovit aheno.
Quodque ſuus conjux riguo collegerat horto,
Truncat olus foliis. Furcâ levat ille bicorni
Sordida terga ſuis, nigro pendentia tigno:
Servatoque diu reſecat de tergore partem
Exiguam; ſectamque domat ferventibus undis.
Interea medias fallunt ſermonibus horas:
Sentirique moram prohibent. Erat alveus illîc
Fagineus, curvâ clavo ſuſpenſus ab ansâ:
Is tepidis impletur aquis; artuſque fovendos
Accipit. In medio torus eſt de mollibus ulvis
Impoſitus lecto, ſpondâ pedibuſque ſalignis.
Veſtibus hunc velant, quas non niſi tempore feſto
Sternere conſuêrant: ſed & hæc viliſque vetuſque
Veſtis erat, lecto non indignanda ſaligno.
Accubuêre Dei. Menſam ſuccincta tremenſque
Ponit anus. Menſæ ſed erat pes tertius impar:
Teſta parem fecit. Quæ poſtquam ſubdita clivum

exigua quidem, tecta ſtipulis & arundine paluſtri. Verùm Baucis pia vetula, atque Philemon in illo tugurio convenerunt ætate integrâ, illo ſenectutem concraxerant; & inopiam agnoſcendo reddiderunt eam facilem, neque tolerandam averſo animo. Neque intereſt ibi utrum voces heros an ſervos: univerſa familia duo ſunt; iidem & imperant & obtemperant. Poſtquam igitur Dii adiêrunt exiguam caſam, atque jubiêrunt parvam januam capite inclinato, ſenex hortatus eſt quietem præbere artubus, oblato ſedili, quod officioſa Baucis ſternit craſſo texto. Deinde abſtulit calidum cinerem foco, atque excitat ignes heſternos, atque fovet frondibus & cortice arido: & perducit ad flammas ſpiritu anili; & attulit ligna in multa jegmenta diviſa, & ramuſculos ſiccos tecto dereptos, & fregit, & admovit exiguo cacabo; & concidit olera quæ ſuus conjux collegerat in horto riguo. Ille deripit furcâ bicorni turpia terga porci pendentia trabe fumidâ; atque abſcindit de tergo diu ſervato parvam partem; & mollit abſciſſam aquis bullientibus. Interea tædium tollunt temporis interjecti colloqui, & faciunt ne cunctatio moleſta ſit. Ibierat crater fagineus ſuſpenſus clavo ab ansâ curvâ: is impletur aquis calidis, atque accipit membra lavanda. In medio erat torus de lentis ulvis impoſitus lecto, ſponda & pedibus ſaliginis. Hunc ſternunt veſte quam non niſi tempore feſto ſoliti erant depromere: ſed & illa veſtis & vilis & vetus erat, non erubeſcenda lecto ſaligno. Dii accubuerunt. Anus accincta & tremens admovet menſam; verùm pes tertius menſæ erat inæqualis, later fecit æqualem: qui poſtquam ſubjectus dempſit

NOTÆ.

631. *Philemon*] Hunc poëtæ villicum fuiſſe nonnulli volunt.

641. *Dimovit*] Eâ curâ mores, totamque tuniculæ rationem ob oculos ponit, ut ipſam coram cernere videaris.

643. *Animâ*] Spiritu & flatu utens pro folle.

651. *Medias*] Donec fumoſum & durum lardum domitum & coctum eſſet.

654. *Artus*] Priſcus ille mos fuit lavandi hoſpites. Athen. lib. 15 cap. 9.

662. *Teſta*] Fragmentum aliquod teſtæ quod, ne menſa titubaret, pedis brevitati opitulatur.

Ib. *Clivum*] Inæqualitatem meniæ.

Sustulit, æquatam mentæ tersêre virentes.
Ponitur hîc bicolor sinceræ bacca Minervæ,
Conditaque in liquidâ corna autumnalia fæce,
Intubaque, & radix, & lactis massa coacti:
Ovaque non acri leviter versata favillâ;
Omnia fictilibus. Post hæc cælatus eâdem
Sistitur argillâ crater; fabricataque fago
Pocula, quà cava sunt, flaventibus illita ceris.
Parva mora est; epulasque foci misêre calentes:
Nec longæ rursus referuntur vina senectæ;
Dantque locum mensis paulùm seducta secundis.
Hîc nux, hîc mista est rugosis carica palmis,
Prunaque; & in patulis redolentia mala canistris,
Et de purpureis collectæ vitibus uvæ.
Candidus in medio favus est. Super omnia vultus
Accessêre boni: nec iners pauperque voluntas.
Interea, quoties hausum cratera repleri
Sponte suâ, per seque vident succrescere vina,
Attoniti novitate pavent, manibusque supinis
Concipiunt Bauciscque preces, timidusque Philemon:
Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant.
Unicus anser erat, minimæ custodia villæ:
Quem Dis hospitibus domini mactare parabant:
Ille celer pennâ tardos ætate fatigat:
Eluditque diu: tandemque est visus ad ipsos
Confugisse Deos. Superi vetuêre necari;

inæqualitatem, mentæ virides deterserunt æquatam. Tum appenitur bacca bicolor integumentæ Palladis & corna autumnalia desuper condita, & cichoreum & raphanus, & caseus rigens & ova leviter versata in levi cinere; atque hæc omnia in vasibus ex argillâ factis. Postea sculptus urceus exactum luto apponitur in mensâ, & pocula facta ex fago abducta intus ceris flavis. Breve est tempus, & foci dederunt dapes calidas: & rursus apponitur vinum novum: atque hæc paulisper sposita vicem præstant bellarius. Tum nux, tum ficus aridæ junctæ sunt corrugatis dactylis, itemque pruna & mala fragrantia in corbibus cum racemis collectis ex rubris vitibus. Favus albus est in medio. Lætæ facies additæ sunt super omnia, & voluntas neque segnis neque parca. Interea quum advertunt urceum repleri per se quoties evacuatus esset, atque utro vina augeri, stupentes novitate timent, & Baucis & pavidus Philemon ad preces confugiunt manibus in cœlum sublatis & veniam implorant epulis, atque exiguo apparatui. Unicus anser erat, custos vilissimæ villæ, quem domini volebant occidere in gratiam Deorum hospitum. Ille velox pennis lassat lentos annos, & diu effugit; atque tandem visus est confugisse ad Deos ipsos. Illi prohibuerunt occidi:

NOTÆ.

663. *Mentæ*] Quæ attritu gratum odorem emitterent.

664. *Bicolor*] Aliâ parte virescentibus, alterâ nigricantibus.

Ib. *Sinceræ*] Quia Minerva, in cujus tutelâ erat oliva, virgo est castissima.

665. *Fæce*] Quæ condita servantur. *Pickle.*

Ib. *Autumnalia*] Quæ autumno maturescunt: tunc etiam, sicuti alia musto condiuntur.

666. *Intuba*] Est intubus seu intubum genus herbæ, sub quo cichoreum etiam intelligitur. *Succory.*

Ib. *Radix*] Raphanus à Græcis dicitur. *Radish.*

667. *Non acri*] Ut paulatim & moderato calore præparentur.

670. *Ceris*] Multus est nimirum in ligno illinendo ceræ usus.

671. *Epulas*] Lardum nempe cum oleribus.

673. *Secundis*] Cœnæ apud Romanos tres fuisse missus nemini non notum, 1. Ante cœnam Promulsidem, sive Gustum. 2. Cœnæ caput, ex cibis firmis & præcipuis. 3. Bellariâ, sive mensas secundas.

674. *Carica*] Eo nomine appellantur ficus, cujus generis in Syriâ esse Plinius meminit.

Ib. *Palmis*] *Dactylos* Vulgò vocitant. *Dates.*

678. *Nec iners*] Voluntas est, quæ apud nos beneficium ponit.

684 *Custodia*] Anseres etiam in capitolio, quòd sopitos custodes ad arcis detensionem adversus Gallos excitavissent, publicè ali ex Plutarcho discimus.

Dîque

Dique sumus; meritasque luet vicinia pœnas
Impia, dixerunt. Vobis immunibus hujus
Esse mali dabitur: modò vestra relinquite tecta;
Ac nostros comitate gradus; & in ardua montis
Ite simul. Parent ambo, baculisque levati
Nituntur longo vestigia ponere clivo.
Tantùm aberant summo, quantùm semel ire sagitta
Missa potest: flexêre oculos, & mersa palude
Cætera prospiciunt, tantùm sua tecta manere.
VIII, IX. Dumque ea mirantur; dum defient fata suorum:
Illa vetus dominis etiam casa parva duobus,
Vertitur in templum: furcas subiêre columnæ:
Stramina flavescunt; adopertaque marmore tellus,
Cœlatæque fores, auratæque tecta videntur.
Talia cùm placido Saturnius edidit ore:
Dicite, juste senex, & fœmina conjuge justo
Digna, quid optetis? Cum Baucide pauca locutus,
Consilium Superis aperit commune Philemon:
Esse sacerdotes, delubraque vestra tueri
Poscimus: & quoniam concordes egimus annos;
Auferat hora duos eadem; nec conjugis unquam
Busta meæ videam; neu sim tumulandus ab illâ.
Vota fides sequitur. Templi tutela fuêre,
Donec vita data est. Annis, ævoque soluti,
Ante gradus sacros cùm starent fortè, locique
Narrarent casus; frondere Philemona Baucis;
Baucida conspexit senior frondere Philemon.
Jamque super geminos crescente cacumine vultus;
Mutua, dum licuit, reddebant dicta; Valeque,
O conjux, dixêre simul: simul abdita texit
Ora frutex. Ostendit adhuc Tyaneïus illic
Incola de gemino vicinos corpore truncos

Dique sumus, inquiunt; & vicini inhospitales dabunt pœnas quas meruerunt: concedetur vobis esse expertibus hujus cladis: Deserite tantùm vestras sedes, atque sequimini nostra vestigia, & venite unà in cacumen montis. Uterque obsequuntur, & sustentati scipionibus conantur ascendere excelsum montem. Tantùm distabant à cacumine quantum jactus sagittæ potest comprehendere: convertunt oculos, & prospiciunt suam domum solum superesse, alia omnia absorpta lacu.

VIII, IX. *Et dum ea stupent; dum lugent sortem suorum, illud antiquum tugurium, etiam angustum duobus dominis, mutatur in ædem: columnæ vices præstiterunt furcarum, tectum flavescit, & solum* templi *conspicitur stratum marmore, janua sculpta, & domus auro oblita: cum Jupiter ejusmodi verba protulit amico ore. Dicite juste senex, & fœmina digna justo marito, quid vovcatis? Postquam Philemon paucis locutus esset cum Baucide, diis patefacit commune desiderium; Petimus esse sacerdotes, & servare vestra templa; & quoniam ætatem transegimus unanimes, eadem hora utrumque tollat; neque unquam aspiciam funera meæ uxoris, neve sim sepeliendus ab illâ. Eventus respondet desideriis: fuerunt æditui quamdiu vita concessa est. Confecti annis atque senio cùm fortè essent ante gradus sacros, & referrent ea quæ loco illi evenerant; Baucis vidit Philemonem frondescere; Philemon senex* pariter vidit *Baucidem. Jamque fastigio crescente super utriusque faciem mutuos commutabant sermones, dum licuit; & dixerunt simul, Vale conjux; simul arbor obduxit ora condita. Incola quidam ex Tyanâ oppido tibi adhuc monstrat stipites propinquos* factos *ex duobus corporibus.*

NOTÆ.

692. *Comitate*] Pro *Comitamini.*

700. *Furcas*] Furcæ in columnas fuerunt commutatæ.

701. *Flavescunt*] Quia in aurum mutata.

719. *Frutex*] Mutatus enim est Philemon in quercum; Baucis in tiliam.

Ib. *Tyaneïus*] Ex Tyanâ Cappadociæ urbe in Phrygiam advectus.

Senes nequaquam mendaces mihi ista retulerunt: neque erat cur vellent mentiri. Equidem vidi corollas pendentes ex ramis; atque affigens novas, dixi, Pii sunt cura Diis, & qui eos honorant, honorantur.

Hæc mihi non vani (neque erat cur fallere vellent;)
Narravêre senes. Equidem pendentia vidi
Serta super ramos: ponensque recentia, dixi,
Cura pii Dîs sunt, &, qui coluêre, coluntur.

X. *Absolverat; & factum, & ejus causa omnes tetigerat: præsertim Theseum; quem cupientem audire miracula à Diis exhibita, fluvius Calydonius cubito incumbens ita affatur. Sunt, ô generose, quorum figura mutata est semel, atque persistit in hâc mutatione. Sunt quibus est potestas concedere in plures formas; quemadmodum tibi, Proteu, habitator æquoris cingentis tellurem. Nunc enim te conspexerunt hominem, nunc leonem: modò eras sus ferus, modò serpens quem metuerent tangere: quandoque propter cornua fusti taurus: sæpe poteras speciem induere saxi, sæpe etiam arboris. Nonnunquam simulans vultus fluidarum aquarum eras fluvius; nonnunquam ignis contrarius aquis.*

X. Desiêrat: cunctosque & res & moverat auctor;
Thesea præcipuè: quem facta audire volentem
Mira Deûm, nixus cubito Calydonius amnis
Talibus alloquitur: Sunt, ô fortissime, quorum
Forma semel mota est, & in hoc renovamine mansit.
Sunt, quibus in plures jus est transire figuras:
Ut tibi, complexi terram maris incola, Proteu:
Nam modò te juvenem, modò te vidêre leonem:
Nunc violentus aper, nunc, quem tetigisse timerent,
Anguis eras: modò te faciebant cornua taurum.
Sæpe lapis poteras, arbor quoque sæpe videri.
Interdum, faciem liquidarum imitatus aquarum,
Flumen eras: interdum undis contrarius ignis.

XI. *Nec minùs Autolyci conjux Erisichthone nata*
Juris habet. Pater hujus erat, qui numina Divûm
Sperneret; & nullos aris adoleret honores.
Ille etiam Cereale nemus violâsse securi
Dicitur; & lucos ferro temerâsse vetustos.
Stabat in his ingens annoso robore quercus;
Una nemus: vittæ mediam, memoresque tabellæ,

XI. *Neque Autolici uxor, filia Erisichthonis, minori gaudet potestate. Parentem habebat, qui negligeret Deorum imperia, neque præberet ulla thura* eorum *altaribus. Ille quoque creditur violâsse silvam Cereri sacram bipenni: atque vastâsse lucos antiquos securi. Quercus vasta antiquo ligno in his erat, sola instar silvæ: vittæ, & tabulæ grati animi indicia, & corollæ,*

NOTÆ.

727. *Calydonius amnius*] *Achelous.*

731. *Complexi*] Nam terra omnium elementorum infima, quam aqua ambit.

Ib. *Proteus*] Quis fuerit Proteus iste formam identidem immutans, haud facile est assequi: Deum marinum Neptuni & Phœnices filium faciunt nonnulli; alii Oceani & Tethyos; Herodotus regem dicit fuisse Egypti, qui Trojani belli temporibus floruerit. Quisquis ille fuerit, non modò varias formas induisse, se aliis alias induxisse videtur. Proteum deinde mimum artificiosissimè quosvis imitantem; vel nautam ventis omnibus utentem, sophistam, præterea Philosophum, magum, politicum, præsertim rebus omnibus sese accommodantem hic aut illic scripserunt.

738. *Nec minùs*] Non minorem habet potentiam se in varias figuras mutandi.

Ib. *Autolyci*] Fuit Autolychus Anticleæ, quæ Ulysse peperit, genitor; furandi scientiâ à Mercurio donatus; cujus quidem uxor, nomine *Metra*, Erisichthonis filia varias quoque indueret formas.

744. *Memores*] Gratum eorum animum significantes, qui, nymphæ, in quercu habitantis, seu magis, Cereris beneficio, votorum compotes facti fuerant. De Platano à Xerxe torquibus et armillis ornatâ, Ælian lib. 2. cap. 14. Qui mos quidem memores tabellas Diis ex arboribus suspendendi ex poëtis passim cognoscitur.

Ser-

Sertaque cingebant voti argumenta potentis:
Sæpe sub hâc Dryades festas duxêre choreas:
Sæpe etiam, manibus nexis ex ordine, trunci
Circuière modum: mensuraque roboris ulnas
Quinque ter implebat. Nec non & cætera tantò
Silva sub hâc, silvâ quantò jacet herba sub omni.
Non tamen idcirco ferrum Triopeïus illâ
Abstinuit: famulosque jubet succidere sacrum
Robur, &, ut jussos cunctari vidit, ab uno
Edidit hæc raptâ sceleratus verba securi:
Non dilecta Deæ solùm, sed & ipsa licebit
Sit Dea, jam tanget frondente cacumine terram.
Dixit: &, obliquos dum telum librat in ictus,
Contremuit, gemitumque dedit Deoïa quercus:
Et pariter frondes, pariter pallescere glandes
Cœpêre; ac longi sudore madescere rami.
Cujus ut in trunco fecit manus impia vulnus,
Haud aliter fluxit discussâ cortice sanguis,
Quàm solet, ante aras ingens ubi victima taurus
Concidit, abruptâ cruor è cervice profusus.
Obstupuêre omnes: aliquisque ex omnibus audet
Deterrere nefas, sævamque inhibere bipennem.
Aspicit hunc, Mentisque piæ cape præmia, dixit
Thessalus: inque virum convertit ab arbore ferrum:
Detruncatque caput; repetitaque robora cædit.
Editus è medio sonus est cum robore talis:
Nympha sub hoc ego sum Cereri gratissima ligno:
Quæ tibi factorum pœnas instare tuorum
Vaticinor moriens, nostri solatia leti.
Persequitur scelus ille suum: labefactaque tandem
Ictibus innumeris, adductaque funibus arbor
Corruit, & multam prostravit pondere silvam.
Attonitæ Dryades damno nemorisque suoque,

quæ signa erant desideriorum expletorum complectebantur mediam. Dryades agitaverunt sæpe festivas choreas sub eâ. Sæpe etiam, manibus conjunctis ex ordine, complexæ sunt ambitum stipitis; & mensura ejus exæquabat quindecim ulnas: atque reliquæ arbores non minùs hâc inferiores erant, quam herba est infra omnes arbores. Non tamen ideo Triopeïus avertit securim ab illâ quercu: atque servis imperat exscindere sacrum lignum: atque ut viâit eos, postquam jussi essent, morari, correptâ securi ab uno protulit has voces: Quanquam non modò sit Deæ nympha *cara, sed & ipsa etiam Dea, jam feriet solum frondoso culmine. Dixit: &, dum tollit bipennem in ictus obliquos, quercus Deoïa contremuit; & foliis simul & glandes cœperunt pallescere, & rami protensi humescere sudore. In cujus stipitem postquam manus impia impegit plagam, non aliter cruor manavit disjecto cortice, quam solet sanguis emissus ex collo abscisso, cùm taurus magnus procubuit victima ante altaria. Omnes admirati sunt; atque aliquis inter cæteros non veretur dehortari flagitium, atque removere securim. Thessalus hunc intuitu, atque inquit, Sume mercedem animi pii; & convertit bipennem ab arbore in virum, & abscindit caput, & quercum iterum* ictu petitam *sternit. Vox ejusmodi prodiit è medio arboris. Ego sum nympha carissima Cereri sub hoc ligno, quæ obiens tibi prædico pœnas tuorum scelerum imminere, quæ sunt consolatio nostræ mortis. Ille perficit facinus suum, atque arbor denique evulsa ictibus innumeris, & attracta funibus collapsa est, & in terram dejecit multas arbores pondere. Dryades exterritæ strage silvæ & suâ,*

NOTÆ.

746. *Dryades*] *Nymphæ silvas incolentes* quarum vita in *quercubus* præfertim, à quibus nomen acceperunt.

751. *Triopeïus*] *Erisichthon* Triopæ filius. Alii *Driopeius*, i. e. Thessalus.

755. *Deæ*] *Cereri.*

758. *Deoïa*] *Cerealis*; ἀπὸ τῆς Δηοῦς, a Cerere. Vid. lib. 6. 114.

765. *Aliquis*] E servis, quanquam aliter Callimachus

768. *Thessalus*] *Erisichthon.*

771. *Nympha*] Fuit ex Hamadryadibus quæ cum arboribus nascuntur & pereunt.

Omnes

omnes sorores accedunt ad Cererem lugentes cum pullis vestimentis, atque rogant supplicium Erisichthonis. Illis assentitur, & formosissima agitavit campos graves messibus cæsis nutu sui capitis: atque parat genus mortis miserandum, nisi ille nulli esset deflendus ob sua flagitia; parat *cruciare eum Fame crudeli. Quæ quia non conveniendа ipsi Divæ, (neque enim fata patiuntur Cererem & Famem convenire,) alloquitur ejusmodi verbis Oreadem agrestem, unum numen montanum: Est locus in ultimis regionibus gelidæ Scythiæ, solum lugubre, terra infœcunda, sine segete, sine arboribus, frigus ignavum, & Pallor & Tremor illic sedes habent cum vacuâ fame: fac ea se abscondat in viscera impii. Neque bonorum affluentia eam superet; & vincat meam potentiam contentione. Ne verò loci distantia te moveat, sume currus, sume dracones, quos per aërem regas frænis: atque dedit* dracones. *Illa vecta curru donato per aërem pervenit in Scythiam: atque juga ademit cervicibus draconum in vertice montis prærupti* (quem *Caucason nominant:*) *atque intuita est Famem quam quæsivit in campo saxis obsito, quæ carpebat unguibus & dentibus rara gramina. Capillus erat hispidus, oculi depressi, pallor in vultu, labia albicantia squallore, fauces asperæ rubigine, pellis dura, per quam præcordia possent cerni; ossa exsiccata eminebant sub tumbis gibbosis. Locus* tantum *alvi erat pro alvo: crederes pectus esse suspensum, & teneri tantùm à texto spinæ* dorsi. *Macies amplificaverat nodos* artuum, *& orbis genuum tumebat.*

Omnes germanæ Cererem cum vestibus atris
Mœrentes adeunt, pœnamque Erisichthonis orant.
Annuit his: capitisque sui pulcherrima motu
Concussit gravidis oneratos messibus agros:
Moliturque genus pœnæ miserabile, si non
Ille suis esset nulli miserabilis actis,
Pestiferâ lacerare fame. Quæ quatenus ipsi
Non adeunda Deæ, (neque enim Cereremque Famemque
Fata coïre sinunt) montani numinis unam
Talibus agrestem compellat Oreada dictis:
Est locus extremis Scythiæ glacialis in oris,
Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore, tellus;
Frigus iners illîc habitant, Pallorque, Tremorque;
Et jejuna Fames: ea se in præcordia condat
Sacrilegi scelerata jube. Nec copia rerum
Vincat eam: superetque meas certamine vires.
Neve viæ spatium te terreat: accipe currus:
Accipe quos frænis altè moderere, dracones:
Et dedit. Illa dato subvecta per aëra curru
Devenit in Scythiam: rigidique cacumine montis
(Caucason appellant) serpentum colla levavit:
Quæsitamque Famem lapidoso vidit in agro,
Unguibus & raras vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
Labra incana situ, scabræ rubigine fauces:
Dura cutis, per quam spectari viscera possent:
Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis:
Ventris erat pro ventre locus. Pendere putares
Pectus, & a spinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque rigebat

NOTÆ.

782. *Miserabile*] Quod ad misericordiam quosvis commoveret.

787. *Oreada*] *Montanam nympham*, Ἀπὸ τῦ ὄρους, à monte enim quosdam cognominavit superstitiosa antiquitas.

788. *Scythiæ*] Quæ Europæ est regio in Asiam vastissime prorumpens.

792. *Sacrilegi*] *Erisichthonis.*

793. *Meas*] Quæ in alendo & exsaturando sitæ sunt.

795. *Altè moderere*] Per aërem nempe, ut ad Scythiam altissimam regionem perveniret.

Ib. *Dracones*] *Cereres jugales.* Sic & Triptolemo dedit currum, quo vectus mortales agriculturam doceret.

798. *Caucason*] Qui Scythiæ mons est altissimus, perpetuis nivibus horridus.

806. *Spinæ crate*] Pro ipsâ dorsi spinâ, in cratis modùm compacta.

807. *Auxerat*] Aucti videntur, cùm sine adjunctis carnibus plures conspiciuntur.

Orbis,

Orbis,& immodico prodibant tubera talo.
Hanc procul ut vidit, (neque enim est accedere juxtà
Ausa) refert mandata Deæ, paulùmque morata
Quanquam aberat longè, quanquam modò venerat
Visa tamen sensisse Famem; retroque dracones[illuc,
Egit in Hæmoniam versis sublimis habenis.
XII. Dicta Fames Cereris (quamvis contraria semper
Illius est operi) peragit; perque aëra vento
Ad jussam delata domum est: & protinus intrat
Sacrilegi thalamos: altoque sopore solutum
(Noctis erat tempus) geminis amplectitur alis:
Seque viro inspirat, fauceque, & pectus, & ora
Afflat; & in vacuis spargit jejunia venis.
Functaque mandato fœcundum deserit orbem:
Inque domos inopes assueta revertitur arva.
Lenis adhuc somnus placidis Erichthona pennis
Mulcebat. Petit ille dapes sub imagine somni;
Oraque vana movet, dentemque in dente fatigat:
Exercetque cibo delusum guttur inani;
Proque epulis tenues nequicquam devorat auras.
Ut verò est expulsa quies; furit ardor edendi;
Perque avidas fauces, immensaque viscera regnat.
Nec mora; quod pontus, quod terra, quod educat aer,
Poscit, & appositis queritur jejunia mensis;
Inque epulis epulas quærit. Quodque urbibus esse,
Quodque satis populo poterat, non sufficit uni.
Plùsque cupit, quò plura suam demittit in alvum.
Utque fretum recipit de totâ flumina terrâ,
Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes:
Utque rapax ignis non unquam alimenta recusat,
Innumerasque trabes cremat, & quò copia major
Est data, plura petit, turbâque voracior ipsâ est;

& tubera extabant immenso talo. Cùm advertit eam procul, (neque enim ausa est propius accedere) memorat jussa Deæ; & cum paululùm subsitisset, tametsi longè stabat, tametsi modò venerat illuc, visa tamen sensisse Famem; & excelsa retro flexit serpentes in Thessaliam mutatis habenis.

XII. *Fames exequitur jussa Cereris, quanquam semper solet esse opposita illius actionibus, atque vecta est vento per aërem ad domum* Erisichthonis *præscriptum, & statim subit cubiculum scelesti, & fovet ambabus alis virum pressum profundo somno; (tempus erat noctis) & se insinuat in illum, & inficit anhelitus & gulam, & pectus & ora; & effundit famem per inanes venas; & postquàm jussa perfecisset, recedit ab orâ fertili, & redit ad sedes vacuas & campos solitos. Placidus sopor reficiebat adhuc Erisichthonem mitibus pennis. Ille flagitat epulas per simulachra soporis, & agitat os vacuum, & lassat dentem in dente, & negotium facessit gutturi decepto escâ vanâ, & fruſtrà absorbet subtilem ventum pro dapibus. Postquam verò sopor excussus est, desiderium vorandi sævit; & imperium habet & in gulam famelicam & in viscera inexplebilia. Et sine cunctatione, petit quod mare, quod tellus, quod aër pascit; & queritur de fame mensis stratis; & quærit dapes in dapibus. Atque illi unico non est satis quod poterat esse satis civitatibus & plebi. Et quò plura devolvit in ventrem, plura optat. Atque ut mare recipit amnes de universâ terrâ neque cumulatur aquis, & absorbet fluvios dissitos; & sicut ignis vorax nunquam respuit escam, & consumit infinita ligna, & quò major abundantia est concessa, plura poscit, & est rapacior ipso numero;*

NOTÆ.

813. *Hæmoniam*] *Thessaliam*, quæ à suis regibus Pelasgicum Argos, Hellas, Driopis, Græcia, & Hellenis nominatur.

814. *Quamvis*] Assiduum enim est famis opus Cereris fruges, quibus alma Dea voracem profligat, avidè consumere, illarumque vires infringere.

825. *Dentemque*] Unum dentem in alterum conterit.

839. *Turbâ*] Ipsâ rerum copiâ.

Sic

Ita os impii Erisichthonis capit omnes dapes, atque simul petit. Omnes epulæ sunt illi causa cur alias epulas cupiat; & spatium sit semper cibi vacuum vorando. Jamque minuerat divitias à patre acceptas fame & ingluvie immensi abdominis; sed fames crudelis tum quoque integra superat, & ardor ventris impatientis vigebat. Denique consumpto patrimonio, nata supererat merita patrem minus impium. Egenus hanc etiam vendit. Ingenua servitutem pati noluit; atque porrigens suas manus super maria proxima, ô inquit, qui gaudes præmio virginitatis nobis ereptæ, vindica me à domino. Neptunus eam rapuerat. Qui, prece nequaquam neglectâ, quanquam paulo ante conspecta esset à domino sequente, & mutat figuram & faciem virilem tradit, & cultus idoneos piscatoribus. Herus hanc aspiciens, O, inquit, gubernator virgæ, qui regis hamos *æreos pendentes exiguâ escâ, sic æquor* sit tibi *placidum, sic sit piscis facilis in aquâ, neque ullos uncos sentiat nisi correptus: Aperi ubi sit* puella, *quæ modò erat in hoc littore cum amictu tenui, comâ incondità (namque intuitus sum stantem in littore) neque enim pedum signa longiùs apparent. Illa animadvertit Dei donum in bonum sibi cedere, atque lætans se a se expeti, ita respondit petenti: Quisquis es, veniam concedas; in nullam partem detorsi oculos ab isto mari, atque penitùs intentus sum huic operi. Et quò minùs diffidas, ita Deus maris faveat isti* meo *studio, ut nullius jam diu, neque ulla puella consistit in isto littore, si me excipias. Herus fidem adhibuit, & calcavit arenam pede reflexo, & deceptus excessit.* Virginis *propria figura est illi restituta. At postquam parens advertit suam* filiam *habere corpus quod possit transmutare in varias formas,*

Sic epulas omnes Erisichthonis ora profani
Accipiunt, poscuntque simul. Cibus omnis in illo
Causa cibi est; semperque locus fit inanis edendo.
Jamque fame patrias altique voragine ventris
Attenuârat opes; sed inattenuata manebat
Tum quoque dira fames; implacatæque vigebat
Flamma gulæ. Tandem, demisso in viscera censu,
Filia restabat, non illo digna parente.
Hanc quoque vendit inops. Dominum generosa re-
Et vicina suas tendens super æquora palmas, [cusat;
Eripe me domino, qui raptæ præmia nobis
Virginitatis habes, ait. Hæc Neptunus habebat.
Qui prece non spretâ, quamvis modò visa sequenti
Esset hero, formamque novat, vultumque virilem
Induit, & cultus piscem capientibus aptos:
Hanc dominus spectans, O qui pendentia parvo
Æra cibo celas, moderator arundinis, inquit,
Sic mare compositum, sic sit tibi piscis in undâ
Credulus, & nullos, nisi fixus, sentiat hamos:
Quæ modò cum vili turbatis veste capillis
Littore in hoc steterat, (nam stantem in littore vidi)
Dic ubi sit; neque enim vestigia longiùs extant.
Illa Dei munus bene cedere sentit; & à se
Se quæri gaudens, his est resecuta rogantem;
Quisquis es, ignoscas; in nullam lumina partem
Gurgite ab hoc flexi, studioque operatus inhæsi.
Quòque minus dubites, sic has Deus æquoris artes
Adjuvet, ut nemo jamdudum littore in isto,
(Me tamen excepto) nec fœmina constitit ulla.
Credidit, & verso dominus pede pressit arenam;
Elusitque abiit. Illi sua reddita forma est.
Ast ubi habere suam transformia corpora sentit,

NOTÆ.

842. *Fit inanis*] i. e. Tantùm abest ut edendo impletus sit Erisichthon, ut potius inde magis vacuus videretur.

851. *Hæc*] Exponit poëta id quod puella tacuerat, eam à Neptuno fuisse raptam.

853. *Hero*] *Domino*, cui à patre Erisichthone vendita.

861. *Vestigia*] Significat eam non longiùs processisse, cum pedum vestigia non appareant.

866. *Artes*] Ambiguè dictum; nam & artem piscandi, & fraudes quibus utebar, intelligere possumus.

Sæpe

Sæpe pater dominis Triopeïda vendit. At illa
Nunc equa, nunc ales, modò bos, modò cervus abibat:
Præbebatque avido non justa alimenta parenti.
Vis tamen illa mali postquam consumserat omnem
Materiam, dederatque gravi nova pabula morbo;
Ipse suos artus lacero divellere morsu
Cœpit; & infelix minuendo corpus alebat.
Quid moror externis? etiam mihi sæpe novândi
Corporis, ô juvenes, numero finita potestas.
Nam modò quod nunc sum, videor; modò flector in anguem:
Armenti modò dux vires in cornua sumo.
Cornua, dum potui. Nunc pars caret altera telo
Frontis, ut ipse vides. Gemitus sunt verba secuti.

sæpe vendit Metram dominis; & illa nunc equa nunc avis, vacca nonnunquam, interdum cervus discedebat, & exhibebat cibos injustos famelico patri. Postquam tamen illâ morbi rabie exhausserat omnem copiam, atque tulerat ultimos cibos diro morbo, ipse occæpit discerpere sua membra morsu voraci: & miser sustentabat corpus destruendo. Quamobrem hærco in alienis transformationibus? Mihi quoque est vis numero statuta sæpe mutandi corporis. Nam aliquando conspicior quod nunc sum, nunc vertor in serpentem, nunc dux armenti, induo vires in cornua: Cornua, quamdiu licuit; nunc pars una frontis spoliata est armis suis, ut ipse cernis. Gemitus sunt secuti voces.

NOTÆ.

871. *Transformia*] Hoc idcirco fictum est, quòd Metra adeò pulchra fuit, ut qui illam aspicerent, statim amore ipsius caperentur. Cùm autem illius temporis homines pecuniâ non uterentur, alii quidem ex Metræ procis boves, alii equos, alii oves, alii capras ei largiebantur. Quod quidem cùm viderent Thessali, ac undique Erisichthoni victum viderent congregatum, aiebant Metram, patri fuisse, & bovem, & equum, & ovem, & capram, & quæcumque ea dono accepisset. Inde natum est proverbium, quod in leves à Græcis dicitur Μεταξλητότερος Μετρας, hoc est *mutabilior Metrâ.*

872. *Triopeïda*] *Metram*, Triopæ neptem, nam Metræ pater fuit Erisichthon, qui Triopæ filius.

874. *Non justa*] Quia dolo malo & furtis quæsita.

879. *Moror*] Achelous Theseum & Lelegem aloquitur.

880. *Numero finita*] Non infinita, ut Proteo & Metræ: sed numero præscripto, ternario sc. hominem, taurum, anguem.

883. *Telo*] *Cornu* nimirum, quod Acheloo Hercules eripuit, in sequentibus videbimus.

P. Ovidii Nasonis
METAMORPHOSEON
LIBER IX.

ARGUMENTUM.

Hæc illi postea vestem misit, quâ periit (postquam Lichas in scopulum fuit transiatus, & in cœlum traductus est.) Tum verò Alcmena ad Iolen se contulit; eique Galanthidem in mustelam, & illa vicissim sororem suam in arborem conversam narravit. Interim supervenit ipsis Iolaüs, reparatâ per Heben juventute. Id quod non posset omnibus contingere, Jupiter Æaci exemplo docet. Hunc fugiens Miletus, in Asiam discessit, & Byblidem procreavit atque Caunum, cujus illa amore tabefacta, in fontem periit. Quæ quidem res magis mira omnibus visa fuisset; nisi paulò antè Iphis, ipso nuptiarum die, virilem sexum accepisset.

INTERPRETATIO.

1. *Heros Neptunius petit quæ sit Deo causa gemitûs & frontis mutilatæ: cùm fluvius Calydonius sic orsus est, cinctos habens crines incomptos junco. Poscis lugubre officium: Quis enim superatus velit narrare sua certamina? Tamen narrabo ordine neque tantum dedecus fuit superari, quanta gloria certâsse:*

QUÆ gemitùs truncæque Deo Neptunius heros
Causa rogat frontis; cùm sic Calydonius amnis
Cœpit, inornatos redimitus arundine crines:
Triste petis munus. Quis enim sua prælia victus
Commemorare velit? referam tamen ordine, nec tam
Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum est:

NOTÆ.

1. *Truncæ*] Quia cornu altero carebat.
1b. *Neptunius*] *Theseus* est Neptuni, ab Ægæò patre, nepos.
2. *Calydonius*] *Achelous* nempe.
3. *Arundine*] Coronâ ex arundinibus, quibus ferè fluviorum ripæ abundant. Sic Virg. *Crines umbrosa tegebat arundo.*

Mag-

Magnaque dat nobis tantus solatia victor.
Nomine si quâ suo tandem pervenit ad aures
Deïanira tuas, quondam pulcherrima virgo,
Multorumque fuit spes invidiosa procorum.
Cum quibus ut soceri domus est intrata petiti;
Accipe me generum, dixi, Parthaone nate.
Dixit & Alcides: Alii cessêre duobus.
Ille Jovem socerum dare se, famamque laborum,
Et superata suæ referebat jussa novercæ.
Contrà ego: (turpe Deum mortali cedere duxi;
Nondum erat ille Deus) Regem me cernis aquarum
Cursibus obliquis inter tua regna fluentem:
Nec gener externis hospes tibi missus ab oris,
Sed popularis ero, & rerum pars una tuarum.
Tantùm ne noceat, quòd me nec regia Juno
Odit, & omnis abest jussorum pœna laborum.
Nam quòd te jactas Alcmenâ matre creatum;
Jupiter aut falsus pater est, aut crimine verus.
Matris adulterio patrem petis. Elige, fictum
Esse Jovem malis, an te per dedecus ortum.
Talia dicentem jamdudum lumine torvo
Spectat: & accensæ non fortiter imperat iræ:
Verbaque tot reddit: melior mihi dextera linguâ:
Dummodo pugnando superem; tu vince loquendo.
Congrediturq; ferox. Puduit modò magna locutum
Cedere. Rejeci viridem de corpore vestem;

Et tantus victor nobis præbet magnam consolationem. Si nomen cujusdam Deïanira aliquando pervenit ad aures tuas, fuit illa olim puella formosissima, & spes invidiosa multorum amatorum. Cum quibus ut subiit domum soceri expetiti: Habeto me generum, dixi, fili Parthaonis. Alcides idem etiam *dicebat. Cæteri cesserunt* nobis *duobus. Ille dicebat se offerre Jovem socerum. & gloriam laborum, & mandata suæ novercæ evicta. Ego contrà:* (quia *indecorum credidi Deum cedere mortali:* nam *ille nondum erat Deus) Vides me moderatorem aquarum, currentum flexu obliquo per tuum regnum: neque ero gener peregrinum tibi missus à regionibus exteris, sed popularis, & pars una rerum tuarum. Solummodo ne obsit, quòd neque regina Juno me odio habet, & omnis pœna laborum præscriptorum abest. Nam quod gloriaris te natum Alcmenâ matre, aut Jupiter est pater fictus, aut verus per flagitium. Asseris* nunc *patrem* quia *matrem fecit adulteram. Despice an malis Jovem esse fictum* patrem *an te natum per opprobrium. Aspicit* me *jam diu talia proferentem infensis oculis, neque satis reprimit ardentem iram; atque paucis hasce voces reponit: Manus mihi est fortior linguâ; dummodo vincam certando, tu prior esto dicendo. Atque sævus* me *adoritur. Puduit modò professum magna, cedere. Deripui amictum glaucum à corpore,*

NOTÆ.

7. *Tantus*] Quantus fuit Hercules, à quo superatus Achelous

9. *Deïanira*] Oenei Ætoliæ regis filia, deinde Herculis uxor.

12. *Parthaone nate*] *Oeneus*, cui tamen Homerus Portheum patrem assignat. Πορθεῖ δὲ τρεῖς παῖδες, &c. τρίτατος δ' ἦν ἵππότα Οἰνεύς Il. 18.

13. *Cessêre*] Ut jam Deïaniram uxorem non peterent.

14. *Socerum*] Siquidem Jupiter, Herculis genitor, Deïaniræ socer fuisset.

15. *Laborum*] Decantatos illos in sequentibus videbimus.

15. *Novercæ*] *Junonis*, quæ Jovis conjux, cujus jussu per Euristheum tot labores subivit Hercules.

17. *Nondum*] Nam postea in cœlum relatum videbimus.

18. *Tua*] Achelous nempe Ætoliæ est fluvius, quam ab Acarnaniâ dividit.

21. *Tantùm ne*] Acutissimè excusat quæ sibi laudi, Herculi probro ducenda videbantur.

22. *Pœna*] Junonis enim odium tantis laboribus Herculem objecit, ut postea videbimus.

23. *Alcmena*] Cum quâ Electryonis filiâ Amphytryonis verò uxore Jupiter mariti formam indutus rem habuit: unde natus Hercules.

32. *Viridem*] Qui color fluvio convenientissimus.

atque oppoſui lacertos; & tenui in loco ad reſiſtendum apto ulnas incurvatas à pectore: & inſtitui artus & prælium. Ille me tegit pulvere ſuſcepto manibus capillis; & viciſſim flaveſcit jactu flavæ arenæ. Atque jam inſurgit in colum, jam corripit crura lubrica, aut velle corripere credas; & adoritur omni ex parte. Meum pondus me tutabatur, & incaſſum appetebar. Non aliter, quàm moles, quæ undis pulſatur cum magno ſono: illa ſtat, & ſecura eſt ſuâ gravitate. Divellimur paululùm; & rurſum concurrimus ad certamen, & ſtetimus invicti, obfirmati neu cedere; Atque pes erat connexus cum pede; & ego incumbens toto pectore, & urgebam digitos digitis, & frontem fronte. Non aliter aſpexi validos tauros congredi, cùm vacca petitur pulcherrima toto nemore, præmium certaminis. Armenta intuentur, atque timent, ignara ad quem ſpectet victoria tanti regni. Alcides ter nixus eſt fruſtrà à ſe dimovere mea pectora contrà luctantia. Quartò ſe expedit ab amplexu, & avellit lacertos affixos; atque continuò me avertit à ſe impulſa manûs, (decrevi agneſcere vera) atque ponderoſus dorſo incubuit. Si quà

Brachiaque oppoſui; tenuique à pectore varas
In ſtatione manus; & pugnæ membra paravi.
Ille cavis hauſto ſpargit me pulvere palmis:
Inque vicem fulvæ jactu flaveſcit arenæ.
Et modò cervicem, modo crura micantia captat;
Aut captare putes: omnique à parte laceſſit.
Me mea defendit gravitas; fruſtràque petebar.
Haud ſecùs ac moles, quam magno murmure fluctus
Oppugnant; manet illa, ſuoque eſt pondere tuta.
Digredimur paulùm; rurſumque ad bella coïmus;
Inque gradu ſtetimus, certi non cedere; eratque
Cum pede pes junctus: totoque ego pectore pronus
Et digitos digitis, & frontem fronte premebam.
Non aliter fortes vidi concurrere tauros,
Cùm pretium pugnæ toto nitidiſſima ſaltu
Expetitur conjux. Spectant armenta, paventque
Neſcia quem maneat tanti victoria regni.
Ter ſine profectu voluit nitentia contrà
Rejicere Alcides a ſe mea pectora; quartò
Excutit amplexus, adductaque brachia ſolvit:
Impulſumque manu (certum mihi vera fateri)
Protinus avertit; tergoque oneroſus inhæſit.
Si quà fides, (neque enim fictâ mihi gloria voce
Quæriter) impoſito preſſus mihi monte videbar.
Vix tamen exſerui ſudore fluentia multo
Brachia; vix ſolvi duros à corpore nexus.
Inſtat anhelanti: prohibetque reſumere vires,
Et cervice meâ potitur. Tum denique tellus
Preſſa genu noſtro eſt: & arenas ore momordi.
Inferior virtute meas devertor ad artes,
Elaborque viro longum formatus in anguem.
Qui poſtquam flexos ſinuavi corpus in orbes,
Cumque fero movi linguam ſtridore biſulcam,

fides (neque enim honorem aucupor falſis ſermonibus) mihi videbar oppreſſus monte. Vix tamen exſolvi lacertos ſtillantes multo ſudore; vix explicui arctos nodos à corpore, urget me ægre reſpirantem, atque impedit reſumere vires; & corripit meum collum. Tum denique terra impulſa eſt genu noſtro, & tetigi pulverem ore. Minor viribus recurro ad proprias artes, atque viri manibus effugio mutatus in oblongum ſerpentem. Qui ut contraxi corpus in gyros, & linguam biſidam agitavi cum terribili ſibilo,

NOTÆ.

35. *Spargit*] Solebant luctaturi, ut corpus ægile & lubricum fieret, firmaretur cutis adverſus æeres injurias, pori, roboris causâ, ſtiparentur, oleo ſeu ceromate ſe perungere. Inſperſerant ſibi arenam, quam ἀφὴν vocabant, ut firmiùs tenerent corpora oleo lubrica: magis tamen glorioſum erat ἀκονιτὶ vincere. Plin. 35. c. 11.

36. *Flaveſcit*] Quia & Achelous arenâ Herculem ſparſit.

52. *Adducta*] Quibus Herculem Achelous complectebatur, premebatque.

Riſit

Risit; & illudens nostras Tirynthis artes;
Cunarum labor est angues superare meorum,
Dixit: & ut vincas alios, Acheloë, dracones,
Pars quota Lernææ serpens eris unus Echidnæ:
Vulneribus fœcunda suis erat illa: nec ullum
De centum numero caput est impunè recisum,
Quin gemino cervix hærede valentior esset.
Hanc ego ramosam natis è cæde colubris,
Crescentemque malo, domui: domitamque peremi.
Quid fore te credas, falsum qui versus in anguem
Arma aliena moves, quem forma precaria celat?
Dixerat; & summo digitorum vincula collo
Injicit. Angebar, seu guttura forcipe pressus:
Pollicibusque meas pugnabam evellere fauces.
Sic quoque devicto restabat tertia tauri
Forma trucis; tauro mutatus membra, rebello.
Induit ille toris à lævâ parte lacertos;
Admissumque trahens sequitur: deprènsaque durâ
Cornua figit humo; meque altâ sternit arenâ.
Nec satìs id fuerat; rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit; truncâque à fronte revellit.
Naiades hoc, pomis & odoro flore repletum,
Sacrârunt; divesque meo bona Copia cornu est.

risit Tyrinthius, atque contemnens nostras artes; Labor est, ait, infantiæ meæ elidere serpentes: & quamvis superes cæteros angues Acheloë, tu qui unu es anguis quota pars eris Echidnæ Lernææ? Illa erat aucta suis plagis; neque ullum ex centum capitibus est abscissum frustrà, quin collum esset fortius duplici capite succrescente. Ego hanc superavi multiplicem serpentibus ortis ex mutilatione, & validiorem ob detrimentum; atque occidi superatum. Quid speres futurum de te, qui mutatus in falsum serpentem tractas arma aliena; quem figura emendicata tegit? Dixerat; & immittit nodos articulorum suorum gutturi meo. Urgebar quasi habuissem collum constrictum forcipe: & nitebar exsolvere meam cervicem ex digitis ejus. Tertia figura sævi tauri supereras mihi sic etiam superato. Transformatus in artus tauri bellum redintegro. Ille injicit brachia in toros à parte sinistrâ; & trahens me sequitur fugere conantem, atque affigit duræ terræ cornua correpta, & me dejicit in supremâ arenâ. Neque id satìs fuerat, sæva manus rumpit durum cornu dum tractat, & abripit à fronte mutilatâ. Naiades dicaverunt hoc cornu repletum pomis & floribus odoriferis, & bona Abundantia est opulenta meo cornu.

NOTÆ.

66. *Tirynthius*] *Hercules* est à Tirynthe Argis urbe vicinâ, in quâ educatus, sic dictus.

67. *Cunarum*] Duos à Junone immissos dracones infantem Herculem elisisse ferunt.

68. *Vincas*] *Astutiâ, viribus, &c. sis metuendus.*

69. *Echidnæ*] Quæ *vipera* Latinè. De illâ autem hoc in loco agitur ab Hercule sublatâ, quæ Lernæam Argivi agri paludem infestabat.

71. *Centum*] Septem, novem, quinquaginta capita alii hydræ assignant, centum plerique quod non mirum est; siquidem ex uno amputato duo renascerentur, donec, ne de novo crescerent, candenti ferro usus est Hercules.

88. *Copia*] Non hoc Acheloï, sed Altheæ capræ cornu, Copiæ dicatum fingit noster idem poëta Fastor. Acheloï, fabulam quod attinet sensum habet prorsùs historicum. Illum nempe Ætoliæ regem volunt fuisse, qui Thoanti fluvio, in quo submersus erat, nomen suum imposuerit. Unà cum Hercule, Deïaniræ nuptiâ nonnullis dicitur ambivisse, cùm homo esset; atque ex eo mutationem suarum famam consecutum, quòd non vi apertâ, sed dolis uteretur: qui tandem tamen bonam regni sui partem quam Cornu Copiæ vocitârunt, amiserit. Alii Acheloum fluvium ideo Deïaniram dicunt cupivisse, quòd in ejus regna frequens irrumperet: Hominis formam illi attributam quòd aliquando leniter flueret; Serpentis quòd, obliquo cursu, Tauri, quòd cum mugitu tumidus ferretur. Ab Hercule præterea faciunt superatum, quòd ab illo in multos rivos divisus ab agrorum vastatione fuerit prohibitus. Cornu denique ablatum, Copiæ vòlunt dicatum, quòd agri aquâ ex Acheloö derivatâ irrigui fertiliores esse multò quàm antè cœperint.

Abſolverat: at Nympha una famularum collectas habens veſtes more Dianæ: comâ utrimque ſparsâ venit, & portavit totum Autumnum cornu copioſiſſimo, & poma optima pro bellariis. Dies ſuccedit, & juvenes abeunt, ſole primulùm illuſtrante vertices montium: *neque verò expectant donec torrentes ſubſidant & placidè fluant, & aquæ rapidæ quieſcant. Acheloüs occultavit ora deformia, & mutilum caput in mediis aquis. Attamen movebatur* ſolo *diſpendio laudis ſublatæ; quoad cætera erat incolumis: vitium etiam capitis tegitur foliis ſalignis, aut Coronâ junceâ ſuperſtratâ.*

II. *At, Neſſe improbe, amor ejuſdem puellæ te perdiderat, cùm gereres dorſum transfixum levi arundine. Namque filius Jovis revertens ad patria mœnia cum novâ nuptâ, devenerat ad aquas furentes Eveni. Fluvius erat tumidior ſolito imbribus hyemalibus, exundans voraginibus, atque invius. Neſſus corpore ſtrenuus, & peritus locorum* tranſitum præbentium *accedit ad* Herculem *nihil ſibi timentem,* ſed *de uxore anxium; atque, inquit, Hæc tibi redditur meâ operâ ad illam ripam. Alcide, tu utere viribus natando.*

Dixerat: at Nympha ritu ſuccincta Dianæ
Una miniſtrarum, fuſis utrimque capillis,
Inceſſit, totumque tulit prædivite cornu
Autumnum, & menſas felicia poma ſecundas.
Lux ſubit; &, primo feriente cacumina Sole
Diſcedunt juvenes. Neq; enim dum flumina pacem,
Et placidos habeant lapſus, motæque reſidant,
Opperiuntur, aquæ. Vultus Acheloüs agreſtes,
Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis.
Hunc tamen ablati domuit jactura decoris;
Cætera ſoſpes erat. Capitis quoque fronde ſalignâ,
Aut ſuper impoſitâ celatur arundine damnum.

II. At te, Neſſe ferox, ejuſdem virginis ardor
Perdiderat volucri trajectum terga ſagittâ.
Namque, novâ repetens patrios cum conjuge muros,
Venerat Eveni rapidas Jove natus ad undas.
Uberiùs ſolito nimbis hyemalibus auctus,
Vorticibuſque frequens erat, atque impervius amnis.
Intrepidum pro ſe, curam de conjuge agentem
Neſſus adit, membriſque valens, ſcituſque vadorum;
Officioque meo ripâ ſiſtetur in illâ
Hæc, ait, Alcide: tu viribus utere nando.
Pallentemque metu, fluviumque ipſumque timentem
Tradidit Aonius pavidam Calydonida Neſſo.
Mox, ut erat, pharetrâque gravis, ſpolioque leonis,
[Nam clavam, & curvos trans ripam miſerat arcus]
Quandoquidem cœpi, ſuperentur flumina, dixit.
Nec dubitat; nec quâ ſit clementiſſimus amnis,
Quærit: & obſequio deferri ſpernit aquarum.
Jamque tenens ripam, miſſos cùm tolleret arcus,
Conjugis agnovit vocem: Neſſoque parante
Fallere depoſitum, Quò te fiducia, clamat,

Aonius credidit Neſſo timidam Calydonidem, pallidam pavore, atque metuentem & torrentem & ipſum Neſſum. *Dein ſicuti erat, onuſtus pharetrâ, & exuviis leonis (nam jecerat clavam & ſinuantes arcus trans ripam) ſiquidem cœpi, dixit, pergam fluenta tranſnare. Neque hæſitat, neque curat quâ fluvius ſit placidiſſimus: & negligit tranſmitti obſequio aquarum. Jamque ad ripam appulſus, cùm colligeret arcus trajectos, agnovit vocem uxoris: atque Neſſo ſtudente retinere depoſitum, Quo vociferatur, inutilis confidentia*

NOTÆ.

92. *Autumnum*] Fructus quoſcunque fert Autumnus.

94. *Juvenes*] *Pirithous, Theſeus,* &c.

96. *Agreſtes*] *Deformes,* cornu altero avulſo.

101. *Neſſe*] Unus fuit ex Centauris, Ixionis filius, adeòque biformis, parte alterâ homo, alterâ equus.

104. *Eveni*] Qui Æoliæ eſt fluvius, antè *Lycormas* dictus.

112. *Aonius*] *Hercules,* Thebis Bœotiæ, cujus montana pars *Aonia* dicitur, oriundus.

Ib. *Calydonida*] *Deïaniram,* Calydone oriundam.

120. *Fallere depoſitum*] Hoc eſt Herculem concreditâ Deïanirâ fraudare.

Vana

Vana pedum, violente, rapit? tibi, Neſſe biformis,
Dicimus; Exaudi: nec res intercipe noſtras.
Si te nulla mei reverentia movit; at orbes
Concubitus vetitos poterant inhibere paterni.
Haud tamen effugies, quam vis ope fidis equinâ
Vulnere, non pedibus te conſequar. Ultima dicta
Re probat: & miſsâ fugientia terga ſagittâ
Trajicit. Exſtabat ferrum de pectore aduncum.
Quod ſimul evulſum eſt, ſanguis per utrumque foramen
Emicuit, miſtus Lernæi tabe veneni.
Excipit hunc Neſſus: Neque enim moriemur inulti,
Secum ait: & calido velamina tincta cruore
Dat munus raptæ, velut irritamen amoris.
III. Longa fuit medii mora temporis: actaque magni
Herculis implêrant terras, odiumque novercæ.
Victor ab Oechaliâ Cenæo ſacra parabat
Vota Jovi, cùm Fama loquax præceſſit ad aures,
Deïanira, tuas, (quæ veris addere falſa
Gaudet, & è minimâ ſua per mendacia creſcit)
Amphitryoniaden Ioles ardore teneri.
Credit amans: Veneriſque novæ perterrita famâ
Indulſit primò lachrymis; flendoque dolorem
Diffudit miſeranda ſuum: mox deinde, Quid autem
Flemus, ait? pellex lachrymis lætabitur iſtis:

pedum te abripit? Te alloquor, Neſſe ambigue; reſponde; neque ſeſſurator res noſtras. Si nullus mei timor te retinuit: at rota cui pater tuus affixus eſt, poterat dehortari te à ſtupro. Nequaquam tamen elaberis, quanquam confidis viribus equinis. Te corripiam non pedibus ſed plagâ: Confirmat noviſſima verba reipsâ; & transfigit dorſum fugientis ſagittâ impulsâ. Ferrum recurvum prominebat ex pectore. Quod ſtatim atque extractum eſt cruor exſilit per utrumque foramen & tergi & pectoris, confuſus cum veneno Lernææ ſerpentis. Neſſus illum excipit. Neque apud ſe dicit occidemus inulti: & offert in donum Deïaniræ ſublatæ induſium infectum ſanguine tepido, tanquam philtrum amatorium.

III. *Spatium temporis medii longum fuit; & facta magni Herculis vulgata fuerant per orbem, ſicut & odium novercæ. Domitor Oechaliæ adornabat ſacra promiſſa Jovi*

Cenæo, cùm Fama garrula, (quæ amat adjicere falſa veris, & ex parvulâ augetur per ſua mendacia) antevenit ad aures tuas, ô Deïanira, Amphitryoniadem correptum eſſe amore Ioles. Amans fidem adhibuit, atque exterrita famâ novi amoris, primò convertit ſe ad lachrymas, atque miſerabilis amplificat mœſtitiam ſuum lachrymando: mox deinde, Quamobrem verò, inquit, lachrymas diffundimus? adultera gaudebit iſto fletu;

NOTÆ.

123. *Orbes*] Rota, cui pater tuus Ixion affixus, verſatuſque eſt aſſiduè ob interpellatam Junonem, te moneat.

130. *Veneni*] Quo tinctæ Herculis ſagittæ, ut earum vulnera immedicabilia eſſent.

133. *Irritamen*] Quod ad amandum poſſet pellicere.

134. *Medii*] Longum tempus interceſſit, ex quo mortuus eſt Neſſus, ad diem illum quo Hercules vota hæc fecit.

135. *Novercæ*] *Junonis*, quæ pellicibus omnibus infenſa, Jovis quoque adulterio ortam ſobolem perdere, quoad licuit, nunquam deſtitit. Cæterùm, utut Herculem per Euryſtheum, cui illum per dolum ſubjecit, in primis vexaverit, non aliud conſequuta, quàm ut ab Hercule ſuperatis omnibus difficultatibus, & exantlatis laboribus major illi novercalibus odiis gloria accreverit.

136. *Cenæo Jovi*] Jupiter dictus eſt *Cenæus* à Cenæo promontorio Eubœæ; ubi ab Oechaliæ expugnatione Hercules reverſus Jovi aram extruxit.

Ib. *Victor*] Eurytum Oechaliæ Euboïcæ regem (quòd Iolem filiam ſibi uxorem negaverat) cum filiis interfecit Herculés, Iolem captivam ſecum abducens.

141. *Veneris*] Amorum, quibus Herculem indulgere audiêrat.

Quæ quoniam accedit, festinandum est, atque aliquid inexpertum quamdiu concessum est, neque adhuc alia regnat in nostris conclavibus. Quæstum eloquar. an, taceam? redeamne Calydonem, an maneam? Egrediarne domo, an, si nihil amplius, obnitar? Quid, si recordans me esse tuam germanam, Meleager, virile decerno factum, & indico quantùm injuria & mœror fœmineus possit, mactatâ adulterâ? Mens fertur in diversus cogitationes. Præposuit omnibus ad Herculem *mittere amictum tinctum sanguine Nessæo; qui redintegret vires amoris languentis: atque imprudens quid det, ipsa dat quod sibi mœrori futurum est, inscio Lychæ; atque jubet lenibus verbis ut tradat marito suo illa infelicissima munera. Heros ignarus sumit atque aptat humeris venenum Echidnæ Lernææ. Immittebat thura primis ignibus; & fundebat preces, atque spargebat vinum paterâ in altaria marmorea: Illa potentia veneni excitata est & per ignem soluta est & sparsa latè fluxit per membra Herculis: Quatenus licuit, cohibuit gemitum virtute consuetâ. Postquam patientia superata* erat *doloribus, deseruit altaria, atque implevit Oetem frondosum suis clamoribus. Et continùo nititur lacerare amictum fatalem. Ille, quâ* parte *discerpitur, discerpit simul pellem, atque, dictu horrendum, aut affixus est artubus nequicquam tentatus exscindi, aut nudat membra discerpta, & magna ossa. Ipse sanguis crepitat, sicut aliquando bractea ignita mersa stagno frigido, & torretur furente tabo.*

Quæ quoniam adventat, properandum, aliquidque novandum est,
Dum licet; & nondum thalamos tenet altera nostros.
Conquerar, an fileam? repetam Calydona, morerne?
Excedam tectis? an, si nihil amplius, obstem?
Quid si, me, Meleagre, tuam memor esse sororem,
Forte paro facinus: quantùmque injuria possit,
Fœmineusque dolor jugulatâ pellice testor?
In cursus animus varios abit. Omnibus illis
Prætulit imbutam Nessæo sanguine vestem
Mittere; quæ vires defecto reddat amori.
Ignaroque Lichæ, quid tradat nescia, luctus
Ipsa suos tradit: blandisque miserrima verbis
Dona det illa viro, mandat. Capit insscius heros:
Induiturque humeris Lernææ virus Echidnæ.
Thura dabat primis, & verba precantia, flammis;
Vinaque marmoreas paterâ fundebat in aras:
Incaluit vis illa mali; resolutaque flammis
Herculeos abiit latè diffusa per artus.
Dum potuit, solitâ gemitum virtute repressit.
Victa malis postquam patientia, reppulit aras;
Implevitque suis nemorosum vocibus Oeten.
Nec mora: letiferam conatur scindere vestem:
Quâ trahitur, trahit illa cutem: fœdumque relatu,
Aut hæret membris frustrà tentata revelli;
Aut laceros artus, & grandia detegit ossa.
Ipse cruor, gelido seu quondam lamina candens,
Tincta lacu, stridit; coquiturque ardente veneno.

NOTÆ.

147. *Repetam, &c.*] Id est, *An revertar ad patrem, maneamve in domo Herculis? An Meleagri sororem me approbans, ulciscar conjugem meum, & pellicem?*

148. *Obstem*] Pellicis præsertim, tum etiam Herculis voluptatibus.

151. *Fœmineus*] Qui tantò gravior & impotentior, quantò fœminis animis imbecillior & levior.

152. *In cursus*] Verba sunt poëtæ.

Ib. *Omnibus*] *Quæ animo volverat.*

153. *Lichæ*] Herculis servo; quem ille ad Deïaniram miserat, ut sibi vestem, quâ in sacris uti consueverat, afferret.

156. *Suos*] Siquidem per indusium, quod marito mittebat, illum perdidit.

158. *Virus*] Quo imbuta tunica.

161. *Vis illa*] De veneno loquitur, quod cum tunicâ induerat.

165. *Oeten*] Qui mons est Thessaliæ, ubi Hercules Apollinis jussu, quem de morbi remedio per Iölaum & Lycimnium interrogaverat, pyram Jovis voluntate struxit, in quâ quicquid mortale habuit, reliquit, & ipse in Deorum numerum relatus est.

Nec

Nec modus eſt: ſorbent avidæ præcordia flammæ:
Cœruleuſque fluit toto de corpore ſudor:
Ambuſtique ſonant nervi: cœcâque medullis
Tabe liquefactis, tendens ad ſidera palmas,
Cladibus, exclamat, Saturnia, paſcere noſtris:
Paſcere: & hanc peſtem ſpecta, crudelis, ab alto;
Corque ferum ſatia. Vel ſi miſerandus & hoſti:
(Hoſtis enim tibi ſum) diris cruciatibus ægram,
Inviſamque animam, natamque laboribus auſer.
Mors mihi munus erit. Decet hæc dare dona novercam.
Ergo ego fœdantem peregrino templa cruore
Buſirin domui? fævoque alimenta parentis
Antæo eripui? nec me paſtoris Iberi
Forma triplex, nec forma triplex tua, Cerbere, movit?
Voſne, manus, validi preſſiſtis cornua tauri?
Veſtrum opus Elis habet, veſtrum Stymphalides undæ,

Neque menſura eſt: ignis rapax exhaurit viſcera: & ſudor ater manat ex toto corpore; & nervi toſti ſtrident; & medullis fluentibus latente peſte, tollens manus ad aſtra exclamat, Gaude, Juno, noſtris infortuniis, atque ſæva contemplare hanc rabiem ab excelſo; & exple cor crudele. Vel ſi miſerandus ſum etiam hoſti, (namque ſum tibi hoſtis) tolle animam exhauſtam crudelibus doloribus, atque tibi odioſam & factam ad labores. Letum erit mihi beneficium. Pulchrum eſt novercæ ejuſmodi præbere munera. Ego igitur ſuperavi Buſirim polluentem? atque crudeli Antæo abſtuli auxilium matris? neque triplex corpus paſtoris Iberi, neque figura tua triformis me perculit, Cerbere? Voſne ô manus meæ *ligâſtis cornua fortis tauri? An Elis ſentit veſtrum laborem, an æquæ Stymphalidis inſuper,*

NOTÆ.

176. *Saturnia*] Juno nocitura ut plurimùm Saturnia à poëtis appellatur.

178. *Si miſerandus & hoſti*] Quæ extrema eſt miſeria.

183. *Buſirin*] Ægypti rex fuit Buſiris, Neptuni ex Libyâ filius, quid ad provocandam Nili inundationem, hoſpites aris admovebat; hâc unâ in parte juſtus, quòd Thraſium quendam tam atrocis facinoris autorem primùm immolavit. Illum atem ſuper iiſdem aris, quibus ſceleſtus ſolebat peregrinos, Hercules jugulavit.

Ib. *Parentis*] *Terræ Matris.*

Ib. *Alimenta*] *Vires renovatas* ex tactu terræ.

184. *Antæo*] Hunc volunt fuiſſe gigantem in Libyâ, qui peregrinos quoſlibet ad luctam provocatos, dein victos interficiebat. Cùm terræ eſſet filius, vires ab illâ, quotieſcunque ſterneretur, accipiebat; quamobrem gravis quoque Herculi fuit cum illo pugna. Dolo tamen cognito è terrâ ſublatum invictus heros ſuffocavit.

184. *Paſtoris*] *Geryonem* dicit, ideo tricorporem à poëtis dictum, quod tria in Iberiâ aut Hiſpaniâ regna, ſeu adjacentibus inſulis, cum duobus fratribus concordiſſimè adminiſtraret.

185. *Cerbere*] Quis canis fuit triceps, nonnullis centiceps, inferorum cuſtos, Euryſthei juſſu ad ſuperos pertractus.

186. *Tauri*] Ignivomum illum dicit Neptuni irâ adverſus Minoëm immiſſum, quem ad ſe adducere Herculem juſſit Euryſtheus.

187. *Veſtrum*] Augeæ nempe regis Elidis in Peloponneſo ſtabulum, in quo tria bovum millia per annos triginta, nunquam egeſto ſimo ſtabulata fuerant, uno die, immiſſo Alpheo, ab Hercule expurgatum.

Ib. *Stymphalides*] Fuit Stymphalus ſeu Stymphalis, agri Arcadici lacus & fluvius, ubi aves fuerunt miræ magnitudinis, roſtro, unguibus, & pennis ferreis, humanis veſcentes carnibus, quas Hercules occidit partim, partim æris tinnitu fugavit.

& silva Parthenia? Balteus distinctus auro Thermodontiaco reportatus est vestrâ virtute, itemque poma à pervigili serpente male servata? Neque Centauri valuerunt stare contra me: neque fui populator Arcadiæ? Neque utile fuit Ecbidnæ augeri per dispendia, & geminare virus? Quid? quòd intuitus sum equos Diomedis saginatos sanguine humano, & stabula referta corporibus discerptis atque dirui ea conspecta, atque illos cum hero jugulavi? Ingens Leo Nemeæus humi sternitur suffocatus meis brachiis? fusi cœlum hoc collo! Crudelis uxor Jovis defatigata est imperando; ego verò sum indefatigatus laborando. Verùm inauditum malum me urget, contra quod neque licet stare fortitudine neque jaculis neque armis. Ardor rapax volvitur per intimum pulmonem, atque fovetur per omnia membra. At Eurystheus prosperâ fruitur valetudine. Et consiciuntur, inquit, qui possunt credere Deos esse? Atque afflictus haud aliter fertur per excelsum Oeten, quàm si Tigris ferat jacula impacta corpori, & auctor vulneris sese subduxerit.

Partheniumque nemus? vestrâ virtute relatus
Thermodontiaco cœlatus balteus auro,
Pomaque ab insomni malè custodita dracone?
Nec mihi Centauri potuêre resistere, nec mî
Arcadiæ vastator aper? nec profuit Hydræ
Crescere per damnum, geminasque resumere vires?
Quid? cum Thracas equos humano sanguine pingues,
Plenaque corporibus laceris præsepia vidi,
Visaque dejeci, dominumque ipsosque peremi?
His elisa jacet moles Nemeæa lacertis?
Hâc cœlum cervice tuli? defessa jubendo est
Sæva Jovis conjux: ego sum indefessus agendo.
Sed nova pestis adest: cui nec virtute resisti,
Nec telis, armisve potest. Pulmonibus errat
Ignis edax imis, perque omnes pascitur artus.
At valet Eurystheus. Et sunt, qui credere possint
Esse Deos? dixit, Perque altum saucius Oeten
Haud aliter graditur, quàm si venabula tigris
Corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.

NOTÆ.

188. *Parthenium*] Quod etiam Arcadiæ est, in quo eximiæ velocitatis cervam Dianæ sacram pedibus æreis, aureis cornibus, Hercules tandem currendo est assecutus.

189. *Thermodontiaco*] Id est quod Amazonum esset, juxta Thermodonta Scythiæ fluvium habitantium. Herculem enim jusserat Eurystheus, ut Hippolytæ Amazonum reginæ balteum ad se adferret; quamobrem illas debellavit.

190. *Poma*] *Hesperidum*, quæ Hesperi, Atlantis fratris, filiæ fuerunt, à dracone pervigili servata; quo occiso, ab Hercule rapta sunt, & ad Eurystheum delata.

191. *Centauri*] Qui Thessaliæ populi anteriore parte viri, posteriore equi adeò crediti, quod primi equos domare, & ex illis pugnare cœperunt, quos Hercules superavit.

192. *Aper*] Quem in Erymanthe Arcadiæ monte latentem, magnitudine & feritate terribilem Hercules vinctum ad Eurystheum deduxit.

Ib. *Hydræ*] De eâ suprà 70 v.

194. *Thracas*] Diomedis fuerunt Thraciæ regis, quos ille hospitum carnibus alebat; quem quidem tyrannum Hercules iisdem equis discerpendum objecit.

197. *Moles Nemeæa*] Leonem illum ingentem dicit, ferro omnique telo inviolabilem, qui Argivi agri Nemæam silvam infestabat. Illum autem in spelunca, cujus alterum aditum obstruxerat, Hercules comprehendit & suffocavit; cujus detractam pellem deinceps corpori munimentum, & insigne gestavit.

198. *Cœlum*] Illud in gratiam Atlantis Mauritaniæ regis, à quo hospitio exceptus fuerat, humeris sustentavit. Quod quidem idcirco fictum est, quòd ab Atlante Astrologiam Hercules didicerit.

Ib. *Jubendo*] Per Eurystheum, Sthenelli filium, Mycenarum regem, qui Junonis odio obsequens, Herculem ad difficillima quæque coëgit: cùm ille Jovis edicto & Apollinis monitu persuasus libens labores omnes exhauriret.

206. *Refugerit*] Quod præsertim exacerbatam iram reddit.

Sæpe illum gemitus edentem, sæpe frementem,
Sæpe retentantem totas infringere vestes,
Sternentemque trabes, iraſcentemque videres
Montibus, aut patrio tendentem brachia cœlo.
Ecce Lichan trepidum, & latitantem rupe cavatâ
Adſpicit; utque dolor rabiem collegerat omnem;
Tune, Licha, dixit, feralia dona tuliſti?
Tune meæ necis auctor eris? tremit ille, pavetque
Palidus; & timidè verba excuſantia dicit.
Dicentem, genibuſque manus adhibere parantem,
Corripit Alcides; & terque quaterque rotatum
Mittit in Euboïcas, tormento fortiùs, undas.
Ille per aërias pendens induruit auras;
Utque ferunt imbres gelidis concreſcere ventis;
Inde nives fieri; nivibus quoque molle rotatis
Adſtringi, & ſpiſsâ glomerari grandine corpus;
Sic illum validis actum per inane lacertis,
Exſanguemque metu, nec quicquam humoris habentem,
In rigidos verſum ſilices prior edidit ætas.
Nunc quoque in Euboïco ſcopulus brevis emicat altè
Gurgite, & humanæ ſervat veſtigia formæ.
Quem, quaſi ſenſurum, nautæ calcare verentur;
Appellantque Lichan. At tu, Jovis inclyta proles,
Arboribus cæſis, quas ardua geſſerat Oete.
Inque pyram ſtructis, arcus, pharetramque capacem,
Regnaque viſuras iterum Trojana ſagittas,
Ferre jubes Pœante ſatum: quo flamma miniſtro

Sæpe illum cernere gementem, ſæpe fremebundum, ſæpe itcrum conantem diſcerpere amictum totum, & proterentem arbores, & objurgantem montes, vel tollentem lacertos ad cœlos patrios. En videt Lychan trementem & ſeſe tegentem rupe arcuatâ: atque ut dolor cõgerat omnem furorem, Tune, Lycha, ait, obtuliſti munera fatalia? tunc eris cauſa meæ mortis? Ille exanguis tremit & timet, & pavidus profert voces ſupplices. Hercules tollit loquentem, & conantem admovere manus genibus, & jacit illum fortiùs quàm machina bellica terque quaterque circumactum in mare Euboïcum. Ille ſublatus diriguit per Aërem. Atque ut dicunt nimbos coaleſcere ventis frigidis; inde nives procreari; nivibus inſuper circumactis, per gravitatem, coarctari, & corpus conglobari densâ grandine; ita veteres dixerunt, illum miſſum per vacuum aërem fortibus brachiis ſanguine per timorem exhauſto, neque habentem quicquam humiditatis, mutatum fuiſſe in durum ſaxum. Nunc etiam extat parvus ſcopulus in mare Euboïco, atque retinet ſigna figuræ humanæ; quem, quaſi ſentire poſſit, nautæ timent tangere, & vocant Lychan. At tu clare Jovis fili, arboribus exciſis, quas excelſa Oete produxerat, iiſque compoſitis in rogum, imperas filio Pœantis tollere arcum & vaſtam pharetram, & ſpicula viſura denuo regna Trojana: cujus adminiſtratione ignis ſuppoſitus;

NOTÆ.

216. *Genibus*] Quæ, quia iis advolvuntur ſupplices, miſericordiæ ſedes dicta ſunt.

218. *Eubœicas*] Quæ inter Cenæum promontorium, ubi Hercules facturus ſacrum, & Oeten montem ubi cremandus, extendebantur, De Euboïco mari loquitur.

Ib. *Tormento*] Inſtrumentum eſt bellicum, à torquendis ſaxis.

221. *Rotatis*] Conglobatis, validiùs flante Boreâ aut frigido aliquo vento.

228. *Quaſi ſenſurum*] Imò quia ſenſuri ipſi: *Lychas* enim Græcis abruptum dicitur ſeu truncum; ut ſcopulum fuiſſe Lichan intelligamus à reliquo Cenæo diviſum.

232. *Viſuras iterum*] Namque fine illis Trojam capi non poſſe erat in ratis quapropter Philoctetem unà cum ſagittis ad bellum Græci perduxerunt. Illas autem Troja antè ſenſerat, cum Laomedontis perfidiâ accenſus eſſet Hercules; qui tùm ab illo ſibi promiſſam filiam Heſionem à Ceto liberatam non poſſet impetrare, urbem totam diripuit.

233. *Pœante*] *Philoctetem* dicit Herculis comitem, Pœantis filium, qui illius rogo flammam ſuppoſuit.

Subdita: Dumq; avidis comprênditur ignibus agger,
Congeriem silvæ Nemeæo vellere summam
Sternis: & imposità clavæ cervice recumbis,
Haud alio vultu quàm si conviva jaceres
Inter plena meri redimitus pocula sertis.

IV. Jamq; valens, & in omne latus diffusa sonabat,
Securosque artus, contemptoremque petebat
Flamma suum. Timuêre Dei pro vindice terræ.
Quos ita (sensit enim) læto Saturnius ore
Jupiter alloquitur: Nostra est timor iste voluptas,
O Superi: totoque libens mihi pectore grator,
Quòd memoris populi dicor rectorque paterque,
Et mea progenies vestro quoque tuta favore est.
Nam quanquam ipsius datur hoc immanibus actis;
Obligor ipse tamen. Sed enim, ne pectora vano
Fida metu paveant, Oetœas spernite flammas.
Omnia qui vicit, vincet, quos cernitis, ignes:
Nec nisi maternâ Vulcanum parte potentem
Sentiet. Æternum est, à me quod traxit, & expers
Atque immune necis, nullâque domabile flammâ.
Idque ego defunctum terrâ cœlestibus oris
Accipiam, cunctisque meum lætabile factum
Dîis fore confido. Si quis tamen Hercule, si quis
Fortè Deo doliturus erit, data præmia nollet;
Sed meruisse dari sciet; invitusque probabit.
Assensêre Dei. Conjux quoque regia visa est
Cætera non duro, duro tamen ultima vultu
Dicta tulisse Jovis; seque indoluisse notatâm.
Interea, quodcunque fuit populabile flammæ,
Mulciber abstulerat; nec cognoscenda remansit

& dum strues corripitur flammis rapacibus; imponis summitati pyræ lignorum pellem Nemeæi leonis, & capite in clavam demisso non minùs læto vultu decumbis, quàm si accumberes convivio ornatus coronis inter crateras vino plenos.

IV. *Et jam flamma fortis atque spersa in omnes partes strepebat, & ferebatur in membra minimè anxia, & suum contemptorem. Dîi metuerunt pro ultore terræ. Quos (nam advertit) Jupiter Saturnius sic compellat vultu hilari: Hic metus nobis est gratissimus, ô cœlicolæ, atque ultra gaudeo toto corde, quod perhibeor & rex & pater populi haud ingrati, & mea soboles secura quoque est vestrâ benevolentiâ. Nam siquidem istud conceditis ejus factis incredibilibus, ego tamen me vobis debere fateor: cæterùm ne cara pectora extimescant sine causâ, contemnite ignes Oetæos: qui superavit omnia, superavit etiam flammas, quos videtis. Neque nisi ex eâ parte, quam à matre habuit* mortali, *experietur validum ignem: Quod habuit à me est æternum & intactum atque inaccessum morti, & nullo igne superandum. Atque ego illum* laboribus *suis in terrâ defunctam admittam in cœlum: & credo meum facinus futurum gaudii omnibus Dîis: Si quis tamen, siquis, inquam, Deorum erit ægrè passurus Herculem Deum; nollet mercedem collatam; iste sciet meruisse conferri, & nolens assentietur. Dîi annuerunt. Uxor etiam regia visa est accepisse alia omnia verba Jovis facie satis placidâ, postrema tamen facie parum placidâ: atque ægrè tulisse se tactam. Interea Vulcanus rapuerat quicquid fuit igni corruptibile; neque forma Herculis remansit cognoscenda;*

NOTÆ.

234. *Agger*] Pro lignorum strue posuit, quanquam propriè terræ est congeries.

235 *Silvæ*] Lignorum, ex quibus rogus constabat, super quæ Nemeæi leonis pellem in quâ morituus decumberet, Hercules stravit.

236. *Clavæ*] Clava Herculis insigne, ut fulmen Jovis, tridens Neptuni, &c.

241. *Vindice*] *Hercule* nimirum, qui omnes terras à monstris, latronibus, & nefariis hominibus purgabat.

243. *Nostra*] Jovi nempe gratum fuit Deos Herculi filio faventes, & erga se benevolos cernere.

259. *Conjux*] Juno est Herculi semper infensa, quam obliquè tetigit Jupiter.

263. *Mulciber*] *Vulcanus* est, à *mulcendo* ferro, qui pro igne sæpissimè ponitur.

Her-

Herculis effigies; nec quidquam ab imagine ductum
Matris habet; tantùmque Jovis vestigia servat.
Utque novus serpens, positâ cum pelle senectâ,
Luxuriare solet, squamâque nitere recenti:
Sic, ubi mortales Tyrinthius exuit artus,
Parte sui meliore viget; majorque videri
Cœpit, & augustâ fieri gravitate verendus.
Quem pater omnipotens inter cava nubila raptum,
Quadrijugo curru radiantibus intulit astris.
V. Sensit Atlas pondus. Neq; adhuc Stheneleïus iras
Solverat Eurystheus; odiumque in prole paternum
Exercebat atrox. At longis anxia curis
Argolis Alcmene, questus ubi ponat aniles,
Cui referat nati testatos orbe labores,
Cuive suos casus, Iölen habet. Herculis illam
Imperiis, thalamoque animoque receperat Hyllus:
Implêratque uterum genirosо germine. Cui sic
Incipit Alcmene: Faveant tibi numina saltem:
Corripiantque moras, tum cùm matura vocabis
Præpositam timidis parientibus Ilithyïam;
Quam mihi difficilem Junonis gratia fecit.
Namque laboriferi cùm jam natalis adesset
Herculis, & decimum premeretur sidere signum,
Tendebat gravitas uterum mihi: quodque ferebam,
Tantum erat, ut posses auctorem dicere tecti
Ponderis esse Jovem. Nec jam tolerare labores
Ulteriùs poteram; quin nunc quoq; frigidus artus,
Dum loquor, horror habet; parsque est meminisse doloris.
Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,

neque habet quidquam ortum à formâ matris; & servat tantùm imaginem Jovis. Atque ut anguis novus consuevit exsilire senio depositо cum exuviis, & micare squammâ novâ; ita postquam Tirynthius deposuit membra morti obnoxia, viget parte sui potiore; cœpit videri major, & fieri colendus venerandâ gravitate. Quem pater omnipotens sublatum curru quadrijugo inter opacas nubes collocavit inter splendentia sidera.

V. *Atlas sensit onus. Neque adhuc Eurystheus Stheneleïus odium explevеrat; & sævus iram, quam olim in patrem, in filium exercuit. At Alcmene Argolica sollicita assiduis curis, habet Iolem cui credat querimonias aniles, cui narret labores filii* toto *orbe cantatos, vel sua infortunia. Hyllus illam benevolè accepeрat lecto, jussa Herculis; & impleverat alvum semine nobili. Cùm Alcmene sit incipit; Dii tibi nunc saltem sint auxilio & non morentur, cùm parturiens appellabis Ilithyïam jus habentem in pavidas puerperas, quam Junonis potentia mihi reddidit minùs æquam. Namque, cùm jam natalis Herculis laborem ferentis appropinquaret, & decimum sidus à sole teneretur,* infantis *gravitas tendebat mihi ventrem: & quod gestabam erat tantum ut pronum esset dicere auctorem tantæ sarcinæ esset Jovem. Neque jam poteram ampliùs pati labores; quin nunc etiam gelidus timor habet membra, dum verba facio, & ipsa recordatio est pars laboris. Ego torta per septem noctes, atque totidem dies,*

NOTÆ.

265. *Vestigia*] Animam à Jove ortam.

272. *Quadrijugo*] Innuit Herculem, triumphantium more, in cœlum sublatum.

273. *Sensit pondus*] Quasi Hercules, novus hospes cœlis, illius pondus auxerat.

278. *Iölen*] Quæ Euryti Oechaliæ regis filia, ab Hercule adamata, deinde Hyllo filio suo in uxorem tradita.

283. *Ilithyïam*] *Dianam* volunt esse, & *Junonem* Lucinam, quæ parturientibus opifera adveniat.

284. *Gratia*] Ironicè.

285. *Laboriferi*] Laboribus nati, ut suprà, v. 180. quem consule.

286. *Decimum*] Sol singulis mensibus Zodiaci signum perlustrat; unde per decimum signum, decimus mensis intelligitur.

Fessa

defatigata doloribus, & tendens brachia ad cœlum vocabam magno clamore Lucinam & duos Deos partus. Illa quidem accessit, sed ante à Junone *corrupta, & quæ cuperet meam vitam prodere infestæ Junoni. Et cùm audivit meos gemitus, constitit ad illud altare præ foribus; & imposuit dextrum poplitem sinistro genu, atque digitis inter se connexis ad modum pectinis, remorata est partus; protulit quoque carmina voce summissâ; atque carmina cohibuerunt partus inchoatos. Contendo, & amens jacio nihil profutura convicia in Jovem immemorem, & opto obire, & conqueror vocibus tacturis rigida saxa. Matronæ Cadmeïdes adstant, & concipiunt preces, & animos augent laborantis. Una famularum, Galanthis nomine, ex mediâ plebe flavos habens capillos, sedula in mandatis exequendis, amata suis officiis, adstabat: Ea intellexit nescio quid agi Junone aversâ; & dum prodit sæpius, atque subit januam, advertit Deam sedentem super altari, atque habentem lacertos genibus commissos digitis. Et, quæcunque es, inquit, gratulare Dominæ. Alcmene Argolica est levata, & fœtum enixa fruitur voto. Dea ventri præpositа emicuit, atque exterritâ solvit manus connexas: ego absolvor vinculis solutis.*

Fessa malis, tendensque ad cœlum brachia, magno
Lucinam Nixosque pares clamore vocabam.
Illa quidem venit, sed præcorrupta, meumque
Quæ donare caput Junoni vellet iniquæ.
Utque meos audit gemitus, subsidit in illâ
Ante fores arâ; dextroque à poplite lævum
Pressa genu, digitis inter se pectine junctis,
Sustinuit partus: tacitâ quoque carmina voce
Dixit; & inceptos tenuerunt carmina partus.
Nitor, & ingrato facio convicia demens
Vana Jovi; cupioque mori, moturaque duras
Verba queror silices. Matres Cadmeïdes adsunt,
Votaque suscipiunt, exhortanturque dolentem.
Una ministrarum mediâ de plebe Galanthis,
Flava comas, aderat, faciendis strenua jussis;
Officiis dilecta suis. Ea sensit iniqua
Nescio quid Junone geri; dumque exit, & intrat
Sæpe fores, Divam residentem vidit in arâ;
Brachiaque in genibus digitis connexa tenentem:
Et, quæcunque es, ait, dominæ gratare; levata est
Argolis Alcmene; potiturque puerpera voto.
Exsiluit, junctasque manus pavefacta remisit
Diva potens uteri. Vinclis levor ipsa remissis.

VI. Numine decepto risisse Galanthida fama est,
Ridentem, prensamque ipsis Dea sæva capillis
Traxit, & è terrâ corpus relevare volentem
Arcuit: inque pedes mutavit brachia primos.
Strenuitas antiqua manet; nec terga colorem
Amisêre suum; forma est diversa priori.
Quæ, quia mendaci parientem juverat ore,
Ore parit; nostrasque domos, ut & antè, frequentat.

VI. *Aiunt Galanthida risisse numine elusо. Dea crudelis* prostravit *ridentem, & traxit correptam ipsâ comâ, atque prohibuit conantem tollere corpus ex terra: & convertit brachia in pedes anteriores. Vetus agilitas superest; neque dorsum deposuit suum colorem: Figura alia est à priore. Quæ quia opem tulerat parienti ore fallaci, fœtus emittit ore: atque colit nostras domos, ut & priùs* colebat.

NOTÆ.

294. *Nixos*] Duos fratres nixuum seu partuum adjutores, de quibus Festus, qui tres tamen fuisse scribit.

299. *Pectine junctis*] *Pectinatim, decussatim.*

300. *Sustinuit*] Pro *retardavit.* Tali autem gestu impediri partus scripsit quoque Plinius.

304. *Cadmeïdes*] *Thebanæ,* à Cadmo Thebarum ædificatore.

310. *Divam*] *Lucinam* seu *Ilithyïam.*

315. *Potens uteri*] *Lucinam* dicit, quæ parturientibus adest.

320. *Nec terga*] Mustela nempe, cujus formam induit Galanthis, sicuti ipsa flava comas, colore est flavo.

323. *Ore parit*] Hoc ideo fictum, quòd ore catulos suos subinde ex uno loco in alium transferat.

VII.

VII. Dixit; & admonitu veteris commota miniſtræ,
Ingemuit. Quam ſic nurus eſt affata dolentem:
Te tamen, ô genitrix, alienæ ſanguine veſtro
Rapta movet facies: quid ſi tibi mira ſororis
Fata meæ referam? quanquam lachrymæque dolorq;
Impediunt, prohibentque loqui. Fuit unica matri
(Me pater ex aliâ genuit) notiſſima formâ
Oechalidum Dryope; quam virginitate carentem
Vimque Dei paſſam, Delphos Delonque tenentis,
Excipit Andræmon; & habetur conjuge felix.
Eſt lacus, acclivi devexo margine formam
Littoris efficiens; ſummum myrteta coronant.
Venerat huc Dryope, fatorum neſcia; quoque
Indignere magis, Nymphis latura coronas.
Inque ſinu puerum, qui nondum impleverat annum,
Dulce ferebat onus; tepidique ope lactis alebat.
Haud procul à ſtagno, Tyrios imitata colores,
In ſpem baccarum florebat aquatica lotos:
Carpſerat hinc Dryope, quos oblectamina nato
Porrigeret, flores: & idem factura videbar;
Namque aderam. Vidi guttas è flore cruentas
Decidere, & tremulo ramos horrore moveri.
Scilicet ut referunt tardi nunc denique agreſtes.
Lotis in hanc Nymphe, fugiens obſcœna Priapi,
Contulerat verſos ſervato nomine vultus.

VIII. Neſciêrat ſoror hoc: quæ cùm perterrita retro
Ire, & adoratis vellet diſcedere Nymphis;
Hæſerunt radice pedes. Convellere pugnat:

VII. *Abſolvit; & tacta recordatione veteris famulæ, condoluit; quam gementem nurus ſic alloquuta eſt: Attamen, ô mater, figura oblata illius quæ aliena eſt à veſtro ſanguine, te tangit. Quid ſi tibi narrem ſtupendam ſortem meæ ſororis! Tametſi fletus & mæror obſtant, & impediunt ſermonem. Dryope pulchritudine notiſſima Oechalidum* puellarum *fuit ſola* filia *genitrici, pater me ſuſcepit ex aliâ. Andræmon illam duxit ſpoliatam virginitate, & violatam à Deo obtinente Delphos & Delon; atque creditur beata fuiſſe marito. Eſt ſtagnum præbens figuram littoris acclivis margine declivi: myrteta cingunt extremam partem. Dryope ignara infortunii huc appulerat, &, quò magis doleas, portatura ſerta nymphis. Atque geſtabat ulnis gratum onus puerum, qui nondum abſolverat annum; & nutriebat auxilio lactis tepidi. Non longè à lacu lotos aquatica, exhibens colores Tyrios, florebat in ſpem baccarum: Dryope inde diripuerat flores quos offerret filio ad oblectationem; atque videbar idem factura, nam adſtabam. Adverti guttas ſanguinolentas defluere ex flore, & ramos agitari horrore trepido. Nempe, uti ruſtici nunc denique ſerò memorant, Nympha Lotis vitians pudenda Priapi, faciem in hanc* arborem *mutaverat, nomine* adhuc *ſervato.*

VIII. *Soror* mea *iſtud ignoraverat; quæ tremefacta, cùm niteretur refugere; & diſcedere à Nymphis venerandis, pedes correpti ſunt radice. Tentat avellere;*

NOTÆ.

325. *Nurus*] Iöle, uxor Hyłli, qui Herculi filius ex Deianirâ.

327. *Rapta*] De Galanthide loquitur, quæ in Muſtelam converſa.

331. *Dryope*] Quæ Euryti Oechaliæ regis filia.

332. *Delphos*] In hâc enim Phocidis urbe ad Parnaſſum montem commune humani generis oraculum tenuit Apollo.

Ib. *Delon*] Quæ Cycladum omnium inſula clariſſima, ubi Apollinem & Dianam Latona enixa; quamobrem & Diis illis ſacra.

341. *Lotos*] Quæ arbor eſt Africæ familiaris, baccas ferens tam grati ſaporis, ut hoſpitibus patriæ oblivionem injicere dicatur. A quo fabula non abludit.

346. *Tardi*] Qui arborem ſacram fuiſſe antè admonere debuiſſent.

347. *Priapi*] Qui Bacchi & Veneris fuit filius, inguine famoſus, ob fœcunditatem. Hortorum Deus.

Nec

neque quicquam movet, niſi ſupremas partes; *cortex mollis adnaſcitur ab imâ parte, & paulatim tegit tota inguina. Poſtquam advertit tentans diſcerpere comam manu, implevit manum foliis: folia occupabant totum caput. At puer Amphiſſus (namque avus Eurytus illi impoſuerat hoc nomen) ſentit mammam maternam indureſcere, neque ſuccus lacteus ſequitur* ubera *lactentem. Adſtabam ſpectatrix duræ ſortis; neque tibi poteram auxilio eſſe, ſoror: atque amplexo retardabam ſtipitem creſcentem & ramos quantùm poteram; & agnoſco, optavi velari ſub eodem cortice. Ecce Andræmon* illius *maritus, & pater infeliciſſimus adveniunt, & quærunt Dryopen; cùm quærerent Dryopen, oſtendi illis* eam *in loton* converſam. *Præbent ſuavia ligno calido; & manent porrecti ad radices ſuæ arboris. Nihil jam tibi ſupererat, quod non eſſet arbor præter vultus, dilecta ſoror. Lachrymæ deſluunt in frondes natas ex corpore mutato; & dum poteſt, atque os præbet viam voci, emittit ejuſmodi querimoniam in auras: Si aliqua* eſt *fides miſeris, juro per Deos me non meruiſſe hoc nefarium* ſupplicium.

Nec quicquam, niſi ſumma, movet. Succreſcit ab imo,
Totaque paulatim lentus premit inguina cortex.
Ut vidit; conata manu laniare capillos,
Fronde manum implevit; frondes caput omne tenebant.
At puer Amphiſſos (namque hoc avus Eurytus illi
Addiderat nomen) materna rigeſcere ſentit
Ubera; nec ſequitur ducentem lacteus humor.
Spectatrix aderam fati crudelis; opemque
Non poteram tibi ferre, ſoror: quantumq; valebam,
Creſcentem truncum ramoſq; amplexa, morabar:
Et (fateor) volui ſub eodem cortice condi.
Ecce vir Andræmon, genitorq; miſerrimus, adſunt:
Et quærunt Dryopen: Dryopen quærentibus illis
Oſtendi loton. Tepido dant oſcula ligno;
Affuſique ſuæ radicibus arboris hærent.
Nil niſi jam faciem quod non foret arbor, habebas,
Cara ſoror. Lachrymæ verſo de corpore factis
Irrorant foliis; ac, dum licet, oraque præſtant
Vocis iter, tales effundit in aëra queſtus:
Si quà fides miſeris, hoc me, per numina juro,
Non meruiſſe nefas. Patior ſine crimine pœnam.
Viximus innocuæ: ſi mentior, arida perdam,
Quas habeo, frondes; & cæſa ſecuribus urar.
Hunc tamen infantem maternis demite ramis,
Et date nutrici: noſtrâque ſub arbore ſæpe
Lac facitote bibat; noſtrâque ſub arbore ludat;
Cùmque loqui poterit, matrem facitote ſalutet;
Et triſtis dicat, Latet hoc ſub ſtipite mater.
Stagna tamen timeat, nec carpat ab arbore flores;
Et frutices omnes corpus putat eſſe Dearum.
Care, vale, conjux, & tu germana, paterque;

Do pœnas ſine crimine. Vitam egimus innocentem: Si falſum loquar, exſiccata ſim, & amittam folia quæ gero; atque exciſa ſecuribus incendar. Cæterùm tollite ex ramis maternis puerum, & committite nutrici, atque curate, ut bibat ſæpe lac ſub noſtrâ arbore, & ſub eâdem ſeſe oblectet: Et cùm didicerit fari, facite ut ſalutet matrem; & mœſtus dicat, Genitrix conditur ſub hoc trunco. Revereatur tamen locus, neque diripiat flores ab arbore; atque arbitretur omnes frutices eſſe corpus Dearum. Valeas, dilecte marite, & tu ſoror, atque genitor:

NOTÆ.

332. *Niſi ſumma*] Inferiùs enim in arborem dudum mutata ſit.

363. *Genitor*] *Eurytus*, qui Dryopes pater.

366. *Suæ*] Eadem nimirum Dryope Euryti filia, & Andræmonis conjux, utriuſque, quanquam jure diverſo, erat.

380. *Stagna tamen timeat*] Meo ſcilicet monitus exemplo.

Ib. *Timeat*] Revereri nempe debuit loca, ubi mater habitavit.

Queis

Queis si quâ est pietas, ab acutæ vulnere falcis,
A pecoris morsu frondes defendite nostras.
Et quoniam mihi fas ad vos incumbere non est;
Erigite huc artus, & ad oscula nostra venite,
Dum tangi possunt, parvumque attollite natum.
Plura loqui nequeo. Nam jam per candida mollis
Colla liber serpit; summoque cacumine condor.
Ex oculis removete manus. Sine munere vestro
Contegat inductus morientia lumina cortex.
Desiêrant simul ora loqui, simul esse; diuque
Corpore mutato remi caluêre recentes.

IX. Dumque refert Iöle fatum miserabile, dumq;
Eurytidos lachrymas admoto pollice siccat
Alcmene, flet & ipsa tamen; compescuit omnem
Res nova tristitiam. Nam limine constitit alto
Pœne puer, dubiâque tegens lanugine malas,
Ora reformatus primos Iölaüs in annos.

X. Hoc illi dederat Junonia muneris Hebe,
Victa viri precibus. Quæ cùm jurare pararet
Dona tributuram posthac se talia nulli,
Non est passa Themis. Nam jam discordia Thebæ
Bella movent, dixit: Capaneusq; nisi ab Jove vinci
Haud poterit; ibuntque pares in vulnera fratres:

quibus si qua est pietas tuta præstate nostra folia à plagâ acutæ falcis, & amorsu pecoris. Et siquidem mihi non licet ad vestros amplexus flecti, tollite huc membra, atque accedite ad nostra suavia, dum possunt sentiri, atque admovete parvum filium. Non possum plura proferre; nam jam lentus cortex currit per collum album, & tegor summo fastigio. Tollite manus ab oculis: liber adnatus sine vestro officio, oculos morientes ultro condat. Os simul desiêrat verba fundere, atque esse; & rami novi diu calidi fuerunt corpore verso.

IX. *Et dum Iöle narrat sortem lugubrem, & dum Alcmene abstergit lachrymas Eurytidos pollice admoto, & ipsa tamen lachrymatur, res nova submovit omnem mœstitiam: Namque Iölaüs propemodum adolescentulus velans maxillas lanugine vix videndâ, vultus habens restitutos in primos annos, sese obtulit ad excelsos fores.*

X. *Hebe Junonia, pellecta precibus mariti, illi præbuerat hoc beneficium; quæ cùm vellet sacramento sese obstringere, se nulli præbituram posthac ejusmodi munera, Themis non sivit. Nam jam Thebæ, inquit, cient bella discordia; & Capaneus non poterit superari, nisi à Jove; & fratres æquales ruent in plagas;*

NOTÆ.

390. *Sine munere*] Pietatis fuisse officium, quod ab sanguine vel affinitate proximos spectarit, morientium claudere oculos, jam aliquoties vidimus.

395. *Eurytidos*] *Iöles* Euryti filiæ.

399. *Iölaüs*] Qui Iphicli Herculis fratris fuit filius, ideo juvenili ætati restitutus, quòd in senectâ, multa egregia facinora præstiterit.

400. *Hebe*] Quæ Junonis filia, juventutis Dea, Junone etiam assentiente, Herculi in cælum recepto nupsit.

402. *Talia*] Ut quempiam juventuti restitueret.

403. *Themis*] *Justitiæ Dea*, quæ fas jubet, nefas vetat, nihil impunitum finit, vaticiniis & religioni præest.

Ib. *Nam*] Multa vaticinatur Themis quæ futura erant, ut ad rem possit descendere, cujus causâ à jurando Heben absterruerat.

Dona tributuram posthac se talia nulli:
Ut lectorem ad versum usque 416 antè pervenire oporteat, quàm Dea scopum assequatur.

404. *Movent*] Autores ejus fuerunt Eteocles & Polynices, Oedipi ex Jocastâ matre & uxore filii; qui se cùm ex nefariis nuptiis ortus cognoscerent, regnum eo fœdere diviserunt ut alternis annis imperarent. Prior Eteocles natu major solium occupat; verùm exacto anno fratri regnum reposcenti non tradit. Polynices ad Adrastum Argivorum regem confugit; hinc bellum conflatur.

Ib. *Capaneus*] Unus è septem ducibus ad Thebas, Deorum contemptor maximus, qui cùm mœnia scalis conscendere tentâsset, lapidibus à propugnantibus est obrutus; quapropter fulmine tactum fabulati sunt.

405. *Fratres*] *Eteocles* nempe, & *Polynices*, qui mutuis tandem vulneribus cecidérunt.

Se-

& vates etiam vivus ad spiciet suos manes terra subtractâ; ut filius ulciscetur patrem matre, pius & scelestus eodem facinore: Et stupefactus malis, demens, & domo fugiens, vexabitur facie furiarum & manibus genitricis: donec uxor ab eo petiverit aurum pestiferum, & gladius Phegeïus transfixerit latus consanguineum. Tum denique Callirhoë Acheloïa supplex poscet summum Jovem hanc ætatem filiis infantibus. Jupiter tactus his precibus jubet munera privignæ & nurûs, & præstabit viris ætatem puerilem.

Seductâque suos manes tellure videbit
Vivus adhuc vates; ultusque parente parentem
Natus erit facto pius & sceleratus eodem:
Attonitusque malis, exul mentisque domûsque,
Vultibus Eumenidum, matrisque agitabitur umbris;
Donec eum conjux fatale poposcerit aurum,
Cognatumque latus Phegeïus hauserit ensis.
Tum demum magno petet hos Acheloïa supplex
Ab Jove Callirhoë natis infantibus annos.
Jupiter his motus, privignæ dona, nurûsque
Præcipiet; facietque viros impubibus annis.

XI. Hæc ubi faticano venturi prescia dixit
Ore Themis, vario Superi sermone fremebant:
Et, cur non aliis eadem dare dona liceret,
Murmur erat. Queritur veteres Pallantias annos
Conjugis esse sui, queritur canescere mitis
Iäsiona Ceres: repetitum Mulciber ævum

XI. *Postquam Themis prudens futuri hæc dixit ore fatidico, Dû murmurabant diversâ oratione; & fremitus erat quamobrem non fas esset præbere aliis eadem munera. Pallantias queritur ætatem sui mariti esse exhaustam; alma Ceres queritur Iäsonem canescere: Vulcanus petit annos*

NOTÆ.

406. *Videbit*] *Amphiaraüs.* Oeclei filius, vates ille de quo hîc agitur, vivus ad manes, hiatu terræ absorptus, descendit.

407. *Ultus*] Præviderat Amphiaraüs se à bello Thebano non reversurum, quamobrem nullis precibus à Polynice adduci poterat, ut ad illud proficisceretur. Eriphyle verò ab Adrasto aureo monili corrupta, quod Hermione à Venere acceperat, maritum & prodidit & ad bellum compulit: quâ re ab Amphiarao intellectâ, Alcmæoni filio mandavit ut suæ mortis autorem Eriphylem occideret, Patri obsequens Alcmæon matrem sustulit.

408. *Pius*] Ulciscendo patrem.

Ib. *Sceleratus*] Occidendo matrem.

409. *Exul mentis*] *Demens*, furens.

410. *Eumenidum*] *Furiarum*, quibus vexatus fuit Alcmæon parricida.

411. *Donec*] Furiis agitatus Alcmæon ad Phegeum confugit, à quo purgaretur, filiamque ejus Alphesibœam duxit uxorem, cui monile matri detractum obtulit. Cum autem apud Phegeum furoris remedium non invenisset, consulto oraculo se ad Acheloum contulit: Ubi pariter Callirhoës Acheloï filiæ amore captus, fatale aurum, de quo hoc in loco agitur, ab eo poscitur. Ille se monile daturum pollicetur, atque eâ causa ad Alphesibœam repetiturus illud contendit; verum à Phegei filiis est occisus.

413. *Hos*] *Juveniles* nempe, ad quos reductus fuerat Solaüs, ut, præproperatâ illis juventute, patris necem ulcisci possent.

415. *Privignæ*] *Hebes*, quæ Junonis cùm fuerit filia, Pallantias Jovis privigna dicitur: nurus verò, siquidem, ejusdem filio Herculi nupserit.

Ib. *Dona*] *Juventutem.* Alcmæonis filiis.

416. *Præcipiet*] *Ante capiet.*

420. *Pallantias*] *Auroram* dicit Hyperionis filiam, Pallantis, gigantis Creosati sororem patruelem.

421. *Conjugis*] *Tithoni*, Laomedontis Trojanorum regis filii, cui à parcis immortalitatem, oblita perpetuam juventutem poscere Aurora impetraverat; qui senio confectus, in cicadam mutatus est.

422. *Iäsiona*] Jovis ex Electrâ filium, Cereri adamatum, cui Plutum divitiarum Deum cæcum, claudum, timidumque peperit.

Ib. *Mulciber*] *Vulcanus*; ex cujus semine in terram prolapso, cum Minervæ castitatem temerare intentâsset, Erichthonius, puer draconis pedibus horribilis, natus est.

Poscit

Poscit Erichthonio. Venerem quoque cura futuri
Tangit, & Anchisæ renovare pacisci tur annos.
Cui studeat, Deus omnis habet; crescitque favore
Turbida seditio, donec sua Jupiter ora
Solvit: &, O, nostri si quâ est reverentia, dixit,
Quò ruitis? tantùmne sibi quis posse videtur,
Fata quoque ut superet? fatis Iölaüs in annos,
Quos egit, rediit: satis juvenescere debent
Callirhoë geniti; non ambitione, nec armis.
Vos etiam, quoque hoc animo meliore feratis,
Me quoque fata regunt: quæ si mutare valerem,
Nec nostrum seri curvarent Æacon anni;
Perpetuumque ævi florem Rhadamanthus haberet
Cum Minoë meo: qui propter amara senectæ
Pondera despicitur; nec, quo priùs, ordine regnat.
Dicta Jovis movêre Deos. Nec sustinet ullus,
Cùm videant fessos Rhadamanthon & Æacon annis
Et Minoa queri; qui, dum fuit integer ævi,
Terruerat magnas ipso quoque nomine gentes.
Tunc erat invalidus: Deïonidemque juventæ
Robore Miletum, Phœboque parente superbum,
Pertimuit; credensque suis insurgere regnis,
Haud tamen est patriis arcere penatibus ausus.
Sponte fugis, Milete, tuâ, celerique carinâ
Ægeas metiris aquas; & in Aside terrâ
Mœnia constituis, positoris habentia nomen.
Hîc tibi, dum sequitur patriæ curvamina ripæ,
Filia Mæandri toties redeuntis eòdem,

renovatos Erichthonio: sollicitudo de futuro movet etiam Venerem, & spondet reparare annos Anchisæ. Quilibet Deus habet cui faveat; & tumultuosa seditio augetur favore, donec Jupiter os suum aperuit: Atque, ô inquit, si quis est metus nostri, quid sine ullâ ratione affectatis? Tantùmne posse aliquis sibi videtur, ut vincat etiam fata? Iölaüs repetivit per fata annos quos exegit: Filii Callirhoës debent revirescere per fata; non per ambitionem, neque arma. Fata imperant quoque vobis, &, ut patiamini æquiore mente, mihi etiam; quæ si possem mutare, neque ætas senilis incurvum redderet nostrum Æacum, & Rhadamanthus frueretur flore ætatis minimè marcescente, cum Minoë meo, qui propter triste onus senectutis contemnitur, neque imperium obtinet eâ dignitate quâ antè valebat. *Verba Jovis tetigerunt Deos: neque quisquam audet conqueri cùm cernant Rhadamanthon, & Æacon, ætate defatigatos, Minoëm insuper, qui dum vixit, ætate integrâ, metu percussit validas nationes vel solâ formâ. Tunc erat infirmus & extimuit Miletum Deïonidem, elatum viribus juventutis & patre Apolline: atque suspicatus* eum *aspirare ad suum regnum, non tamen sustinuit prohibere sedibus patriis. Discedis ultro, Milete, atque transis mare Ægeum veloci navi, & ponis muros in terrâ Asiâ obtinentes nomen conditoris. Hic Cyanea nata Mæandri toties recurrentis eòdem, tibi cognita, dum sequitur flexus ripæ patriæ,*

NOTÆ.

424. *Anchisæ*] Quem Æneæ patrem Venerem amasse Virgiliano carmine notius est quàm ut sit exponendum.

425. *Favore*] Dum quisque huic aut illi favet, & juventutem poscit.

434. *Nostrum*] *Filium* supplet. Tres verò suos Jupiter memorat, post fata ob justitiam apud inferos constitutos judices.

442. *Tunc*] Cùm Jupiter loqueretur.

Ib. Deïonidem] Deïones filium, ut suspicari licet; namque huic aliam matrem patre eodem Apolline, alii assignant. Cretæ regnum invadere molitus fuerat; sed à Jove Minoïs patre deterritus in Asiam navigavit, ubi Miletum Cariæ urbem celeberrimam condidit.

447. *Ægeas*] *Mare Ægeum*, quod Mileto Asiam petenti trajiciendum erat.

450. *Mæandri*] Qui Phrygiæ sinuosus fluvius, de quo jam sæpe.

Cognita

reperit Byblidem atque Caunum geminam sobolem, æquè corpora eximiâ formâ. Byblis exemplo est, ut puellæ ament licita. Byblis flagrans desiderio fratris, Apollinis, ex Mileto nepotis, non dilexit fratrem ut soror, nec quo amore *decebat. Illa quidem primò nullum amorem cognoscit, neque arbitratur malè facere, quòd sæpius præbeat suavia; quòd amplectatur collum fraternum suis lacertis, & diu decipitur specie fictæ pietatis. Amor paulatim flectitur in fratrem, atque* eum visura *adest exornata, & perditè optat videri pulchra; & si quâ est ibi pulchrior, illi invidet. Sed nondum est sibi perspecta, neque, quanquam amore taciè correpta est, ullum votum* illicitum *fovet: verumtamen torretur intus. Jam dominum vocat: jam refugit nomine consanguinitatis, jam mavult ille appellat se Byblidem quàm sororem. Verita est tamen dum vigilaret vota turpia objicere menti suæ; cernit sæpe quod amat superata leni somno. Visa est etiam jungere corpus fratri; & pudore suffusa est, quanquam dormiens jacebat. Sopor discutitur: illa diu obmutescit, atque revolvit imaginem sui somni, atque*

Cognita Cyaneë, præstanti corpora formâ,
Byblida cum Cauno prolem est enixa gemellam.
Byblis in exemplo est, ut ament concessa puellæ;
Byblis Apollinei correpta cupidine fratris,
Non soror ut fratrem, nec quâ debebat, amavit. 455
Illa quidem primò nullos intelligit ignes;
Nec peccare putat, quòd sæpius oscula jungat;
Quòd sua fraterno circumdet brachia collo:
Mendacique diu pietatis fallitur umbrâ.
Paulatim declinat amor: visuraque fratrem 460
Culta venit; nimiúmque cupit formosa videri:
Et, si quâ est illîc formosior, invidet illi.
Sed nondum manifesta sibi est; nullumque sub illo
Igne facit votum; veruntamen æstuat intus. 464
Jam dominum appellat; jam nomina sanguinis odit;
Byblida jam mavult, quàm se vocet ille sororem.
Spes tamen obscœnas animo dimittere non est
Ausa suo vigilans. Placidâ resoluta quiete
Sæpe videt, quod amat. Visa est quoque junge fratri
Corpus; & erubuit, quamvis sopita jacebat. 470
Somnus abit: silet illa diu; repetitque quietis
Ipsa suæ speciem; dubiâque ita mente profatur:
Me miseram! tacitæ quid vult sibi noctis imago?
Quàm nolim rata sit. Cur hæc ego somnia vidi?
Ille quidem est oculis quamvis formosus iniquis: 475
Et placet, & possum, si non sit frater, amare;
Et me dignus erat. Verûm nocet esse sororem.
Dummodo tale nihil vigilans committere tentem,
Sæpe licet simili redeat sub imagine somnus.
Testis abest somno; nec abest imitata voluptas. 480
Proh Venus, & tenerâ volucer cum matre Cupido,
Gaudia quanta tuli: quàm me manifesta libido

ita loquitur animo incerto. Me infelicem! quid portendit simulachrum noctis tranquillæ? quod nolim sit verum. Quamobrem ego intuita sum hæc somnia? Ille quidem videtur pulcher, etiam inimicorum oculis; & gratus est & nisi germanus sit, possum amare; & me dignus erat: at obest esse germanam. Dummodo nihil ejusmodi conor admittere dum vigilo, licet somnus recurrat sæpe sub ejusmodi specie. Testis nullus est sopori: neque deest simulata voluptas. Proh Venus, & Amor alate cum matre molli, quantam sensi voluptatem! Quàm aperta libido.

NOTÆ.

451. *Cyaneë*] Aliam alii: Eidotheam Carum regis filiam, Cauni & Byblidis matrem fecit Antonius Liberalis.

460. *Declinat*] Augetur; ad nefandam flectitur libidinem.

463. *Sed nondum*] Nondum, inquit, se amore esse captam intelligit.

Ib. *Nullâmque sub illo*] Quòd nondum tam magnus erat is amor, ut propterea votum aliquod susciperet, quod facere solent, qui vehementer amant.

Ib. *Illo*] Amore nondum satis amanti manifesto.

Con-

Contigit! ut jacui totis resoluta medullis?
Ut meminisse juvat! quamvis brevis illa voluptas,
Noxque fuit præceps, & cœptis invida nostris.
O ego, si liceat mutato nomine jungi,
Quàm bene, Caune, tuo poteram nurus esse parenti!
Quàm bene, Caune, meo poteras gener esse parenti!
Omnia, Dî facerent, essent communia nobis,
Præter avos. Tu me vellem generosior esses.
Nescio quam facies igitur, pulcherrime, matrem:
At mihi, quæ malè sum, quos tu, sortita parentes,
Nil nisi frater eris. Quod obest, id habebimus unum.
Quid mihi significant ergo mea visa? quod autem
Somnia pondus habent? an habent & somnia pondus?
Dî meliùs! Dî nempe suas habuêre sorores.
Sic Saturnus Opim junctam sibi sanguine duxit,
Oceanus Tethyn, Junonem rector Olympi.
Sunt Superis sua jura. Quid ad cœlestia ritus
Exigere humanos, diversaque fœdera tento?
Aut nostro vetitus de corde fugabitur ardor:
Aut, hoc si nequeo, peream precor ante; toroque
Mortua componar; positæque det oscula frater.
Et tamen arbitrium quærit res ista duorum.
Finge placere mihi: scelus esse videbitur illi.
At non Æolidæ thalamos timuêre sororum.
Unde sed hos novi? cur hæc exempla paravi?
Quò feror? obscœnæ procul hinc discedite flammæ.

me delectat! ut jacui resoluta totis medullis! ut delectat recordari! quantum illa gaudia momentanea, atque nox fuit velocissima, & invida nostris cœptis. O, si fas sit convenire nomine mutato, quàm bene poteram esse nurus tuo patri, Caune! Quàm bene poteras esse gener meo patri, Caune! utinam Dii annuerent, ut omnia essent nobis communia, præter avos. Optarem tu me esses stirpe nobiliori oriundus. *Nescio igitur quænam per te mater fiet, formosissime; at mihi, quæ malè habui eosdem parentes quos tu sortitus es, nihil eris nisi frater. Habebimus id unum quod nocet. Quid ergo mihi designant mea visa? Quam vim autem habent somni imagines? an & somni imagines vim habent? Dii melius! Dii nimirum duxerunt suas sorores. Sic Saturnus habuit Opim sibi conjunctam sanguine, Oceanus Tethyn, moderator Olympi Junonem. Dii habent sua jura; quamobrem comparo consuetudines humanas cum cœlestibus: atque ambio aliena fœdera? Vel amor prohibitus abjicietur ex nostro corde; vel, si istud non licet, oro prius inteream, & mortua lecto condar, & frater afferat suavia compositæ. Et tamen res ista indiget voluntate duorum. Puto placere mihi: videbitur illi nefas. At Æolidæ non metuerunt connubia sororum. Sed unde hos novi? quamobrem ista exempla ante me statui? Quò ruo? Turpes amores vos hinc procul amolimini.*

NOTÆ.

490. *Generosior*] Nobiliori, atque adeò aliâ stirpe, oriundus: ut nullum conjugii, quod optabat Byblis, esset per sanguinem impedimentum.

496. *Dî nempe*] Mirè fluctuantis & æstuantis animum expressit poëta, cùm ita presse annuentem & abnuentem excogitavit. Sed in descriptione nimius est.

497. *Opim*] Quæ Cœli filia, aliis nominibus *Cybele*, *Rhea*, *Magna Mater* vocata, fratri Saturno nupsit.

498. *Tethyn*] Quæ Cœli & Vestæ filio Oceano fratri nupsit.

499. *Sunt Superis*] Deos sibi exemplo esse debere negat. An ex animo mox patebit.

500. *Diversa*] Alia enim Deorum, alia hominum.

504. *Et tamen*] *i. e.* quanquam ego huic amori indulgeam, eo tamen potiri penès me non est, nisi frater etiam idem sentiat.

506. *Æolidæ*] Plures equidem memorat Æoli filios Homerus; attamen ex illis Macareum solùm cum sorore Canacre rem habuisse novimus, ex quâ filium habuit qui seipsum vagitu prodidit: ut videre est in hujusce authoris Epist. Verùm puellæ criminibus auctoritatem quærenti pronum fuit numero uti multitudinis.

neque frater ametur, nisi quantùm licet fœnori. Si tamen ipse esset prior correptus mei amore, fortè possem favere illius ardori. Ego igitur ipsa requiram, quem non eram repulsura, si posceret? Poterisne fari? Poterisne confiteri? Amor impellet; Potero: vel si pudor os comprimet, litera secreta agnoscet amores occultos. Hæc sententia arridet animo, hæc superat mentem incertam; exsurgit in latus, atque recumbens in lævum cubitum, Quicquid sit, inquit, profiteamur violentos ardores. Hei mihi! quò ruo! quem ardorem concipit mens mea! Atque ordinat voces conquisitas trepidante manu. Dextra manus tractat stylum, altera tabulam vacuam. Incipit, & hæret: scribit, & corrigit quod tabellis mandaverat: & signat, & abstergit: invertit, & damnat, & laudat: atque vicissim deponit acceptas, & denuo capit depositas. Nescit quid cupiat: quicquid videtur factura displicet: est audacia in facie confusa cum pudore. Scripta soror fuerat exarata in tabellis: placuit expungere fororem, atque insculpere ejusmodi verba ceris correctis. Amans tibi mittit hanc salutem, quam non est habitura nisi tu dederis. Pudet ah! pudet proferre nomen! Atque si poscis, quod velim: optarem mea causa posset defendi sine nomine: neque essem Byblis priùs cognita, quàm spes votorum fuisset tuta. Et color, & macies, & facies, & oculi sæpe madidi, & gemitus ducti causa latente, & frequentes amplexus, & suavia, quæ, si forsitan observassi, possint sentiri non esse à sorore, poterant quidem tibi esse signa cordis vulnerati. Quanquam tamen ego graviter animo læsa eram, quanquam intus erat ardor ingens, omnia tentavi. Dii sunt conscii ut denique essem sanior: atque miseræ diu conata sunt evitare sæva arma

Nec, nisi quà fas est germanæ, frater ametur.
Si tamen ipse mei captus prior esset amore,
Forsitan illius possem indulgere furori.
Ergo ego, quem fueram non rejectura petentem,
Ipsa petam? poterisne loqui? poterisne fateri?
Coget amor; potero. Vel, si pudor ora tenebit,
Litera celatos arcana fatebitur ignes.
Hæc placet, hæc dubiam vincit sententia mentem.
In latus erigitur; cubitoque innixa sinistro,
Viderit; insanos, inquit, fateamur amores.
Hei mihi! quò labor! quem mens mea concipit ignem!
Et meditata manu componit verba trementi.
Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram.
Incipit, & dubitat: scribit, damnatque, tabellas:
Et notat, & delet: mutat, culpatque, probatque:
Inque vicem sumptas ponit, positasque resumit.
Quid velit, ignorat: quicquid factura videtur.
Displicet. In vultu est audacia mista pudori.
Scripta soror fuerat: visum est delere sororem,
Verbaque correctis incidere talia ceris:
Quam, nisi tu dederis, non est habitura salutem,
Hanc tibi mittit amans: pudet ah! pudet edere nomen!
Et, si quid copiam, quæris; sine nomine vellem
Posset agi mea causa meo: nec cognita Byblis
Antè forem, quam spes votorum certa fuisset.
Esse quidem læsi poterant tibi pectoris index,
Et color, & macies, & vultus, & humida sæpe
Lumina, nec causâ suspiria mota latenti;
Et crebri amplexus; & quæ, si fortè notâsti,
Oscula sentiri non esse sororia possent,
Ipsa tamen, quamvis animo grave vulnus habebam,
Quamvis intus erat furor igneus, omnia feci,
[Sunt mihi Dî testes] ut tandem sanior essem:
Pugnavique diu violenta Cupidinis arma

NOTÆ.

518. *Viderit*] i. e. faciat Caunus quicquid sibi visum fuerit; certum est me amores profiteri, quicunque sequatur eventus.

521. *Ceram*] *Tabellam ceream*, in quâ siquid delendum erat, obtusâ styli parte eam lævigabant: hoc erat *stylum vertere*.

Effugere

Effugere infelix; & plùs quàm ferre puellam
Posse putes, ego dura tuli. Superata fateri
Cogor, opemque tuam timidis exposcere votis.
Tu servare potes, tu perdere solus amantem.
Elige utrum facias. Non hoc inimica precatur:
Sed quæ, cùm tibi sit junctissima junctior esse
Expetit; & vinclo tecum propiore ligari.
Jura senes nôrint: & quid liceatque, nefasque,
Fasque sit, inquirant; legumque examina servent.
Conveniens Venus est annis temeraria nostris.
Quid liceat, nescimus adhuc: & cuncta licere
Credimus: & sequimur magnorum exempla Deorum.
Nec nos aut durus pater, aut reverentia famæ,
Aut timor impedient; tantùm absit causa timendi.
Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus:
Est mihi libertas tecum secreta loquendi.
Et damus amplexus; & jungimus oscula coram.
Quantum est, quod desit! miserere fatentis amorem,
Et non fassuræ, nisi cogeret ultimus ardor:
Neve merere meo subscribi causa sepulchro.
Talia nequicquam perarantem plena reliquit
Cera manum, summusque in margine versus adhæsit,
Protinus impressâ signat sua crimina gemmâ;
Quam tinxit lachrymis: linguam defecerat humor.
Deque suis unum famulis pudibunda vocavit:
Et pavidum blandita, Fer has, fidissime, nostro,
Dixit, & adjecit post longo tempore, fratri.
Cùm daret, elapsæ manibus cecidere tabellæ;
Omine turbata est: misit tamen. Apta minister
Tempora nactus adit; traditque latentia verba.
Attonitus subitâ juvenis Mæandrius irâ,
Projicit acceptas, lectâ sibi parte, tabellas.
Vixq; manus retinens trepidantis ab ore ministri;

Amoris; atque ego plùs passa sum; quàm credas puellam posse pati. Victa cogor confiteri, & petere tuum auxilium votis dubiis. Tu solus potes incolumen præstare, tu solus perdere amantem. Elige utrum facias. Non hostis istud orat, sed quæ, cùm sit tibi conjunctissima, optat tibi esse conjunctior, atque connecti tibi copulâ arctiore. Senes cognoscant jura, atque perscrutentur quid liceat, quid sit fas, aut nefas; & observent decreta legum. Venus inconsiderata apta est nostræ ætati. Ignoramus adhuc quid fas sit. Atque existimamus omnia esse concessa; & sequimur exempla magnorum Deorum. Neque aut pater severus, aut pudor famæ, aut metus obstabunt: absit tantùm causa timendi. Velabimus jucunda furta sub nomine fraterno. Licet mihi tecum arcanæ communicare. Et nos amplectimur, & conferimus suavia palam. Quantum est quod desideratur! miserere agnoscentis amorem, neque agnituræ, nisi extremus æstus impelleret. Neve merearis subscribi meo tumulo causa mortis. Plena tabella destituit frustrà scribentem talia: atque novissimus versus inscriptus est margini. Continuò sigillum apponit suo crimini gemmâ impressâ: quam madefecit lachrym's: humor destituerat linguam. Atque verecunda accessivit unum ex servis; & blandita timido, Porta, inquit, fidissime, nostro, & longo post tempore addidit, fratri. Cùm offerret, tabellæ elapsæ exciderunt manibus. Turbata est præsagio: attamen misit. Famulus nactus tempus opportunum accedit, & porrigit verba secreta. Juvenis Mæandrius stupens repentinâ irâ abjecit tabellas acceptas, parte à se lectâ: atque ægrè compescens manus à facie trementis famuli,

NOTÆ.

554. *Deorum*] Quorum modò meminit.

556. *Tantùm absit*] i. e. fingamus modò nullam esse timendi causam.

560. *Quantùm est*] Quantulum est quod desideria nostra impedit, quo sensu priùs e Pyramo & Thisbe dixerat.

——*Minimum est quod amantibus obstat.*

568. *Blandita*] Ut mos est illis qui alienâ operâ indigent.

573. *Mæandrius*] Caunus Mæandri nepos, ut ex superioribus patet.

Dum licet, inquit, proripe te, ô auctor nefandæ libidinis prohibitæ; qui, nisi mors tua dedecus mihi allatura esset, morte exsolvisses pœnas. Ille prorumpit timidus, atque reportat ad dominam sæva verba Cauni. Expallescis, Bybli, cognitâ repulsâ, atque cor oppressum frigore gelido pavet. Postquam tamen mens rediit, simul amor rediit: atque lingua ægrè protulit hos sonos ære percusso: Atque jure, inquit, repulsam, tuli; quamobrem enim inconsiderata professa sum istud vulnus? Cur credidi tam citò voces, quæ non erant proferendæ acceleratis tabellis? Mens ejus erat mihi antè cognoscenda verbis ancipitibus. Debueram observare parte aliquâ veli qualis esset ventus, ne non sequeretur discedentem; atque ire certo mari quæ nunc implevi vela non prætentatis ventis. Abstrahor ergo in cautes, atque submersa obruor toto mari; neque mea carbasa habent reditus. Quid quòd etiam absterrebar favere meo amori indubitatis præsagiis, tum cùm tabellæ exciderunt mihi imperanti eas deferre, & fecerunt spes nostras inanes. Annon vel illa dies fuerat mutanda? vel omne votum? sed potiùs dies mutanda: Deus ipse hortabatur, atque præbebat fida indicia; nisi fuissem vecors. Et tamen ipsa debueram loqui, neque me credere tabellis, atque præsens indicare meos amores. Vidisset fletus, vidisset faciem amantis. Poteram plura dicere quàm quæ tabellæ continere potuerunt. Potui amplecti collum invitum bracbiis, atque comprehendere pedes, atque ibi projecta petere vitam; &, si repellerer, potui videri mortem obitura. Omnia feciſsem; quorum si singula non poterant mollire asperum animum, omnia certè potuissent. Fortè & aliquod esse possit peccatum famuli missi. Non accessit opportunè, credo non dispexit

Dum licet, ô vetitæ scelerate libidinis auctor,
Effuge, ait: qui, si nostrum tua fata pudorem
Non traherent secum, pœnas mihi morte dedisses.
Ille fugit pavidus: dominæque ferocia Cauni
Dicta refert. Palles auditâ, Bybli, repulsâ;
Et pavet obsessum glaciali frigore pectus.
Mens tamen ut rediit, pariter redière furores;
Linguaque vix tales icto dedit aëre voces:
Et meritò; quid enim temeraria vulneris hujus
Indicium feci? quid, quæ celanda fuerunt,
Tam citò commisi properatis verba tabellis?
Antè erat ambiguis animi sententia dictis
Prætentanda mihi. Ne non sequeretur euntem,
Parte aliquâ veli, qualis foret aura, notare
Debueram; tutoque mari decurrere: quæ nunc
Non exploratis implevi lintea ventis.
Auferor in scopulos igitur, submersaque toto
Obruor Oceano: neque habent mea vela recursus.
Quid quòd & ominibus certis prohibebar amori
Indulgere meo, tum cùm mihi ferre jubenti
Excidit, & fecit spes nostras cera caducas?
Nonne vel illa dies fuerat, vel tota voluntas,
Sed potiùs mutanda dies? Deus ipse monebat;
Signaque certa dabat: si non malè sana fuissem.
Et tamen ipsa loqui, nec me committere ceræ
Debueram; præsensque meos aperire furores.
Vidisset lachrymas: vultus vidisset amantis.
Plura loqui poteram, quàm quæ cepêre tabellæ.
Invito potui circumdare brachia collo:
Amplectique pedes: affusaque poscere vitam:
Et, si rejicerer, potui moritura videri.
Omnia feciſsem. Quorum si singula duram
Flectere non poterant, potuissent omnia, mentem.
Forsitan & missi sit quædam culpa ministri.
Non adiit aptè; non legit idonea, credo,

NOTÆ.

584. *Meritò*] Vim habet ellipsis, quæque adeò Byblidis affectum & furorem manifestiorem facit.

589. *Veli*] Metaphora à navigantibus sumpta, qui antequam pandant vela, solent notare quales venti sunt flaturi.

Ib. *Aura*] *Qualis foret Cauni voluntas.*

592. *Auferor*] Prolixè lascivit poëta, materiam sequacem nactus, & suo ingenio accommodatam.

Tempora;

Tempora: nec petiit thoramq; animumq; vacantem.
Hæc nocuêre mihi. Neque enim de tigride natus;
Nec rigidas silices, solidumve in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit: nec lac bibit ille leænæ.
Vincetur. Repetendus erit. Nec tædia cœpti
Ulla mei capiam; dum spiritus iste manebit.
Nam primum (si fata mihi revocare liceret)
Non cœpisse fuit: cœpta expugnare secundum est.
Quippe nec ille potest (ut jam mea vota relinquam)
Non tamen ausorum semper memor esse meorum;
Et, quia desîrim, leviter voluisse videbor:
Aut etiam tentâsse illum, insidiisque petîsse.
Vel certè non hoc, qui plurimus urit & ussit
Pectora nostra. Deo, sed victa libidine credar.
Denique jam nequeo nîl commisisse nefandum:
Et scripsi, & petiî; temerata est nostra voluntas.
Ut nihil adjiciam, non possum innoxia dici.
Quod supereſt, multum est in vota, in crimina parvum;
Dixit: & (incertæ tanta est discordia mentis)
Cùm pigeat tentâsse, libet tentare: modumque
Exit; & infelix committit sæpe repelli.
Mox ubi finis abest, patriam fugit ille, nefasque;
Inque peregrinâ ponit nova mœnia terrâ.
Tum verò mœstam totâ Miletida mente
Defecisse ferunt. Tum vero à pectore vestem
Deripuit: planxitque suos furibunda lacertos.
Jamque palam est demens; inconcessamque fatetur
Spem Veneris. Sine quâ patriam, invisosque penates
Deserit; & profugi sequitur vestigia fratris.
Utque tuo motæ, proles Semeleïa, thyrso
Ismariæ celebrant repetita triennia Bacchæ;
Byblida non aliter latos ululâsse per agros

Tempora apta: neque petit horam & animum aliis curis *vacuum. Ista mihi obfuerunt. Neque enim ille ortus ex tigride, neque habet dura saxa aut ferrum rigidum aut adamantem in pectore: neque suxit lac leænæ. Flectetur. Repetendus erit. Neque me tædebit unquam mei incœpti, dum anima ista supererit. Nam primum fuit non incepisse, si fas esset mihi revocare fata: alterum est absolvere institutum. Namque, tametsi nunc mea desideria omittam, neque ille potest tamen non recordari incepiorum meorum; & quia omiserim, videbor levi* amore *esse impulsa, vel etiam illum tentâsse, & fraudibus adortam esse; vel certè non credar superata Deo amoris, qui violentissimus torruit & torret, verùm libidine. Denique nunc non possum nihil patrâsse nefandum, Et scripsi, & popposci: corruptus est meus animus, & quamvis nihil addam* iis quæ commisi, *non possum* tamen *dici innocens. Quod restat multum est ad desideria* explenda, *exiguum in crimina. Absolvit: & tanta est fluctuatio mentis dubiæ, cùm pœniteat tentâsse, libet tentare, & modum transgreditur, & misera committit sæpe ut repellatur. Dein ubi finis nullus* Byblidos amori, *ille fugit patriam & nefas, & statuit novam urbem in terrâ extraneâ. Tum verò aiunt tristem Mileti filiam defecisse animo. Tum verò detraxit amictum à pectore, atque furore correpta percussit sua brachia. Jamque apertè est vesana, atque agnoscit spem illegitimam amoris; quâ ereptâ destituit patriam atque domum infestam; atque sectatur vestigia fratris exulis. Et quemadmodum, ô nate Semeles, Bacchæ Thraciæ tactæ tuo thyrso frequentant trieterica renovatu; sic puellæ Bubasides viderunt Byblidem vociferantem*

NOTÆ.

633. *Mœnia*] *Caunum*, Cariæ urbem.

634. *Miletida*] *Byblida* Mileti filiam.

640. *Proles Semeleïa*] *Bacchus* est, cui à Semele matre illud datum nomen.

Ib. *Thyrso*] Per quem thyrsum, quæ hasta erat hederâ seu pampino vestita, Bacchi, Bacchantiumque gestamen, vini furor intelligitur.

641. *Ismariæ*] *Thraciæ*, ab Ismaro Thraciæ monte sic dictæ.

Ib. *Triennia*] *Trieterica*, festa quæ tertio quoque anno recurrebant; de quibus suprà lib. 6.

Bubasides vidêre nurus; quibus illa relictis
Caras, & armiferos Lelegas, Lyciamque pererrat.
Jam Cragon, & Lymiren, Xanthique reliquerat undas,
Quoque Chimæra jugo mediis in partibus ignem,
Pectus & ora leæ, caudam serpentis habebat.
Deficiunt silvæ: cùm tu lassata sequendo
Procidis; &, durâ positis tellure capillis,
Bybli, taces; frondesque tuo premis ore caducas.
Sæpe etiam Nymphæ teneris Lelegeïdes ulnis
Tollere conantur: sæpe, ut moderetur amori,
Præcipiunt; surdæque adhibent solatia menti.
Muta jacet; virideque suis terit unguibus herbas
Byblis: & humectat lachrymarum gramina rivo.
Naïdas his venam, quæ nunquam arescere posset,
Supposuisse ferunt. Quid enim dare majus habebant?
Protinus, ut secto piceæ de cortice guttæ,
Utve tenax gravidâ manat tellure bitumen;
Utve sub adventum spirantis lene Favoni
Sole remollescit, quæ frigore constitit unda,
Sic lachrymis consumpta suis Phœbeïa Byblis
Vertitur in fontem, qui nunc quoque vallibus illis
Nomen habet dominæ; nigrâque sub ilice manat.
XII. Fama novi centum Cretæas forsitan urbes
Implêsset monstri; si non miracula nupèr
Iphide mutatâ Crete propiora tulisset.
Proxima Gnossiaco nam quondam Phæstia regno

per vastos campos: quibus omissis percurrit Cariæ incolas & Lelegas bellicosos, & Lyciam. Jam præterierat Cragon, & Lymiren, & aquas Xanthi, & montem, quo Chimæra habebat ignem in mediis partibus, pectus & vultum leænæ, & caudam draconis. Bybli, atque obmutescis, crinibus demissis in terrâ rigidâ; atque incumbis tuo ore super folia jacentia. Sæpe etiam nymphæ Lelegum terram incolentes nituntur erigere mollibus brachiis: sæpe hortantur ut minuat amorem, & præbent solatia animo ea non recipienti. Muta Byblis prostrata est, atque vellit virentia gramina suis unguibus, atque ea irrigat torrente lacrymarum. Dicunt Naïades bis subjecisse venam, quæ nunquam posset exsiccati. Quod enim majus dare poterant? Continuò, sicuti guttæ piceæ fluunt de cortice scisso, vel glutinosum bitumen ex terrâ tumidâ, vel aqua, quæ congelata est frigore, liquescit sole sub adventum Favonii leniter flantis, sic Byblis Phœbeia exhausta suis lachrymis mutatur in fontem, qui hodie etiam habet nomen dominæ in illis vallibus, atque fluit sub atrâ quercu.

XII. Fama recentis prodigii implevisset urbes Cretenses; nisi Creta nupèr tulisset monstra propiora Iphide transmutatâ. Num terra Phæstia vicina regno Gnossiaco

NOTÆ.

643. *Bubasides*] *Cariæ*; Bubasus enim Cariæ est regio, cujus etiam Plinius meminit.

644. *Lelegas*] Qui Cariæ populi bellicosissimi ex Græciâ illùc advecti.

Ib. *Lyciam*] Quæ provincia est minoris Asiæ, Cariæ adjacens, ad ortum sita.

645. *Cragon*] Qui Lyciæ mons est.

Ib. *Lymiren*] Lyciæ urbem juxta Cragon.

Ib. *Xanthi*] Qui fluvius est Lyciæ maximus.

649. *Chimæra*] Mons fuit Lyciæ ignivomus in cujus cacumine leones; in medio, ubi pascua, capræ; in radicibus serpentes frequentes erant; unde locus datus fabulæ.

656. *Venam*] In fontem mutata est.

657. *Quid enim*] Nimirum fiere volent maximum fuit beneficium ministrare lachrymas.

659. *Bitumen*] Limus videtur esse tenax quanquam sulphurei odoris, de quo prolixè Plinius lib. 35. cap. 15.

665. *Cretæas*] Unde Miletus excesserat.

668. *Gnossiaco*] Fuit Gnossus una ex centum præstantissimis Cretæ urbibus.

Ib. *Phæstia*] Phæstus, urbs quoque fuit Cretæ à Minoë ædificata.

Progenuit

Progenuit tellus, ignoto nomine Ligdum
Ingenuâ de plebe virum. Nec census in illo
Nobilitate suâ major: sed vita fidesque
Inculpata fuit. Gravidæ qui conjugis aures
Vocibus his movit; cùm jam prope partus adesset:
Quæ voveam duo sunt: minimo ut relevere labore;
Utque marem parias. Onerosior altera sors est;
Et vires Natura negat. Quod abominor, ergo
Edita fortè tuo fuerit si fœmina partu;
[Invitus mando: pietas ignoscе] necetur.
Dixerat: & lachrymis vultum lavêre profusis,
Tam qui mandabat, quam cui mandata dabantur.
Sed tamen usque suum vanis Telethusa maritum
Sollicitat precibus, ne spem sibi ponat in arcto.
Certa sua est Ligdo sententia. Jamque ferendo
Vix erat illa gravem maturo pondere ventrem,
Cùm medio noctis spatio sub imagine somni
Inachis ante torum, pompâ comitata suorum,
Aut stetit, aut visa est. Inerant lunaria fronti
Cornua, cum spicis nitido flaventibus auro,
Et regale decus; cum quâ latrator Anubis,
Sanctaque Bubastis, variusque coloribus Apis;
Quique premit vocem, digitoque silentia suadet;
Sistraque erant, nunquamque satis quæsitus Osiris,

progenuit olim Ligdum, e nomine ignobili, virum à plebe honestâ. Neque illi opes majores suâ stirpe; sed vita & fides fuit integra. Qui perculit aures uxoris gravidæ his verbis, cùm jam prope partus adesset: Duo sunt quæ votis poscam; ut parias minimo labore, & ut marem in lucem omittas. Sors altera est molestior, cui natura vim non concedit. Ergo, si forsitan fœmina (quod omen Dii avertant oro,) fuerit prodita tuo partu, (jubeo invitus: Pietas da veniam) morti tradatur. Dixerat, & tam qui jubebat quàm illi cui jussa dabantur, tinxerunt faciem lachrymis prorumpentibus. Sed tamen Telethusa usque pellicit maritum suum inutilibus precibus, ne sibi spem figat in angusto: Sua est sententia firma Ligdo. Jamque illa vix par *erat gestando gravidam alvum onere maturo, cùm medio noctis tempore Inachis stipata pompâ suorum aut stetit, aut visa est* consistere *ante lectum, Jub specie somni. Cornua lunaria erant affixa fronti cum spicis flaventibus puro auro, & bonos regius; cum quâ Anubius latrator, & sacra Bubastis, & Apis distinctus coloribus, & qui compescit vocem, & mandat silentia digito: Sistra insuper aderant, & Osiris nunquam satis quæsitus,*

NOTÆ.

675. *Altera sors*] Fœminea nempe.

686. *Inachis*] De Io Inachi filiâ vide Met. lib. 1. fab. x. quæ Isidis nomine apud Ægyptios pro Deâ culta est. Eam verò nonnulli Cererem, plerique Lunam, alii aliam fuisse scripserunt.

689. *Anubis*] Hunc semicanem Deum, Mercurium volunt fuisse, quem canino capite ideo ab Ægyptiis coli quidam scriptitârunt, quôd canibus ad Osiridis à Tryphone fratre interfecti corpus investigandum, Isis ejus conjux & soror usa fuerit. Quanquam alii Anubim, Osiridis filium volunt fuisse, patrem ad bella secutum, qui, cum galeam cane insignem gestaret, canino capite fingi meruerit.

690. *Bubastis*] Dianam esse scripsit Herodotus: quanquam pro ipsâ quoque Iside accipitur, ut ex Diodoro patet.

Ib. *Apis*] Osiris ipse esse à multis creditur, cujus sepulto cadavere, cùm præstanti specie Ægyptiis bos quidam apparuisset, illum Osirim rati pro Deo coluerunt & *Apim*, hoc est eorum linguâ *Bovem*, appellârunt. Epaphum Isidis filium facit Herodotus; cui cætera nigro, in fronte maculam albam formæ quadratæ, in tergo effigiem aquilæ, cantharum in palato, duplices in caudâ pilos tribuit. Aliter eum describit Plinius itemque Solinus; variusque à variis habitus, quem Bacchum, Plutonem, Ammonem, Solem, Jovem quoque fecerunt.

691. *Quique*] *Harpocrates* Deus taciturnitatis, quid digito ori admoto indicere videbatur, ne quis homines fuisse argueret, quos tam turpi idolatria venerabantur.

& anguis extranea turgida veneno soporifero. Cum Dea sic alloquuta est veluti experrectam, atque intuentem evidentia: ô Telethusa, pars mearum, omitte molestias solicitudines, atque elude jussa viri: neque cunctetur educere quicquid erit, cùm Lucina te absolverit à partu. Sum Dea opifera, atque auxilium præbeo propitia: neque indignaberis te honorâsse ingratam Deam. Monuit & excessit cubiculo. Cretensis læta exsurgit lecto, atque supplex porrigens innocentes manus ad astra, orat sua visa sint firma. Ut dolor auctus est, atque ipsum onus sese protudit in aërem, & puella nata est nescio parenti, genitrix imperavit tolli, mentita marem esse: atque res credita est: neque erat quisquam conscius facti nisi nutrix. Pater exsolvit vota, & dat nomen avitum. Iphis fuerat avus. Mater lætata est nomine, quod esset ambiguum, nec quemquam per illud deciperet. Mendacia incognita tegebantur pio dolo. Cultus erat matris, vultus quem

Plenaque somiferi serpens peregrina veneni.
Cùm velut excussam somno, & manifesta videntem
Sic affata Dea est; pars, ô Telethusa, mearum,
Pone graves curas; mandataque falle mariti.
Nec dubita, cùm te partu Lucina levârit,
Tollere quicquid erit. Dea sum auxiliaris, opemque
Exorata fero. Nec te coluisse quereris
Ingratum numen. Monuit, thalamoque recessit.
Læta toro surgit, purasque ad sidera supplex
Cressa manus tollens, rata sint sua visa precatur.
Ut dolor increvit, seque ipsum pondus in auras
Expulit, & nata est ignaro fœmina patri,
Jussit ali mater, puerum mentita: fidemque
Res habuit: neque erat facti nisi conscia nutrix.
Vota pater solvit, nomenque imponit avitum,
Iphis avus fuerat. Gavisa est nomine mater,
Quod commune foret, nec quenquam falleret illo.
Impercepta piâ mendacia fraude latebant.
Cultus erat pueri: facies, quam sive puellæ,
Sive dares puero, fieret formosus uterque.
Tertius interea decimo successerat annus:
Cùm pater, Iphi, tibi flavam despondet Ianthem:
Inter Phœstiadas quæ laudatissima formæ
Dote fuit virgo, Dictæo nata Teleste.
Par ætas, par forma fuit: primasque magistris
Accepêre artes elementa ætatis ab îsdem.
Hinc Amor ambarum tetigit rude pectus: & æquum

sive dares fœminæ, sive puero, uterque esset pulcher. Interea tertius annus supervenerat decimo, cùm parens despondet tibi flavum Ianthen, Iphi; quæ puella fuit dote formæ pulcherrima inter Phœstiadas, sata Teleste Dictæo. Anni pares, forma fuit æqualis, atque habuerunt ab iisdem magistris elementa artium quæ primæ ætati erant congrua. Hinc amor permulsit pectus utriusque & inussit

NOTÆ.

692. *Sistra*] Crepitacula erant ænea, quorum agitatione strepitum in sacris Isidis edebant.

Ib. *Nunquam*] A Triphonte fratre occisum Osirim jam suprâ diximus. Illum autem diu quæsivit Isis conjux, quem tandem canum sagacite usa invenit, & monumento intulit. Atque hinc apud Ægyptios sacerdotes ritus manavit, ut singulis sacris cum fletu amissum Osirim quæsituri prodirent, mox cum letitiâ tanquam recuperato Deo redirent: ut sic nunquam satis quæsitus esset.

693. *Serpens*] Micyllus crocodilum Ægypti indigenam suspicatur intelligendum: alii autem aspidem eidem regioni familiarem, cujus morsus letiferum somnum inducit.

698. *Quicquid erit*] Seu mas seu fœmina.

Ib. *Auxiliaris*] Talem verò prædicabant Isidem, quæ plurima bona in hominum genus contulerit, per somnos etiam multis opem tulerit.

703. *Dolor*] *Qui partum comitatur.*

Ib. *Pondus*] *Infans.*

709. *Commune*] Quod pariter masculis & fœminis imponi posset.

716. *Dictæo*] *Cretensi*; à Dicte Cretæ monte.

Vulnus

Vulnus utrique tulit: Sed erat fiducia dispar.
Conjugii pactæque expectat tempora tædæ,
Quamque virum putat esse, suum fore credit Iänthe.
Iphis amat, quâ posse frui desperat, & auget
Hoc ipsum flammas; ardetque in virgine virgo.
Vixque tenens lachrymas, Quis me manet exitus inquit,
Cognita quam nulli, quam prodigiosa novæque
Cura tenet Veneris? si Dî mihi parcere vellent,
[Perdere debuerant: si non & perdere vellent;]
Naturale malum saltem, & de more dedissent.
Nec vaccam vaccæ, nec equas amor urit equarum.
Urit oves aries; sequitur sua fœmina cervum.
Sic & aves coëunt, interque animalia cuncta
Fœmina fœmineâ correpta cupidine nulla est.
Vellem nulla forem. Ne non tamen omnia Crete
Monstra ferat, taurum dilexit filia Solis,
Fœmina nempe marem. Meus est furiosior illo,
Si verum profitemur, amor. Tamen illa secuta est
Spem Veneris: tamen illa dolis & imaginæ vaccæ
Passa bovem est; & erat, qui deciperetur, adulter.
Huc licèt, ê toto solertia confluat orbe,
Ipse licèt revolet ceratis Dædalus alis,
Quid faciet? num me puerum de virgine doctis
Artibus efficiet? num te mutabit, Iänthe?
Quin animum firmas, teque ipsa recolligis, Iphi;
Consiliique inopes & stultos excutis ignes?
Quid sis nata vide (nisi te quoque decipis ipsam:)
Et pete quod fas est; & ama, quod fœmina debes.
[Spes est quæ capiat, spes est quæ pascat amorem.]
Hanc tibi res adimit: non te custodia caro

eandem plagam ambabus. Sed spes erat dissimilis. Iänthe exspectat tempus connubii & facis promissæ, & credit Iphin *suum fore* maritum, *quam credit esse virum. Iphis amat quâ desperat posse potiri, atque hoc ipsum irritat ignem, & puella flagrat in puellâ. Atque ægrè compescens lachrymas, Quæ sors, inquit mihi futura est, quam cura inaudita Veneris, nulli cognita, & monstrosa tenet? Si Dii mihi vellent parcere; [debuerunt perdere; si non & vellent perdere:] dedissent saltem impetum naturalem, atque solitum. Neque amor vaccæ incendit vaccam, neque* amor *equarum* incendit *equas. Aries incendit oves; sua fœmina sequitur cervum. Aves etiam sic junguntur: atque inter omnia animalia nulla fœmina est tacta amore fœmineo. Optarem nulla essem. Ne tamen Creta non habeat monstra omnis generis, filia Solis amavit taurum; nempe fœmina marem. Amor meus est insanior illo, si verum agnoscimus. Tamen illa secuta est spem Veneris: tamen illa tulit taurum fraudibus, & specie vaccæ, & erat adulter qui deluderetur. Tametsi astutia huc concurrat ex toto mundo, quanquam ipse Dædalus revolet ceratis alis, quid agat? Num me doctis artibus præstet marem de puellâ? num te mutet Iänthe? Quin robores mentem, atque ipsa te recolligas, Iphi, atque abjicias amores insanos & expertes consilii? Adspice qualis sit nata, nisi etiam teipsam ludis; atque posce quod licitum est, & dilige puella quod debes. Spes est quæ concipiat, spes est quæ alat amorem. Res tibi hanc tollit; non custodia te prohibet*

NOTÆ.

720. *Dispar*] Quæ se viri partes tueri posse Iphis diffidebat; viro verò maturam se Ianthe sentiebat.

729. *Naturale malum*] Naturalem amorem; ut viri non virginis amore caperetur.

735. *Filia Solis*] *Pasiphaë*, Minoïs uxor, cujus fabulam libro superiore vidimus.

739. *Adulter*] Taurus nempe, quem ligneæ vaccæ, à Dædalo fabricatæ ope inclusâ Pasiphaë delusit.

741. *Dædalus*] Faber Athenienſis qui in labyrintho suo à Minoë conclusus, unà cum Icaro filio, alarum beneficio fugæ exercuit.

744. *Quin animum*] Stultam increpat Iphis & à vano amore revocat.

746. *Nisi te*] Non solùm alios, qui te masculum essem credunt.

759. *Hanc tibi*] Necessitas & sexûs qualitas hanc tibi eripit, quam uxorem ducere cupis.

Arcet

ab amplexo caro, neque sollicitudo callidi viri. Non parentis duritas, non ipsa se recusat oranti. Neque tamen est potiunda tibi, neque potes esse beata, tametsi omnia eveniunt, atque Dii & homines in id *incumbant. Nunc etiam nulla pars meorum desideriorum est inanis, & Dii mihi propitii indulserunt, quicquid potuerunt. Et quod ego* cupio, *pater cupit, ipsa cupit & socer futurus: at Natura fortior istis omnibus, quæ sola mihi obest, non patitur. Ecce tempus amabile appropinquat, & dies nuptiis dictus instat, ut Ianthe jam fiat mea. Neque tamen fiat mea; arcessemus in mediis aquis. Juno pronuba,* tuque *Hymenæe, cur acceditis ad hæc sacra; quibus abest qui ducat, ubi utraque caput obvelamus? Postea conticuit. Neque altera puella minùs uritur; & orat, ut velox accedas, Hymenæe. Telethusa metuens quod hæc poscit, nunc prorogat tempus, nunc nectit moras simulato morbo. Sæpe auguria & somnia causam* moræ *esse ait. Sed jam contriverat omnem causam simulationis: atque tempora protracta nuptiarum appropinquabant, & unus dies supererat: At illa sibi deripit vittam crinalem & capiti filiæ; & complexa altare, crinibus solutis; Isi, ait, quæ tenes Parætonium, & campos Mareoticos, & Pharon, & Nilum divisum in septem ostia, succurre, oro, atque solatium præbe nostro pavori. Vidi te olim, ô Dea, atque hæc tua signa, & agnovi omnia, & comites, & tædas, & strepitum sistrorum: atque observavi tua jussa mente attentâ.*

Arcet ab amplexu, nec cauti cura mariti.
Non patris asperitas, non se negat ipsa roganti.
Nec tamen est potiunda tibi: nec, ut omnia fiant,
Esse potes felix; ut Dîque, hominesque laborent.
Nunc quoque votorum pars nulla est vana meorum:
Dîque mihi facies, quicquid valuêre, dederunt.
Quodque ego, vult genitor, vult ipsa, socerq; futurus:
At non vult Natura, potentior omnibus istis;
Quæ mihi sola nocet. Venit ecce optabile tempus;
Luxque jugalis adest, ut jam mea fiat Ianthe.
Nec mihi continget. Mediis sitiemus in undis.
Pronuba quid Junò, quid ad hæc, Hymenæe, venitis
Sacra; quibus qui ducat abest, ubi nubimus ambæ?
Pressit ab his vocem. Nec leniùs altera virgo
Æstuat; utque celer venias, Hymenæe, precatur.
Quod petit hæc, Telethusa timens, modò tempora differt,
Nunc ficto languore moram trahit. Omina sæpe,
Visaque causatur. Sed jam consumserat omnem
Materiam ficti: dilataque tempora tædæ
Institerant: unusque dies restabat: at illa
Crinalem capiti vittam natæque sibique
Detrahit: & passis aram complexa capillis,
Isi, Parætonium, Mareoticaque arva, Pharonque
Quæ colis, & septem digestum in cornua Nilum,
Fer, precor, inquit, opem; nostroq; medere timori.
Te Dea, te quondam, tuaque hæc insignia vidi,
Cunctaque cognovi; comitesque, facesque, sonumq;
Sistrorum; memorique animo tua jussa notavi.

NOTÆ.

754. *Nulla est*] Sensus est, etiam nunc ea, quæcumque votis expetivi, mihi contingunt, & Dîi faciles dant quæcunque optavi; sc. ut Ianthem, & patrem illius, & item meum faventes habeam. *At non vult Natura*, &c.

761. *Pronuba*] Quæ nuptiis præsidebat, quæque cum Hymenæo invocabatur.

771. *Detrahit*] Luctus testificandi causâ.

772. *Parætonium*] Oppida, ubi potissimùm Isis colebatur, commemorat supplex Telethusa. Fuit autem Parætonium Ægypti urbs ampla, cum portu vastissimo.

Ib. *Mareotica*] Quæ Mareotidi lacui juxta Alexandriam proxima.

Ib. *Pharon*] Alexandriæ objectam insulam dicit, ubi celeberrima fuit turris illa & specula lucernis instructa, quarum beneficio nautæ portum ingressuri, iter suum noctu inter cautes & brevia dirigebant.

773. *Cornua*] Ostia. Nam Nilus septem ostiis mare influit. *Cornua* dicit, propter obliquum cursum fluvii.

775. *Hæc*] Quæ jam in aræ appositæ, supplex Telethusa intuebatur, olim per somnum viderat.

Quòd

Quòd videt hæc lucem, quòd non ego punior ipsa;
Concilium, monitumque tuum est: miserere duarum,
Auxilioque juva. Lachrymæ sunt verba secutæ.
Visa Dea est movisse suas, (& moverat) aras:
Et templi tremuêrè fores. Imitataque Lunam
Cornua fulserunt, crepuitque sonabile sistrum.
Non secura quidem, fausto tamen omine læta,
Mater abit templo. Sequitur comes Iphis euntem,
Quàm solita est, majore gradu: nec candor in ore
Permanet; & vires augentur; & acrior ipse est
Vultus: & incomptis brevior mensura capillis.
Plusque vigoris adest, habuit quàm fœmina. Jam quæ
Fœmina nupèr eras, puer es. Date munera templis:
Nec timidâ gaudete fide. Dant munera templis:
Addunt & titulum; titulus breve carmen habebat:
Dona puer solvit, quæ fœmina voverat, Iphis.
Postera lux radiis latum patefecerat orbem;
Cùm Venus, & Juno, sociosque Hymenæus ad ignes
Conveniunt; potiturque suâ puer Iphis Iänthe.

Quòd hæc fruitur luce, quòd ego ipsa non malè mulctor; est consilium & jussum tuum. Miserere duarum, atque tuere nos tuâ ope: lachrymæ comites fuerunt verborum. Dea visa est concussisse suum altare, (atque revera concusserat.) Atque valvæ templi tremuerunt, & cornua similia lunæ micuerunt, sistrum etiam tinnulum strepuit. Mater quidem non sine curâ, sed tamen hilaris felici præsagio, discedit à templo. Iphis comes sequitur discedentem passu majore quàm consuevit; neque albus color perstat in vultu, & vires crescunt, & facies est ferocior, & longitudo minor impexæ comæ. Atque plus nunc *habet vigoris, quàm habuit puella: jam quæ modò eras puella, es puer. Afferte dona templis, & lætamini non dubiâ fide. Afferunt dona templis: Adjiciunt quoque inscriptionem. Inscriptio habebat brevem versum, Iphis puer præbet munera quæ promiserat cùm fuit puella. Sol alter manifestum fecerat vastum mundum radiis; cùm Venus, & Juno, & Hymenæus coëunt ad amores conjugiales; & puer Iphis fruitur suâ Iänthe.*

NOTÆ.

778. *Quòd videt hæc lucem*] Quòd hæc vivit. Digito enim puellam offendit.

Ib. *Punior*] A marito; qui fœminei sexûs prolem tollendam prohibuerat.

782, 783. *Imitataque Lunam Cornua*] Ita suprà. V. 689. *Inerant lunaria fronti Cornua.* Colebatur Isis sub specie vaccæ, cujus cornicus ita forma lunam referret. Vide quæ ibi annotavimus.

783. Sistrum] *Dextra ferebat* (Sistrum) *æreum crepitaculum; cujus per angustam laminam, in modum Balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus reddebant argutum sonorem.* Apul. de Isíde, lib. 2. Metamorph.

786. *Majore*] Quia in marem mutata.

795. *Socios ignes*] Qui Diis illis conjugalibus, de more in aris, accendebantur.

P. Ovidii Nasonis METAMORPHOSEON LIBER X.

ARGUMENTUM.

His porrò nuptiis qui interfuerat Hymenæus, ad Orpheum inde se contulit! sed malo omine. Quandoquidem mox obiit Eurydice, & posteà secundò. Cùm quidem non aliter obstupuit Orpheus, quàm qui Cerbero conspecto saxeus est effectus. Posteà cùm in monte quodam varias transformationes lyrâ exprimeret, accurrerunt ad eum arbores omnes, & inter cæteras pinus ex Aty, & cupressus è Cyparisso mutata.

INTERPRETATIO. 1. *Hymenæus tectus veste flavâ, inde abit per vastum aërem, & petit regionem Ciconum; atque frustrà invocatur voce Orphei. Ille quidem adfuit; ast neque attulit voces solennes, neque lætum præsagium. Tæda etiam quam tractavit, crepitans fumo lachrymas ciente; & sicuti fuit, nullam flammam concepit concussione. Eventus tristior fuit quàm omen; nam dum nova nupta stipata cœtu Naïadum ambulat per gramina,*

INDE per immensum croceo velatus amictu
Aëra digreditur, Cyconumque Hymenæus ad oras
Tendit; & Orpheâ nequicquam voce vocatur:
Adfuit ille quidem; sed nec solennia verba,
Nec lætos vultus, nec felix attulit omen.
Fax quoque, quam tenuit, lachrymoso stridula fumo,
Utque fuit, nullos invenit motibus ignes.
Exitus auspicio gravior: nam nupta, per herbas,
Dum nova Naïadum turbâ comitata, vagatur,

NOTÆ.

1. *Croceo*] Qui concolor flammeo, quo nova nupta pudoris, & ominis boni gratiâ velatur.

2. *Ciconum*] Populi fuerunt Thraciæ ad Hebrum lacumque Bistonidem.

3. *Orpheâ*] Orphei, Apollinis ex Calliope Musâ filii, qui à patre lyrâ acceptâ mira, quæ deinceps videbimus, fecit.

Ib. *Nequicquam*] Quia infeliciter cesserunt nuptiæ.

4. *Solennia*] Quis faustitatis gratiæ ab Hymenæo proferrentur; qualia hæc essent, *faustæ felicesque sint hæ nuptiæ*, &c.

6. *Fax quoque*] Quinque faces ante novam nuptam preferri solebant. Vid. Alex. ab. Alex. 1. 2. c. 5.

Ib. *Lachrymoso*] Qui Orpheo præsertim lachrymas excuteret.

7. *Nullos*] Concussionem non sequebatur flamma. *Pineam quale tædam.* Catull.

Occidit,

Occidit, in talum ſerpentis dente recepto.
Quam ſatis ad ſuperas poſtquam Rhodopeïus auras
Deflevit vates; ne non tentaret & umbras,
Ad Styga Tænariâ eſt auſus deſcendere portâ:
Perque leves populos ſimulacraq; functa ſepulchris
Perſephonen adiît, inamœnaque regna tenentem
Umbrarum Dominum; pulſiſque ad carmina nervis,
Sic ait: O poſiti ſub terrâ numina mundi,
In quem recidimus quicquid mortale creamur;
Si licet, & falſi poſitis ambagibus oris,
Vera loqui ſinitis; non huc, ut opaca viderem
Tartara, deſcendi; nec utì villoſa colubris
Terna Meduſæi vincirem guttura monſtri.
Cauſa viæ conjux: in quam calcata venenum
Vipera diffudit; creſcenteſque abſtulit annos.
Poſſe pati volui; nec me tentâſſe negabo.
Vicit amor. Superâ Deus hic bene notus in orâ eſt:
An ſit & hîc, dubito; ſed & hîc tamen auguror eſſe:
Famaque ſi veteris non eſt mentita rapinæ,
Vos quoque junxit amor. Per ego hæc loca plena timoris;
Per Chaos hoc ingens, vaſtique ſilentia regni,
Eurydices oro properata retexite fila.
Omnia debemur vobis; paulùmque morati,
Seriùs aut citiùs ſedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes. Hæc eſt domus ultima; voſq;
Humani generis longiſſima regna tenetis.
Hæc quoque, cùm juſtos matura peregerit annos,
Juris erit veſtri. Pro munere poſcimus uſum.

interîit, dente anguis illiſo in talum. Quam ubi vates Rhodopëius ſatis deploravit in regione ſuprà, ne non exploraret etiam Manes, auſus eſt deſcendere ad Stygem per portam Tænariam. Atque acceſſit ad Proſerpinam, & regem umbrarum, habentem imperia triſtia per exiles populos, & imagines potitas tumulis; atque chordis tactis ad verſus, ſic inquit; O Dîi mundi ſiti ſub terrâ, in quem recidimus, quicquid producimur morti obnoxium, ſi conceditur, & patimini dicere vera, omiſſis anfractibus fictì oris, non huc deſcendi ut cernerem atra Tartara, neque ut conſtringerem tres fauces monſtri Meduſæi hiſpidas anguibus. Uxor eſt cauſa itineris, in quam vipera preſſa ſparſit venenum, atque rapuit annos venientes. Cupivi poſſe ſufferre, neque diffitebor me conatum eſſe: Amor fuit valentior. Hic Deus eſt bene notus in regionibus ſuperis: neſcio an ſit etiam hîc, ſed conjicio tamen etiam hîc eſſe. Et ſi fama antiqui raptûs non eſt falſa, Amor etiam vos ſociavit. Ego oro per loca plena pavoris, per hoc vaſtum Chaos & ſilentium ampli imperii, revolvite fila accelerata Eurydices. Cuncta ad vos venire neceſſe eſt; & paululùm morati feſtinamus tardiùs aut maturiùs ad unam hanc *domum. Omnes huc collimamus; hæ ſunt ſedes noviſſimæ, voſque habetis imperia generis humani max me diuturna. Hæc etiam, cùm matura abſolverit annos debitos, erit ſub veſtrâ ditione: petimus uſum* Eurydices *pro beneficio.*

NOTÆ.

11. *Rhodopeïus*] Orpheus Thracius; nam Thraciæ mons eſt Rhodope altiſſimus.

13. *Styga*] Quæ inferorum palus, pro inferis ipſis poſita

Ib. *Tænariâ*] A Tænaro littore, de quo ſic Probus, in 4 Georg. Tænaros eſt Laconiæ littus, in quo eſt ſpecus, per quem Hercules exiſtimatur ad inferos deſcendiſſe, & Orpheus.

14. *Leves*] Umbras, ſeu manes corporibus carentes.

15. *Perſephonen*] *Proſerpina* eſt, inferorum regina. Ditis ſeu Plutonis conjux.

16. *Umbrarum Dominum*] *Plutonem.*

22. *Meduſæi*] Cerberum dicit inferorum canem tricipitem, anguibus villorum loco horridum, Echidnæ ex Typhaone progeniem, à Meduſæ ſanguine ortum.

24. *Creſcentes*] Significat Eurydicen in juventutis flore è vitâ exceſſiſſe.

28. *Rapinæ*] Suprà, lib. 5. v. 386. Proſerpinam vidimus a Plutone raptam.

32. *Morati*] Heinſius cenſet ſcribendum *morata*; qui ab initio verſûs dixit. *Omnia debemur*; & paulò antè, *quicquid mortale creamur.*

36. *Juſtos*] Hominum opinione *injuſti* ſunt anni eorum, qui citiùs de vitâ demigrant diuturque ante diem rapi ſeu emori.

Quod

Quòd si fata negant veniam pro conjuge, certum est
Nolle redire mihi. Leto gaudete duorum.
Talia dicentem, nervosque ad verba moventem,
Exsangues flebant animæ. Nec Tantalus undam
Captavit refugam; stupuitque Ixionis orbis;
Nec carpsêre jecur volucres; urnisque vacàrunt
Belides; inque tùo sedisti, Sisyphe, saxo.
Tum primùm lachrymis victarum carmine fama est
Eumenidum maduisse genas; nec regia conjux
Sustinet oranti, nec qui regit ima, negare;
Eurydicenque vocant. Umbras erat illa recentes
Inter; & incessit passu de vulnere tardo.
Hanc simul, & legem Rhodopeïus accipit heros,
Ne flectat retro sua lumina, donec Avernas
Exiêrat valles; aut irrita dona futura.
Carpitur acclivus per muta silentia trames,
Arduus, obscurus, caligine densus opacâ.
Nec procul abfuerant telluris margine summæ.
Hic, ne deficeret, metuens, avidusque videndi,
Flexit amans oculos; & protinus illa relapsa est.
Brachiaq; intendens, prêndique & prêndere certans,
Nîl nisi cedentes infelix arripit auras.
Jamque iterum moriens non est de conjuge quicquam
Questa suo: quid enim sese quereretur amatam?
Supremumque Vale, quod jam vix auribus ille
Acciperet, dixit; revolutaque rursus eodem est.
Non aliter stupuit geminâ nece conjugis Orpheus,
Quàm tria qui timidus, medio portante catenas,

Quòd si fata recusant hoc *beneficium pro uxore* petitum, *constitui non reverti: fruimini mortem duorum. Animæ pallidæ lugebant talia proferentem, & pulsantem* citharæ *chordas inter dicendum. Neque Tantalus captavit aquam effluentem, & rota Ixionis constitit. Neque aves laniárunt jecur* Titii, *& Belides abstinuerunt urnis; & tu Sisyphe requievisti super tuâ silice. Tum primùm aiunt vultus furiarum delinitarum versibus, irrigatos fuisse lacrymis: neque uxor regia, neque qui imperat inferis, potest repellere precantem; & arcessunt Eurydicen. Illa erat inter novas Umbras, atque accessit gressu lento propter* recentem *plagam. Heros Rhodopeïus simul recipit hanc, & legem, ne retrorsùm ferat suos oculos, donec egressus sit ex vallibus Avernis vel munera fore inania. Collis acclivis, arduus, caliginosus, plenus densis tenebris, calcatur per tacita silentia. Neque longè distabant ab extremitate supremæ terræ. Tum timens* Orpheus *ne illa deesset, atque cupidus videndi, retorsit oculos, & continuo illa revoluta est: atque porrigens brachia, & nitens corripere atque corripi, miser nihil capit nisi mobilem aërem. Jamque iterum fato fungens, nihil quicquam est questa de suo marito: quamobrem enim quereretur sese dilectam? atque dixit ultimum Vale, quod jam vix ille apprehenderet auribus: rursumque ad eundem, in quo jam fuit, locum relapsa est. Orpheus non aliter attonitus est duplici morte uxores, quàm qui pavidus intuitus est canem tria colla habentem, quorum medium catenis*

NOTÆ.

41. *Flebant*] Vide Virgil. Georg. 4. *Quin ipsæ stupuêre domus*, &c. Ubi elegantissimè describitur Orphei descensus ad inferos, & quomodo manes musica demulserit.

Ib. *Tantalus*] Vide lib. 4. v. 457.

42. *Ixionis*] De eo suprâ Metam. 4. v. 46.

43. *Volucres*] Quæ Titii jecur exedunt; de quo etiam Metam. 4. v. 456.

44. *Belides*] Vide iterum Met. 4. v. 462.

Ib. *Sisyphe*] Metam. 4. v. 459.

46. *Eumenidum*] Met. 4. v. 451.

Ib. *Regia conjux*] Proserpina Plutonis uxor.

51. *Avernas*] Fuit avernus lacus Campaniæ, quem Plutoni vetustas fabulosa, propter sulphureas quas emittit exhalationes, dicatum credidit.

65. *Qui timidus*] Vir quidam fuit, qui cùm metu Herculis in speluncam sese rece-

Colla

Colla canis vidit: quem non pavor antè reliquit,
Quàm natura prior, saxo per corpus oborto:
Quique in se crimen traxit, voluitque videri
Olenos esse nocens: tuque, ô confisa figuræ,
Infelix Lethæa, tuæ; junctissima quondam
Pectora, nunc lapides, quos humida sustinet Ide.
Orantem, frustràque iterum transire volentem,
Portitor arcuerat. Septem tamen ille diebus
Squallidus in ripâ Cereris sine munere sedit.
Cura, dolorque animi, lachrymæque alimenta fuêre.
Esse Deos Erebi crudeles questus, in altam
Se recipit Rhodopen, pulsumque Aquilonibus Hæmon.
Tertius æquoreïs inclusum Piscibus annum
Finiêrat Titan; omnemque refugerat Orpheus
Fœmineam Venerem; seu quòd malè cesserat illi;
Sive fidem dederat. Multas tamen ardor habebat
Jungere se vati, multæ doluêre repulsæ.
Ille etiam Thracûm populis fuit auctor, amorem
In teneros transferre mares; citraque juventam
Ætatis breve ver, & primos carpere flores.

II. Collis erat, collemque super planissima campi
Area; quam viridem faciebant graminis herbæ.
Umbra loco deerat. Quâ postquam parte resedit
Dîs genitus vates, & fila sonantia movit;

est ligatum; quem timor non priùs omisit, quàm natura prior, silice per membra exortâ: vel Olenus, qui in se derivavit culpam, & voluit videri reus: tuque, ô misera Lethæa, confisa formæ tuæ; olim junctissima pectora, nunc saxa, quæ Ide aquosa sustinet. Portitor prohibuerat precantem, & frustrà denuo transire nitentem. Ille tamen sedit septem diebus ad ripam, sordidus, sine pane. Sollicitudo & mœror animi, atque lachrymæ fuerant illi in escam. Postquam questus esset Deos inferorum esse sævos, se recipit in excelsam Rhodopen & Hæmon agitatum Boreâ. Sol tertio absolverat annum comprehensum piscibus æquoreis; & Orpheus sibi temperaverat ab omni fœmineâ Venere, sive quòd male illi verterat, sive quod fidem obstrinxerat. Multæ tamen maximoopere cupiebant copulari cum vâte, multæ ab illo neglectæ agrè illud passæ sunt, & deripere primos flores

Ille etiam suasit Thracibus populis amorem transmittere in molles pueros, & citra juventutem, & breve ver ætatis.

II. *Mons erat, & super montem spatium campi planissimum, quod graminibus virescebat. Umbra ibi erat nulla; ubi postquam Dîs ortus vates concedit, & pulsavit nervos sonoros*

NOTÆ.

pisset, unde capite inclinato prospiceret, viso Cerbero, quem ille trahebat, diriguit. De hoc proverbium extat δειλότερος παρακυπτοντος. Vide Suidam.

65. *Medio*] Cerberi collo.

68. *Quique*] Olenus est Lethææ conjux; Uxoris crimen, quæ se pulchritudine Deabus præponere ausa fuerat, non veritus suum facere; unà cum illâ in lapidem versus est.

69. *Confisa*] Turneb. lib. 1. c. 23. legit *Tuque ô confixa figuræ* atque interpretatur. Tu, ô Lethæa, cum figurâ tuâ in lapidem obriguisti.

71. *Ide*] Mons Phrygiæ plurimis fontibus scatens.

73. *Portitor*] *Charon* inferorum portui præest.

74. *Ripâ*] Stygis.

76. *Erebi*] Ex Chao & Caligine progenitus fuit hic Lethipater, qui sæpissime pro ipsâ inferorum sede à poëtis sumitur.

77. *Hæmon*] Mons Thraciæ. Boreæ maximè obnoxius.

78. *Inclusum piscibus*] Piscibus terminatum. Nam pisces zodiaci ultimum sunt signum, annumque terminant. Significat igitur tres annos transisse à morte Euridices.

Ib. *Æquoreis*] Ita veteres. Scribe nihilominus *æthereis*; de signo enim cœlesti hîc agitur. *Heins.*

82. *Fidem dederat*] Sive, inquit poëta, infelicis conjugii dolore; sive quòd ita uxori pollicitus esset, nullam fœminam mortuâ Euridice Orpheus attŭgerat.

89. *Dîs genitus*] Apolline scilicet & musâ Calliope, ut plurimis placet.

Umbra

umbra adfuit loco. Non arbor Chaonia defuit, non silva Heliadum, non esculus excelsis foliis, nec tiliæ molles, nec fagus, & casta laurus, & coryli fragiles, & fraxinus idonea jaculis, & abies enodis, & ilex sinuata glandibus, & platanus genialis, & acer discolor, & simul salices juxta fluvios, et lotos juxta aquas florens, & buxus semper virens, & exiles myricæ, & myrtus bicolor, & tinus cærulea baccis. Vos etiam hederæ flexipedes adfuistis, & unà vites pampineæ, & ulmi maritatæ vitibus, & orni, & piceæ, & arbutus onusta pomo rubenti, & palmæ flexiles præmia victoris, & pinus succincta comâ atque bisfidâ in fastigio, placens matri Deorum. Siquidem Attis Cybeleïus spoliatus hominis figurâ, in hanc mutatus erat, & diriguit illo stipite.

III. *Cupressus speciem exhibens pyramidum,*

Umbra loco venit. Non Chaonis abfuit arbos,
Non nemus Heliadum, non frondibus esculus altis,
Nec tiliæ molles, nec fagus, & innuba laurus,
Et coryli fragiles, & fraxinus utilis hastis,
Enodisque abies, curvataque glandibus ilex,
Et platanus genialis, acerque coloribus impar,
Amnicolæque simul salices, & aquatica lotos,
Perpetuòque virens buxus, tenuesque myricæ,
Et bicolor myrtus, & baccis cærula tinus:
Vos quoque flexipedes hederæ venistis, & unà
Pampineæ vites, & amictæ vitibus ulmi:
Ornique, & piceæ, pomoque onerata rubenti
Arbutus, & lentæ victoris præmia palmæ:
Et succincta comas, hirsutaque vertice pinus;
Grata Deûm matri. Siquidem Cybeleïus Attis
Exuit hâc hominem, truncoque induruit illo.
III. Adfuit huic turbæ metas imitata cupressus,

NOTÆ.

90. *Umbra*] Quia arbores, cantûs dulcedine illectæ illuc confluxerunt.

Ib. *Chaonis*] *Quercum* dicit, cujus generis arboribus Chaonia Epiri provincia, in quâ etiam vocalibus quercubus celeberrima silva Dodonæa, imprimis abundat, à Chaone fratre Heleni dicta.

91. *Nemus Heliadum*] *Populos* dicit, in quas Heliades seu Solis filias Phaetontis sorores mutatas fuisse supr. lib. 2. vidimus.

Ib. *Esculus*] Arbor est glandifera, Jovi sacra, cujus glandibus, nondum inventis frugibus, primi mortales pro escâ utebantur.

92. *Innuba*] Quia Daphne, quæ in laurum mutata est, nunquam Apollinis amoribus aurem præbere voluit.

95. *Genialis*] Genio & voluptati dicata. Virg. 4. Georg. *Ministrantem platanum potantibus umbram.*

Ib. *Coloribus impar*] *Acer* arbor est variis coloribus distincta, unde *acernæ* mensæ post citreas in pretio apud priscos fuerunt.

96. *Lotos*] Arbor est Africæ familiaris fructum ferens adeò gratum, ut hospitibus patriæ oblivionem inducere dicatur.

98. *Myrtus*] Arbuscula est Veneri dicata, cujus altera parte folia paulò ad nigritiem vergunt.

Ib. *Tinus*] Laurus est silvestris, cæruleâ baccâ, ut refert Plinius.

99. *Flexipedes*] Hedera verò, quæ Baccho sacra, nodosis, & errabundis flagellis, tanquam flexis & curvis pedibus serpit.

100. *Amictæ*] Quia vites ulmis fulcire consueverant.

101. *Orni*] Eo nomine montanæ arbores quælibet intelliguntur, in specie tamen fraxinus sylvestris.

102. *Lentæ*] Flexiles equidem palmæ rami, attamen oneri cedere nescii: unde & victoribus, honoris causâ, tribuebantur.

103. *Succincta*] Quia in vertice tantùm frondes pinus emittit.

104. *Deûm matri*] Quæ Cybele est, seu Rhea, plurimis itemque aliis nominibus insignita.

Ib. *Attis*] Qui puer Cybele adamatus, facrisque suis eâ lege præpositus, ut castitatem servaret, cum in Sagarithide Nymphâ peccâsset, in furorem versus sese exsecuit. Sibi insuper manus violentas parabat; verùm Deæ miseratione in pinum mutatus. Vide Cap. *Super alta vectus Attys*, &c.

106. *Metas*] Ejusmodi etiamnum hodie pyramidatâ formâ in hortis conspicimus.

Nunc

Nunc arbor, puer antè Deo dilectus ab illo,
Qui citharam nervis, & nervis temperat arcus.
Namque sacer Nymphis Carthæa tenentibus arva
Ingens cervus erat: latèque patentibus altas
Ipse suo capiti præbebat cornibus umbras:
Cornua fulgebant auro: demissaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.
Bulla super frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur: parilique ex ære nitebant
Auribus in geminis circum cava tempora baccæ.
Isque metu vacuus, naturalique pavore
Deposito, celebrare domos, mulcendaque colla
Quamlibet ignotis manibus præbere solebat.
Sed tamen ante alios, Ceæ pulcherrime gentis,
Gratus erat, Cypariſſe, tibi. Tu pabula cervum
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undam:
Tu modò texebas varios per cornua flores:
Nunc, eques in tergo resîdens, huc latus & illùc
Mollia purpureis frænabas ora capistris.
Æstus erat, mediusque dies, solisque vapore
Concava littorei fervebant brachia Cancri.
Fessus in herbosâ posuit sua corpora terrâ
Cervus, & arboreâ ducebat frigus ab umbrâ.
Hunc puer imprudens jaculo Cypariſſus acuto
Fixit: &, ut sævo morientem vulnere vidit,
Velle mori statuit. Quæ non solatia Phœbus
Dixit? & ut leviter, pro materiâque doleret,
Admonuit. Gemit ille tamen: munusque supremum,
Hoc petit à Superis, ut tempore lugeat omni.
Jamque, per immensos egesto sanguine fletus,
In viridem verti cœperunt membra colorem,

nunc arbor, priùs puer amatus ab illo Deo, qui aptat citharæ nervos, & aptat arcui nervos, fuit ex eo numero. Namque vastus cervus erat dicatus Nymphis tenentibus agros Carthæos; atque ipse præstabat excelsas umbras suo capiti vastis cornibus. Cornua radiabant auro, atque torques gemmati pendebant ex collo tereti defluentes in armos: Bacca argentea alligata fronti tenuibus loris agitabatur: atque bullæ ex eodem ære fulgebant in ambabus auribus circum depressa tempora. Atque is expers timoris, & omisso naturali metu, consueverat colere domus, & exhibere collum palpandum, etiam manibus ignotis. Sed tamen tibi placebat præ cæteris, Cypariſſe formosissime ex natione Ceâ. Tu agebas cervum ad intacta pabula, & ad aquas puri fontis. Tu modò intexebas varios flores cornibus: modò eques sedens in dorso, huc & illùc vectus fræna adhibebas ori facili capistris purpureis. Calor erat intensus, & dies medius atque brachia sinuosa Cancri littorei æstuabant. Cervus lassus demisit corpus suum in terram gramineam: & captabat frigus ab umbrâ arboreâ. Puer Cypariſſus nescius hunc transfixit telo acuto; atque ut vidit obeuntem crudeli plagâ, decrevit velle obire. Quam consolationem Apollo non insinuavit? & portatus est ut parcè lugeret, & prout tam levis causa poscit. Tamen suspirat, & posuit hoc ultimum donum a Diis, ut semper fleat. Jamque sanguine exhausto per immoderatas lachrymas, artus cœperunt mutari in viridem colorem:

NOTÆ.

107. *Nunc arbor*] Fuit Cypariſſus puer formosissimus, Apollini gratus, qui cervum quem in deliciis habebat cùm imprudens occidisset, tanto est affectus dolore, ut mori omnino vellet; quamobrem in cupressum ab Apolline mutatus.

109. *Carthæa*] Id est, quæ ad Carthæam urbem spectarent. Fuit autem Carthæa una ex quatuor Ceæ insula urbibus, Cypariſſi patria.

116. *Baccæ*] Margaritæ uniones.

120. *Ceæ*] Quæ Cycladum est una in mari Ægæo.

127. *Cancri*] Syderis cœlestis, quod postquam sol est ingressus, excitantur æstus vehementissimi.

133. *Pro materiâ*] Cervo nimirum, cui non absimilem reperire, cujus insuper amissi dolorem plurimis aliis rebus lenire posset.

& crines, qui modò pendebant ex fronte candidâ, mutari in comam biſpidam, atque duritie indutâ ferri verſus cœlum ſidereum tenui faſtigio. Deus mœſtus indoluit, atque, inquit, Deploraberis à nobis & deplorabis alios, & aderis lugentibus.

IV. *Poeta allexerat ejuſmodi ſilvam; & ſedebat medius in conſeſſu ferarum, & turbæ avium. Poſtquam ſatìs tentavit nervos percuſſòs pollice atque cognovit ſonos diverſos convenire, quanquam variè ſonarent, hoc carmen voce modulatus eſt. Muſa mater, fac initium noſtris verſibus ab Jove: omnia cedunt Jovis imperio. Jovis numen ſæpe cantatum eſt à me antehac. Cantavi plectro ſublimiori gigantas & fulmina victricia disjecta per campos Phlegræos. Nunc opus eſt lyrâ molliore; atque dicamus pueros amatos à Diis, atque puellas correptas amoribus nefandis meruiſſe pœnam libidine. Rex Deorum olim flagravit deſiderio Ganymedis Phrygii: atque aliquid eſt repertum, quod Jupiter mallet ſe eſſe, quàm id quod erat. In nullam tamen avem vult mutari, niſi quæ poſſit geſtare ſua fulmina. Nec mora, aëre acto ſimulatis* aquilæ *pennis aufert Iliaden: qui nunc etiam temperat pocula, atque offert nectar Jovi, nolente Junone.*

Et modò, qui niveâ pendebant fronte capilli,
Horrida cæſaries fieri: ſumtoque rigore
Sidereum gracili ſpectare cacumine cœlum.
Ingemuit, triſtiſque Deus, Lugebere nobis,
Lugebiſque alios, aderiſque dolentibus, inquit.
IV. Tale nemus vates attraxerat: inque ferarum
Concilio medius, turbæ volucrumque ſedebat.
Ut ſatìs impulſas tentavit pollice chordas;
Et ſenſit varios, quamvis diverſa ſonarent,
Concordare modos; hoc vocem carmine movit:
Ab Jove, Muſa parens (cedunt Jovis omnia regno,)
Carmina noſtra move. Jovis eſt mihi ſæpe poteſtas
Dicta priùs. Cecini plectro graviore Gigantas,
Sparſaque Phlegræis victricia fulmina campis.
Nunc opus eſt leviore lyrâ: pueroſque canamus
Dilectos Superis: inconceſſiſque puellas
Ignibus attonitas meruiſſe libidine pœnam.
Rex Superûm Phrygii quondam Ganymedis amore
Arſit: & inventum eſt aliquid, quod Jupiter eſſe,
Quàm quod erat, mallet. Nullâ tamen alite verti
Dignatur; niſi quæ poſſit ſua fulmina ferre.
Nec mora: percuſſo mendacibus aëre pennis
Abripit Iliaden. Qui nunc quoque pocula miſcet,
Invitâque Jovi necta Junone miniſtrat.

NOTÆ.

142. *Lugebis*] **Hoc ex** Romanâ conſuetudine dictum eſt. Nam (ut Servius ſcribit) cupreſſi rami ante fores domûs, in quâ cadaver eſſet, ponebantur; ne quis per imprudentiam ingrediens pollueretur, unde illam inferis conſecratam, i. e. lacrymis & luctibus; vel quòd cæſa nunquam revireſcit. Plinius Diti ſacram cupreſſum ſcribit, eoque funebri ſigno ante domos poni ſolitam: eamque rogis adhiberi ſcribit. *Varro* propter graveni Uſtrinæ odorem; tetri ex cadavere odoris amovendi causâ. Plin. lib. 16. cap. 33.

148. *Parens*] Calliopen Muſam Orphei matrem fuiſſe ſupra diximus.

150. *Graviore*] Quali bella cantari decet.

Ib. *Gigantas*] Qui adverſus Deos bellum movere non ſunt veriti, ſicuti in primo vidimus.

151. *Phlegræis*] Quos alii in eâ Macedoniæ parte quæ *Pallene* poſtea dicta eſt, in peninſulâ, ad ſinum Thermaïcum; alii in Theſſaliâ, in Thraciâ, in Companiâ denique collocant, ubi forum Vulcani.

152. *Leviore*] Amoribus convenienti ſono molliore.

153. *Puellas*] Qualis fuit Myrrha.

155. *Ganymedis*] Qui Troïs Phrygiæ regis fuit filius.

158. *Quæ poſſit*] Aquila eſt, quæ in volucrum diviſione Jovi ceſſit, altiùs quam cæteræ aves volat, ſolem fixis oculis audet intueri, fulmine non tangitur; imò Jovi fulmina miniſtrâſſe dicitur cùm adverſus Titanas proficiſceretur, quæ denique in cœlum relata fulmen unguibus tenere fingitur; hinc Jovis armiger dicitur.

160. *Iliaden*] Ganymedem dicit Ili fratrem Ilio oriundum.

161. *Invitâ*] Tum propter filiam Heben à Jovis poculis, Ganymedis causâ remotam; tum propter amores.

V. Te

V. Te quoque, Amyclide, posuisset in æthere Phœbus,
Tristia si spatium ponendi fata dedissent.
Quà licet, æternus tamen es: quotiesque repellit
Ver hiemem, Piscique Aries succedit aquoso,
Tu toties oreris, viridique in cespite flores.
Te meus ante alios genitor dilexit, & orbis
In medio positi caruerunt præside Delphi,
Dum Deus Eurotan, immunitamque frequentat
Sparten; nec citharæ, nec sunt in honore sagittæ.
Immemor ipse sui non retia ferre recusat;
Non tenuisse canes; non per juga montis iniqui
Isse comes: longâque alit assuetudine flammas.
Jamque ferè medius Titan venientis & actæ
Noctis erat, spatioque pari distabat utrimque:
Corpora veste levant, & succo pinguis olivi
Splendescunt, latique ineunt certamina disci.
Quem priùs aërias libratum Phœbus in auras
Misit, & oppositas disjecit pondere nubes.
Recidit in solidam longo post tempore terram
Pondus: & exhibuit junctam cum viribus artem.
Protinus imprudens, actusque cupidine ludi,
Tollere Tænarides orbem properabat; at illum
Dura repercussum subjecit in aëra tellus
In vultus, Hyacinthe, tuos. Expalluit æquè,

V. *Apollo te etiam statuisset in cœlo, Amyclide, si fata tristia tempus indulsissent statuendi. Tamen immortalis es, quantùm licet; & quoties ver fugat hiemem; atque Aries subsequitur piscem aquosum, tu toties appares, & flores in viridi glebâ. Meus pater* Apollo *te amavit præ cæteris, & Delphi siti in medio orbe destituti sunt rectore, dum Deus celebrat Eurotan, & Spartam nullis muris cinctam; neque citharæ, neque sagittæ illi curæ sunt: Ipse suæ divinitatis oblitus non renuit portare plagas aut tenere canes, aut ire comes per cacumina montis asperi: atque fovet amorem longâ consuetudine. Jamque sol erat ferè medius noctis præteritæ & subsequentis, & distabat utrimque æquali intervallo. Tollunt amictum à corpore, & fulgent humore pinguis olei, atque veniunt in certamen vasti disci. Quem antè libratum Apollo jecit in aërem & discussit nubes objectas pondere. Pondus recidit in duram terram longo post tempore, & ostendit illius peritiam, simul & vires. Continuò temerarius Tænarides, impulsus desiderio ludi, festinabat tollere discum: at solida terra sursum jecit repercussum in aërem super faciem tuam, Hyacinthe. Ipse Deus æquè expalluit;*

NOTÆ.

162. *Amyclide*] Hyacinthus est Amyclæ, Amyclarum in Laconiâ conditoris, filius.

165. *Aries*] Qui sydus est in zodiaco, quod, relictis piscibus, postquam sol est ingressus, benigniùs radios suos ad nos transmittit, vernalemque tempestatem inchoat.

166. *Flores*] Quia in florem mutatus Hyacinthus.

168. *Medio*] Lutatius exponens illud Statii lib. 1. Thebaid. *Audiit & medius cœli Parnassius*, sic scribit; Bene *medius*; nam cùm Jupiter medium mundi locum velle tagnoscere, duas aquilas ab ortu & occasu dimisisse fertur, quæ volatu lassæ in Parnassi vertice quieverunt quem *Strabo* τον τῆς γῆς ὀμφαλὸν appellat; Vel quòd cataclysmi tempore, *Terræ fuerat discrimen & astris*, Lucan.

169. *Eurotan*] Qui fluvius est Laconiæ, Amyclas Hyacinthi patriam præterfluens.

Ib. *Immunitatem*] Quippe quam satis civium virtute custoditam Lacedæmonii diu arbitrati sunt.

170. *Citharæ & sagittæ*] Quæ sunt Apollinis insignia.

174. *Medius Titan*] Meridies erat.

177. *Disci*] Qui orbis fuit ex ferro, ære, lapide, ligno etiam; quem medium loro, amenti vice trajectum ita in sublime jaci oportebat, ut intra præscriptos fines decideret.

183. *Tænarides*] Hyacinthus Lacon, à Tænaro Laconiæ promontorio sic dictus.

184. *Dura*] Zephyrum Apollinis rivalem & sibi in amore prælati vehementer flantem divertisse discum in pueri caput, scribunt Palæphatus lib. 1. & Tzetzes 1. Chil. 11. & Lucianus in Dialogo Apollinis & Martis.

ac puer; & tollit membra collapsa: & modò te reficit: modò abstergit luctuosas plagas: modò retinet spiritum erumpentem medicinis adhibitis. Artes nullius sunt auxilia. Vulnus erat insanabile. Quem admodum si quis atterat violas; vel papaver in horto riguo, aut lilia juncta sub nigris caulibus; illa flaccida statim demittant caput grave, neque se sustineant, & capite demisso *respiciant terram; sic facies moribunda languet, & cervix destituta viribus ipsa est sibi oneri, & recidit in humerum. Cadis Oebalide, private primâ juventute, inquit Apollo, atque intueor tuam plagam,* quod est *meum crimen. Tu es dolor & flagitium meum: mea manus est, insimulanda de morte tuâ: ego sum tibi causa obitûs. Quod tamen est meum flagitium? nisi si potest dici flagitium luisse: nisi si etiam potest dici flagitium dilexisse. Atque utinam mihi concessum esset mori pro te, vel tecum! sed quoniam* nos Dii *prohibemur lege fatali* ne unquam moriamur, *semper eris mecum atque manebis in ore non oblivioso. Lyra tacta manu, versus nostri te laudabunt, & flos novus repræsentabis literis* in folio tuo *scriptis nostros gemitus. Tempus etiam erit, quo heros strenuissimus se adjiciat in hunc florem, & legatur eodem folio. Dum talia referuntur ore veridico Apollinis, ecce sanguis, qui sparsus per terram infecerat herbam, cessat esse sanguis, & flos splendidior purpurâ Tyriâ nascitur, atque induit formam similem ei, quam habent lilia; nisi color esset purpureus huic, niveus esset in illis.*

Ac puer, ipse Deus: collapsosque excipit artus:
Et modò te refovet, modò tristia vulnera siccat;
Nunc animam admotis fugientem sustinet herbis.
Nîl prosunt artes. Erat immedicabile vulnus,
Ut si quis violas, riguove papaver in horto,
Liliaque infringat, fulvis hærentia virgis;
Marcida demittant subitò caput illa gravatum;
Nec se sustineant; spectentque cacumine terram,
Sic vultus moriens jacet; & defecta vigore
Ipsa sibi est oneri cervix; humeroque recumbit.
Laberis, Oebalide, primâ fraudate juventâ,
Phœbus ait: videoque tuum, mea crimina, vulnus.
Tu dolor es, facinusque meum. Mea dextera leto
Inscribenda tuo est: Ego sum tibi funeris auctor.
Quæ mea culpa tamen? nisi si lusisse, vocari
Culpa potest: nisi culpa potest, & amâsse, vocari.
Atque utinam pro te vitam, tecumve liceret
Reddere! sed quoniam fatali lege tenemur;
Semper eris mecum, memorique hærebis in ore.
Te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt.
Flosque novus scripto gemitus imitabere nostros.
Tempus & illud erit, quo se fortissimus heros
Addat in hunc florem; folioque legatur eodem.
Talia dum vero memorantur Apollinis ore,
Ecce cruor, qui fusus humi signaverat herbam,
Desinit esse cruor: Tyrioque nitentior ostro
Flos oritur, formamque capit, quam lilia; si non
Purpureus color huic, argenteus esset in illis.

NOTÆ.

185. *Deus*] Apollo, qui mactatum puerum vidit.

196. *Oebalide*] Hyacinthum compellat, cui ab Oebalia Laconiæ urbe nomen illud.

199. *Inscribenda*] Ut mortis causa habeatur.

203. *Tenemur*] Dii enim cùm naturâ sunt immortales, nullâ ratione vitam possunt deponere.

206. *Flosque*] Videtur namque syllaba *ai*, seu interjectio gemitum significans in Hyacintho flore, quodammodo inscripta.

207. *Heros*] Ajax Telamonius; è cujus sanguine natus flos Hyacinthus, in cujus foliis prima syllaba, τὰ αἰαῖ; inscripta videtur, lib. 13. v. 396.

209. *Vero*] Quippe qui Delphis oracula tenebat.

211. *Tyrio*] Id est, pulcherrimo, cujusmodi à Tyro Phœniciæ urbe celeberrimâ olim petebatur.

Non

Non satis hoc Phœbo est: is enim fuit auctor honoris.
Ipse suos gemitus foliis inscribit; & ai, ai,
Flos habet inscriptum: funestaque littera ducta est.
Nec genuisse pudet Sparten Hyacinthon; honorque
Durat in hoc ævi: celebrandaque more priorum
Annua prælatâ redeunt Hyacinthia pompâ.
VI. At si fortè roges fœcundam Amathunta metalli,
An genuisse velit Propœtidas; abnuat æquè,
Atque illos, gemino quondam quibus aspera cornu
Frons erat; unde etiam nomen traxêre Cerastæ.
Ante fores horum stabat Jovis hospitis ara,
Lugubris sceleris: quam si quis sanguine tinctam
Advena vidisset, mactatos crederet illic
Lactentes vitulos, Amathusiacasve bidentes:
Hospes erat cæsus. Sacris offensa nefandis,
Ipsa suas urbes, Ophiusiaque arva parabat
Deserere alma Venus. Sed quid loca grata, quid urbes
Peccavêre meæ? quod crimen, dixit, in illis?
Exilio pœnam potiùs gens impia pendat,
Vel nece; vel si quid medium mortisque fugæque.
Idque quid esse potest, nisi versæ pœna figuræ?
Dum dubitat, quo mutet eos; ad cornua vultum
Flexit; & admonita est hæc illis posse relinqui:
Grandiaq; in toryos transformat membra juvencos.

Non satis est istud Apollini: namque is fuit causa honoris. Ipse inscribit suos gemitus foliis, & flos habet inscriptum ai, ai, & tristis litera exarata est. Neque Sparten pudet tulisse Hyacinthon; & gloria perstat usque ad hoc tempus: atque Hyacinthia annua, celebranda ritu veterum, recurrunt præcedente pompâ.

VI. At si fortè exquiras ab Amathunte metallis abundante, an cupiat produxisse Propœtidas, perinde neget ac negat *illos, quibus olim frons erat scabra duplici cornu, unde etiam nomen habuerunt Cerastæ. Altare Jovis hospitalis erat ante horum ostia, lugubre* causâ *sceleris; quod si quis peregrinus vidisset infectum cruore, arbitraretur vitulos lactentes, vel oves Amathusiacas illic cæsas: sed advena erat jugulatus. Ipsa alma Venus infensa sacris horrendis volebat destituere campos Ophiusios & suas urbes. Verùm, ait, quid loca dilecta, quid urbes meæ deliquerunt, quod vitium est in illis? Gens scelesta exsolvat potiùs pœnas exilio, vel morte, vel si quid medium est inter mortem & exilium. Atque id quid potest esse, nisi pœna mutatæ formæ? Dum incerta est, in quam figuram eos vertat, detorquet faciem ad cornua, atque admonita est hæc posse illis relinqui: & mutat vastos artus in truces juvencos.*

NOTÆ.

216. *Funesta*] Quâ in funeribus utuntur.

217. *Sparten*] Quod nomen non modò Hyacinthi patriæ seu urbi Spartæ, sed ejusdem aviæ Lacedæmonis uxori, ut Pausanias tradit.

219. *Hyacinthia*] In Hyacinthi honorem quotannis celebrata.

220. *Amathunta*] Cypri urbem.

223. *Cerastæ*] *Cerastis* dicta est olim insula Cyprus ob multa κέρατα seu promontoria: ex quo forte datus locus fabulæ. Quanquam alii ex incolarum feritate, vel etiam ex tumoribus quos illi in capite cornuum vice gerebant, tractum crediderunt.

224. *Jovis*] Qui hospitibus, quos in tutela habet, jura dare creditus: unde & Hospitalis dictus à Græcis Ξένιος.

225. *Lugubris sceleris*] Hæc mendosa esse dicit Heinsius, sed in tribus MSS. invenit, *lugubris sceleri*, i. e. ara lugens, seu luctum ferens propter scelus in ea commissum. Si legatur *sceleris* subaudi *causâ*, eodem prorsus sensu.

227. *Amathusiacas*] *Cyprias.* Nam Cyprus *Amathusia* etiam fuit appellata.

229. *Ophiusia*] Cypria. Cujus tamen nominis, Cypro competentis, neque mentio ulla apud geographos, neque ratio apud interpretes.

232. *Gens impia*] Cerastæ.

VII. *Tamen turpes Propœtides non sunt veritæ inficiari Venerem esse Deam: quamobrem ejus irâ dicuntur primæ prostituisse corpora cum pulchritudine. Postquam autem pudor ejectus est, & sanguis oris diriguit, mutatæ sunt in durum saxum levi differentiâ.*

VII. Sunt tamen obscœnæ Venerem Propœtides ausæ
Esse negare Deam: pro quo sua numinis irâ
Corpora cum formâ primæ vulgâsse feruntur,
Utque pudor cessit, sanguisque induruit oris,
In rigidum parvo silicem discrimine versæ.

VIII. *Quas quia Pygmalion ævum per crimen agentes viderat, offensus vitiis, quæ plurima menti fœmineæ natura dedit, sine conjuge cœlebs vivebat: thalamique diu consorte carebat. Interea niveum mirâ feliciter arte sculpit ebur: formamque dedit, quâ fœmina nasci nulla potest: operisque sui concepit amorem. Virginis est veræ facies: quam vivere credas: et, si non obstet reverentia, velle moveri: ars adeò latet arte suâ. Miratur, & haurit pectore Pygmalion simulati corporis ignes. Sæpe manus operi tentantes admovet, an sit corpus, an illud ebur: nec ebur tamen esse fatetur. Oscula dat, reddique putat; loquiturque, tenetque; et credit tactis digitos insidere membris: et metuit, pressos veniat ne livor in artus. Et modò blanditias adhibet: modò grata puellis munera fert illi conchas, teretesque lapillos, et parvas volucres, & flores mille colorum, liliaque, pictasque pilas, & ab arbore lapsas Heliadum lachrymas. Ornat quoque vestibus artus: dat digitis gemmas; dat longa monilia collo. Aure leves baccæ, redimicula pectore pendent. Cuncta decent; nec nuda minùs formosa videtur.*

VIII. Quas quia Pygmalion ævum per crimen agentes
Viderat, offensus vitiis, quæ plurima menti
Fœmineæ natura dedit, sine conjuge cœlebs
Vivebat: thalamique diu consorte carebat.
Interea niveum mirâ feliciter arte
Sculpit ebur: formamque dedit, quâ fœmina nasci
Nulla potest: operisque sui concepit amorem.
Virginis est veræ facies: quam vivere credas:
Et, si non obstet reverentia, velle moveri:
Ars adeò latet arte suâ. Miratur, & haurit
Pectore Pygmalion simulati corporis ignes.
Sæpe manus operi tentantes admovet, an sit
Corpus, an illud ebur: nec ebur tamen esse fatetur.
Oscula dat, reddique putat; loquiturque, tenetque;
Et credit tactis digitos insidere membris:
Et metuit, pressos veniat ne livor in artus.
Et modò blanditias adhibet: modò grata puellis
Munera fert illi conchas, teretesque lapillos,
Et parvas volucres, & flores mille colorum,
Liliaque, pictasque pilas, & ab arbore lapsas
Heliadum lachrymas. Ornat quoque vestibus artus:
Dat digitis gemmas; dat longa monilia collo.
Aure leves baccæ, redimicula pectore pendent.
Cuncta decent; nec nuda minùs formosa videtur.

accepta puellis, itemque aviculas, & flores diversorum colorum, & lilia, & pilas pictas, & guttas lapsas ab arbore Heliadum. Decorat quoque membra vestibus, inserit gemmas articulis, aptat amplos torques collo. Expolitæ margaritæ pendent ex auribus, redimicula ex pectore. Omnia sunt decori, neque minùs pulchra videtur nuda.

NOTÆ.

238. *Sunt tamen*] Quamvis Cerastas in juvencos converterit Venus, Propœtides tamen ausæ sunt eam negare Deam esse.

240. *Vulgâsse*] Fabulæ locum dedit Cypriarum puellarum turpitudo, quæ, ut Herodotus & Justinus referunt, corporis quæstu dotem comparare solitæ erant.

241. *Induruit*] Ut nihil erubescerent.

251. *Si non obstet*] Argute profecto, & ad hujus simulachri statuendam elegantiam apositè, quod non naturâ, sed pudore immotum facit.

253. *Simulati*] Ad virginis similitudinem sculpti.

263. *Heliadum*] Armillas & lineas ex electro seu succino stillante à populis, in quas Phaëthontis sorores versæ sunt.

Collocat

Collocat hanc ſtratis conchâ Sidonide tinctis;
Appellatque tori ſociam: acclinataque colla
Mollibus in plumis, tanquam ſenſura, reponit.
Feſta dies Veneri, totâ celeberrima Cypro,
Venerat; & pandis inductæ cornibus aurum
Conciderant ictæ niveâ cervice juvencæ;
Thuraque fumabant: cùm munere functus ad aras
Conſtitit, & timidè, Si, Dî, dare cuncta poteſtis;
Sit conjux opto, non auſus, eburnea virgo,
Dicere Pygmalion, ſimilis mea, dixit, eburneæ.
Senſit, ut ipſa ſuis aderat Venus aurea feſtis,
Vota quid illa velint; & amici numinis omen
Flamma ter accenſa eſt, apicemque per aëra duxit.
Ut rediît, ſimulachra ſuæ petit ille puellæ;
Incumbenſque toro dedit oſcula. Viſa tepere eſt.
Admovet os iterum; manibus quoque pectora tentat:
Tentatum molleſcit ebur, poſitoque rigore
Subſidit digitis, ceditque, ut Hymettia ſole
Cera remolleſcit, tractataque pollice multas
Flectitur in facies, ipſoque fit utilis uſu.
Dum ſtupet, & timidè gaudet, fallique veretur;
Rurſus amans, rurſuſque manu ſua vota retractat.
Corpus erat: ſaliunt tentatæ pollice venæ.
Tum verò Paphius pleniſſima concipit heros
Verba: quibus Veneri grates agat; oraque tandem
Ore ſuo non falſa premit; dataque oſcula virgo
Senſit, & erubuit; timidumque ad limina lumen
Attollens, pariter cum cœlo vidit amantem.
Conjugio, quod fecit, adeſt Dea. Jamque coactis
Cornibus in plenum novies lunaribus orbem,
Illa Paphon genuit; de quo tenet inſula nomen.

IX. Editus hâc ille eſt, Qui, ſi ſine prole fuiſſet,
Inter felices Cinyras potuiſſet haberi.
Dira canam. Procul hinc natæ, procul eſte parentes:

Hanc componit in ſtratis infectis conchâ Sidoniâ, & vocat conſortem lecti, atque collocat collum demiſſum in mollibus plumis, tanquam poſſit ſentire. Dies Veneri ſacra, celeberrima totâ Cypro aderat; & vaccæ candido collo habentes cornua curva circumdata auro, percuſſæ procubuerant: Et thura fumabant, cùm donis exhibitis; conſtitit Pygmalion ad altaria, atque pavidè. Si diû poteſtis omnia præbere, cupio ſit uxor, non auſus eſt dicere, puella eburnea, dixit ſimilis eburneæ. Cùm Venus ſplendida adeſſet ſuis ſacris, cognovit quid illa vota ſignificant; atque in præſagium benevoli numinis flamma ter emicuit, & impulit verticem per auras. Poſtquam ille rediît, adit effigiem ſuæ virginis, atque devolutus in lectum, obtulit ſuavia. Viſa eſt tepere. Denuo os admovet; explorat etiam pectus manibus: ebur manu tractatum molleſcit, atque omiſſâ duritie flectitur & cedit digitis, ſicut cera Hymettia remolleſcit ſole, atque facta pollice ducitur in multas figuras, & fit doctilis ipſo uſu. Dum hæret & cunctanter lætatur, & timet decipi; iterum amans, iterum manu tractat ſua deſideria. Statim evaſit corpus, vena exploratæ pollice micant. Tum vero heros Paphius excogitavit ornatiſſimas voces, quibus gratias agat Veneri; & denique tangit ora non jam ultra *facta ore ſuo: Atque puella ſenſit ſuavia oblata, & erubuit; & erigens oculos timidos verſus oſtium, eodem tempore ſpectavit amantem, quo* primùm ſpectavit *cœlum. Dea* Venus *adeſt connubio, quod* ipſa *paravit; atque illa, ornibus lunaribus jam novies coactis in plenum orbem, peperit Paphon, dequo inſula habet nomen.*

XI. *Ille eſt hôc genitus, qui, ſi fuiſſet ſine prole, Cinyras potuiſſet reputari inter beatos. Horrenda referam. Filiæ, hinc longè* ſtate, *longe eſte parentes:*

NOTÆ.

267. *Conchâ*] Purpurâ Sidoniâ, ſeu Tyriâ.

273. *Munere*] Sacrificio.

279. *Flamma*] Felicis utique ominis erat, ubi in ſacris & libaminibus crebriùs, & altiùs emicarent ignis ſcintilli & flammæ. 4 Georg. v. 385.

Ter flamma ad tecti ſummum, ſubjecta reluxit,
Omine quo firmans animum, &c.

284. *Hymettia*] Ab Hymetto Atticæ monte, optimi & laudatiſſimi mellis feraciſſimo, dicta cera *Hymettia.*

290. *Paphius*] Pygmalion, Cyprus per Prolepſim ita appellatur.

298. *Editus hoc*] Mycillas legit. *Editus ex illo eſt*, aut *editus hinc ille eſt*; ut Cinyras non Pygmalionis, ſed Paphi filius accipiatur.

Vel, si mei versus tangunt vestros animos, ne mihi credite in hâc parte, neque fidem habete facto: vel si fidem habeatis, credite etiam pœnam quæ secuta est factum. Si tamen natura patitur hoc videri patratum, gratulor populis Thracibus & nostris oris, gratulor huic terræ, quòd distat ab illis regionibus, quæ protulerunt tantum monstrum. Terra Panchaïa sit opulenta amomo, & producat Cinnama; & costum suam, & thura stillata ex ligno, & flores alios, modò producat etium Myrrham: Nova arbor non fuit tanti. Ipse amor diffitetur sua spicula tibi hoc amoris *vulnus dedisse, Myrrha, atque immunes præstat suas tædas ab isto scelere. Altera ex tribus sororibus tetigit te torre Stygio & viperis turgidis. Nefas est odio habere patrem: hic amor* patris *est majus flagitium, quàm si* patrem *oderis. Nobiles undique lecti te optant; atque juventus concurrit ad pugnam pro* tuo *thalamo ex toto oriente. Dispice unum tibi ex omnibus, Myrrha, modò ne sit pater unus inter omnes. Illa quidem cognoscit, atque restitit turpi amori; atque apud se, inquit, Quorsum abeo votis? quid coner! Dii, oro, atque Pietas, & jura sacra parentum, avertite hoc nefas. Verùm enim pietas dicitur minimè improbare hanc amorem: aliaque omnia animantia junguntur nullo discrimine: Neque videtur fœdum juvencæ sustinere patrem tergo, sua filia fit uxor equo; atque caper insilit in pecora quæ genuit; & volucris*

Aut, mea si vestras mulcebunt carmina mentes,
Desit in hâc mihi parte fides; nec credite factum:
Vel, si credetis, facti quoque credite pœnam.
Si tamen admissum sinit hoc natura videri,
Gentibus Ismariis, & nostro gratulor orbi,
Gratulor huic terræ, quòd abest regionibus illis,
Quæ tantum genuêre nefas. Sit dives amomo,
Cinnamaque, costumque suam, sudataque ligno
Thura ferat, floresque alios Panchaïa tellus,
Dum ferat & Myrrham. Tanti nova non fuit arbos.
Ipse negat nocuisse tibi sua tela Cupido,
Myrrha: facesque suas à crimine vindicat isto.
Stipite te Stygio tumidisque adflavit Echidnis
E tribus una soror. Scelus est odisse parentem:
Hic amor est odio majus scelus. Undique lecti
Te cupiunt proceres, totoque oriente juventus
Ad thalami certamen adest. Ex omnibus unum
Elige, Myrrha, tibi, dum ne sit in omnibus unus.
Illa quidem sentit; fœdoque repugnat amori:
Et secum, Quo mente feror? quid molior? inquit.
Dî precor, & Pietas, sacrataque jura parentum,
Hoc prohibete nefas: scelerique resistite tanto;
Si tamen hoc scelus est. Sed enim damnare negatur
Hanc Venerem pietas: coëuntque animalia nullo
Cætera delectu. Nec habetur turpe juvencæ
Ferre patrem tergo; fit equo sua filia conjux;
Quasque creavit, init pecudes, caper: ipsaque cujus

NOTÆ.

305. *Nostro orbi*] Thraciæ. Nam Orpheus Thrax fuit.

Ib. *Gentibus*] Thraciæ nostræ gelidæ, quæ non calet amore incesto.

306. *Abest*] Quantùm enim Thracia Orphei. qui hæc loquitur, patria à Cypro, Arabia deinde quò confugit Myrrha, distita est?

307. *Amomo*] Qui frutex exoticus laudatissimi odoris.

308. *Costum*] Frutex est etiam gratissimi odoris.

309. *Panchaïa*] Arabiæ est felicis pars felicissima, non procul à sinus Arabici ostio.

310. *Tanti*] Ut per nefandam libidinem in arborem Myrrha mutaretur.

313. *Stipite*] Face infernali.

Ib. *Echidnis*] Viperis, quibus furiæ caput præsertim habent horridum.

314. *Soror*] Tisiphone, Alecto, seu Megæra.

318. *Unus*] Pater.

Semine

Semine concepta est, ex illo concipit ales.
Felices, quibus ista licent! humana malignas
Cura dedit leges; & quod Natura remittit,
Invida jura negant. Gentes tamen esse feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Jungitur; & pietas geminato crescit amore.
Me miseram, quod non nasci mihi contigit illîc,
Fortunâque loci lædor! quid in ista revolvor?
Spes interdictæ discedite. Dignus amari
Ille, sed ut pater, est. Ergo si filia magni
Non essem Cinyræ; Cinyræ concumbere possem.
Nunc quia tam meus est, non est meus; ipsaq; damno
Est mihi proximitas. Aliena potentior essem.
Ire libet procul hinc, patriosque relinquere fines,
Dum scelus effugiam. Retinet malus error amantem;
Ut præsens spectem Cinyram, tangamq; loquarque,
Osculaque admoveam, si nîl conceditur ultrà.
Ultra autem sperare aliquid potes, impia virgo?
Nec, quot confundas & jura & nomina, sentis?
Tune eris & matris pellex, & adultera patris?
Tune soror gnati, genitrixque vocabere fratris?
Nec metues atro crinitas angue sorores,
Quas facibus sævis oculos atque ora petentes
Noxia corda vident? at tu, dum corpore non es
Passa, nefas animo ne concipe: neve potentis
Concubitu vetito Naturæ pollue fœdus.
Velle puta: res ipsa vetat. Pius ille, memorque
Juris. Et ô vellem similis furor esset in illo!
Dixerat: at Cinyras, quem copia digna procorum,
Quid faciat, dubitare facit, scitatur ab ipsâ,
Nominibus dictis, cujus velit esse mariti.
Illa silet primò; patriisque in vultibus hærens,
Æstuat: & tepido suffundit lumina rore.
Virginei Cinyras hæc credens esse timoris,
Flere vetat; siccatque genas; atque oscula jungit.

concipit ex illo, cujus semine creata est. Beati quibus ista sunt concessa! Solicitudo humana invexit leges perversas: & jura maligna prohibent quod natura concedit. Dicuntur tamen esse nationes, inter quas & mater rem habet cum filio, & filia cum patre, atque pietas augetur duplici amore. Me infelicem, quòd mihi non obvenit illic gigni, atque malè mihi est sorte loci! quamobrem ea cogito? Spes prohibitæ procul abite. Ille est dignus diligi, sed tanquam genitor. Adeoque nisi essem nata magni Cinyræ, possem jungi cum Cinyrâ. Nunc quia tam meus est pater, non potest esse meus maritus: atque ipsa propinquitas est mihi dispendio. Magìs valerem si essem aliena. Fert animus hinc longè discedere, atque deserere fines patrios, modo ut vitem nefas. Turpis amor retinet amantem, ut adstans videam Cinyram, & tangam, & colloquar, & adhibeam suavia, si nihil præterea permittitur. Potes autem sperare aliquid aliud, puella scelestâ? Neque sentis, quot perturbes jura & nomina? Tune eris & pellex genetricis, & adultera patris? Tune soror filii, atque diceris mater fratris? Neque reformidabis sorores comatas nigris serpentibus, quas pectora conscia vident irruentes in oculos, atque vultus tædis feralibus! At, tu, dum non admisisti scelus corpore, ne admitte animo; neve fœda jura naturæ invictæ coitu prohibito. Finge te cupere: rei ipsius turpitudo prohibet. Ille sanctus, & servantissimus æqui; & ô cuperem, par esset vesania in illo. Absolverat: & Cinyras, quem magnus numerus procorum cogit ambigere, quod agat, exquirat ab ipsâ, prolatis nominibus, cujus viri optet esse. Illa primò tacet, atque stupens in facie paternâ, ardet, & opplet oculos calidis lachrymis. Cinyras putans hæc esse signa metûs puellaris, jubet à lachrymis temperare, & abstergit genas, atque suavia dat.

NOTÆ.

331. *Gentes*] Hi sunt Troglodytæ Æthiopes qui & uxores habent communes, & brutorum more vivunt.

339. *Meus*] Pater nempe.

Ib. *Meus*] Conjux.

340. *Proximus*] Sanguinis & generis propinquitas.

349. *Sorores*] Furias, scelerum ultrices.

Myrrha

Myrrha effusa lætatur datis osculis atque interrogata qualem maritum cupiat habere; Tibi parem, ait. At ille probat verba non intellecta; atque, inquit. Esto semper tam pia. Puella sibi conscia flagitii, dejecit oculos in terram, ad prolatum nomen pietatis. Nox erat media; atque sopor optresserat sollicitudines & pectora hominum. *At puella Cinyrëia experrecta æstuat amore, quem vincere non poterat, & revolvit desideria insana. Et modò despondet animo, modò vult periculum facere, & pudet, & cupit; neque reperit quod incipiat. Atque ut alta pinus percussa bipenni, incerta est in quam partem ruat, cùm ictus ultimus supereſt; atque metuitur ab omni latere: Ità mens incerta, vario affectu emota, huc atque illùc vacillat, & impellitur utroque. Neque finis aut requies amoris invenitur, nisi obitus. Obitus placet: Exsurgit, atque parat gulam premere laqueo: & cingulo ad supremum postem alligato, Dilecte Cinyra, vale, inquit; atque scias te causam esse necis, atque accommodabat laqueum collo pallenti. Aiunt strepitum vocum permeâsse ad fideles aures nutricis custodientis fores alumnæ. Exilit anus, atque aperit januam, & intuens instrumenta necis decretæ, eodem tempore vociferatur, seque plangit, & vestes discerpit, atque frangit laqueos dereptos collo. Tum denique spatium fuit ejulandi, & amplectendi, atque petendi causam suspendii. Puella tanquam muta tacet, atque hærens spectat terram, & dolet conatus tardæ mortis à nutrice deprehensos esse. Urget vetula* ut revelet; *atque detegens capillos suos albos, & vacuas mammas, orat per incunabula & prima nutrimenta, ut sibi credat quicquid molestum est. Illa repellens orantem, suspirat. Nutrix obfirmata est scisciturì; neque modò promittere fidem sed etiam auxilium. Indica, ait, atque patere me tibi succurrere: Mea senectus non est iners.*

Myrrha datis nimiùm gaudet: consultaque qualem
Optet habere virum, Similem tibi dixit. At ille
Non intellectam vocem, collaudat; &, Esto
Tam pia semper, ait. Pietatis nomine dicto,
Demisit vultus, sceleris sibi conscia, virgo.
Noctis erat medium, curaque, & pectora somnus
Solverat. At virgo Cinyreïa pervigil igni
Carpitur indomito: furiosaque vota retractat.
Et modò desperat, modò vult tentare; pudetque;
Et cupit; &, quod agat, non invenit; utque securi
Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat,
Quò cadat, in dubio est; omnique à parte timetur;
Sic animus vario labefactus vulnere nutat
Huc levis, atque illùc; momentaque sumit utroque.
Nec modus aut requies, nisi mors, reperitur amoris.
Mors placet. Erigitur; laqueoque innectere fauces
Destinat; & zonâ summo de poste revincta,
Care, vale, Cinyra, causamque intellige mortis,
Dixit: & aptabat pallenti vincula collo.
Murmura verborum fidas nutricis ad aures
Perveniſſe ferunt, limen servantis alumnæ.
Surgit anus, reseratque fores: mortisque paratæ
Instrumenta videns, spatio conclamat eodem,
Seque ferit, scinditque sinus, ereptaque collo
Vincula dilaniat. Tum denique flere vacavit;
Tum dare complexus, laqueique requirere causam.
Muta silet virgo, terramque immota tuetur;
Et deprensa dolet tardæ conamina mortis.
Instat anus; canosque suos, & inania nudans
Ubera, per cunas alimentaque prima precatur,
Ut sibi committat, quicquid dolet. Illa rogantem
Adversata gemit. Certa ex exquirere nutrix;
Nec solam spondere fidem. Dic, inquit; opemque
Me sine ferre tibi. Non est mea pigra senectus.

NOTÆ.

365. *Non intellectam*] Non eo quidem sensu, quod dicebat Myrrha.

380. *Cinyra*] Amatoriè, nam patris nomen amanti invidiosum.

382. *Nutricis*] Nutricem hanc Liberalis 24, Fab. appellat Hippolyten.

385. *Instrumenta*] Zonam laquei vice summo de poste vinctam.

Seu

Seu furor est, habeo quæ carmine sanet, & herbis:
Sive aliquis nocuit, magico lustrabere ritu.
Sive est ira Deûm, sacris placabilis ira.
Quid rear ulteriùs? certè fortuna, domusque
Sospes, & in cursu est: vivunt genitrixque, paterque.
Myrrha, patre audito, suspiria duxit ab imo
Pectore. Nec nutrix etiamnum concipit ullum
Mente nefas; aliquemque tamen præsentit amorem.
Propositique tenax, quodcunque sit, orat, ut ipsi
Indicet; & gremio lachrymantem tollit anili;
Atque ita complectens infirmis colla lacertis,
Sensimus, inquit, amas; & in hoc mea (pone timorem)
Sedulitas erit apta tibi, nec sentiet unquam
Hoc pater. Exsiluit gremio furibunda, torumque
Ore premens, Discede, precor; miseroque pudori
Parce, ait. Instanti, discede, aut desine, dixit,
Quærere quid doleam: scelus est, quod scire laboras.
Horret anus: tremulasq; manus annisque, metuque
Tendit; & ante pedes supplex procumbit alumnæ.
Et modò blanditur; modò, si non conscia fiat,
Terret; & indicium laquei, cœptæque minatur
Mortis, & officium commisso spondet amori.
Extulit illa caput, lachrymisque implevit obortis
Pectora nutricis; conataque sæpe fateri,
Sæpe tenet vocem; pudibundaque vestibus ora
Texit: &, O dixit, felicem conjuge matrem!
Hactenus; & gemuit. Gelidos nutricis in artus,
Ossaque (sensit enim) penetrat tremor: albaque toto
Vertice canities rigidis stetit hirta capillis.
Multaque, ut excuteret diros, si posset, amores,
Addidit. At virgo scit se non falsa moneri;
Certa mori tamen est; si non potiatur amato.
Vive, ait hæc; potiere tuo, non ausa, parente,

Sive est amor, habeo medicinam, quæ carmine & graminibus tibi medeatur. Sive aliquis læserit te, purgaberis ritu magico. Sive est ira Deorum, ira est mollienda sacris. Quid amplius conjiciam? Certè fortuna & domus est integra, atque florens; pater & mater vivunt. Myrrha trahit genitus ab imo pectore, audito patre. Neque nutrix adhuc intelligit animo ullum scelus; nihilominus prævidet aliquem amorem: atque obfirmatâ mente precatur, ut sibi confiteatur quodcunque sit, atque tollit flentem sinu vetulo; & sic complectens collum debilibus brachiis, Advertimus, ait, amore correpta es; &, omitte metum: mea industria tibi erit utilis ad hanc rem. Neque parens unquam istud advertit. Vesana sese proripuit ex sinu, & urgens lectum facie, Quæso, inquit, egredere, & ignosce deflendo pudori. Eg edere, inquit, cum magis illa urgeret, aut omitte scisciari quamobrem mihi ægrè sit: quod cupis cognoscere, est nefas. Vetula exhorrescit, & tollit manus trementes ætate & timore; & supplex devolvitur ante pedes alumnæ. Et nunc blanditur, nunc metum injicit, nisi fiat conscia; & miratur indicium suspendii & necis tentatæ; atque pollicetur obsequium amori concredito. Illa erexit cervicem, & implevit gremium nutricis lachrymis prorumpentibus; & cùm sæpe tentâsset confiteri, sæpe oppressit vocem, & velavit vultus verecundos amictu; & ô inquit, beatam matrem marito! Hactenus; & suspiravit. Pavor currit per membra frigida, & per ossa nutricis, namque rem cognovit; & candida coma stetit attracta toto capite rigidis crinibus. Atque plurima subjecit, ut, si liceret, depelleret nefandos amores. At puella conscia est non falsa esse quæ nutrix monet; tamen constituit mori, nisi potiatur dilecto. Vive inquit hæc, potieris tuo, verita, dicere, patre;

NOTÆ.

401. *In cursu est*] *Fortuna domûs tuæ adhuc salva est, & manebit.* Locutio nostra perquam familiaris. Sic Pont. 4 Eleg. 11.

Dum dolor in cursu est, dum petit æger opem.

407. *Colla*] Al. *Natæ*. Alumnæ enim à nutricibus appellabantur *natæ*; & illæ contra ab alumnis *matres*. Et passim apud tragicos.

417. *Indicium laquei*] Minatur se indicaturam patri, quòd se suspendere voluerit Myrrha.

Dicere;

obmutuit, & confirmat promissa sacramento. Matres celebrabant solemnia illa sacra piæ Cereris, quibus indutæ corpus candido amictu, offerunt coronas spiceas primitias suarum frugum; atque recensent inter prohibita Venerem & tactus viriles per novem noctes. Cenchreïs regis uxor adest in solenni hoc cœtu, atque celebrat festa secreta. Dum igitur torus vacuus legitimâ conjuge, perversè officiosa nutrix nacta Cinyram vino oppressum, indicat illi veros filiæ amores nomine fictо alterius; & prædicat formam. Ætate puellæ ab eo petitâ, inquit similis est Myrrhæ. Quam postquam jussa est adducere, atque rediit domum; Lætare, ait, mea alumna: Vicimus. Misera puella non sentit gaudium per totum corpus, & pectus eminosum luget. Sed tamen etiam gaudet. Tanta est dissensio animi. Tempus erat quo omnia conticescunt, & Bootes verterat currum temone obliquo inter boves septentriones. Illa accedit ad flagitium suum. Luna aurea discedit ex cœlo: Nubes atræ condunt astra latitantia: nec caret luce suâ. Icare, jam primùm velas vultus: tuque, Erigone, ob tuum amorem patris morti devoto. Ter fuit repressa omne pedis lapsi: ter bubo feralis præsagio fuit cantu funereo. Nihilominus abit; & tenebræ atque nox caliginosa minuunt pudorem. Atque tenet manum nutricis suæ; altera tentat viam obscuram manûs agitatione. Jam tangit ostium cubiculi,

Dicere; conticuit, promissaque numine firmat.
Festa piæ Cereris celebrabant annua matres
Illa, quibus niveâ velatæ corpora veste
Primitias frugum dant spicea serta suarum:
Perque novem noctes Venerem tactusque viriles
In vetitis numerant. Turbâ Cenchreïs in illâ
Regis adest conjux; arcanaque sacra frequentat.
Ergo legitimâ vacuus dum conjuge lectus,
Nacta gravem vino Cinyram malè sedula nutrix,
Nomine mentito, veros exponit amores;
Et faciam laudat. Quæsitis virginis annis,
Par, ait, est Myrrhæ. Quam postquam adducere jussa est,
Utque domum rediit, Gaude mea, dixit, alumna:
Vicimus. Infelix non toto corpore sentit
Lætitiam virgo; præsagaque pectora mœrent.
Sed tamen & gaudet. Tanta est discordia mentis.
Tempus erat quo cuncta silent; interque Triones
Flexerat obliquo plaustrum temone Boötes.
Ad facinus venit illa suum. Fugit aurea cœlo
Luna: tegunt nigræ latitantia sidera nubes;
Nox caret igne suo. Primos tegis, Icare, vultus;
Erigoneque pio sacrata parentis amore.
Ter pedis offensi signo est revocata; ter omen
Funereus bubo letali carmine fecit.
It tamen; & tenebræ minuunt, noxq; atra pudorem.
Nutriciſque manum lævâ tenet; altera motu
Cæcum iter explorat. Thalami jam limina tangit;

NOTÆ.

432. *Illa*] Nam & alia fuerunt.

436. *Adest*] Heinsius vult *abest*; atque ita plerique omnes, & tunc *arcana* exponas *privata* sc. domi. Sed quia in Cereris sacris (quæ Græcis *Eleusinia* & *Thesmophoria*, Romanis *Cerealia* appellantur) tanta erat taciturnitas, ut quidpiam evulgare nefas duceretur, ideo noster ea vocat *arcana*, atque his Cenchreïs *adest*.

446. *Triones*] Redi ad lib. 2. v. 171.

447. *Boötes*] De eo etiam l. 2. v. 176. Mediæ autem noctis tempus hâc periphrasi indicatur.

448. *Fugit*] Quia, ne tantum Myrrhæ scelus videret, inter nubes sese occultavit.

450. *Icare*] Icarius ab aliis dicitur pater Erigones, qui à pastoribus occisus huic tam asperi doloris fuit causa, ut sibi laqueo mortem conscierit. Ille autem Jovis miseratione in cœlum translatus signum effecit quem Boöten appellamus, Erigone verò virginem. Nota autem quòd pios & castos pœta elegit, qui tantum nefas Myrrhæ perhorrescerent.

452. *Offensi*] Ter enim, cùm ad cubiculum patris duceretur, offendit pedes, quod eam à tanto scelere revocare videretur.

Jamque fores aperit; jam ducitur intus: at illi
Poplite succiduo genua intremuêre; fugitque
Et color, & sanguis: animusque relinquit euntem.
Quòque suo propior sceleri, magìs horret, & ausi
Pœnitet; & vellet non cognita posse reverti.
Cunctantem longæva manu deducit: & alto
Admotam lecto cùm traderet, Accipe, dixit,
Ista tua est, Cinyra: devotaque corpora junxit.
Accipit obscœno genitor sua viscera lecto;
Virgineosque metus levat, hortaturque timentem.
Forsitan ætatis quoque nomine, Filia dicat:
Dicat & illa, Pater: sceleri ne nomina desint.
Plena patris thalamis excecìt; & impia diro
Semina fert utero, conceptaque crimina portat.
Postera nox facinus geminat: Nec finis in illâ est.
Cùm tandem Cinyras, avidus cognoscere amantem
Post tot concubitus, illato lumine vidit
Et scelus, & natam. Verbisque dolore retentis,
Pendenti nitidum vaginâ deripit ensem.
Myrrha fugit, tenebris & cæcæ munere noctis
Intercepta neci; latosque vagata per agros,
Palmiferos Arabas, Panchæaque rura relinquit.
Perque novem erravit redeuntis cornua Lunæ,
Cùm tandem terrâ requievit fessa Sabæâ;
Vixque uteri portabat onus. Tum nescia voti,
Atque inter mortisque metus, & tædia vitæ,
Est tales complexa preces: O si quà favetis
Numina confessis; merui, nec triste recuso
Supplicium. Sed, ne violem vivosque superstes,
Mortuaque extinctos, ambobus pellite regnis;
Mutatæque mihi vitamque, necemque negate.
Numen confessis aliquod favet. Ultima certe
Vota suos habuêre Deos: nam crura loquentis
Terra supervenit; ruptosque obliqua per ungues
Porrigitur radix longi firmamina trunci:

jamque aperit januam, jam introducitur: at genua illi tremuerunt poplite vacillante; atque color & sanguis evanescit, & animus destituit accedentem. Et quò vicinior flagitio magìs timet, & pœnitet incœpti, & cuperet posse redire non cognita. Anus perducit dubitantem manu; & cùm illam patri daret admotam sublimi lecto, Accipe, inquit, ista tua est, Cinyra, & junxit corpora execranda. Pater excipit turpi toro sua præcordia, atque minuit timorem puellarem, & animos addit metuenti. Fortè & vocet filiam ratione ætatis, atque illa appellet patrem: ne desiderentur nomina flagitio. Gravida ex patre discedit ex cubiculo, & gestat alvo semina refanda, atque fert flagitia concepta. Nox sequens iterat flagitium; neque est finis in illâ; Cùm denique Cinyras cupidus cognoscere amantem post tot congressus, admoto lumine, spectavit & nefas & filiam; atque sermone represso per dolorem, deripit gladium coruscum vaginâ pendentis: Myrrha prorumpit, mortem vitans & beneficio tenebrarum & caliginosæ noctis, atque errans per vastos campos, præterit Arabas palmiferos, & agros Panchæos. Atque vagata est per novem menses lunares, cùm denique lassa requievit in tellure Sabæa. Vixque gestabat pondus alvi. Tum ignara quid optet, atque inter pavores mortis & tædia vitæ, hujusmodi concepit preces: O si qui Dii estis propitii confitentibus, digna sum atroci supplicio, neque detrecto: Verùm ne & offendam vivos vitâ fruens, & mortua fato functos, excludite utroque regno, atque tollite mibi transformatæ & vitam & mortem. Aliquis Deus favet iis qui crimen confitentur. Certè novissimæ preces natæ sunt propitios Deos: Nam terra inducta est pedibus loquentis; & radix tortuosa, quæ est firmitas proceri stipitis, serpit per ungues divisos;

NOTÆ.

478. *Arabas*] Asiæ sunt populi Cypro oppositi, apud quos palmarum copia.

Ib. *Panchæa*] Arabica. Est enim Panchaia regio Arabiæ Felicis.

480. *Sabæa*] Quæ Asiæ est regio, ad sinum Arabicum, thuris, myrrhæ, aliorumque odorum fertilis.

486. *Ambobus*] Et vivorum, & mortuorum.

Ossaque

Et ossa protrudunt lignum; medullâ permanente mediâ sanguis mutatur in humorem, lacerti in vastos ramos, digiti in tenues; cutis induratur cortice. Jamque arbor crescens coarctaverat plenum ventrem & oppresserat pectus, atque festinabat obvolvere collum. Illa non est passa retardationem, atque se demisit occurrens ligno succrescenti, & occultit suam faciem in libro. Quæ tametsi perdidit antiquos sensus cum corpore, nihilominus lachrymatur, & guttæ calidæ exsudant ex arbore. Lachrymæ quoque sunt in honore; & succus Myrrhæ expressus per librum retinet nomen dominæ, neque silentio premetur ullâ ætate.

X. *At puer flagitiosè conceptus auctus erat sub ligno, & quærebat iter, quo prorumperet, & matrem relinqueret. Plenus uterus turgescit in mediâ arbore. Sarcina instat matrem; neque dolores habent suas voces; neque Lucina potest appellari verbis parturientis. Similis est tamen enitenti, & arbor curvata frequenter gemit, & irrigatur lachrymis defluentibus. Lenis Lucina adfuit ramis pressis, & adhibuit manus, & pronunciavit voces fœtum expellentes. Arbor dissinditur, & diviso libro profert sarcinam: atque infans vagit, quem Naïades imbuerunt lachrymis matris, postquam collocâssent in molli gramine. Ipsa invidia non potuit non laudare vultûs pulchritudinem. Nimirum talis erat, qualia corpora nudorum amorum exhibentur in tabulâ pictâ. Sed ne ornatus pariat differentiam, vel adjice huic leves pharetras aut tolle illis, & erunt omnino similes. Anni volucres tacitè effluunt nobis non cogitantibus, neque est quicquam illis celerius. Ille ortus sorore atque avo suo, qui nuper abditus arbore, nuper erat in lucem editus, modò puer pulcherrimus, nunc juvenis, nunc vir, nunc pulchrior est seipso:*

Ossaque robur agunt: mediâque manente medullâ
Sanguis it in succos; in magnos brachia ramos;
In parvos digiti: duratur cortice pellis. 494
Jamque gravem crescens uterum perstinxerat arbor;
Pectoraque obruerat, collumque operire parabat;
Non tulit illa moram: venientique obvia ligno
Subsedit; mersitque suos in cortice vultus.
Quæ, quanquam amisit veteres cum corpore sensus,
Flet tamen; & tepidæ manant ex arbore guttæ. 500
Est honor & lachrymis; stillataque cortice Myrrha
Nomen herile tenet, nullique tacebitur ævo.
X. At malè conceptus sub robore creverat infans;
Quærebatque viam; quâ se, genitrice relictâ,
Exsereret. Mediâ gravidus tumet arbore venter. 505
Tendit onus matrem; nec habent sua verba dolores;
Nec Lucina potest parientis voce vocari.
Nitenti tamen est similis; curvataque crebros
Dat gemitus arbor, lachrymisque cadentibus humet.
Constitit ad ramos mitis Lucina dolentes; 510
Admovitque manus, & verba puerpera dixit.
Arbor agit rimas; & fissâ cortice vivum
Reddit onus: vagitque puer: quem mollibus herbis
Naïades imposítum lachrymis unxêre parentis.
Laudaret faciem livor quoque: Qualia namque 515
Corpora nudorum tabulâ pinguntur Amorum,
Talis erat. Sed, ne faciat discrimina cultus,
Aut huic adde leves, aut illis deme pharetras.
Labitur occultè, fallitque volatilis ætas;
Et nihil est annis velocius. Ille sorore 520
Natus avoque suo, qui conditus arbore nuper,
Nuperè erat genitus; modò formosissimus infans,
Jam juvenis, jam vir, jam se formosior ipso est:

NOTÆ.

492. *Ossaque robur agunt*] Hoc est, Ossa in lignum crassius convertuntur.

498. *Subsedit*] Moræ impatiens, seipsam Myrrha præ dolore sub corticem occultavit.

500. *Flet*] Ad Myrrhæ arboris naturam alludit, quæ arbor sponte etiam & illæsa guttas, quas *Stactas* vocant, preciosissimamque Myrrham emittit. Plin.

Jam placet & Veneri, matrisque ulcisci tur ignes.
Namque pharetratus dum dat puer oscula matri,
Insciius exstanti destrinxit arundine pectus.
Læsa manu natum Dea reppulit. Altius actum
Vulnus erat specie; primòque fefellerat ipsam.
Capta viri formâ non jam Cythereïa curat
Littora; non alto repetit Paphon æquore cinctam,
Piscosamque Cnidon, gravidamve Amathunta metalli.
Abstinet & cœlo; cœlo præfertur Adonis.
Hunc tenet; huic comes est; assuetaque semper in umbrâ
Indulgere sibi, formamque augere colendo,
Per juga, per silvas; dumosaque saxa vagatur
Nuda genu, vestem ritu succincta Dianæ:
Hortaturque canes; tutæque animalia prædæ,
Aut pronos lepores, aut celsum in cornua cervum,
Aut agitat damas; à fortibus abstinet apris,
Raptoresque lupos, armatosque unguibus ursos
Vitat, & armenti saturatos cæde leones.
Te quoque, ut hos timeas (si quid prodesse monendo
Possit,) Adoni, monet. Fortisque fugacibus esto,
Inquit; in audaces non est audacia tuta.
Parce meo, juvenis, temerarius esse periclo:
Neve feras, quibus arma dedit Natura, lacesse;
Stet mihi ne magno tua gloria. Non movet ætas,
Nec facies, nec quæ Venerem movêre, leones,
Setigerosque sues, oculosque, animosque ferarum.
Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri;
Impetus est fulvis & vasta leonibus ira:
Invisumque mihi genus est. Quæ causa, roganti,

nunc etiam gratus est Veneri, atque vindicat amores genitricis. Namque dum puer pharetratus præbet suavia parenti, imprudens vulneravit ejus pectus sagittâ prominente. Dea vulnerata manu rejecit filium. Plaga erat profundior quàm videbatur, atque primò ipsam latuerat. Correpta pulchritudine viri, jam contemnit oras Cythereïas: non revertitur Paphon circumdatam profundo mari; aut Cnidon piscosam, aut Amathunta abundantem metallo. Relinquit etiam cœlum. Adonis antefertur cœlo. Hunc tenet; hunc comitatur: & quæ solita erat semper sibi placere in umbrâ, & otio, atque augere pulchritudinem colendo, errat per cacumina montium *per nemora, & rupes sentibus hispidas, nuda genu, atque habens vestes collectas ad modum Dianæ. Atque instigat canes, & persequitur animalia quæ sine magno periculo possint capi, aut veloces lepores, aut cervum cornibus sublimem, aut damas. Recedit à trucibus apris. Effugit lupos rapaces, & ursos instructos unguibus, & leones expletos cæde armenti. Hortatur te etiam, Adoni, ut hos metuas, si quid possit promovere hortando. Atque, inquit, Esto acer in timidas feras: Fortitudo non est secura adversus audaces. Noli esse imprudens meo damno, juvenis; neve irrita feras, quibus natura præbuit tela; ne tua laus mihi magno veniat. Neque anni, neque forma, neque ea quæ Venerem demulserunt, tangunt leones, & apros setosos, & oculos & ferocitatem ferarum. Sues asperi gerunt fulmen in obliquis dentibus: Est impetus & acris ira fulvis leonibus; atque genus est mihi odiosum. Quamobrem, afferam rationem petenti,*

NOTÆ.

524. *Ignes*] Quod ut refert Apollodorus, Venus Myrrhæ, à quâ contemnebatur, immiserat.

525. *Puer*] Amor Veneris.

529. *Cythereïa*] Cythera insula juxta Cretam, Veneri dicata, quòd è spumâ maris nata, ad eam primùm conchâ perveniisse fertur.

531. *Cnidon*] Urbs fuit in Cariæ promontorio, Veneri sacra, quò ad videndum Deæ signum, quod sculpserat Praxiteles, undique olim confluebant.

538. *Pronos*] *In fugam properantes*; quibus etiam natura pedes anteriores finxit breviores.

550. *Fulmen*] Quia vis fulminea esse videtur, ita obvia quæque dentibus apri proterunt. Vide l. 1. v. 305.

Dicam

inquit: & miraberis prodigium ex antiquo scelere ortum. Verùm labor insuetus jam me defatigavit: atque ecce populus idonea invitat nos *suâ umbrâ, & cespes præbet lectum. Placet requiescere tecum in hoc solo, atque requievit; & in herbam atque in ipsum recubuit. Atque festiva demisso capite, in gremium juvenis sic ait; ac interponit suavia mediis verbis.*

Dicam, ait; & veteris monstrum mirabere culpæ.
Sed labor insolitus jam me lassavit; & ecce
Opportuna suâ blanditur populus umbrâ;
Datque torum cespes. Libet hâc requiescere tecum,
Et requievit, humo: prestitque & gramen, & ipsum.
Inque sinu juvenis positâ cervice renidens
Sic ait, ac mediis interserit oscula verbis.

XI. *Fortè audieris quandam* puellam *vicisse viros celeres certamine cursûs. Ille rumor non fuit falsus, nam* Hercule *vicit. Neque posses cognoscere essetne melior virtute pedum, an laude pulchritudinis. Cùm interrogaret Deum de marito; nihil, inquit tibi opus est marito, Atalanta. Vita usum mariti. Neque tamen vitabis; atque* adhuc *viva tuâ formâ privaberis. Attonita responso Dei, vitam agit cœlibem per obscura nemora; atque sæva* à nuptiis suis, *deterret importunum numerum procorum* duram illis proponendo *legem; neque, ait, sum obtinenda, nisi antè superata sim cursu. Certate mecum pedibus. Uxor & thalami cedent in mercedem ei qui me cursu vicerit: mors* erit *præmium lentis; ea fit conditio contentionis.*

XI. Forsitan audieris aliquam certamine cursûs
Veloces superâsse viros. Non fabula rumor
Ille fuit; superabat enim. Non dicere posses,
Laude pedum, formæne bono præstantior esset.
Scitanti Deus huic de conjuge, Conjuge, dixit,
Nil opus est, Atalanta, tibi. Fuge conjugis usum;
Nec tamen effugies; teque ipsâ viva carebis.
Territa sorte Dei per opacas innuba silvas
Vivit; & instantem turbam violenta procorum
Conditione fugat: Nec sum potiunda, nisi, inquit,
Victa priùs cursu. Pedibus contendite mecum.
Præmia veloci conjux thalamique dabuntur;
Mors pretium tardis. Ea lex certaminis esto.
Illa quidem immitis: sed (tanta potentia formæ est:)
Venit ac hanc legem temeraria turba procorum.
Sederat Hippomenes cursûs spectator iniqui;
Et, Petitur cuiquam per tanta pericula conjux?
Dixerat: ac nimios juvenum damnârat amores.
Ut faciem, & posito corpus velamine vidit,
Quale meum, vel quale tuum, si fœmina fias,
Obstupuit: tollensque manus, Ignoscite, dixit,
Quos modò culpavi; nondum mihi præmia nota,
Quæ peteretis, erant. Laudandi concipit ignem,
Et, ne quis juvenum currat velociùs, optat,
Invidiâque timet. Sed cur certaminis hujus
Intentata mihi fortuna relinquitur? inquit.

Illa quidem crudelis: sed tanta est vis pulchritudinis, caterva imprudens procorum accessit eâ lege. Hippomenes sederat spectator cursûs iniqui, atque dixerat, Et uxor à quoquam expetitur per tanta discrimina? atque arguerat immodicos amores juvenum. Postquam spectavit vultus, & corpus derepto amictu, quale meum esse, vel quale tuum, si muteris in puellam, attonitus est: & tendens manus, Parcite, inquit, quos modo damnavi: Merces, quam cuperetis, nondum erat mihi perspecta. Laudando incidit in amorem atque cupit ne quis juvenum celeriùs currat, & metuit præ livore. Verùm, ait, quamobrem, sors hujus à me omittitur inexperta,

NOTÆ.

565. *Atalanta*] Hæc Schœnei fuit filia, quanquam eum aliâ Jasii ita confuderunt autores, ut utrius fuerit difficile sit cognoscere.

566. *Teque ipsâ viva carebis*] Quia in leænam mutata est.

567. *Sorte Dei*] Apollinis responso.

579. *Fias*] Adonin Venus alloquitur.

Audentes

Audentes Deus ipse juvat. Dum talia secum
Exigit Hippomenes; passu volat alite virgo.
Quæ quanquam Scythicâ non secius ire sagittâ
Aönio visa est juveni; tamen ille decorem
Miratur magìs: & cursus facit ipse decorem.
Aura refert oblata citis talaria plantis:
Tergaque jactantur crines per eburnea, quæque
Poplitibus suberant picto genualia limbo:
Inque puellari corpus candore ruborem
Traxerat. Haud aliter, quàm cùm super atria velum
Candida purpureum simulatas inficit umbras.
Dum notat hæc hospes; decursa novissima meta est:
Et tegitur festâ victrix Atalanta coronâ.
Dant gemitum victi; penduntque ex fœdere pœnas.
Non tamen eventu juvenum deterritus horum
Constitit in medio; vultuque in virgine fixo,
Quid facilem titulum superando quæris inertes?
Mecum confer, ait. Seu me fortuna potentem
Fecerit; à tanto non indignabere vinci.
Namq; mihi genitor Megareus, Onchestius illi;
Est Neptunus avus; pronepos ego regis aquarum:
Nec virtus citra genus est. Seu vincar, habebis.
Hippomene victo magnum & memorabile nomen.
Talia dicentem molli Schœneïa vultu
Aspicit: & dubitat, superari an vincere malit.
Atque ita; Quis Deus hunc formosis, inquit, iniquus
Perdere vult? charæque jubet discrimine vitæ
Conjugium petere hoc? Non sum me judice tanti.
Nec formâ tangor. Poteram tamen hâc quoque tangi.

Deus ipse auxilio est audacibus, Dum Hippomenes talia secum volvit, puella transcurrit gressu alato. Quæ quamvis videbatur Aönio Juveni non aliter ferri, quàm telum Scythicum; tamen ille magis stupet in formâ, & cursus ipse reddit formam, Ventus occurrens levibus pedibus retrofert talaria; & capilli fluitant per dorsum eburneum, itemque genualia quæ subêrant poplitibus versicolori fasciâ; atque corpus contraxerat ruborem virgineocandore mixtum: non secùs ac cùm linteum purpureum tingit imagines pictas super atria alba. Dum hospes hæc observat, ultima meta est præterita: & Atalanta superior velatur coronâ solenni. Superati suspirant, atque exsolvunt pœnas ex pacto. Hippomenes tamen in medio stans, non hæsit repulsus exitio horum juvenum: atque oculis fixis in puellâ, Quamobrem, ait, sectaris facilem gloriam vincendo ignavos? Mecum congredere. Sive fortuna me præstiterit superiorem, non dolebis à tanto viro superari. Namque mihi pater est Megareus, illi Onchestius. Neptunus est avus; ego pronepos Dei aquarum: neque virtus est inferior: reportabis magnam & æternam laudem, Hippomene superato. Schœneïa intuetur talia proferentem languentibus oculis, & incerta est malit vinci an vincere. Atque ita, inquit, Quis Deus inferius pulchris cupit ipsum perimere, atque cogit quærere connubium periculo vitæ? Non sum tanti, meo judicio. Neque moveor pulchritudine: attamen poteram etiam moveri ipsâ.

NOTÆ.

588. *Scythicâ*] Quam Scythæ, Europæ itemque Asiæ populi Septentrionales, maximis viribus & summâ arte solent emittere.

589. *Aönio*] *Bœotico*: namque *Aönia* dicta est Bœotiæ regio montana, Bœoticum autem fuisse Hippomenem in sequentibus patebit.

591. *Talaria*] Ut alatos calceos intelligas.

595. *Haud aliter*] Non aliter, inquit, candidum Atalantæ corpus ruborem contraxerat, quàm cùm aulæum purpureum in dealbatis atriis extentum solet umbrâ rubicandâ parietes inficere.

597. *Hospes*] Hippomenes in Scyron delatus.

605. *Onchestius*] Megareo tamen Hyginus Neptunum patrem assignat.

611. *Atque ita*] *Et secum loquuta est.*

Verùm quòd adhuc est adolescens; ipse non me tangit, sed illius adolescentia. Quid quòd virtute est præditus, & animus mortis contemptor? Quid quòd recensetur quartus à stirpe æquoreâ? Quid quòd amat, & tanti ducit nostra conjugia, ut intereat, si crudelis fortuna me ab eo abstulerit? Discede dum potes, ô peregrine, atque desere thalamos sanguinolentos. Meum connubium est ferale. Nulla puella *non cupiet tibi nubere; & potes desiderari à prudente virgine. Quamobrem tamen sim de te solicita, tot jam ante occisis: Cogitet* ipse; *pereat: siquidem non est deterritus nece tot procorum; atque fertur in odium vitæ. Adeòque hic mactabitur, quia cupivit vitâ frui mecum? Atque immeritam patietur mortem præmium amoris; Victoria nostra non poterit sustinere invidiam. At vitio non sit meo. Utinam velles incæptum omittere! Vel siquidem es insanus, utinam esses celerior! At quàm virgini conveniens est vultus in facie puerili! Ah infelix Hippomene, nollem à te conspecta fuissem! Meritus eras vivere. Quòd si essem beatior, neque sors difficilis me prohiberet à nuptiis, unus eras cum quo possem communes habere thalamos.*

Sed quòd adhuc puer est; non me movet ipse, sed
ætas.
Quid, quòd ineſt virtus, & mens interrita leti?
Quid, quòd ab æquoreâ numeratur origine quartus?
Quid, quòd amat, tantique putat connubia noſtra,
Ut pereat; ſi me ſors illi dura negarit?
Dum licet, hoſpes, abi; thalamoſq; relinque cruentos.
Conjugium crudele meum eſt. Tibi nubere nulla
Nolet: & optari potes à ſapiente puellâ.
Cur tamen eſt mihi cura tui, tot jam antè peremptis?
Viderit: intereat: quoniam tot cæde procorum
Admonitus non eſt; agiturque in tædia vitæ.
Occidit hic igitur, voluit qui vivere mecum?
Indignamque necem pretium patietur amoris?
Non erit invidiæ victoria noſtra ferendæ.
Sed non culpa mea eſt. Utinam deſiſtere velles!
Aut, quoniam es demens, utinam volocior eſſes!
At quàm virgineus puerili vultus in ore eſt!
Ah, miſer Hippomene, nollem tibi viſa fuiſſem!
Vivere dignus eras. Quòd ſi felicior eſſem;
Nec mihi conjugium fata importuna negarent;
Unus, eras, cum quo ſociare cubilia poſſem.
Dixerat; utque rudis, primoque Cupidine tacta,
Quid facit ignorans, amat, & non ſentit amorem.
Jam ſolitos poſcunt curſus populuſque, paterque;
Cùm me ſollicitâ proles Neptunia voce
Invocat Hippomenes: Cythereïa, comprecor, au-
ſis
Adſit, ait, noſtris; & quos dedit, adjuvet ignes.
Detulit aura preces ad me non invida blandas:
Motaque ſum, fateor, nec opis mora longa dabatur.
Eſt ager, indigenæ Tamaſenum nomine dicunt;

Absolverat; atque tanquam amandi imperita, & primo Amore correpta, nesciens quid agat, amat, neque sentit amorem. Jam populus & porens flagitant cursus consuetos, cùm Hippomenes filius Neptuni me precatur verbis anxiis. Cythereïa, quæso, adjuvet nostra incæpta; & tueatur amores quos mihi injecit. Ventus benignior pertulit ad me humilem orationem; atque tacta sum, agnosco. Neque longum tempus concedebatur ad auxilium ferendum. Est arvum pars optima terræ Cypriæ,

NOTÆ.

617. *Æquoreâ*] Neptuni, Hippomenis avi.

629. *Dum licet, hospes*] Apostrophe est ad Hippomenem, quem etsi amicè videtur admonere Atalanta, ne tecum currendo certet, secum tamen ipsa hæc loquitur.

639. *Me*] Me Venerem. Venus enim hæc refert Adonidi.

644. *Tamasenum*] Tamasenum in quindecim Cypri oppidis à Plinio, itemque aliis recensetur. Verùm non inde, sed ex Hesperidum hortis Theocriti interpres hæc mala allata scripsit.

Telluris

Telluris Cypriæ pars optima: quem mihi prisci
Sacravêre senes; templisque accedere dotem
Hanc jussêre meis. Medio nitet arbor in arvo,
Fulva comam, fulvo ramis crepitantibus auro.
Hinc tria fortè meâ veniens decerpta ferebam
Aurea poma manu; nullique videnda, nisi ipsi,
Hippomenen adii; docuique, quis usus in illis.
Signa tubæ dederant; cùm carcere pronus uterque
Emicat, & summam celeri pede libat arenam.
Posse putes illos sicco freta radere passu,
Et segetis canæ stantes percurrere aristas.
Adjiciunt animos juveni clamorque, favorque,
Verbaque dicentum, Nunc, nunc incumbere tempus:
Hippomene, propera. Nunc viribus utere totis.
Pelle moram: vinces. Dubium Megareïus heros
Gaudeat, an virgo magìs his Schœneïa dictis.
O quoties, cùm jam posset transire, morata est:
Spectatosque diu vultus invita reliquit!
Aridus è lasso veniebat anhelitus ore:
Metaque erat longè. Tum denique de tribus unum
Fœtibus arboreis proles Neptunia misit.
Obstupuit virgo; nitidique cupidine pomi
Declinat cursus: aurumque volubile tollit.
Præterit Hippomenes. Resonant spectacula plausu.
Illa moram celeri, cessataque tempora cursu
Corrigit: atque iterum juvenem post terga relinquit.
Et rursus pomi jactu remorata secundi,
Consequitur, transitque virum. Pars ultima cursûs
Restabat: Nunc, inquit, ades, Dea muneris auctor.
Inque latus campi, quò tardiùs illa rediret,
Jecit ab obliquo nitidum juveniliter aurum.
An peteret, virgo visa est dubitare: coëgi

accolæ appellant Tamasenum; quod antiqui Senes mihi sacrum fecerunt, atque voluerunt hoc donum jungi meis templis. In medio campo splendet arbor flavas habens frondes, ramis strepentibus fulvo auro. Inderediens fortè portabam tria poma aurea directa meâ manu, atque nemini inspicienda, nisi ipsi, ad Hippomenem accessi; atque indicavi quæ eorum esset utilitas. Tubæ indicium fecerant, cùm uterque parati evolant repagulo atque leviter tangunt supremam arenam veloci pede. Crederes illos posse percurrere æquora sicco passu, atque incedere super spicas flavæ segetis erectas. Clamor & favor addunt animos juveni, itemque voces dicentium, Nunc, nunc tempus instandi, Hippomene, festina. Nunc, utere totis viribus. Tolle moras, victor eris. Incertum est heros Megareïus, an puella Schœneïa magìs lætetur his verbis. O quoties distulit, cùm jam posset præterire, atque ægrè deseruit faciem diu spectatam! Siccus spiritus prodibat ex defesso ore; atque meta procul stabat. Tum denique pronepos Neptuni abjecit unum ex fructibus arboreis, Puella mirata est, atque correpta *desiderio pulchri pomi, deflectit à cursu & colligit rotundum aureum malum. Hippomenes antevertit.*

Circus personat plausu. Illa reparat moram, & tempora omissa velocitate cursus; atque iterum deserit juvenem à tergo: atque rursus retardata jactu secundi pomi assequitur & præterit virum. Pars novissima cursûs supererat; Jam, inquit, propitia esto Dea auctor doni: atque ut illa serius reverteretur, misit strenuè splendidum pomum ab obliquo. Puella visa est ambigere an peteret: coëgi

NOTÆ.

652. *Signa*] Quibus currendi tempus significaretur.

Ib. *Carcere*] Pro *Carceribus*. Carceres enim sunt funes illi, qui prætenduntur equis cursuris, ut omnes unà emittantur.

663. *Aridus*] Siccus & difficillis. Significat Hippomenem lassum fuisse.

699. *Cessataque*] Quibus Atalanta ab instituto cursu cessaverat.

colligere; atque eddidi gravitatem pomo correpto: atque cohibui cursum *pariter pondere oneris, & morâ. Neve mea oratio sit longior illo cursu, puella est ponè relicta: victor duxit* Atalantam *successus sui præmium. Dignane fui, cui gratias ageret, cui præberet honorem thuris, Adoni? Neque ingratus egit gratias, neque mihi thura obtulit. Continuò iratscor, atque indignans me esse neglectam, caveo exemplo ne contemnar à posteris; atque meipsam incendo adversus utrumque. Præteribant delubra, quæ olim inclytus Ecbion posuerat ex voto matri Deorum in nemore opaco; atque longa via coëgit eos requiescere. Ibi importunum desiderium concubitûs, immissum à nostrâ potentiâ, invadit Hippomenen.* Locus *secessui aptus antro erat similis, & pauco lumine illustratus prope templum, obductus nativo pumice, sacer antiquâ religione: quò Sacerdos comportaverat plurimas effigies ligneas antiquorum Deorum. Hunc ingreditur, atque violat sacraria coitu prohibito. Simulacra Deorum reflexerunt oculos, mater turrita incerta fuit an deturbaret nocentes ad inferos. Supplicium visum est parvum*

Tollere; & adjeci sublato pondera malo:
Impediſque oneris pariter gravitate, morâque.
Neve meus sermo cursu sit tardior illo;
Præterita est virgo; duxit sua præmia victor.
Dignane, cui grates ageret, cui thuris honorem
Ferret, Adoni, fui? nec grates immemor egit:
Nec mihi thura dedit. Subitam convertor in iram:
Contemnique dolens, ne sim spernenda futuris,
Exemplo caveo; meque ipsam exhortor in ambos.
Templa Deûm Matri, quæ quondam clarus Echion
Fecerat ex voto, nemorosis abdita silvis,
Transibant: & iter longum requiescere suasit.
Illîc concubitûs intempestiva cupido
Occupat Hippomenen, à numine concita nostro.
Luminis exigui fuerat prope templa recessus,
Speluncæ similis, nativo pumice tectus;
Religione sacer priscâ: quò multa sacerdos
Lignea contulerat veterum simulacra Deorum.
Hunc init; & vetito temerat sacraria probro.
Sacra retorserunt oculos; turritaque Mater,
An Stygiâ fontes, dubitavit, mergeret undâ.
Pœna levis visa est, Ergo modò lævia fulvæ
Colla jubæ velant: digiti curvantur in ungues;
Ex humeris armi fiunt: in pectora totum
Pondus abit. Summæ caudâ verrunter arenæ.
Iram vultus habet: pro verbis murmura reddunt;
Pro thalamis celebrant silvas: aliisque timendi
Dente premunt domito Cybeleïa fræna leones.
Hos tu, care mihi, cumque his genus omne ferarum,
Quæ non terga fugæ, sed pugnæ pectora præbent,

Adeòque fulvæ jubæ tegunt cervicem paulò antè mollem & sine pilis, digiti sinuantur in ungues: armi fiunt ex humeris: tota moles ducitur in pectus: ultima terra trahitur caudâ. Facies præ se fert iram: emittunt murmura pro vocibus; pro cubiculis colunt nemora: atque leones aliis metuendi mandunt fræna quæ Cybele imponit *dente manſueto. Tu,* Adoni, *mihi dilecte, hos vita, & cum his omne genus ferarum, quæ non fugiunt, sed repugnant;*

NOTÆ.

686. *Deûm matri*] Cybele.

Ib. *Ecbion*] Unus fuit ex Cadmi sociis.

696. *Turrita*] Cybele est, quam turrigeram, seu turritâ coronâ ideo ornatam, voluerunt; quòd, cùm sit terra ipsa, turribus munitas urbes sustineat; vel, ut in Fastis ipsa docet Ovid. *Quòd primis turres urbibus illa dedit.*

701. *Caudâ*] Caudam leonem animi esse indicem, ut aures equorum, scribit *Plinius*. Nam immota placidum, mota iratum significat.

704. *Premunt*] Hoc ideo dicit, quòd Cybeles currum a leonibus trahi antiqui voluerint.

Effuge:

Effuge: ne virtus tua sit damnosa duobus.
XII, XIII. Illa quidem monuit; junctisque per aëra cygnis
Carpit iter: sed stat monitis contraria virtus.
Fortè suem latebris vestigia certa secuti
Excivêre canes; silvisque exire parantem
Fixerat obliquo juvenis Cinyreïus ictu.
Protinus excussit pando venabula rostro,
Sanguine tincta suo: trepidumque, & tuta petentem
Trux aper insequitur: totosque sub inguine dentes
Abdidit: & fulvâ moribundum stravit arenâ.
Vecta levi curru medias Cytherea per auras
Cypron olorinis nondum pervenerat alis;
Agnovit longè gemitum morientis; & albas
Flexit aves illuc. Utque æthere vidit ab alto
Exanimem, inque suo jactantem sanguine corpus;
Desiluit: pariterque sinus, pariterque capillos
Rupit; & indignis percussit pectora palmis.
Questaque cum fatis, At non tamen omnia vestri
Juris erunt, inquit: luctûs monumenta manebunt
Semper, Adoni, mei: repetitaque mortis imago
Annua plangoris peraget simulamina nostri.
At cruor in florem mutabitur. An tibi quondam
Fœmineos artus in olentes vertere menthas,
Persephone, licuit? nobis Cinyreïus heros
Invidiæ mutatus erit? Sic fata, cruorem
Nectare odorato spargit: qui tactus ab illo
Intumuit; sic, ut pluvio perlucida cœlo
Surgere bulla solet. Nec plenâ longior horâ
Facta mora est, cùm flos è sanguine concolor ortus.

ne tua virtus sit luctuosa utrique nostrûm.

XII, XIII. *Illa quidem sic hortata est; atque cygnis currui admotis viam ingreditur per aërem: sed virtus* Adonidis *adversatur monitis. Fortè canes insistentes certis vestigiis exciverunt aprum latibulis; & juvenis Cinyreïus vulneraverat illum ictu obliquo volentem egredi silvis. Continuò sævus aper excussit venabula infecta suo sanguine rostro adunco; atque persequitur pavidum & quærentem locum securum, & infixit totos dentes sub inguine; & prostravit moribundum in flavam arenam. Nondum Cytherea vecta levi curru per medium aërem alis cygnorum appulerat Cyprum: agnovit longè gemitum morientis; atque illuc flexit candidas volucres; & cùm videt exsanguem ab excelso aëre, & volventem corpus in suo cruore, properè descendit; atque simul discerpsit vestes & comam, & planxit pectus manibus immeritis. Atque objurgans fata, At tamen, ait, cuncta non erunt vestræ ditionis? semper supererunt indicia mei doloris; atque annua celebratio mortis exhibita referet imaginem nostri luctûs. At sanguis verteter in florem. Potuistine olim, Proserpina, mutare membra muliebria in fragrantes menthas? Et invidebit aliquis Cinyreïum puerum transformari? Sic loquuta, injecit nectar odoratum in sanguinem; qui ab illo tinctus inflatus est, quemadmodum bulla pellucida consuevit excitari cœlo pluvio. Neque spatium longius fuit integrâ horâ, cùm flos ejusdem coloris natus est ex cruore.*

NOTÆ.

708. *Cygnis*] Quibus, ut & columbis, Veneris currus trahitur.

715. *Aper*] Cujus formam Martem volunt induisse; ut puerum, sibi in amoribus importunum, insciâ Venere, occideret.

723. *Indignis*] Id est, indignè.

727. *Simulamina*] *Adonia* vocabantur sacra, quæ in Adonidis honorem quotannis celebrabantur.

730. *Persephone*] *Proserpina* est Ditis conjux, quæ pellicem Mentham in cognominem herbam mutavit.

Ib. *Nobis invidiæ erit*] In nos invidiam concitabit.

Qualem punica consuevérunt producere, quæ tegunt granum sub molli cortice: cæterùm brevis est ejus usus: namque venti idem, qui illi *præbent nomen, dejiciunt parum firmum, fragilem nimiâ levitate.*

Qualem, quæ lento celant sub cortice granum,
Punica ferre solent: brevis est tamen usus in illo.
Namque malè hærentem, & nimiâ levitate caducum
Excutiunt idem, qui præstant nomina, venti.

NOTÆ.

737. *Punica*] Quæ & mala granata dicuntur.

739. *Nomina*] In Anemonem Adonis conversos fuit, cujus *flos*, ut inquit Plinius, lib. 1. cap. 23. *nunquam se aperit, nisi vento spirante, unde & nomen accepit*, ἄνεμος enim significat *ventus*.

P. Ovidii Nasonis

METAMORPHOSEON

LIBER XI.

ARGUMENTUM.

HINC tùm Thraciæ mulieres illum discerpsissent, in arbores mutatæ sunt. Tum Bacchus è Thraciâ recessit, & Midæ pro Sileno restituto auri copiam fecit. Cujus cùm illum pœniteret, in Pactolo lotus, arenas ejus aureas reddidit. Postea Phœbus pro iniquo judicio aures illi asininas tribuit. Quo facto, Trojæ mœnia, humanam indutus formam, exstruxit. Hanc urbem postquam cepit Hercules, Hesionem Telamoni uxorem dedit: quandoquidem Peleus jam Thetidem post multas ejus transformationes duxerat; & ad Ceycem postea profectus, Dædalionem in accipitrem, & lupum in lapidem conversum, partim intellexerat, partim ipse viderat. Accidit deinde, ut Alcyone, marito post naufragium sub Morphei figurâ per somnum conspecto, in avem sicut & maritus, mutaretur. Quos in aëre volantes cùm animadvertissent quidam, Æsacum quondam in mergum, qui tum fortè aderat, meminerunt transformatum.

I. CArmine dum tali silvas, animosque ferarum,
Threïcius vates, & saxa sequentia ducit;
Ecce nurus Ciconum tectæ lymphata ferinis
Pectora velleribus, tumuli de vertice cernunt
Orphea percussis sociantem carmina nervis.

INTERPRETATIO.

I. *Dum poëta Thracius trahit ejusmodi carmine nemora, atque ferocitatem brutorum, cum silicibus obsequentibus; ecce Cicones mulieres habentes pectora insana velata pellibus ferinis, advertunt Orpheum jungentem versus chordis tactis è cacumine colli.*

NOTÆ.

1. *Animosque ferarum*] Intelligamus ferorum hominum animos ab Orpheo fuisse excultos.

2. *Vates*] *Orpheus* Thracius.

3. *Nurus Ciconum*] Pro bacchantibus Thraciis mulieribus: positi sunt enim Cicones Thraciæ populi ad Ismarum montem.

Ex quibus una, capillis agitatis leni vento, Ecce, inquit, ecce, hic est nostri contemptor; atque intorsit jaculum in os sonorum poëtæ Apollinei. Quod tectum frondibus inussit signum sine plagâ. Alteri fuit saxum pro telo, quod jactum superatum est in ipso aëre concentu vocis & lyræ, ac veluti supplex pro talibus inceptis jacuit ante pedes. Verùm tumultus audax augetur; & modus nullus est; atque vesanæ furiæ inter illas dominantur. Atque omnia jacula essent superata cantu, sed insana vociferatio, & tibia Berecynthia cornu inflato, & tympana, & plausus, & Bacchei ululatus obstiterunt sono citharæ. Tum denique lapides rubuerunt cruore poëtæ non exauditi. Ac primùm Bacchæ disjecerunt aves innumeras, & serpentes, & turbam ferarum, etiamnum admirantium vocem cantantis, quæ gloria erant theatri Orphei, inde vertuntur in Orpheum manibus sanguinolentis, atque concurrunt ut aves, si quando vident noctuam errantem de die: atque ut in amphitheatro utrinque repleto cervus mane periturus in arenâ, est præda canum; ita Bacchæ invadunt poëtam, & simul jaciunt in illum thyrsos foliis virentibus, neutiquam paratos in hunc usum. Hæ jaciunt cespites, illæ ramos excisos ex arboribus, pars saxa. Et ne arma desint vesaniæ, fortè tauri arabant agros vomere impacto; nec longè hinc fortes agricolæ eruebant terram asperam, parantes fructum multo sudore:

E quibus una, levem jactato crine per auram,
En, ait, en hic est nostri contemptor: & hastam
Vatis Apollinei vocalia misit in ora.
Quæ foliis præsuta notam sine vulnere fecit.
Alterius telum lapis est: qui missus, in ipso
Aëre concentu victus vociscque, lyræque est;
Ac veluti supplex pro tam furialibus ausis,
Ante pedes jacuit. Sed enim temeraria crescunt
Bella: modusque abiit: insanaque regnat Erynnis.
Cunctaque tela forent cantu mollita: sed ingens
Clamor, & inflato Berecynthia tibia cornu,
Tympanaque, plaususque, & Bacchei ululatus
Obstrepuêre sono citharæ. Tum denique saxa
Non exauditi rubuerunt sanguine vatis.
Ac primùm attonitas etiamnum voce canentis
Innumeras volucres, anguesque, agmenque ferarum,
Mænades Orpheï titulum raguêre theatri:
Inde cruentatis vertuntur in Orphea dextris:
Et coëunt, ut aves; si quando luce vagantem
Noctis avem cernunt: structoque utrinque theatro
Cen matutinâ cervus periturus arenâ,
Præda canum est: vatemque petunt; & fronde virenti
Conjiciunt thyrsos, non hæc in munera factos.
Hæ glebas, illæ direptos arbore ramos,
Pars torquent silices. Neu desint tela furori;
Fortè boves presso subigebant vomere terram:
Nec procul hinc multo fructum sudore parantes
Dura lacertosi fodiebant arva coloni:

NOTÆ.

9. *Foliis*] Thyrsos seu hastas Baccharum hederâ vel pampino vestitas.

11. *Victus*] Ut hinc quantùm ad mitigandos ferorum hominum animos valeat eloquentia, liceat colligere.

16. *Berecynthia*] Cujusmodi in sacris Cybeles, quæ Berecynthia à Berecyntho Phrygiæ monte dicitur, ut consueverant.

22. *Mænades*] Bacchæ, quibus ἀπὸ τῦ μαίνεσθαι, à *furendo*, illum datum nomen.

Ib. *Raguêre*] Solent verò seditiosi homines in illos primùm furere, qui sapientibus aurem præbent facilem, ut tandem hos quoque rescindant.

25. *Noctis avem*] Noctuam, bubonem, aut hujus generis aliquam.

Ib. *Utrinque*] Amphitheatro, in quo spectacula matutina, ubi cum bestiis pugnabant; & meridiana, ubi qui superfuerunt ex bestiarum pugnâ, inter se dimicabant. Lipsi. Saturn. Lib. 3. Cap. 15.

28. *Non hæc*] Sed magis ad lætitiæ usus.

Agmine

Agmine qui viso fugiunt, operisque relinquunt
Arma sui; vacuosque jacent dispersa per agros
Sarculaque, rastrique graves, longique ligones.
Quæ postquam rapuêre feræ, cornuque minaci
Divellêre boves, ad vatis fata recurrunt:
Tendentemque manus, atque illo tempore primùm
Irrita dicentem, nec quicquam voce moventem,
Sacrilegæ perimunt. Perque os (proh Jupiter!) illud,
Auditum saxis, intellectumque ferarum
Sensibus, in ventos anima exhalata recessit.
Te mœstæ volucres, Orpheu, te turba ferarum,
Te rigidi silices, tua carmina sæpe secutæ
Fleverunt silvæ: positis te frondibus arbos
Tonsa comam luxit: lachrymis quoq; flumina dicunt
Increvisse suis: obscuraque carbasa pullo
Naïades, & Dryades, passosque habuêre capillos.
Membra jacent diversa locis. Caput, Hebre, lyramque
Excipis; & (mirùm) medio dum labitur amne,
Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis: respondent flebile ripæ.
Jamque mare invectæ flumen populare relinquunt;
Et Methymnææ potiuntur littore Lesbi.
Hîc ferus expositum peregrinis anguis arenis
Os petit, & sparsos stillanti rore capillos.
Tandem Phœbus adest: morsusque inferre parantem
Arcet; & in lapidem rictus serpentis apertos
Congelat; & patulos, (ut erant) indurat hiatus.
Umbra subit terras: &, quæ loca viderat antè,
Cuncta recognoscit. Quærensque per arva piorum

Qui visâ turbâ evadunt, & abjiciunt instrumenta sui facinoris: atque sarculo & ponderosa rastra, & longi ligones jacent sparsi per latos campos. Quæ postquam sævæ Bacchæ abstulerunt, atque sustulerunt cornua minacia tauris, recurrunt ad necem poëtæ; atque scelestæ mactant porrigentem manus, & tunc primùm vana verba proferentem; nec quicquam promoventem voce; & (proh Jupiter!) Spiritus emissus in auras abiit per illud os quod etiam silices secuta sunt, & quod erat intellectum sensibus ferarum. Tristes aves, agmina ferarum, dura saxa, nemora sæpe flexa tuis versibus, te luxerunt, Orpheu: Arbores habentes comam tonsam te fleverunt foliis amissis: ferunt etiam amnes auctos fuisse tuis fletibus, & Naïades & Dryades gestaverunt vela obscura nigro colore, & comam squalidam. Artus jacent locis dispersi. Hebre, excipis caput & citharam: atque (mirùm,) dum cithara fertur medio flumine, queritur nescio quid lugubre, lingua exsanguis murmurat lugubre: ripæ redduut lugubre. Jamque pervectæ ad mare deserunt annem patrium, & fruuntur littore Lesbi Methymnææ. Hîc savus serpens Orphei vultum appetit porrectum in littore exteto, & comam madentem defluente aquâ. Apollo adest denique, atque prohibet nitentem admovere dentes: & inserat in siccam os apertum anguis, & congelat rictus (uti tum erant) apertos. Orpheus jam *umbra pervadit terras, & recognoscit omnia loca quæ antè conspexerat: atque lustrans campos piorum*

NOTÆ.

38. *Divellêre*] Ritus fuit discerpendi tauros in sacris Bacchicis.

49. *Naïades*] Fontium & fluvium Nymphæ, ut Dryades sylvarum.

50. *Membra*] *Membra* tamen Orphei discerpti à musis collecta; & in Dio Macedoniæ condita refert Pausanias in Bœoticis; Caput in Lesbum Lyram in fidus novem insignitum stellis relatam ferunt.

54. *Flumen populare*] Fluvium patrium: Hebrus enim Thraciæ fluvius.

55. *Methymnææ*] Fuit Methymna urbs Lesbi optimo vino celebris.

56. *Lesbi*] Est Lesbos Ægei insula clarissima Thraciæ opposita, quam hodie Mitylenen ab urbis nomine appellant.

58. *Phœbus*] Apollo Orphei pater, qui filii curam post fata suscepit.

61. *Umbra*] Imago, animæ & corporis simulachrum.

62. *Arva piorum*] Campos Elysios.

reperit Eurydicen, & amplectitur avidis brachiis. Hîc modò utrque ambulant æquis gressibus; modò sequitur antecedentem, modò præcedens antevercit; atque Orpheus jam retorquet visum in suam Eurydicen securè.

Invenit Eurydicen, cupidisque amplectitur ulnis.
Hîc modò conjunctis spatiantur passibus ambo:
Nunc præcedentem sequitur, nunc prævius anteit:
Eurydicenque suam jam tutò respicit Orpheus. 66

II. *Non tamen Bacchus patitur hoc flagitium esse multum; atque indignans vate sublato sacrorum suorum, repentè compescuit sinuosâ radice in silvis omnes mulieres Thracias, quæ admiserunt scelus. Namque corripuit digitos pedum, sicuti quælibet secuta est, & immisit in terram duram pedum extremitates. Et sicuti avis cùm implicuit suum pedem laqueis, quos subdolus auceps texit, & advertit se ereptum esse; sese torquet, & sese agitans coarctat laqueos motu; sic, ut quælibet harum terræ affixa cohæserat, attonita incassùm meditabatur fugam: quippe radix flexilis illam impedit, & reprimit sese jactantem. Et dum scrutatur ubi sint articuli, ubi pedes, & ungues, advertit lignum supervenire in suras & pedes politos. Cùmque tristis tentâsset percutere femur manu, percussit lignum: humeri sunt lignum: & credas lacertos extensos esse veros ramos; neque decipiaris credendo.*

II. Non impunè tamen scelus hoc sinit esse Lyæus;
Amissoque dolens sacrorum vate suorum,
Protinus in silvis matres Edonidas omnes,
Quæ fecêre nefas, tortâ radice ligavit. 70
Quippe pedum digitos, in quantum quæque secuta est,
Traxit; & in solidam detrusit acumine terram.
Utque suum laqueis, quos callidus abdidit auceps,
Crus ubi commisit volucris, sensitque teneri,
Plangitur; ac trepidans adstringit vincula motu: 75
Sic, ut quæque solo defixa cohæserat harum,
Exsternata fugam frustrà tentabat: at illam
Lenta tenet radix, exsultantemque coërcet.
Dumque ubi sint digiti, dum pes ubi quærit, & ungues,
Aspicit in teretes lignum succedere suras. 80
Et conata femur mœrenti plangere dextrâ;
Robora percussit, pectus quoque robora fiunt:
Robora sunt humeri. Porrectaque brachia veros
Esse putes ramos; & non fallare putando.

III. *Neque istud satis est Baccho: destitait etiam ipsos Thraciæ campos; atque concedit cum agmine meliore in vineta sui Tymoli & ad Pactolum; quanquam neque tunc erat aureus, neque invidiosus preciosis arenis. Hunc celebrant turba solita Satyri, & Bacchæ.*

III. Nec satis hoc Baccho est. Ipsos quoque deserit agros: 85
Cumque choro meliore, sui vineta Tymoli,
Pactolonque petit: quamvis non aureus illo
Tempore, nec caris erat invidiosus arenis.
Hunc assueta cohors Satyri, Bacchæque frequentant:

NOTÆ.

66. *Tutò*] Cùm vivus eandem vivendi desiderio perdidisset.

67. *Lyæus*] Liber est Pater seu Bacchus, qui curas solvit: ἀπὸ τῦ γύειν, à *solvendo*.

68. *Vate*] Orpheus enim plurimos in Bacchum pulcherrimos hymnos conscripserat; atque insuper sacra ejus in Græciam invexerat.

69. *Edonidas*] Thracias; Edones namque populi sunt Thraciæ.

86. *Meliore*] Quàm qui Orpheum discerpsit, *Sui*] *Ase amati*.

Ib. *Tymoli*] Qui mons est Lydiæ optimi vini fertilis.

87. *Pactolon*] Fluvius est Lydiæ arenis notissimus.

At

At Silenus abeſt. Titubantem anniſque meroque
Ruricolæ cepêre Phryges; vinctumque coronis
Ad regem traxêre Midan: cui Thracius Orpheus
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.
Qui ſimul agnovit ſocium comitemque ſacrorum,
Hoſpitis adventu feſtum genialiter egit
Per bis quinque dies, & junctas ordine noctes.
Et jam ſtellarum ſublime coëgerat agmen
Lucifer undecimus, Lydos cùm lætus in agros
Rex venit; & juveni Silenum reddit alumno.
Huic Deus optandi gratum, ſed inutile, fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto.
Ille malè uſurus donis, ait, Effice, quicquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.
Annuit optatis: nocituraque munera ſolvit
Liber; & indoluit, quòd non meliora petîſſet.
Lætus abit; gaudetque malo Berecynthius heros:
Pollicitamque fidem tangendo ſingula tentat.
Vixque ſibi credens, non altâ fronde virentem
Ilice detraxit virgam; virga aurea facta eſt.
Tollit humo ſaxum: ſaxum quoque palluit auro.
Contigit & glebam: contactu gleba potenti
Maſſa fit. Arentes Cereres decerpſit ariſtas:
Aurea meſſis erat. Demtum tenet arbore pomum:
Heſperidas donâſſe putes. Si poſtibus altis
Admovit digitos; poſtes radiare videntur.
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
Unda fluens palmis Danaën eludere poſſet.

At Silenus deſideratur. Agreſtes Phryges comprehenderunt vacillantem ætate & vino; atque duxerunt coronatum ſertis ad regem Midan; quem Orpheus Thracius docuerat Orgia cum Eumolpo Athenienſi. Qui ſtatim atque cognovit ſodalem & conſcium ſacrorum, feſtum celebravit voluptuosè ad hoſpitis adventum, decem diebus: & continuis noctibus. Et jam Phoſphorus undecimus congregaverat excelſum chorum ſtellarum, cùm rex hilaris intrat agros Lydiæ, & reſtituit Silenum Baccho *juveni alumno. Deus lætus* Sileno *nutricio recuperato poteſtatem dedit gratam, ſed fruſtraneam, petendi* quodvis *domum. Ille malè collocaturus beneficium, fac, inquit, ut quicquid attigero corpore mutetur in flavum aurum. Bacchus favet votis, atque præſtitit dona obfutura; atque indoluit, quòd non popoſciſſet potiora. Heros Berecynthius diſcedit hilaris, & lætatur malo, & periculum facit veritatis promiſſæ quæhibet tangendo. Atque ægrè ſibi confidens, deripuit quercu humili virgam virentem foliis; virga facta eſt aurea. Tollit humo ſilicem; ſilex etiam flavet auro. Tetigit etiam ceſpitem; ceſpes mutatur in maſſam* auream *potenti contactu. Detraxit ſpicas aridas frumenti, meſſis erat aurea. Tractat pomum decerptum ex arbore, credas Heſperidas id dediſſe. Si admovit digitos excelſit poſtibus, poſtes videntur fulgere. Cùm ille inſuper abluerat manus aquâ liquidâ, aqua liquida poſſet decipere Danaën.*

NOTÆ.

90. *Silenus*] Bacchi fuit nutritius & pædagogus, ejuſdem comes aſſiduus, ſemper ebrius, pando aſello vehi ſolitus: de quo jam ſuprà lib. 4.

91. *Phryges*] Qui populi fuerunt Minoris Aſiæ Lydis finitimi.

92. *Midan*] Phrygiæ rex fuit per avaritiam factus opulentiſſimus, auri pretio jura omnia exæquare ſolitus: ex quo locus datus fabulæ.

1b. *Cui Thracius*] Midan ſacrorum ſolennibus ab Orpheo initiatum, Phrygiam religione excoluiſſe, ſcribit *Juſtin.* lib. 2.

93. *Cecropio*] Athenienſi; Muſæi filio, Orphei diſcipulo, ad differentium Thracenſis, qui filius Neptuni & Chiones.

97. *Coëgerat*] Id eſt, undecimus dies advenerat. Fingitur autem ſtellas cogere Lucifer ſeu Veneris ſtella, quòd ultima, adventante die, luceat.

102. *Malè uſurus*] *In ſuam perniciem*; parum enim abfuit, quin fame periret Midas.

106 *Berecynthius*] Midas rex Phrygiæ à Berecyntho monte ſic dictus.

114. *Heſperidas*] Heſperi filiæ hortos aureis pomis pretioſos, habuiſſe dicuntur.

117.] *Danaën*] Quæ Acriſii filia imbre aureo, in quem Jupiter ſe mutaverat, eluſa fuit: ut dictum in ſuperioribus.

Vix

Vix ſpes ipſe ſuas animo capit, aurea fingens
Omnia. Gaudenti menſas poſuêre miniſtri
Exſtructas dapibus, nec toſtæ frugis egentes.
Tum verò, ſive ille ſuâ Cerealia dextrâ
Munera contigerat, Cerealia dona rigebant.
Sive dapes avido convellere dente parabat,
Lamina fulva dapes admoto dente nitebant.
Miſcuerat puris auctorem muneris undis,
Fuſile per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus novitate mali, diveſque, miſerque
Effugere optat opes; &, quæ modò voverat, odit.
Copia nulla famem relevat: ſitis arida guttur
Urit, & inviſo meritus torquetur ab auro.
Ad cœlumque manus, & ſplendida brachia tollens,
Da veniam, Lenæe pater; peccavimus, inquit:
Sed miſerere, precor, ſpecioſoque eripe damno.
Mite Deûm numen Bacchus peccâſſe fatentem
Reſtituit, pactamque fidem data munera ſolvit.
Neve malè optato maneas circumlitus auro,
Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem:
Perque jugum montis labentibus obvius undis
Carpe viam; donec venias ad fluminis ortus.
Spumiferoque tuum fonti, quà plurimus exit,
Subde caput: corpuſque ſimul, ſimul elue crimen.
Rex juſſæ ſuccedit aquæ: vis aurea tinxit
Flumen, & humano de corpore ceſſit in amnem.
Nunc quoque jam veteris percepto ſemine venæ
Arva rigent, auro madidis pallentia glebis.
IV. Ille peroſus opes, ſilvas & rura colebat,
Panaque montanis habitantem ſemper in antris.
Pingue ſed ingenium manſit: nocituraque, ut antè
Rurſus erant domino ſtolidæ præcordia mentis
Nam ſreta proſpiciens latè riget arduus altò

Vix ipſe continet mente ſpes ſuas, fingens omnia aurea. Famuli admoverunt lætanti menſas congeſtas epulis, neque vacuas panis. Tum verò, ſive ille attigerat ſuâ manu panem, panis durus fiebat. Sive cupiebat mandere epulas dente famelico, epulæ radiabant flava lamina dente appoſito. Temperaverat Bacchum *auctorem doni aquis limpidis, cerneres aurum liquefactum per os currere. Exſternatus novitate mali, & opulentus, & infelix, cupit vitare divitias atque averſatur quæ modò expetiverat. Nulla affluentia minuit famem: Sitis urens inflammat fauces, & meritus cruciatur ab auro* nunc *inviſo. Atque tendens palmas & ſplendida brachia ad cœlum, Ignoſce, ait, pater Lenæe, deliquimus. Sed oro, miſerere, atque ſubtrahe* me huic *ruinæ, quæ præ ſe fert* pulchritudinis *ſpeciem. Bacchus lene Deorum numen* in priſtinum ſtatum *reduxit agnoſcentem deliquiſſe, & irritam facit fidem promiſſam donaque exhibita. Neque, inquit, ſis obductus auro pravè deſiderato, ite ad fluvium proximum claris Sardibus atque incede occurrens aquis fluentibus per cacumen montis, uſquedum pervenias ad fontes fluvii: & ſubmitte tuum caput ſcaturigini ſpumanti quà uberrima erumpit: & ablue ſimul corpus & crimen. Rex adit aquam* ad quam *juſſus erat* ire: *vis aurea infecit fluvium, & tranſit à corpore humano in flumen. Nunc etiam campi pallidi glebis auro indureſcunt, ſemine admiſſo venæ jam veteris.*

IV. *Ille odio habens divitias, frequentabat ſilvas & arva, & Pana degentem ſemper in ſpeluncis montanis, Sed ſtupida indoles permanſit: & cor fatuum denuo obfuturum erat domino, ut prius. Nam Tmolus excelſus difficili adſcenſu riget latè*

NOTÆ.

118. *Aurea*] Aqua hæc igitur erat inſtar aurei illius imbris.

122. *Rigebant*] Quia in aurum mutabantur.

125. *Auctorem muneris*] *Bacchum*, per quem vinum intelligitur.

127. *Miſer*] Quia auro frui non poſſet.

132. *Lenæe*] *Bacche*: nam id illi apud Græcos à torculare datum nomen.

135. *Fidem data munera*] Elegans appoſitio, *Heinſ.*

137. *Sardibus*] Sardes urbs Lydiæ, Cræſi regia, quam Pactolus præterfluebat.

147. *Panaque*] Pan paſtorum Deus, ſemicaper & cornutus, de quo Metam. 1.

Tmolus

Tmolus in aſcenſu: clivoque extentus utroque,
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.
Pan ibi dum teneris jactat ſua carmina Nymphis,
Et leve ceratâ modulatur arundine carmen;
Auſus Apollineos præ ſe contemnere cantus,
Judice ſub Tmolo certamen venit ad impar.
Monte ſuo ſenior judex conſedit; & aures
Liberat arboribus. Quercu coma cærula tantùm
Cingitur; & pendent circum cava tempora glandes.
Iſque Deum pecoris ſpectans, In judice, dixit,
Nulla mora eſt. Calamis agreſtibus inſonat ille;
Barbaricoque Midan (aderat nam ſortè canenti)
Carmine delinit. Poſt hunc ſacer ora retorſit
Tmolus ad os Phœbi: vultum ſua ſilva ſecuta eſt.
Ille caput flavum lauro Parnaſſide vinctus
Verrit humum Tyrio ſaturatâ murice pallâ:
Inſtructamque fidem gemmis & dentibus Indis
Suſtinet â læva; tenuit manus altera plectrum.
Artificis ſtatus ipſe fuit. Tum ſtamina docto
Pollice ſollicitat: quorum dulcedine captus
Pana jubet Tmolus citharæ ſubmittere cannas.
Judicium ſanctique placet ſententia montis
Omnibus. Arguitur tamen, atque injuſta vocatur
Unius ſermone Midæ. Nec Delius aures
Humanam ſtolidas patitur retinere figuram;
Sed trahit in ſpatium. Villiſque albentibus implet;
Inſtabileſque imo facit: & dat poſſe moveri:
Cætera ſunt hominis: partem damnatur in unam:
Induiturque aures lentè gradientis aſelli.

proſpiciens maria, & porrectus colle duplici hinc terminatur Sardibus, illinc exiguis Hypæpis. Dum Pan ibi gloriosè commendat ſuos verſus mollibus Nymphis, & canit tenuem cantilenam fiſtulâ cerâ compactâ, non veritus eſt ſpernere carmina Apollinea præ ſuis: deſcendit ad iniquum certamen Tmolo arbitro. Arbiter ætate provectior ſedit ſuper ſuo monte, & removet arbores ab auribus: Capilli cærulei tantùm ſunt redimiti quercu, & glandes pendent circum depreſſa tempora. Iſque intuens Deum pecoris, Nulla, inquit, eſt cunctatio in arbitro. Ille ſonum inſpirat arundinibus compoſitis, atque demulcet Midæ aures, (nam forte præſens erat cantanti) cantu inculto. Poſt hunc Tmolus ſacer convertit vultus ad ora Apollinis, ſua ſilva ſecuta eſt vultus. Ille habens caput aureum redimitum lauro ex Parnaſſo petitâ radit terram pallâ imbutâ murice Tyrio: atque tenet à ſiniſtrâ citharam decorum gemmis & ebore: manus altera tractavit plectrum. Illa fuit poſtura artificis. Tum tangit chordas perito pollice; quarum ſuavitate delinitus Tmolus, Pan cogitur ſubjicere fiſtulam ſuam Apollinis lyræ; atque judicium & arbitrium ſancti montis probatur omnibus. Improbatur tamen, & dicitur iniquum oratione ſolius Midæ, ergo Delius prohibet aures fatuas ſervare formam humanam; ſed amplas facit, atque implet pilis albis; & reddidit mobiles ab infimâ parte, & facit ut poſſint agitari. Reliqua ſunt hominis: punitus in uno membro, & oneratur auribus aſini tardi incedentis.

NOTÆ.

152. *Hypæpis*] Hypæpæ, ſeu Hypæpa, fuit urbs Lydiæ Veneri ſacra.

156. *Tmolo*] Deo montis Tmoli. Nam montibus ſua fuerunt numina æquè ac fontibus.

157. *Liberat*] Ab auribus removet: vel aures removet ab arboribus, quibus cingebatur, quò commodius audiat litigatores.

165. *Parnaſſide*] Ex Parnaſſo, Apollini ſacrò monte decerpta.

166. *Saturatâ*] Dibapham, ſeu bis tinctam purpuram intelligit; quam precioſiſſimam Tyro Phœnitiæ urbe peti jam ſæpe diximus.

171. *Cannas*] Ex quibus conſtabat victi Dei fiſtula.

174. *Delius*] Apollo in Delo natus.

175. *Stolidas*] Hæc Midæ aurium metamorphoſis, vel ex earum naturali proceritate, vel ex eo quòd hinc inde & ubique Corycæos haberet omnia ſubauſcultantes, quæ ſibi referrent, nata videtur. Cæterùm appoſitiſſimè eâ parte multatus Midas, quâ deliquerat.

V. *Ille quidem occultat caput, atque conatur tegere tiaris purpureis tempora gravata pudendo probro. Ast servus ejus, qui consueverat ferro tondere prolixos crines, istud spectaverat: qui cùm veretur propalare spectatum probrum, cupiens illud in publicum proferre: neque tamen possit silentio premere seorsum abit, & erudit terram & narrat exiguo sono quales viderit aures domini, & immurmurat terræ erutæ: atque regit indicium suæ vocis terrâ iterum congestâ, & fossis tectis, silens abit. Silva spissa mobilibus cannis ibi cœpit crescere; atque, ubi primùm maturuit exacto anno indicavit eum qui terram effoderat: namque agitata à miti Noto reddit voces defossus, & culpat aures domini.*

VI. *Latoïus postquam ultus esset Midam, discedit à Tmolo, atque sustentatus aëre fluido subsistit citra angustum mare Helles Nepheleïdos in campis Laomedonteis. Vetus est altare dicatum Jovi Panomphæo inter promontorium Sigæum à dextrâ, & altum Rhœtæum à sinistrâ. Inde aspicit Laomedontem primùm statuentem muros novæ Trojæ: atque videt magna incœpta tolli labore immenso; neque requirere exiguas divitias. Atque assumit figuram humanam cum rege tridentifero turgidi maris: & struunt mœnia regi Phrygio, auro promisso pro muris. Opus absolutum erat: tyrannus recusat mercedem, atque cumulat*

V. Ille quidem celat, turpiq; onerata pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris.
Sed, solitus longos ferro resecare capillos,
Viderat hoc famulus. Qui, cùm nec prodere visum
Dedecus auderet, cupiens efferre sub auras,
Nec posset reticere tamen, secedit; humumque
Effodit: &, domini quales aspexerit aures,
Voce refert parvâ; terræque immurmurat haustæ;
Indiciumque suæ vocis tellure regestâ
Obruit; & scrobibus tacitus discedit opertis.
Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus
Cœpit; &, ut primùm pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam. Leni nam motus ab Austro
Obruta verba refert; dominique coarguit aures.

VI. Ultus abit Tmolo; liquidumque per aëra vectus
Angustum citra pontum Nepheleïdos Helles
Laomedonteïs Latoïus adstitit arvis.
Dextera Sigæi, Rhœtæi læva profundi
Ara Panomphæo vetus est sacrata Tonanti.
Inde novæ primùm moliri mœnia Trojæ
Laomedonta videt; susceptaque magna labore
Crescere difficili; nec opes exposcere parvas.
Cumque tridentigero tumidi genitore profundi
Mortalem induitur formam; Phrygioque tyranno
Ædificant muros, pacto pro mœnibus auro.
Stabat opus: pretium rex inficiatur; & addit

NOTÆ.

192. *Agricolam*] Tonsorem, & simul Midam, quem ille asini aures habere terræ immurmuraverat.

193. *Obruta verba*] Sc. *Rex Midas aures asini habet.*

194. *Ultus*] Apollo, qui Midæ aures protraxerat.

195. *Helles*] Quæ Athamantis & Nepheles fuit filia, Phryxi soror, quocum novercæ insidias fugiens in mare decidit, quod ab eâ Hellespontus dictum est.

196. *Laomedonteis*] Quæ Laomedontis erant Trojanorum regis.

Ib. *Latoïus*] Apollo Latonæ filius.

197. *Sigæi*] Sigæum & Rhœtæum notissima sunt Trojæ promontoria, inter quæ Ara Jovi Panomphæo fuerat erecta.

198. *Panomphæo*] Id est, Eustathio interprete, qui omnium voces audiat, vel omnium voce collatur; ex παν & ὁμφη.

202. *Tridentigero*] Neptuno, cujus insigne tridens.

203. *Phrygio*] Qui Phrygiæ minori, quæ & Troas dicitur, imperavit.

204. *Ædificant*] Herodotus scribit. Laomedontem templa Apollinis & Neptuni depeculatum, thesauros Deorum sacris dicatos, ad extruenda Trojæ mœnia convertisse. Quamvis verò similius est, lutea vel etiam lateritia mœnia, aquâ Neptuniâ primum mista, Phœbæâ deinde face aruisse.

Perfidiæ

Perfidiæ cumulum falsis perjuria verbis.
Non impunè feres, rector maris inquit: & omnes
Inclinavit aquas ad avaræ littora Trojæ.
Inque freti formam terras convertit; opesque
Abstulit agricolis; & fluctibus obruit arva.
Pœna neque hæc satìs est: Regis quoque filia monstro
Poscitur æquoreo. Quam dura ad saxa revinctam
Vindicat Alcides; promissaque munera doctos
Poscit equos: tantique operis mercede negatâ.
Bis perjura capit superatæ mœnia Trojæ.
Nec pars militiæ Telamon sine honore recessit:
Hesioneque datâ potitur. Nam conjuge Peleus
Clarus erat Divâ. Nec avi magìs ille superbit
Nomine, quàm soceri. Siquidem Jovis esse nepoti
Contigit haud uni: conjux Dea contigit uni.

VII. Namque senex Thetidi Proteus, Dea, dixerat, undæ,
Concipe; mater eris juveni, qui fortibus actis
Acta patris vincet; majorque vocabitur illo.
Ergo ne quicquam mundus Jove majus haberet,
Quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes;
Jupiter æquoreæ Thetidis connubia vitat:
In suaque Æaciden succedere vota nepotem
Jussit; & amplexus in virginis ire marinæ.
Est sinus Hæmoniæ curvos falcatus in arcus:
Brachia procurrunt; ubi, si foret altior unda,
Portus erat: summis inductum est æquor arenis.

perfidiam fictis vocibus & perjurio. Non discedes inultus, inquit, moderator æquoris: atque impulit omnes aquas ad littora fordidæ Trojæ. Et mutat solum in speciem æquoris, & rapuit divitias colonis; & opprimit campos undis. Neque hæc vindicta satis est, filia etiam tyranni petitur ceto marino. Quam rupi rigidæ alligatam Hercules liberat; atque petit equos pactos quos illi *mercedis loco promiserat* Laomedon; *& præmio negato tanti operis, potitur muris Trojæ victæ bis perjuræ. Neque Telamon unus ex exercitu abiit sine gloriâ: & fruitur Hesione* ab Hercule *traditâ. Nam Peleus inclytus erat Deâ uxore: neque ille magìs gloriatur nomine avi quàm soceri: siquidem non soli* Peleo *evenit esse nepoti Jovis. Dea uxor evenit soli.*

VII. *Namque senex Proteus dixerat Thetidi, ô Dea æquoris, concipe; eris genitrix juvenis, qui superabit facinora* [*et*] *patris strenuis facinoribus: & dicetur major illo. Adeòque ne mundus quicquam haberet majus Jove, quanquam Jupiter corde arsisset flammâ violentâ fugit conjugium Thetidis marinæ, & imperavit Æacidem nepotem suum succedere suis votis, & venire in amplexus puellæ æquoreæ. Est sinus in Thessaliâ curvis flexibus arcuatus in similitudinem falcis: eminentia* promontoria in mare *protenduntur; ubi si fluctus essent tumidiores, erat portus: mare est extensum super extremis arenis.*

NOTÆ.

211. *Filia*] Hesione est.

214. *Equos*] Quos quidem ex Solis equorum progenie esse dicebant.

215. *Bis*] In Deos, Neptunum, viz. & Apollinem primò, deinde in Herculem.

216. *Sine honore*] Huic namque Æaci filio, Hercules Hesionem, ob rem præclarissimè gestam præmii loco dedit: ex quâ Ajacem & Teucrum suscepit.

217. *Peleus*] Qui Telamonis frater, Jovisque nepos. Thetidi, Nerei & Doridis filiæ, matrimonio est conjunctus.

219. *Socri*] Nerei, Oceani & Tethyos filii, vatis Deique antiquissimi.

221. *Proteus*] Deus marinus fuit, Neptuni filius. Phocarum seu vitulorum marinorum pastor.

225. *Haud tepidos*] Nam Thetidis amore Jupiter vehementer correptus fuerat.

226. *Vitat*] Jovi, inquit Fulgentius, qui ignis est, cum Thetide, i. e. aquâ, coire non licet.

227. *Nepotem*] Peleum Æaci filium, quem quidem Æacum Jupiter ex Æginâ Asopi filiâ suscepit.

229. *Hæmoniæ*] Thessaliæ.

Littus

Habet littus firmum, quod neque accipiat pedum signa, neque impediat incessum, neque sit molliter sectum algâ. Silva Myrtea illud cingit consita baccis bicoloribus. Est antrum in medio: dubium paratumne arte an naturâ, magis arte tamen: quò sæpe venire consueveras nuda, Theti, vecta delphino frænato. Peleus illic te invadit cùm strata esses, & sopore devincta: & quoniam precibus delicita recusas, vim intentat, complectens colla amborum brachiis. Quod nisi confugisses ad consuetas artes formis sæpe mutatis, ille concubitu appetito potitus esset. Verùm tu nunc avis; tamen ille premebat avem; nunc magna eras arbor: Peleus tenebat arborem. Tertia figura fuit tigridis maculatæ: Æacides illâ tremefactus tollit lacertos à corpore. Tum sacrum facit Diis maris, mero sparso supernata, & fibris pecudum, & fumo thuris: donec vates Carpathius dixit de mediâ abyssò. Æacide, frueris optatis thalamis. Tu tantùm, cùm illa dormiens jacebit in speluncâ frigidâ, ligato nesciam funibus, & firmis vinculis. Neque te fallat mutata in mille formas: sed urge quicquid erit, donec restituit priùs se in eam formam, quam primò vidisti eam habuisse. Proteus hæc fatus erat; & abdidit faciem in mari; & recipit se in suas undas statim post verba ultima. Sol vergebat ad occasum, & tenebat mare occiduum curru prono, cùm formosa Nereïs; (Thetis Nereï filia) mari deserto, subit lectos solitos.

Littus habet solidum, quod nec vestigia servet,
Nec remoretur iter; nec opertum pendeat algâ.
Myrtea silva subest bicoloribus obsita baccis.
Est specus in medio; naturâ factus, an arte,
Ambiguum; magis arte tamen: quò sæpe venire
Frænato delphine sedens, Theti, nuda solebas.
Illîc te Peleus, ut somno vincta jacebas,
Occupat: & quoniam precibus tentata repugnas,
Vim parat, innectens ambobus colla lacertis.
Quòd nisi venisses variatis sæpe figuris
Ad solitas artes; auso foret ille potitus.
Sed modò tu volucris (volucrem tamen ille tenebat;
Nunc gravis arbor eras: hærebat in arbore Peleus.
Tertia forma fuit maculosæ tigridis: illâ
Territus Æacides à corpore brachia solvit.
Inde Deos pelagi, vino super æquora fuso,
Et pecoris fibris, & fumo thuris adorat:
Donec Carpathius medio de gurgite vates,
Æacide, dixit, thalamis potiere petitis.
Tu modo, cùm gelido sopita quiescet in antro,
Ignaram laqueis vincloque innecte tenaci.
Nec te decipiat centum mentita figuras:
Sed preme quicquid erit: dum, quod fuit antè, reformet.
Dixerat hæc Proteus: & condidit æquore vultum;
Admisitque suos in verba novissima fluctus.
Pronus erat Titan, inclinatoque tenebat
Hesperium temone fretum: cùm pulchra relicto
Nereïs ingreditur consueta cubilia ponto.

NOTÆ.

233. *Pendeat*] Pendere videtur littus cùm algâ opertum est, quæ pedibus cedit.

238. *Vincta*] Rectiùs quàm *Victa*. Sic enim passim loquuntur poëtæ, & somnus Δεσμὸς Græcis dicitur. Sic Orpheus Hymno in somnum; Σώματα δεσμεύων: &c.

247. *Vino*] Sicut Diis aliis in arâ, mensâ, foco, aut terrâ libatum est. Sic Virgil.

——*Extaque salsos*
Projiciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

248. *Pecoris fibris*] Sacrificiis nempe marinorum Deorum favorem sibi conciliare studuit.

249. *Carpathius*] Proteus est, qui in Carpathio mari, à Carpatho insulâ dicto, habitat: de quo Virg. Georg. 4.

Est in Carpathio Neptuni gurgite Vates
Cæruleus Proteus.

252. *Vinclo*] Ad imitationem Homerici Protei, à Menelao constricti. Odyss. δ.

258. *Fretum*] Atlanticum mare, in quod condi videtur sol vespertinus.

Vix

Vix bene virgineos Peleus invaserat artus;
Illa novat formas; donec sua membra teneri
Sentit: & in partes diversas brachia tendi.
Tum demùm ingemuit: Neque, ait, sine numine vincis:
Exhibita est; Thetis. Confessam amplectitur heros,
Et potitur votis: ingentique implet Achille.
VIII. Felix & nato, felix & conjuge Peleus;
Et cui, si demas jugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant. Fraterno sanguine sontem,
Expulsumque domo patriâ Trachinia tellus
Accipit: Hîc regnum sine vi, sine cæde, tenebat
Lucifero genitore satus, patriumque nitorem
Ore ferens Ceyx; illo qui tempore mœstus,
Dissimilisque sui, fratrem lugebat ademtum.
Quò postquam Æacides fessus curâque, viâque
Venit; & intravit paucis comitantibus urbem;
Quosque greges pecorum, quæ secum armenta trahebat,
Haud procul à muris sub opacâ valle reliquit;
Copia cùm facta est adeundi prima tyranni,
Velamenta manu prætendens supplice, qui sit,
Quoque satus, memorat. Tantùm sua crimina celat.
Mentitusque fugæ causam, petit urbe vel agro
Se juvet. Hunc contrâ placido Trachinius ore
Talibus alloquitur: Mediæ quoque commoda plebi

Vix Peleus bene occupaverat membra virginea, illa mutat figuras, donec sentit suos artus esse ligatos, & lacertos in partes varias esse porrectos. Tum demum ingemuit: Neque, inquit, es fortior sine Dei auxilio: atque cùm reddita erat ad formam, fuit Thetis. Heros amplectitur confessam, & fruitur desiderio, & gravidam fecit magno Achille.

VIII. *Peleus & beatus filio, & beatus uxore; & cui, si tollas flagitium Phoci mactati, omnia bene cesserant. Terra Trachinia excipit reum necis fraternæ, atque exulem domo patriâ: Ceyx genitus patre Phosphoro, atque vultu referens splendorem paternum, hîc habebat imperium sine vi, sine cæde: qui eo tempore tristis, atque sibi dispar flebat fratrem sublatum. Quò postquam Æacides lassus solicitudine & itinere accessit, atque subiit urbem paucis stipantibus, & relictis gregibus pecudum, & armentis quæ secum ducebat non longè à mœnibus in obscurâ valle, cùm primùm datus est locus conveniendi regis, porrigens velamina manu supplici, quis sit refert, & quo* patre *genitus: tantum obticet sua flagitia: atque fingens causam exilii petit ut sibi auxilium præbeat urbis vel agri. Trachinius* Ceyx *huic vicissim respondet leni vultu; infimo populo etiam bona*

NOTÆ.

260. *Peleus*] Peleus, inquit Fulgentius, est Πηλὸς lutum, terra, i. e. caro: Thetis aqua. i. e. humor; Jupiter qui utrâque gignit, & conjungit, est ignis, i. e. anima. Hinc natus Achilles, i. e. homo perfectus.]

267. *Phoci*] Quem Æaci filium fuisse lib. 7. vidimus: atque adeò, quanquam aliâ matre, Psamathe nimirum Nerei filia, Pelei fratrem esse constat. Sævus fuit; quamobrem disco per quinquertii ludum à Peleo, matri suæ gratificato, occisus.

269. *Trachinia*] Thessaliæ regio, in qua urbs Trachin ab Hercule condita, infrâ v. 627. Apollodorus tamen lib. 3. refert, Peleum non Trachin sed Phthiam exulatum pervenisse.

271. *Nitorem*] Luciferi enim stella valde clara & radians.

273. *Dissimilis*] Nam præ se antea animi quandam hilaritatem ferre consueverat; at nunc mœstus.

Ib. *Fratrem*] Dædalionem hominem violentem, in accipitrem mutatum, cujus mox fata poëta enarrabit.

279. *Velamenta*] Pacem aut veniam petentes præferebant Oleæ ramos, laneis vittis obvolutos, qui repræsentarent manus vinctas & se dedentes.

280. *Crimina*] Phoci fratris cædem.

285. *Mediæ*] Ut multò magis Peleo ejusque comitibus Ceycis regnum patere intelligatur.

nostræ concessa sunt, Peleu neque possidemus imperium barbarum. Adde huic nostræ voluntati validas orationes, nomen illustre, & Jovem avum: neque abutere tempore orando; habebis quodcunque poscis: atque credas hæc qualiacunque cernis tua esse pro parte: utinam potiora cerneret: Atque lachrymabatur. Peleus & socii exquirunt quæ causa sit tantos mœrores. Quibus ille respondet: Fortè existimetis hanc avem quæ vescitur prædâ, & persequitur omnes aves, semper tectam fuisse plumis. Homo fuit, nomine Dædalion, & tantùmest mentis robur quantùm sævus erat, & bello acer, atque expeditus ad cædem, genitus illo patre qui præcedit Auroram, & ultimus egreditur cœlo. Ego pacem amavi, solicitus mihi ipsi pacis servandæ atque connubii: crudelia bella grata erant fratri. Illius virtus vicit reges & nationes, quæ nunc transformata vexat columbas Thisbeas. Filia & fuit Chione: quæ cum esset pulcherrima placuit mille rivalibus, viro matura quatuordecim annis.

Noſtra patent, Peleu; nec inhoſpita regna tenemus.
Adjicis huic animo momenta potentia, clarum
Nomen, avumque Jovem. Nec tempora perde precando:
Quod petis, omne feres. Tuaque hæc pro parte videto,
Qualiacunque vides. Utinam meliora videres!
Et flebat. Moveat quæ tantos cauſa dolores,
Peleuſque, comiteſque rogant. Quibus ille profatur:
Forſitan hanc volucrem, rapto quæ vivit, & omnes
Terret aves, ſemper pennas habuiſſe putetis.
Vir fuit: & tanta eſt animi conſtantia quantùm
Acer erat, belloque ferox, ad vimque paratus,
Nomine Dædalion; illo genitore creatus
Qui vocat Auroram, cæloque noviſſimus exit.
Culta mihi pax eſt; pacis mihi cura tenendæ,
Conjugiique fuit; fratri fera bella placebant.
Illius virtus reges, genteſque ſubegit,
Quæ nunc Thiſbeas agitat mutata columbas.
Nata erat huic Chione: quæ dotatiſſima formâ
Mille procis placuit, bis ſeptem nubilis annis.
Fortè revertentes Phœbus, Maïâque creatus,
Ille ſuis Delphis, hic vertice Cyllenæo,
Vidêre hanc pariter, pariter traxêre calorem.
Spem Veneris differt in tempora noctis Apollo;
Non tulit ille moras: virgâque movente ſoporem
Virginis os tangit. Tactu jacet illa potenti;

Fortè Apollo, & filius Maiæ redeuntes, ille suis Delphis, hic cacumine Cyllenes, hanc simul adspexerunt, simul amore correpti sunt. Apollo producit spem Veneris in tempus noctis; ille non passus est cunctationem, atque tangit os puellæ baculo inducente somnum. Illa sternitur tactu potenti;

NOTÆ.

285. *Huic animo*] Noſtro animo per ſe benigno & liberali.

291. *Volucrem*] De accipitre loquitur, in quem Ceycis frater Dædalion mutatus.

296. *Qui vocat*] Periphraſis eſt Luciferi, qui, appropinquante Aurorâ, quam vocare videtur, *cæli ſtatione noviſſimus exit*, ut ait noſter lib. 2. v. 115. Utpote ſphærâ terræ propiore vectus.

300. *Thiſbeas*] Thiſbe eſt urbs Bœotiæ, à Thiſbe Aſopi filiâ cognominata, columbis abundans, unde Thiſbeus. Hîc autem per ſynecdochen pro quibuſvis columbis.

Ib. *Mutata*] In accipitrem mutatum Dædalionem Ceycis fratrem diximus.

303. *Maïæ*] Mercurius eſt Jovis, ex Maïa Atalante fatâ, filius.

304. *Delphis*] Urbs ad Parnaſſi radices ſita, Apollinis oraculo clariſſima.

Ib. *Cyllenæo*] Cyllene Arcadiæ monte, in quo Mercurius natus dicitur.

305. *Traxêre calorem*] Chionen ambo unà amare cœperunt.

307. *Virgâque*] Alata ea fuit, duobuſque implicata ſerpentibus, quam *Caduceum* vocitârunt.

Vimque

Vimque Dei patitur. Nox cœlum sparserat astris;
Phœbus anum simulat; præceptaque gaudia sumit.
Ut sua maturus complevit tempora venter:
Alipedis de stirpe Dei versuta propago
Nascitur Autolycus, furtum ingeniosus ad omne:
Qui facere assuêrat patriæ non degener artis,
Candida de nigris, & de candentibus atra.
Nascitur è Phœbo (namque est enixa gemellos)
Carmine vocali clarus, citharâque Philammon.
Quid peperisse duos, & Diîs placuisse duobus;
Et forti genitore, & progenitore Tonanti
Esse satam prodest? an obest quoque gloria multis?
Obfuit huic certè. Quæ se præferre Dianæ
Sustinuit; faciemque Deæ culpavit. At illi
Ira ferox mota est: Factisque placebimus inquit.
Nec mora: curvavit cornu; nervoque sagittam
Impulit: & meritam trajecit arundine linguam.
Lingua tacet: nec vox tentataque verba sequuntur:
Conantemque loqui cum sanguine vita reliquit.
Quem (misera ô pietas!) ego tum patruoque dolorem
Corde tuli, fratrique pio solatia dixi.
Quæ pater haud aliter, quàm cautes murmura ponti,
Accipit; & natum delamentatur ademtam.
Ut verò ardentem vidit; quater impetus illi
In medios fuit ire rogos, quater inde repulsus
Concita membra fugæ mandat: similisque juvenco

& violatur à Deo. Nox sparserat cœlum sideribus. Apollo fingit se anum, atque capit gaudia præcepta. Postquam uterus maturus absolvit sua tempora, Autolycus, nascitur proles astuta de stirpe Dei alipedis, versutus ad omne furtum, qui, non alienus ab arte paternâ, solitus erat vertere alba in atra atque atra in alba. Philammon insignis carmine sonoro, atque lyrâ, nascitur ex Apolline. (Namque emisit geminos.) Quid juvat genuisse duos, & gratum fuisse duobus Diis, & esse genitum strenuo patre, & avo Jove? An etiam gloria multis nocet? Nocuit certè huic; quæ non verita est se anteponere Dianæ; atque reprehendit vultus Deæ. At illa incensa est irâ crudeli: atque inquit, Placebimus factis. Nec mora: sinuavit arcum, atque emisit sagittam nervo, & transfixit calamo linguam meritam. Lingua silet; neque vox, neque verba, quæ emittere conabatur Chione, *sequuntur; & vita & sanguis desituit nitentem loqui. Quem dolorem (ô infelix pietas!) ego tum passus sum animo patruo & consolationes obtuli pio fratri. Quas pater non secùs audit quàm rupes* audiunt *strepitum maris: atque usque valdè lamentatur filiam sublatam. Cùm verò adspexit eum flagrantem, quater ille conatus est sese immittere in medios rogi* ignes; *quater inde prohibitus in fugam vertit celeres pedes; atque similis juvenco*

NOTÆ.

410. *Anum*] Similiter lib. 6. 26. *Pallas anum simulat falsoque ad tempora canos Addit*, &c.

Ib. *Præcepta*] Hoc est vel *priùs capta* à Mercurio, vel *gaudia præcepta* sunt, quæ Apollo *priùs* animo *conceperat*; quippe ver. 306. poëta ait:

Spem Veneris differt in tempora noctis Apollo.

312. *Alipedis*] Mercurii, cujus talaria ideo alata finguntur, quòd omnium planetarum sit velocissimus.

314. *Patria*] Patris Mercurii, qui Deus furacissimus. Κακῦ κέρδεος κακὸν ἄνδρα.

317. *Philammon*] Huic, ut & fratri alium alii patrem assignavêre.

319. *Progenitore*] *Jove*, qui Luciferi pater, Dædalionis avus, Chiones fuit proavus, quanquam progenitorem, seu avum, licentiâ familiari dixit poëta.

323. *Factisque*] Sarcasmus est, ac si Diana irata diceret, *Si non formâ, certè factis placebo.*

328. *Patruo*] Id est, *forti vel duro*, ut exponit Heinsius, Sic Horatius ait, *Ne sis patruus mihi.*

329. *Dixi*] Flentem eum suprà vidimus, cùm primo Peleum est alloquutus.

ferenti cervice onustâ aculeos vesparum, qua nullum ferè est iter, prorumpit. Jam tum mihi visus est currere plùs quàm homo posset; atque crederes pedes induisse alas. Adèoque sese subtraxit omnibus; & celer mortis desiderio, pervenit ad cacumen Parnassi. Cùm Dædalion se dedisset præcipitem ab excelsâ rupe, Apollo miseratus mutavit in accipitrem, & lævavit cadentem alis subitò natis; atque rostrum aduncum fecit, adjecit uncos hamatos unguibus, præbuit quidem fortitudinem pristinam, vires verò amplìores quàm ut illi tam parvo corpori convenirent. Atque nunc accipiter nulli non inimicus feritatem exercet in omnes; & dolens est causa dolendi aliis.

Spicula crabronum pressâ cervice gerenti
Quà via nulla, ruit. Jam tum mihi currere visus
Plus homine est: alasque pedes sumsisse putares.
Effugit ergo omnes; veloxque cupidine leti
Vertice Parnassi potitur. Miseratus Apollo,
Cùm se Dædalion saxo misisset ab alto,
Fecit avem, & subitis pendentem sustulit alis;
Oraque adunca dedit, curvos dedit unguibus hamos,
Virtutem antiquam, majores corpore vires.
Et nunc accipiter, nulli satìs æquus, in omnes
Sævit aves; aliisque dolens fit causa dolendi.

IX. *Quæ monstra dum filius Phosphori refert de suo fratre; Anetor Phocæus pastor armenti festino cursu anhelans adcurrit. Heu Peleu, Peleu, inquit, hìc jam tibi nuncius magni damni! Peleus hortatur aperire quodcunque habeat. Ipse heros Trachinius solicitus est & tremit ex timore. Ille narrat: Egeram tauros lassos ad obliquæ littora, cùm sol excelsissimus medio orbe, tantùm retro cerneret, quantum videret superesse. Atque pars juvencorum genua flexerat in flavis arenis, & recubans prospiciebat æquor vastarum aquarum: pars huc & illuc vagabatur lentis passibus: alii natant, & eminent altis cervicibus super aquas. Templum adjacet mari, neque marmore insigne, neque auro; sed opacum spissis arboribus & antiquo luco. Nereïdibus & Nerco sacrum. Nauta qui siccat retia in littore dixit hos esse Deos templi. Palus consita spissis solictis est huic proximæ, quam aqua maris æstuantis facit. Hic lupus ingens fera, cujus fauces, fulminis instar, omnia proterentes infectæ erant spumis & crasso tabo;*

IX. Quæ dum Lucifero genitus miracula narrat
De consorte suo; cursu festinus ánhelo
Advolat armenti custos Phocæus Anetor.
Heu Peleu, Peleu, magnæ tibi nuncius adsum
Cladis, ait? quodcunque ferat, jubet edere Peleus:
Pendet, & ipse metu trepidat Trachinius heros.
Ille refert: Fessos ad littora curva juvencos
Appuleram, medio cùm sol altissimus orbe
Tantùm respiceret, quantùm supereße videret.
Parsque boum fulvis genua inclinârat arenis,
Latarumque jacens campos spectabat aquarum:
Pars gradibus tardis illùc errabat & illùc:
Nant alii, celsoque exstant super æquora collo.
Templa mari subsunt, nec marmore clara, nec auro;
Sed trabibus densis, lucoque umbrosa vetusto.
Nereïdes, Nereusque tenent. Hos navita templi,
Edidit esse Deos, dum retia littore siccat.
Juncta palus huic est densis obsessa salictis,
Quam restagnantis fecit maris unda paludem.
Inde fragore gravi strepitans loca proxima terret
Bellua vasta lupus, silvisque palustribus exit,

Et Sol ex æquo metâ distabat utrâque.

NOTÆ.

347. *Consorte*] Dædalione fratre.

348. *Phocæus*] Ex Phocide Achaiæ regiuncolâ oriundus.

352. *Littora*] Aquatum, aut ad refrigeratum.

353. *Medio cùm*] Periphrasis est meridiei. Sic. lib. 3.

Jamque dies medium rerum contraxerat umbras.

356. *Campos aquarum*] Uti campus maris dicitur, sic & æquor soli, ut Juvenal, de equo —Qui fervet in *æquore* primus.

363. *Palus*] Locum luporum latebris accommodatissimum describit.

Oblitus

Oblitus & ſpumis & ſpiſſo ſanguine rictus
Fulmineos; rubrâ ſuffuſus lumina flammâ.
Qui, quanquam ſævit pariter rabieque, fameque,
Acrior eſt rabie, neque enim jejunia curat
Cæde boum, diramque famem ſatiare, ſed omne
Vulnerat armentum, ſternitque hoſtiliter omne.
Pars quoque de nobis funeſto ſaucia morſu,
Dum defenſamus, leto eſt data. Sanguine littus
Undaque prima rubent, demugitæque paludes.
Sed mora damnoſa eſt, nec res dubitare remittit.
Dum ſupereſt aliquid, cuncti coëamus, & arma,
Arma capeſſamus, conjunctaque tela feramus.
Dixerat agreſtis. Nec Pelea damna movebant:
Sed memor admiſſi Nereïda colligit orbam
Damna ſui inferias extincto mittere Phoco.
Induere arma viros, violentaque ſumere tela
Rex jubet Oetæus; cum queis ſimul ipſe parabat
Ire. Sed Halcyone conjux excita tumultu
Proſilit, &, nondum totos ornata capillos,
Disjicit hos ipſos: colloque infuſa mariti,
Mittat ut auxilium ſine ſe, verbiſque precatur,
Et lachrymis; animaſque duas ut ſervet in unâ.
Æacides illi, Pulchros, regina, pioſque,
Pone metus: plena eſt promiſſi gratia veſtri.
Non placet arma mihi contra nova monſtra moveri.
Numen adorandum pelagi eſt. Erat ardua turris;
Arce focus ſummâ; feſſis loca grata carinis.
Adſcendunt illùc, ſtratoſque in littore tauros
Cum gemitu aſpiciunt, veſtatoremque cruento

atque *oculi erant pleni rutilante igne, erumpit ſilvis paluſtribus cum ingenti ſtrepitu, atque frendens terrorem incutit locis proximis. Qui licet ſimul furit propter famem atque rabiem, vehementior eſt tamen propter rabiem. Neque enim intendit explere jejunia & acrem famem morte taurorum, ſed mactat totum armentum, & proterit hoſtiliter. Pars etiam noſtrûm vulnerata letali morſu dum conamur arcere, interfecta eſt. Littus & prima aqua, & paludes mugitu* boum *repletæ rubent ſanguine. Sed cunctatio eſt pernicioſa, neque res ſinit hæſitare. Quamdiu aliquid reſtat, omnes conveniamus, & arma, arma induamus, & feramus jacula ſecid. Ruſticus abſolverat. Neque clades tangebat Peleum: Verùm recordans facinoris patrati, ratiocinatur Nereïdem filio privatam mittere Phocom actato inferias ex ſuis diſpendiis. Rex Oetæus imperat viros ſumere arma; & capere ſæva miſſilia; cum quibus ipſe volebat proficiſci. Sed uxor Halcyone evocata ſtrepitu, prorumpit* ex Gynæceo, *& nondum compoſitos habens omnes capillos diſturbat hos ipſos, atque projecta in collum conjugis, orat voce atque lachrymis ut mittat auxilium, & ipſe non proficiſcatur, ſed* ut præſens *tueatur duas animas in unâ. Æacides illi* dixit, *Omitte, regina, honeſtos & pios timores: gratia veſtri promiſſa eſt integra. Mihi non eſt animus arma parare adverſus nova monſtra. Nympha maris eſt adoranda. Erat turris excelſa* atque *focus* in *ſuprema arce; loca jucunda navibus fatigatis. Illùc ſcandunt, & vident cum dolore boves mactatos in littore, atque populatorem ſanguinolento*

NOTÆ.

368. *Fulmineos*] Sic ſæpe de apri dentibus noſter, ut Lib. 8. 289. & Lib. 550, quod ardenti afflatu ſint rictus, & omnia proterant inſtar fulminis.

380. *Sed memor*] Conſcius ſibi parricidii Peleus ſuſpicatur Pſamathen, Nereï filiam, quæ in templo illo colebatur, ſibi infenſam boum cæde filio ſuo phoco inferias referre velle; reprimit ergo ſe ſuoſque ab armis & vindictâ, atque ad placandum numen ſe convertit.

381. *Damni ſui*] Id eſt *cædem boum. Sui* pro *ſuâ*.

383. *Rex Oetæus*] Ceyx rex Trachinis, quam urbem Hercules ſub Oetâ monte condidit.

388. *Unâ*] Halcyones vitam à Ceycis vitâ pependiſſe exitus declarat: illo enim in mari ſubmerſo, ipſa quoque dolore vitam finit.

389. *Pulchros*] *Laudabiles*; utpote pro mariti ſalute.

392. *Numen*] *Pſamathe* Nympha marina.

393. *Focus*] Pharos ſeu ignita turris, noctu lucens, cujus beneficio nautæ iter ſuum ad portum dirigerent.

Sævum ritu ferentem prolixos pilos inquinatos sanguine. Peleus porrigens manus versus littora vastissima maris, precatur glaucam Psamathen, ut ponat iram, atque præbeat auxilium. Neque illa movetur precibus Æacidæ orantis. Thetis supplex impetravit hanc veniam, pro marito. At enim lupus imperterritus perstat in violentâ ferâ, dulcedine sanguinis irritatus; donec vertit in saxum lupum affixum collo dilaniatæ juvencæ: atque corpus retinuit omnia præter colorem. Color saxi declarat illum jam non esse lupum, jam non debere reformidari. Neque tamen fata patiuntur Peleum manere in hâc terrâ. Ergo profugus pergit ad Magnetas, atque ibi expiationem accipit ab Acasto Thessalico.

Ore ferum, longos infectum sanguine villos.
Inde manus tendens in aperti littora ponti.
Cæruleam Peleus Psamathen, ut finiat iram,
Orat; opemque ferat. Nec vocibus illa rogantis
Flectitur Æacidæ. Thetis hanc pro conjuge supplex
Accepit veniam. Sed enim irrevocatus ab acri
Cæde lupus perstat, dulcedine sanguinis asper;
Donec inhærentem laceræ cervice juvencæ
Marmore mutavit. Corpus, præterque colorem
Omnia servavit: lapidis color indicat illum
Jam non esse lupum, jam non debere timeri.
Nec tamen hâc profugum consistere Pelea terrâ
Fata sinunt: Magnetas adit vagus exsul, & illic
Sumit ab Hæmonio purgamina cædis Acasto.

X. Interea fratrisque sui, fratremque secutis
Anxia prodigiis turbatus pectora Ceyx,
Consulat ut sacras hominum oblectamina sortes,
Ad Clarium parat ire Deum: nam templa profanus
Invia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas.
Consilii tamen ante sui, fidissima, certam
Te facit, Halcyone, cui protinus intima frigus

X. Interea Ceyx attonitus, & habens pectus solicitum monstris fratris sui, & iis quæ secuta sunt fratrem, constituit proficisci ad Deum Clarium, ut consulat sacra oracula, quæ solatia afferunt hominibus anxiis; nam impius Phorbas reddebat templa Delphica inaccessa cum Phlegyis. Attamen, Halcyone fidelissima, is tibi antea indicat sententiam suam, cujus statim tremor

NOTÆ.

400. *Æacidæ*] Pelei *Conjuge*] Peleo, cui Thetis nupta.

404. *Marmore*] Hoc ideo fictum: quòd vel lupus, vel aliquis parricidii ultor, quod in fratrem Peleus admiserat, placatâ Psamathe, ab eo persequendo desierit.

408. *Magnetas*] Fuerunt Magnetes Thessaliæ populi equorum domitores clarissimi, Magnesiæ regionis incolæ.

409. *Acasto*] Qui Peliæ filius, uxorem Hippolyten duxit: illa Pelei amore capta est: spreta autem illum marito accusavit, quòd se de stupro interpellâsset. Atque eâ causâ quasi ad venationem eductum, dein armis spoliatum in monte Pelio feris lacerandum Peleum reliquit Acastus. Sed illi Mercurius, seu Chiron, opem tulit, ensemque à Vulcano fabricatum præbuit, quo Acastum unâ cum uxore interfecit. Hinc illud Horatii Od. 7. lib. 3.

Narrat penè datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hypolyten dum fugit abstinens.

410. *Fratris*] *Dædalionis* qui in accipitrem mutatus.

Ib. *Fratrem secutis*] Interfectâ utpote à Dianâ Chione, fratris filiâ; quibus adde quæ Pelei causâ evenerant, lupum, viz. in lapidem mutatum.

413. *Clarium*] Ad Apollinis Clari oraculum. Fuit namque Claros Ioniæ civitas juxta Colophonem, Apollinis oraculo nobilis.

Ib. *Templa*] Quæ quidem, cùm propriora essent, breviori tempore & minori labore, nisi Phorbas obstitisset, Ceyx adire potuisset.

414. *Phlegyis*] Populi fuerunt Thessaliæ sacrilegi, templum etiam Delphicum spoliare aggressi, qui tandem ab irato Neptuno diluvio sunt perditi.

Ib. *Phorbas*] Thessalus, Lapithæ filius, latro ferox qui obvios ad pugillatum cogebat, & interficiebat. Deos quoque provocare ausus, donec ab Apolline superatus morte est mulctatus. Pausan.

Ossa

Ossa receperunt; buxoque simillimus ora
Pallor obit: lachrymisque genæ maduêre profusis.
Ter conata loqui, ter fletibus ora rigavit:
Singultuque pias interrumpente querelas,
Quæ mea culpa tuam, dixit, carissime, mentem
Vertit? ubi est, quæ cura mei priùs esse solebat?
Jam potes Halcyone securus abesse relictâ?
Jam via longa placet? Jam sum tibi carior absens?
At (puto) per terras iter est, tantùmque dolebo;
Non etiam metuam; curæque timore carebunt.
Æquora me terrent, & ponti tristis imago.
Et laceras nuper tabulas in littore vidi;
Et sæpe in tumulis sine corpore nomina legi.
Neve tuum fallax animum fiducia tangat,
Quòd socer Hippotades tibi sit; qui carcere fortes
Contineat ventos; & cùm velit, æquora placet.
Cùm semel emissi tenuerunt æquora venti,
Nîl illis vetitum est; incommendataque tellus
Omnis, & omne fretum. Cœli quoque nubila vexant:
Excutiuntque feris rutilos concursibus ignes.
Quò magìs hos novi (nam novi, & sæpe paternâ
Parva domo vidi) magìs hoc reor esse timendos.
Quòd tua si flecti precibus sententia nullis,
Care, potest, conjux, nìmiùmque es certus eundi;
Me quoque tolle simul. Certè jactabimur unà:
Nec, nisi quæ patiar, metuam: pariterque feremus

occupavit ima præcordia; pallor simillimus buxo vultum invasit; & genæ irrigatæ sunt fletibus perfluentibus. Ter conata fari, ter madefecit faciem lachrymis; & singultu intermittente questus ex pio amore provenientes. Quodnam meum crimen, inquit, dilectissime, mutat animum tuum? Ubi est solicitudo de me, quæ antea esse consueverat? Nunc potes absens esse sine ulla anxietate, Halcyone destitutâ? Nunc longum iter est gratum? Nunc sum tibi dilectior, cùm absens fuero? At, credo, via est per tellurem carpenda, & tantum tristis ero: non insuper timebo: & solicitudines erunt sine metu. Maria & aspera facies æquoris me terrefaciunt. Atque nuper spectavi dissectas tabulas in littore; & legi sæpe nomina in sepulcbris inanibus. Neve spes mendax moveat tuam mentem, quòd Hippotades sit tibi socer, qui reprimit ventos vehementer claustris, & componit maria quandocumque liber. Postquam venti semel laxati invaserunt maria, nihil illis est sacrum; neque ulla terra aut ullum mare illis *curæ est. Agitant etiam nubes cæli atque elidunt coruscta fulmina sævis certaminibus. Quò magìs eos novi (nam novi, & cùm parva essem, spectavi, sæpe in domo paternâ) eò magis credo esse metuendos. Quòd si mens tua nullâ oratione moveri potest, dilecte marite; & certò decrevisti proficisci, me etiam tecum arcebo. Nempe agitabimur unà; neque timebo, nisi quæ feram* etiam; *& simul patiemur*

NOTÆ.

425. *Per terras*] Dicit Alcyone Ceycem per continentem posse, si voluerit, proficisci: quod si fecerit, se interea, propter mariti absentiam, tristem quidem fore; non autem timidam adeò atque anxiam de salute, ac si mare transisset.

429. *Tumulis*] Cenotaphia dixerunt tumulos inanes seu imaginarios, quos honoris causâ illis struebant quorum corpora inveniri non possent. Invaluerat enim apud Ethnicos opinio, eorum animas, quorum corpora omni exequiarum honore caruissent, per 100 annis ad inferorum paludem, quam trajicere non possent, non sine dolore maximo errare, *Tumulum inanem* vocat. Vir.

431. *Hippotades*] *Æolus*, rex ventorum Hippotæ Trojani ex filiâ Segestâ, quam Jupiter compressit, nepos: quem quidem Æolum Halcyone patrem habuit, siquidem Nasoni nostro fides; Si Luciano, Æolum Hellenem, Deucalionis nepotem.

434 *Incommendataque*] Ut passim sine omni respectu & curâ, obvia quæque venti proterant & perturbent.

442 *Nisi quæ patiar*] Siquidem absens fictis etiam periculis terreretur.

Quicquid erit: pariter ſuper æquora lata feremur:
Talibus Æolidos dictis, lachrymiſque movetur
Sidereus conjux: neque enim minor ignis in ipſo eſt.
Sed neque propoſitos pelagi dimittere curſus,
Nec vult Halcyonen in partem adhibere periclî;
Multaque reſpondet timidum ſolantia pectus:
Nec tamen idcirco cauſam probat. Addidit illis
Hoc quoque lenimen, quo ſolo flexit amantem:
Longa quidem nobis omnis mora: ſed tibi juro
Per patrios ignes (ſi me modò fata remittant)
Ante reverſurum, quam Luna bis impleat orbem.
His ubi promiſſis ſpes eſt admota recurſûs:
Protinus eductam navalibus æquore tingi,
Aptarique ſuis pinum jubet armamentis.
Quâ rurſus viſâ, veluti præſaga futuri,
Horruit Halcyone: lachrymaſque emiſit obortas:
Amplexuſque dedit: triſtique miſerrima tandem
Ore, Vale dixit: collapſaque corpore toto eſt.
Aſt juvenes, quærente moras Ceyce, reducunt
Ordinibus geminis ad fortia pectora remos:
Æqualique ictu ſcindunt freta. Suſtulit illa
Humentes oculos; ſtantemque in puppe recurvâ,
Concuſsâque manu dantem ſibi ſigna maritum
Prima videt: redditque notas. Ubi terra receſſit

quicquid erit; ſimul vehemur ſuper vaſta maria. Maritus ſidereus flectitur talibus verbis & fletibus Halcyones Æolidos: neque enim minori amore tenetur. Sed neque vult omittere navigationem deſignatam: neque vult admittere Halcyonem in ſocietatem diſcriminis, atque retulit multa lenientia cor pavidum. Neque tamen ideo approbat cauſam quâ uxori perſuadet, ut ſe diſcedere permittat. *Addicit illis hoc quoque ſolamen, quo ſolo movet amantem: Omnis quidem cunctatio nobis erit prolixa; ſed tibi juro per ignes patris (ſi modò fata me reducant) priùs rediturum, quàm luna bis coëat pleno orbe. Poſtquam ſpes eſt facta* velocis *reditûs his promiſſis, ſtatim imperat navem extractam navalibus in æquore deduci, atque inſtrui ſuis inſtrumentis. Quâ viſâ rurſus Halcyone, quaſi præſentiens futurum malum, expavit, atque emiſit fletus erumpentes: & amplexa eſt;*

& infeliciſſimâ, denique Vale, dixit mæſto ore: & ſemimortua in terram decidit. Aſt remiges, Ceyce fingente impedimenta, attrahunt remos geminis ordinibus ad valida pectora, et frangunt fluctus pari impulſu. Illa levavit oculos madidos, atque adſpicit conjugem ſtantem in puppe pandâ, & facientem ſibi prima indicia manu agitatâ: atque reddidit ſigna. Poſtquam tellus eſt

NOTÆ.

445. *Sidereus*] *Ceyx Luciferi filius*, per cujus ſtellam mox jurabit; ver. 452.

452. *Si me*] Niſi fatis reverti prohibear, & cogar in peregrinâ regione mori.

461. *Quærenti*] Lachrymis enim uxoris motus, diſcedit invitus.

Ib. *Reducunt*] Geſtus exprimit remigantium.

462. *Geminis*] Nam biremis erat navis; quod ſit autem in navibus *ordo* remorum duplex, triplex, quadruplex, &c. unde *biremes*, *triremes*, *quadriremes*, &c. appellantur, ambiguum eſt. Sed quis dicit Virgilius Æn. 4. 120.

—*Tris ilicî pubes quam Dardana verſu*
Impellunt, terno conſurgunt ordine Remi:

Conſtat in utroque navis latere remigum ordines ſurrexiſſe, alios aliis ſuperpoſitos: non ita tamen, ut ſuperiorum remigum pedes inferiorum capitibus impenderent, perpendiculari, ut fiunt, rectâque lineâ ſic enim latera navium extruenda altiùs fuiſſent; ſed ita, ut *tranſtris* oblique à ſummo ad imum inſtar graduum diſpoſitis inſiſterent remiges quorum ſuperior ordo ibi figebat pedes, ubi ordo inferior inſidebat. Porro ſeries illæ remigum, à ſummo latere ad imam carinam obliquè numeratæ, *ordines* dicebantur: & pro multiplici *ordine* navis erat *biremis*, *triremis*, &c. at eadem ſeries à prorâ ad puppim numeratæ, dicebantur *verſus*.

463. *Æquali*] Concordes enim remiges remos & tingunt & tollunt.

466. *Receſſit*] Navigantibus terræ urbeſque videntur *recedere*, ipſi autem *ſtare*.

Longiùs,

Longiùs, atque oculi nequeunt cognoscere vultus:
Dum licet, insequitur fugientem lumine pinum.
Hæc quoque ut haud poterat spatio submota videri;
Vela tamen spectat summo fluitantia malo.
Ut nec vela videt; vacuum petit anxia lectum;
Seque toro ponit. Renovat lectusque, locusque
Halcyones lachrymas: & quæ pars admonet absit.
Portubus exiêrant; & moverat aura rudentes;
Obvertit lateri pendentes navita ramos:
Cornuaque in summâ locat arbore; totaque malo
Carbasa deducit, venientesque accipit auras.
Aut minùs, aut certè medium non ampliùs æquor
Puppe secabatur; longèque erat utraque tellus;
Cùm mare sub noctem tumidis albescere cœpit
Fluctibus; & præceps spirare valentiùs Eurus.
Ardua, jamdudum, demittite cornua, rector
Clamat; & antennis totum subnectite velum.
Hic jubet; impediunt adversæ jussa procellæ;
Nec finit audiri vocem fragor æquoris ullam.
Sponte tamen properant alii subducere remos:
Pars munire latus; pars ventis vela negare.
Egerit hic fluctus, æquorque refundit in æquor:
Hic rapit antennas. Quæ dum sine lege geruntur;
Aspera crescit hyems: omnique è parte feroces
Bella gerunt venti; fretaque indignantia miscent.
Ipse pavet; nec se, qui sit status, ipse fatetur
Scire ratis rector; nec quid jubeatve, vetetve:
Tanta mali moles, tantoque potentior arte est.
Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes,
Undarum incursu gravis unda, tonitribus æther.
Fluctibus erigitur, cœlumque æquare videtur
Pontus; & inductas aspergine tangere nubes.

remotior, atque oculi non possunt cognoscere faciem: quatenus licet insequitur oculis navem obeuntem. Cùm hæc etiam submota non posset dignosci propter distantiam; attamen intuetur carbasa mota in extremo malo. Postquam neque cernit carbasa, solicita secedit in inanem torum, seque in eo collocat. Et torus & locus revocat fletus Halcyonæ, atque indicio est, quæ pars desideretur. Exierant portu; & ventus agitaverat crassos funes, & nautæ vertunt in latus remos pendentes; & statuunt antennarum extrema in supremo malo, & detrahunt ab eo tota vela, atque excipiunt ventos afflantes. Aut minùs, aut certè non amplius quàm medium mare navi sulcabatur, atque utraque terra erat remota, cùm æquor cœpit album fieri circa noctem fluctibus turgidis, & Eurus vehemens flare violentiùs. Jamduduin nauclerus vociferatur: Deorsùm trahite excelsa cornua, atque alligate tota carbasa antennis. Hic imperat; ventorum impetus contrarii obstant mandatis, neque maris strepitus patitur ullam vocem audiri. Alii tamen ultro festinant retrahere remos, alii defendere latus, parscomplicare lintea. Hic haurit aquam atque rejicit eam in mare; hic celeriter detrahit antennas. Quæ cùm sine ordine fiunt, sæva tempestas augetur, & venti ex omni mundi parte vehementes certant, & turbant æquora tumentia. Ipse navis gubernator terrore concutitur, & fatetur se nescire qui sit rerum status, nec quid imperare aut prohibere debeat; tanta est magnitudo tempestatis, & fortior est totâ arte. Namque viri obstrepunt vociferationibus, rudentes stridore, vasti fluctus collisione fluctuum, aër tonitribus. Mare tollitur undis, & videtur par esse cœlo; atque tangere nubila superstrata aspersione.

NOTÆ.

473. *Quæ pars*] Ceyx maritus lecti, *pars* optima.

474. *Rudentes*] *Funes nauticos*: dict. quòd venti agitari *rudere* (i. e.) *strepere* videntur.

475. *Obvertit*] In latus convertit; quod quidem inter remigandum fieri solet.

476. *Cornua*] *Antennarum*,

Ibid. *Summa*] Ut majorem ventum accipiat vela.

479. *Utraque*] Et à quâ discesserat Trachinia; & quam Ceyx petebat, Ionia.

484. *Procellæ*] Ventorum impetus.

488. *Fluctus*] Qui in naves per tempestatem solent insilire.

Et

Et nunc, cùm truit flavas arenas ex imo fundo, eundem cum ipsis habet colorem, nunc nigrior est aquâ Stygiâ: nonnunquam stratum videtur, & æquale, atque albicat spumis stridentibus. Ipsa etiam navis Trachinia jactatur his agitationibus, & nunc excelsa videtur, deorsum aspicere valles & infimum Acheronten, veluti de apice montis; nunc, ubi mare sinuatum circumfluit eam depressam, suspicere supremum cœlum de abysso inferorum. Sæpe verberata undis à latere reddit magnum sonitum; neque impulsa minùs sonat, quàm cùm aliquando ferreus aries, vel balista quatit arces ruinosas. Et quemadmodum sævi leones, viribus impetu auctis, consueverunt ruere pectore in arma & venabula opposita; sic ubi fluctus prorumpunt ventis conflictantibus, ferebantur adversus armamenta navis; atque erant multò altiores illis. Jamque subscudes solvuntur; & hiatus destituti linimine picis apparent: & aditum faciunt fluctibus mortiferis. Ecce densi imbres decidunt ex nubibus solutis; atque arbitreris totum cœlum ruere in mare, & mare tumidum adscendere in regionem cœli. Lintea stillant imbribus, & aquæ marinæ confunduntur cum cœlestibus. Aër nullis sideribus illustratur; & nox opaca obscuratur caligine suâ & procellâ. Tamen fulgura splendentia hanc dispellunt, & fœnerantur lucem: fluctus incenduntur ignibus fulmineis. Toti etiam fluctus insiliunt intra concavitatem carinæ: atque, ut miles fortior totâ multitudine, cùm sæpe impetûs muros defensæ urbis, sit voti compos denique, & flagrans desiderio gloriæ inter mille viros, tamen solus invadit mœnia; sic postquam violentæ undæ vexârunt excelsa latera,

Et modò, cùm fulvas ex imo vertit arenas,
Concolor est illis; Stygiâ modò nigrior undâ:
Sternitur interdùm, spumisque sonantibus albet.
Ipsa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis:
Et modò sublimis veluti de vertice montis
Despicere in valles, imumque Acheronta videtur:
Nunc ubi demissam curvum circumstetit æquor.
Suspicere inferno summum de gurgite cœlum.
Sæpe dat ingentem fluctu latus icta fragorem:
Nec levius pulsata sonat, quàm ferreus olim
Cùm laceras aries balistave concutit arces.
Utque solent, sumtis in cursu viribus, ire
Pectore in arma feri, prætentaque tela leones:
Sic ubi se ventis admiserat unda coörtis,
Ibat in arma ratis; multoque erat altior illis.
Jamque labant cunei, spoliataque tegmine ceræ
Rima patet; præbetque viam lethalibus undis.
Ecce cadunt largi resolutis nubibus imbres:
Inque fretum credas totum descendere cœlum:
Inque plagas cœli tumefactum ascendere pontum.
Vela madent nimbis: & cum cœlestibus undis
Æquoreæ miscentur aquæ. Caret ignibus æther;
Cæcaque nox premitur tenebris hyemisque, suisque.
Discutiunt tamen has, præbentque micantia lumen
Fulmina: fulmineis ardescunt ignibus undæ.
Dat quoque jam saltus intra cava texta carinæ
Fluctus: &, ut miles numero præstantior omni,
Cùm sæpe assiluit defensæ mœnibus urbis,
Spe potitur tandem; laudisque accensus amore
Inter mille viros, murum tamen occupat unus;
Sic ubi pulsârunt acres latera ardua fluctus,

NOTÆ.

504. *Acheronta*] *Infernum:* Ex ejus enim fluviis Acheron est unus.

509. *Aries*] Instrumentum bellicum, ad diruendos muros; uti etiam & balista.

513. *Arma*] Quæ suprà armamenta dixit, instrumenta etiam nominantur.

514. *Cunei*] *Subscudes*, quibus navium tabulæ inter se committuntur.

Ib. *Ceræ*] *Picis*; quâ navium rimæ obducuntur.

520. *Ignibus*] *Stellis*, quæ nubibus obductæ.

524. *Dat saltus*] Non per rimas tantum, ut priùs, illabebatur aqua in navem; sed toti fluctus insiliebant.

Vastiùs

Vastiùs insurgens decimæ ruit impetus undæ;
Nec priùs absistit fessam oppugnare carinam,
Quàm velut in captæ descendat mœnia navis.
Pars igitur tentabat adhuc invadere pinum;
Pars maris intus erat. Trepidant haud segniùs omnes;
Quàm solet urbs, aliis murum fodientibus extra,
Atque aliis murum, trepidare, tenentibus intus.
Deficit ars; animique cadunt: totidemque videntur,
Quot veniunt fluctus, ruere atque irrumpere mortes.
Non tenet hic lachrymas: stupet hic: vocat ille beatos,
Funera quos maneant: hic votis numen adorat:
Brachiaque ad cœlum, quod non videt, irrita tollens,
Poscit opem: subeunt illi fratresque, parentsque;
Huic cum pignoribus domus, & quod cuique relictum est.
Halcyone Ceyca movet: Ceycis in ore
Nulla nisi Halcyone est: & cum desideret unam,
Gaudet abesse tamen. Patriæ quoque vellet ad oras
Respicere, inque domum supremos vertere vultus:
Verùm ubi sit nescit. Tantâ vertigine pontus
Fervet: & inductâ piceis è nubibus umbrâ
Omne latet cœlum: duplicataque noctis imago est.
Frangitur incursu nimbosi turbinis arbos:
Frangitur & regimen: spoliisque animosa superstans
Unda, velut victrix, sinuatas despicit undas:
Nec leviùs, quàm si quis Athon, Pindumve revulsos
Sede suâ totos in apertum everterit æquor,
Præcipitata ruit; pariterque, & pondere, & ictu

vehementiùs incurrens furit impetus. fluctûs decumani: neque antè omittit appetere oppressam navem, quàm defluit velut in muros navis subditæ. Pars ergo maris nitebatur adhuc opprimere navem. Pars erat intus. Non minùs tremunt omnes, quàm urbs consuevit tremere, cùm hostes alii suffodiunt mœnia extrinsecus, atque alii occupant mœnia intrinsecus. Ars succumbit tempestati, & animus deficit: & quot undæ incurrunt, totidem mortes videntur impetere & irruere. Hic non temperat à fletibus, hic stupet; hic dicit felices, quì exequiarum honore non priventur; hic Deum veneratur precibus, atque porrigens lacertos inutiles ad cœlum, quod non cernit, petit auxilium. Pater & germani veniunt in mentem illius; domus & filii in animum *hujus, & quicquid à quoquam relictum est. Halcyone tangit Ceycem; nulla est in ore Ceycis nisi Halcyone; & cùm eam cupiat solam, tamen lætatur abesse. Optaret etiam convertere oculos ad littora patriæ & dirigere ultimos adspectus domum versus: verum ubi sit ignorat: tantâ perturbatione mare turbatur & omne cœlum subducitur caligine immissâ ex nebulis: & nox facta est. Malus rumpitur impetu vorticis nimbosi: clavus etiam rumpitur: & fluctus ferox eminens, quasi victoriâ potitus, despicit undas quasi in sinum convolutas: Neque* ventis *impulsus minori impetu ruit, quàm si quis dejecerit in vastum mare Athon & Pindum sedibus suis erutos: & deturbat incursu & gravitate*

NOTÆ.

530. *Decimæ*] Quæ & decumana nominatur, id est, maxima; quomodo & ova, poma aliaque scuta, decumana dicimus. Denarium quippe numerum volebant esse perfectissimum, ut qui constet ex uno, duobus, tribus, & quatuor. Unde ad numerum denarium progressi, redimus ad unitatem. Sic Noster Trist. lib. 1. Eleg. 2.

Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes,
Posterior nono est, undecimoque prior.

540. *Funera*] In mari interire acerbè tulerunt fortes, ubi virtuti suæ non erat locus, ut pulchrè exirent vitâ. Adde quòd animam censebant veterum plerique igneam esse quam in aquis extingui naturæ contrarium videbatur. Super omnia exequiarum honore destitui horrebant: sine quibus Styga transvehi per 100 annos desperabant. Vide vers. 429.

524. *Athon*] Hunc montem Macedoniæ esse, Pindum Thessaliæ jam sæpe diximus.

Mergit

navem in profundum: cum quâ bona pars hominum absorpta aliis aquis, neque remissa in aërem, mortem appetiit. Alii navis innituntur partibus & fruſtis lacertis. Ceyx ipſe tenet fragmentum navis dextrâ, quâ conſueverat tractare ſceptrum; atque, heu! incaſſùm orat & ſocerum & patrem. At nomen uxoris Halcyones ſæpius recurrit in os natantis. Ejus recordatur atque illam memorat; deſiderat ut undæ vehant ſuum corpus ante oculos illius, & exſanguis ſepeliatur manibus amicis. Dum nat, quoties unda ſpatium concedit os aperiundi, nominat Halcyonem, & immurmurat ipſis fluctibus. Ecce ater fluctus ſinuatus inſtar arcus rumpitur ſuper medias undas, & involvit & ſubmergit caput aquâ diffractâ. Lucifer caliginoſus fuit eâ nocte, nec potuit cognoſci, & quandoquidem non conceſſum fuerit illi deſcendere cœlo, velavit ſuam faciem opacis nubilis. Interea Æolis neſcia tantæ cladis dinumerat noctes: & jam feſtinanter texit amictus, quos ille aſſumat; jam quos ipſa induat, ubi ille redierit; & ſibi pollicetur recurſos vanos. Illa quidem efferebat pia thura ſingulis Diis, celebrabat tamen præ aliis templa Junonis; & ibat ad altaria pro marito, qui jam nullus erat. Atque vovebat ut maritus eſſet incolumis, & ut reverteretur ſuus, nullamque ſibi præponeret. At hoc ſolum poterat illi evenire de tam multis. At Dea non poteſt ampliùs orari pro mortuo; & ut prohibeat ab altaribus manus funere pollutas, Iri, ait, nuncia certiſſima juſſorum, adi properè ſedes Dei ſomni ſoporem inducentis;

Mergit in ima ratem: cum quâ pars magna virorum
Gurgite preſſa gravi, neque in aëra reddita, fato
Functa ſuo eſt. Alii partes & membra carinæ
Trunca tenent. Tenet ipſe manu, quâ ſceptra ſolebat,
Fragmina navigii Ceyx: ſocerumque, patremque
Invocat (heu!) fruſtrà. Sed plurima nantis in ore
Halcyone conjux. Illam meminitque, refertque:
Illius ante oculos ut agant ſua corpora fluctus,
Optat; & exanimis manibus tumuletur amicis.
Dum natat; abſentem, quoties ſinit hiſcere fluctus,
Nominat Halcyonem, ipſiſque immurmurat undis.
Ecce ſuper medios fluctus niger arcus aquarum
Frangitur: & ruptâ merſum caput obruit undâ.
Lucifer obſcurus, nec quem cognoſcere poſſis,
Illâ nocte fuit: quoniamque excedere Olympo
Non licuit, denſis texit ſua nubibus ora.
Æolis interea tantorum ignara malorum
Dinumerat noctes: & jam, quas induat ille,
Feſtinat veſtes; jam quas, ubi venerit ille,
Ipſa gerat: redituſque ſibi promittit inanes,
Omnibus illa quidem Superis pia thura ferebat;
Ante tamen cunctos Junonis templa colebat:
Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras.
Utque foret ſoſpes conjux ſuus, utque rediret,
Optabat; nullamque ſibi præferret. At illi
Hoc de tot votis poterat contingere ſolum.
At Dea non ultra pro functo morte rogari
Suſtinet; utque manus funeſtas arceat aris;
Iri, meæ, dixit, fidiſſima nuncia vocis,
Viſe ſoporiferam Somni velociter aulam:

NOTÆ.

561. *Socerum*] Æolum.

Ib. *Patrem*] Luciferum.

568. *Niger arcus*] Nubes atra aquis gravida: ſeu potiùs unda decumana ex imo gurgite cum limo ſublata, atque inſtar arcûs triumphalis advoluta.

571. *Olympo*] Cœlo: ex quo ſiquidem Lucifero non licuit deſcendere, ut filio Ceyci opem ferret, vultus ſaltem, ne ejus caſus cerneret, nubibus obduxit.

573. *Æolis*] *Halcyone* Æoli filia.

575. *Feſtinat*] Non patronis tantùm purpuras trahebant clientæ plebeiæ, ut Hor. 18. Ode. lib 2. Sed & nobiliſſimæ fœminæ, viris, fratribus, ſibi, liberiſque veſtes ſuâ manu texebant. Imò Auguſtus ipſe non aliâ eſt uſus, quàm quæ ab uxore, ſorore, filiâve confecta eſſet. *Suet. Auguſt.* Cap. 73.

594. *Funeſtus*] Funere & mariti morte pollutas.

Extinctique

Extinctique jube Ceycis imagine mittat
Somnia ad Halcyonen veros narrantia casus.
Dixerat. Induitur velamina mille colorum
Iris, & arquato cœlum curvamine signans,
Tecta petit jussi sub rupe latentia regis.
Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cavus, ignavi domus & penetralia Somni;
Quò nunquam radiis oriens, mediusve, cadensve
Phœbus adire potest. Nebulæ caligine mistæ
Exhalantur humo: dubiæque crepuscula lucis.
Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
Evocat Auroram: nec voce silentia rumpunt
Sollicitive canes, canibusve sagacior anser.
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæve sonum reddunt convicia linguæ.
Muta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes: per quem cum murmure labens
Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papavera florent,
Innumeræque herbæ: quarum de lacte soporem
Nox legit, & spargit per opacas humida terras.
Janua, quæ verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo totâ; custos in limine nullus.
At medio torus est, ebeno sublimis in atrâ,
Plumeus, atricolor, pullo velamine tectus:
Quo cubat ipse Deus, membris languore solutis.
Hunc circa passim varias imitantia formas
Somnia vana jacent totidem, quot messis aristas,
Silva gerit frondes, ejectas littus arenas.

atque hortare mittat sub specie Ceycis oppressi somnia ad Halcyonem exhibentia veros eventus. Dixerat. Iris tegitur amictu mille colorum, & imprimens arcum in aëre proficiscitur domum regis assignati sub rupe conditam. Est juxta Cimmerios antrum remoto recessu mons cavus, aula & adytum inertis Somni; quo nunquam sol oriens, meridianus, vel occidens potest accedere radiis. Nebulæ confusæ cum caligine exhalant ex terrâ; & crepuscula incerti luminis. Ales experrectus cristati capitis non ibi arcessit Aurorum cantibus: neque canes custodes, aut anser sagacior canibus turbant silentia voce. Non fera, non frondes agitatæ ventis, vel probra linguæ humanæ edunt strepitum. Quies muta permanet, Nihilominus rivus aquæ Lethes, per quam aqua fluens cum susurro, lapillis strepentibus, conciliat soporem. Papavera fertilia & innumera gramina, de quorum lacte nox humida parat somnum, & spargit per caliginosus terras, florent in aditu speluncæ. Nullæ valvæ in totâ domo, quæ strideant moto cardine; nullæ excubiæ ad fores. At in medio est lectus sublatus super nigrâ ebeno, plumeus, ater, stratus nigris vestibus; super quem ipse Deus decumbit, artubus oppressis languore. Circa hunc somnia inania exhibentia diversas species, tot hinc inde sunt strata, quot messis habet spicas, silva folia, littus arenas expulsas.

NOTÆ.

592. *Cimmerios*] Populi fuerunt Sarmatiæ ad paludem Mæoticam & Bosphorum, quod ab ipsis *Cimmerium* appellatur. Accommodatissimè autem Somni regiam in frigidam, tenebrosam & humidam regionem poëta removit.

597. *Ales cristati*] *Gallus*, qui adventantem diem cantu prænunciare solet.

599. *Sagacior*] Hanc præcipuè laudem meruerunt anseres, qui clangore suo sopitos Capitolii custodes excitârunt, deque ingruentibus Gallis admonuerunt.

602. *Saxo tamen*] Quia somnos quoque inducere solet aquarum murmur.

603. *Lethes*] Id est, oblivionis: per somnum enim vitæ videmur oblivisci. Ad inferorum verò fluvium Lethen respexit poëta, cujus aquam si quis gustâsset, præteritorum omnium statim oblivisci voluerunt.

605. *Ante fores*] Elegantissimè apponit poëta, quæ somnium concilient; movet, quæ somnum impediant.

Ib. *Papavera*] Quorum vis est soporifera.

Quò

Quò simul intravit, manibusque obstantia virgo
Somnia dimovit; vestis fulgore reluxit
Sacra domus: tardâque Deus gravitate jacentes
Vix oculos tollens; iterumque iterumque relabens,
Sumnaque percutiens nutanti pectora mento,
Excussit tandem sibi se: cubitoque levatus,
Quid veniat (cognôrat enim) scitatur. At illa:
Somne, quies rerum, placidissime Somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corda diurnis
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori;
Somnia, quæ veras æquent imitamine formas,
Herculeâ Trachine jube, sub imagine regis,
Halcyonen adeant; simulachraque naufraga fingant.
Imperat hoc Juno. Postquam mandata peregit
Iris, abit. Neque enim ulteriùs tolerare vaporis
Vim poterat; labique ut Somnum sensit in artus:
Effugit: & remeat per quos modò venerat arcus.
At pater è populo natorum mille suorum
Excitat artificem, simulatoremque figuræ
Morphea. Non illo jussos solertius alter
Exprimit incessus, vultumque, modumq; loquendi,
Adjicit & vestes, & consuetissima cuique
Verba. Sed hic solos homines imitatur; at alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens.
Hunc Icelon Superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. Est etiam diversæ tertius artis
Phantasos. Ille in humum, saxumque, undamque, trabemque,
Quæque vacant animâ feliciter omnia transit.
Regibus hi, ducibusque suos ostendere vultus
Nocte solent; populos alii, plebemq; pererrant.

Quò statim atque Dea accessit, & discussit manu somnia obstantia, sacra domus fulsit splendore amictûs: atque Deus ægrè aperiens oculos gravatos segni languore, iterum atque iterum recidens, & percutiens supremum pectus nutanti mento, tandem expergefactus est; atque sustentatus cubito, petit quamobrem accesserit; nam cognoverat quæ esset. *At illa, Somne, pax rerum, Somne mitissime Deorum, solatium mentis, quem solicitudo vitat, qui lenis pectora fatigata laboribus diurnis, atque restituis ad munus; fac somnia, quæ imitentur veras figuras* rerum, *accedant ad Halcyonem,* quæ nunc est *in Trachine Herculeâ, sub formâ regis, atque exhibeant imaginem naufragam. Juno hoc jubet. Iris discedit, postquam jussa perfecit; neque enim poterat sufferre amplius vim vaporis: & ut advertit soporem influere in membra, prorumpit, & revertitur per arcus, per quos modo accesserat. At pater excutit ex turbâ mille suorum filiorum Morpheum artificem & imitatorem figurarum. Alius non imitatur accuratiùs præscriptos incessus, & faciem, & modum loquendi. Addit & amictus & voces cuique usitatissimas. Atque hic exhibit solos homines: & alius fit fera, fit ales, fit anguis longo corpore. Dii hunc appellant Icelon, gens humana Phobetorem. Phantasos est tertius diversæ etiam artis. Ille mutatur facilè in terram, lapidem, aquam, arborem atque omnia, quæ sunt inanimata. Isti consueverunt exhibere suam faciem tyrannis & imperatoribus de nocte: alii vagantur per populos & vulgus.*

NOTÆ.

616. *Virgo*] *Iris* Junonis nuncia.

624. *Cura fugit*] Qui enim curis premuntur dormire non possunt.

627. *Regis*] *Ceycis*, quem Trachine ab Hercule ædificatâ regnâsse diximus.

631. *Labique*] Ita & Cereris Nympha, lib. 8. ver. 184. fame affecta.

633. *Pater*] Somnus somniorum pater.

Ib. *E populo*] Ex numero innumero somniorum evocat Morphea.

634. *Simulator*] Morphei nomen hæ voces interpretantur.

640. *Icelon*] *Similem* interpretaberis.

Ib. *Phobetora*] *Perterrefacientem.*

642. *Phantasos*] *Imaginatorem* diceres, nisi prohibuerunt grammatici. Pro triplici autem rerum naturâ, quæ phantasiam per somnos turbare solent, appositè poëta tres Somni filios fecit.

Præterit hos senior: cunctisque è fratribus unum
Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus
Eligit: & rursus molli languore solutum
Deposuitque caput, stratoque recondidit alto.
Ille volat, nullos strepitus facientibus alis,
Per tenebras: intraq; moræ breve tempus in urbem
Pervenit Hæmoniam: positisque è corpore pennis
In faciem Ceycis abit: formâque sub illâ
Luridus, exanimi similis, sine vestibus ullis,
Conjugis ante torum miseræ stetit. Uda videtur
Barba viri, madidisque gravis fluere unda capillis.
Tum lecto incumbens, fletu super ora refuso,
Hæc ait: Agnoscis Ceyca, miserrima conjux?
An mea mutata est facies nece? respice; nosces,
Invenieque tuo pro conjuge conjugis umbram.
Nil opis, Halcyone, nobis tua vota tulerunt.
Occidimus. Falsæ tibi me promittere noli.
Nubilus Ægæo deprêndit in æquore navim
Auster, & ingenti jactatam flamine solvit:
Oraque nostra tuum frustrà clamantia nomen
Implêrunt fluctus. Non hæc tibi nunciat auctor
Ambiguus: non ista vagis rumoribus audis;
Ipse ego fata tibi præsens mea naufragus edo.
Surge, age: da lachrymas; lugubriaq; indue: nec me
Indeploratum sub inania Tartara mitte.
Adjicit his vocem Morpheus, quam conjugis illa
Crederet esse sui. Fletus quoque fundere veros
Visus erat: gestumque manus Ceycis habebant.
Ingemit Halcyone lachrymans, motatque lacertos
Per somnum, corpusque petens amplectitur auras:

Senex Somnus hos omittit, atque eligit unum Morpheum ex cunctis fratribus, qui exequatur jussa Thaumantidos: & rursus demisit caput oppressum suavi sopore, & texit densis altis vestibus. Ille volat per caliginem, alis nullum sonum reddentibus, & intra exiguum spatium temporis pervenit in urbem Hæmoniam; & pennis ex corpore sublatis induit vultus Ceycis, & sub illâ specie lividus, inanimi similis, sine omni amictu constitit ad lectum infelicis uxoris. Barba viri videtur madida, & gravis aqua stillare ex udis crinibus. Tum super torum stratus, lachrymis expressis super ora, hæc dicit, Cognoscis Ceycem, uxor infelicissima? an meus vultus est deformatus morte? Intuere; agnosces; atque reperies pro tuo marito umbram mariti. Tuæ preces, Halcyone, nobis nullo auxilio fuerunt. Perimus. Nemo speres decepta. Auster pluvius corripuit navem in mari Ægæo, & disjecit agitatum spiritu vehementi, & undæ implêverunt os nostrum citum frustrà nomen tuum. Nuncius incertus non tibi hæc refert; non accipis ista per dubios rumores. Ego ipse naufragus tibi adfiam, tibi narro meam sortem. Erige te, quæso, exhibe fletus, atque assume vestes pullatas; neque me mitte non defletum sub exilia Tartara. Morpheus his addidit vocem, quam illa arbitraretur esse sui mariti. Visus erat etiam mittere veras lachrymas; & manus imitabantur gestum Ceycis. Halcyone flens suspirat, & movet brachia dormiendo, & quærens corpus amplectitur aërem:

NOTÆ.

646. *Senior*] Somnus.

647. *Thaumantidos*] *Iridis*, Thaumantidis illæ jussa.

Ib. *Somnus*] Deus somni.

651. *Urbem*] Trachinem, ubi Halcyone habitat: ut suprà, ver. 269.

653. *In faciem*] Ceycis figuram induit: atque ita, ut si modò attendas, ipsum esse tibi fingas.

663. *Ægæo*] Cui mari sq. Trachine in Ioniam iturus, Ceyx crediderat.

670. *Indeploratum*] Multæ etiam utilitatis credebant esse apud inferos, plurimos habuisse in superis qui sublatum flevissent.

675. *Corpus*] Ceycis sui, quem per somnum Morphei ope viderat.

Exclamatque

atque vociferatur, Mane: quo profugis? proficiscemur una. Tremefacta suâ voce, & imagine mariti, excutit somnum: atque primò circumspicit, num is adsit, qui modò erat visus: nam famuli excitati illius *clamore admoverant luminaria. Cùm nusquam inveniret, percutit faciem manu, & discerpit amictus à pectore, & plangit ipsum pectus, neque meminit solvere comam; dilaniat: atque inquit nutrici petenti causam doloris, Halcyone nulla est, nulla est; interiit cum Ceyce suo. Abstinete sermonibus consolatoriis. Naufragas obiit. Adspexi, atque cognovi, & obtuli manus abeunti, volens retinere. Umbra fugit; sed umbra tamen clara & vera mei mariti. Si exquiras, ille quidem non habebat faciem solitam, neque lucebat eodem vultu, quo antea. Misera intuita sum pallidum, nudumque, & comâ adhuc madidâ. Ecce constitit flebilis hoc ipso loco: atque lustrat si quæ supersint indicia. Hoc erat hoc quod metuebam mente præsagâ; atque orabam ne me fugiens te crederes ventis. At certè optarem, siquidem discedebas interiturus, me etiam duxisses. Mihi bonum fuit tecum, tecum proficisci. Neque enim quicquam non unà transmisissem de tempore vitæ, neque mors fuisset divisa; nunc remota intereo, nunc remota agitor undis; & mare me habet sine me. Meus animus sit mihi sævior ipso mari, si cupiam vivere diutus, & : oner superesse tanto dolori. Verùm neque conabor neque te destituam, ô destende: saltem nunc te comitabor; atque in tumulo si urna non copulet nos, attamen epitaphium* id præstabit: *si non tangam ossa meis ossibus, at* tangam *nomen nomine. Maror obstat pluribus & se percutit ad singulas*

Exclamatque, Mane. Quò te rapis? ibimus unâ.
Voce suâ, specieque viri turbata soporem
Excutit: & primo si sit, circumspicit, illìc
Qui modò visus erat. Nam moti voce ministri
Intulerant lumen. Postquam non invenit usquam;
Percutit ora manu: laniatque à pectore vestes:
Pectoraque ipsa ferit. Nec crinem solvere curat;
Scindit: & altrici, quæ luctûs causa, roganti,
Nulla est Halcyone, nulla est, ait: occidit unà
Cum Ceyce suo. Solantia tollite verba.
Naufragus interiît. Vidi, agnovique; manusque
Ad discedentem, cupiens retinere, tetendi.
Umbra fugit: sed & umbra tamen manifesta, virique
Vera mei. Non ille quidem, si quæris, habebat
Assuetos vultus: nec quo priùs ore nitebat.
Pallentem, nudumque, & adhuc humente capillo
Infelix vidi. Stetit hoc miserabilis ipso
Ecce loco: & quærit vestigia, si qua supersint.
Hoc erat, hoc animo quod divinante timebam:
Et, ne me fugiens, ventos sequerere, rogabam.
At certè vellem, quoniam periturus abibas,
Me quoque duxisses. Tecum fuit utile, tecum
Ire mihi. Neque enim de vitæ tempore quicquam
Non simul egissem: nec mors discreta fuisset.
Nunc absens pereo, jactor nunc fluctibus absens:
Et sine me, me pontus habet. Crudelior ipso
Sit mihi mens pelago, si vitam ducere nitar
Longiùs; & tanto pugnem superesse dolori.
Sed neque pugnabo: nec te, miserande, relinquam:
Et tibi nunc saltem veniam comes. Inque sepulchro,
Si non urna, tamen junget nos littera: si non
Ossibus ossa meis, at nomen nomine tangam.
Plura dolor prohibet; verboque intervenit omni

NOTÆ.

690. *Vultus*] Heinsius legit *Cultus*, ne bis idem dicat atque ita hæc respondebunt sequentibus. *Pallentem nudumque*, &c.

698. *Neque enim*] Tecum omne vitæ tempus exegissem; tecumque fuissem.

706. *Si non urna*] Qui Ceycis corpus desiderabatur.

Ib. *Littera*] *Epitaphium.*

Plan-

Plangor; & attonito gemitus è corde trahuntur.
Manè erat: egreditur tectis ad littus; & illum
Mœsta locum repetit, de quo spectârat euntem,
Dumq; moratus ibi; dumque, Hic retinacula solvit,
Hoc mihi discedens dedit oscula littore, dicit:
Dumque notata oculis reminiscitur acta, fretumque
Prospicit: in liquidâ spatio distante tuetur
Nescio quid, quasi corpus, aquâ; primòque, quid illud
Esset, erat dubium. Postquam paulò appulit unda;
Et quamvis aberat, copus tamen esse liquebat;
Qui foret, ignorans, quia naufragus, omine mota est;
Et, tanquam ignoto lachrymam daret, Heu, miser, inquit,
Quisquis es, & siqua est conjux tibi! fluctibus actum
Fit propriùs corpus. Quod quò magìs illa tuetur,
Hoc minùs, & minùs est mentis. Jam jamque propinquæ
Admotum terræ, jam quod cognoscere posset,
Cernit; erat conjux. Ille est, exclamat: & unà
Ora, comas, vestem lacerat: tendensque trementes
Ad Ceyca manus, Sic, ô carissime conjux,
Sic ad me, miserande, redis? ait. Adjacet undis
Facta manu moles: quæ primas æquoris iras
Frangit; & incursus quæ prædelassat aquarum.
Insilit huc: mirumque fuit potuisse, volabat:
Percutiensque levem modò natis aëra pennis,
Stringebat summas ales miserabilis undas.
Dumque volat, mœsto similem, plenumque querelæ
Ora dedêre sonum tenui crepitantia rostro.
Ut verò tetigit mutum & sine sanguine corpus,
Dilectos artus amplexa recentibus alis,
Frigida nequicquam duro dedit oscula rostro.
Senserit hoc Ceyx, an vultum motibus undæ
Tollere sit visus, populus dubitabat: at ille

voces; & gemitus ducuntur è corde stupefacto. Manè erat; domo profici-scitur ad littus, & tristis redit ad illum locum, de quo intuita erat descendentem: atque, inquit: Dum ibi cunctatus, dum hic solvit vincula, proficiscens mihi obtulit suavia hoc littore. Et dum relegit oculis facta quæ observaverat, atque prospicit mare, videt longè in aquâ fluidâ nescio quid quasi corpus, atque primò incertum erat, quid esset. Postquam fluctus paulùm appulit; & tametsi longè erat, constabat tamen esse corpus, nesciens quis esset, quia naufragus, præsagio tacta est, & quasi peregrino fletus indulgeret. Heu, infelix, ait, quisquis es, & si qua uxor est tibi! Corpus vectum undis accedit propiùs. Quod quò magìs illa adspicit, hôc minùs atque minùs est animi. Jam jamque appulsum terræ proximæ, jam spectat quod posset cognoscere; maritus erat. Ille est, vociferatur; atque simul dilaniat faciem, capillos, amictum: & porrigens manus pavidas ad Ceycem. Ita, inquit, ô marite dilectissime, ita reverteris ad me deflende? Agger arte structus junctus est fluctibus, qui minuit primam vim maris, quique frangit impetum aquarum. Huc adscendit; atque volabat: & verberans tenues auras pennis modò ortis, luctuosa radebat extremas aquas. Et dum volat, os stridulum emisit sonum exiguo rostro similem lugubri, & plenum querimoniæ. Cùm verò tetigit corpus mutum & exangue, amplexa novis alis membra carissima, fruſtrâ obtulit gelida suavia rigido rostro. Vulgus incertum erat, an Ceyx istud adverterit, an sit visus erigere faciem agitatione fluctuum: at ille

NOTÆ.

712. *Moratus ibi*] Verba sunt Halcyones, quæ extra narrationis seriem ex ejus personâ interferuntur.

730. *Prædelassat*] Lassos & debiles reddit, antequam in portum preveniant.

732. *Modò natis*] Nam in Halcyonem avem mutata est.

ſenſerat: & denique Diis miſereſcentibus, uterque vertuntur in aves. Amor ſuperfuit tunc etiam ſubditus iiſdem fatis: neque fœdus connubiale diremtum in avibus. Junguntur fiuntque parentes: atque Halcyone incubat per ſeptem dies quietos tempore hyemis, nidis natantibus ſuper mari. Tum navigatio ſecura per æquor: Æolus compeſcit auras, & prohibet exſpatiari, atque concedit mare nepotibus.

Senſerat. Et tandem, Superis miſerantibus, ambo
Alite mutantur. Fatis obnoxius iſdem
Tunc quoque manſit amor: nec conjugiale ſolutum
Fœdus in alitibus: coëunt, fiuntque parentes:
Per que dies placidos hiberno tempore ſeptem
Incubat Halcyone pendentibus æquore nidis.
Tum via tuta maris: ventos cuſtodit, & arcet
Æolus egreſſu: præſtatque nepotibus æquor.

XI. Senex aliquis adſpicit volantes circum vaſta maria; atque laudibus extollit amores inviolatos. Proximus, aut fortè idem, Hic etiam, inquit quem vides ſtringentem æquor, atque habentem tibias exiles, (oſtendens mergum qui habet fauces amplas) eſt ex prole regiâ, & ſi cupis devenire ad ipſum ſerie continuâ, ſunt hujus majores. Ilus, & Aſſaracus, & Ganymedes ſublatus à Jove, & ſenex Laomedon, & Priamus, ultimus rex Trojæ. Germanus iſte fuit Hectoris: qui niſi expertus eſſet ſortem in auditam primâ juventute, ſortè non conſequutus eſſet minorem famam quam Hector:

XI. Hos aliquis ſenior circum freta lata volantes
Spectat: & ad finem ſervatos laudat amores.
Proximus, aut idem, ſi ſors tulit, Hic quoq; dixit,
Quem mare carpentem ſubſtrictaq; crura gerentem
Aſpicis (oſtendens ſpatioſum guttura mergum)
Regia progenies. Et, ſi deſcendere ad ipſum
Ordine perpetuo quæris, ſunt hujus origo
Ilus, & Aſſaracus, raptuſque Jovi Ganymedes,
Laomedonque ſenex, Priamuſque noviſſima Trojæ
Tempora ſortitus. Frater fuit Hectoris iſte:
Qui, niſi ſenſiſſet primâ nova fata juventâ,
Forſitan inferius non Hectore nomen haberet:
Quamvis eſt illum proles enixa Dymantis.
Æſacon umbroſâ furtim peperiſſe ſub Idâ
Fertur Alexirhoë Granico nata bicorni;
Oderat hic urbes, nitidâque remotus ab aulâ
Secretos montes, & inambitioſa colebat
Rura: nec Iliacos cœtus, niſi rarus, adibat.
Non agreſte tamen, nec inexpugnabile Amori
Pectus habens, ſilvas captatam ſæpe per omnes
Aſpicit Heſperien patriâ Cebrenida ripâ,

illum peperit. Alexirhoë filia bicornis Granici dicitur Æſacon furtim peperiſſe ſub Idâ opacâ. Hic odio habuit urbes, atque diſſitus à ſplendidâ regiâ ſequebatur remotos montes, & campos ab umbitione alienos; neque accedebat frequens ad turbas Trojanas. Non gerens tamen cor aſperum, neque Amori inacceſſum, videt Heſperien Cebreni filiam quæſitam ſæpe per omnes ſilvas, quæ in patriâ ripâ

NOTÆ.

745. *Septem*] Simonides undecim eſſe ait. Philochorus novem, Demagoras verò ſeptem, cujus opinioni adhæret Ovidius.

746. *Pendentibus nidis*] Halcyonum nidi admirationem habent, ut refert Plinius. Pilæ figura paulùm eminentiores, ore perquam anguſto, grandium ſpongiarum ſimilitudine; intercidi non queunt; franguntur ictu valido, ut ſpuma maris arida: nec unde confinguntur, invenitur; putant ex ſpinis aculeatis.

748. *Nepotibus*] Ex Halcyone filiâ procreatis.

753. *Guttura*] Quoad. Græciſmus.

755. *Sunt hujus*] Ilus, Aſſaracus, & Ganymedes fratres fuerunt filii Troïs. Ex Ilo natus Laomedon, ex Laomedonte Priamus, qui Æſaci ſeu mergi, de quo nunc agitur, fuit pater.

761. *Proles*] Hecuba, Priami uxor, quam Dymantis, filiam facit Homerus, Erupides filiam Ciſſei regis Thracûm, peperit Priamo 17 liberos.

763. *Alexirhoë*] Nympha Granici filia ex quâ Priamus Æſacum ſuſcepit.

769. *Cebrenida*] Cebreni ignobilis Troadis rivuli filiam.

Injectos humeris siccantem sole capillos.
Visa fugit Nymphe: veluti perterrita fulvum
Cerva lupum, longèque lacu deprênsa relicto
Accipitrem fluvialis anas. Quam Troïus heros
Insequitur: celeremque metu celer urget amore.
Ecce latens herbâ coluber fugientis adunco
Dente pedem stringit: virusque in corpore linquit.
Cum vitâ suppressa fuga est. Amplectitur amens
Exanimem: clamatque, Piget, piget esse secutum:
Sed non hoc timui: nec erat mihi vincere tanti.
Perdidimus miseram nos te duo. Vulnus ab angue,
A me caussa data est. Ego sim sceleratior illo,
Ni tibi morte meâ mortis solatia mittam.
Dixit: & è scopulo, quem rauca subederat unda,
Se dedit in pontum. Tethys miserata cadentem
Molliter excepit: nantemque per æquora pennis
Texit: & optatæ non est data copia mortis.
Indignatur amans invitum vivere cogi;
Obstarique animæ miserâ de sede volenti
Exire. Utque novas humeris assumserat alas,
Subvolat: atque iterum corpus super æquora mittit.
Pluma levat casus. Furit Æsacos: inque profundum
Pronus abit, letique viam sine fine retentat.
Fecit amor maciem: longa internodia crurum,
Longa manet cervix: caput est à corpore longè.
Æquor amat: nomenque manet, quia mergitur illo.

exsiccabat ad solem comam sparsam per humeros. Nympha visa prorumpit tanquam cerva extrita à flavo lupo, aut ut anas fluviatis correpta procul à stagno relicto fugit accipitrem. Quam heros Trojanus persequitur, & velox amore premit velocem timore. Ecce anguis tectus gramnibus vulnerat dente recurvo pedem fugientis, atque spargit venenum in corpus. Fuga repressa est cum vitâ. Insanus complectitur exsanguem, atque clamat, Pœnitet, pœnitet esse persequutum: verùm istud non reformidavi; neque mihi erat tanti superiorem esse. Nos duo te infelicem perdidimus. Plaga impacto est à serpente, ego occasionem præbui. Ego sim facinorosior illo, nisi tibi efferam consolationem necis meo interitu. Dixit, & immisit se in mare ex promontorio, quod aqua sonora corroserat. Tethys miserata labentem excepit leniter, operuit pennis natantem per mare: neque concessa est facultas moriendi, quemadmodum optaverat. Amans irascitur quòd invitus cogitur vitam ducere, quodque anima prohibeatur cupiens excedere misero corpore. Atque ut induerat recentes alas humeris, sursum volat, atque denuo præcipitat corpus in mare. Pluma sustentat casum. Æsacus indignatur, & præceps in altum fertur, atque mortem experitur indesinenter. Amor induxit maciem: intern dia crurum sunt longa, collum est longum: caput longè est à corpore. Amat æquor, & nomen habet qui in illud mergitur.

NOTÆ.

772. *Lacu*] Ad quem, ut se aquis immergat, non segniter anas confugit.

777. *Amens*] Æsacus.

786. *Et optatæ*] Heinsius autem legit;
——*Ut optatæ non est data copia mortis,*
Indignatur amans, &c.

788. *Miseræ de sede*] Corpore, carcere, custodiâ. ergastulo corporis animæ sepulchro. Lege quæ Seneca in consolatione ad Helviam, cap. 11. & quæ Macrobius lib. in somn. Scrip. cap. 11.

792. *Pronus*] Elegantur hujus avis naturam pœta describit.

P. Ovidii Nasonis METAMORPHOSEON LIBER XII.

ARGUMENTUM.

HUIC tum Priamus pater, tanquam mortuo, exequias fecit unâ cum filiis, excepto tamen Paride, qui in Græciam profectus erat; quemque deinde persecuti Græci, draconem Aulide lapideum viderunt redditum. Inde Cygnus ab Achille occisus in avem vertitur, cùm invulnerabilis fuisset. Sicut & Cœnis olim in Cænæum, & postea in avem, commutata. Quod cum narrâsset Nestor, Periclymeni quoquè transformationes adjunxit.

INTERPRETATIO.

I. *Priamus ignorans Æsacon vitâ frui alis indutis, mœrebat: Hector etiam præbuerat inferias inutiles, cum consortibus sepulchro nomen ejus habenti. Paris non adfuit luctuoso honori, qui paulò pòst advexit in patriam longum bellum cum uxore raptâ: & conjuratæ sequuntur.*

I. NESCIUS assumtis Priamus pater Æsacon alis
Vivere, lugebat: tumulo quoque nomen habenti
Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.
Defuit officio Paridis præsentia tristi:
Postmodo qui raptâ longum cum conjuge bellum
Attulit in patriam: conjuratæque sequuntur

NOTÆ.

2. *Tumulo*] *Cenotaphio*, in quo Æsaci nomen sine corpore erat.

3. *Inferias*] Χοὰς. Tumulis enim lac, mel, vinum, lachrymas, sanguinem, flores, thura, alia insuper honoris causâ vel etiam ad lætiorem defuncti statum apud inferos, ingerere solebant. Atque hæc de mortuis sacrificia *Inferiæ* dicebantur.

4. *Paridis*] Priami quoque filii, qui ad rapiendam Helenam in Græciam profectus fuerat.

5. *Conjuge*] Helenâ.

6. *Conjuratæ*] In Aulide enim bellum adversus Trojam conjuraverant Græciæ principes.

Mille

Mille rates, gentisque simul commune Pelasgæ.
Nec dilata foret vindicta; nisi æquora sævi
Invia feciſſent venti: Bœotaque tellus
Aulide piscosâ puppes tenuiſſet ituras.
Hìc patrio de more Jovi cùm sacra parassent;
Ut vetus accensis incanduit ignibus ara;
Serpere cæruleum Danaï vidêre draconem
In platanum: cœptis quæ stabat proxima sacris.
Nidus erat volucrum bis quatuor arbore summâ:
Quas simul, & matrem circum sua damna volantem,
Corripuit serpens; avidâque recondidit alvo.
Obstupuêre omnes. At veri providus augur
Theſtorides, Vincemus, aït; gaudete, Pelasgi.
Troja cadet, sed erit nostri mora longa laboris.
Atque novem volucres in belli digerit annos.
Ille, ut erat, virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis: & servat serpentis imagine saxum.

II. Permanet Aöniis Nereus violentus in undis:
Velaque non transfert: & sunt, qui parcère Trojæ
Neptunum credant, quia mœnia fecerit urbi.
At non Theſtorides. Nec enim nescitve, tacetve
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Esse Deæ. Postquam pietatem publica causa,
Rexque patrem vicit; castumque datura cruorem
Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris:

mille naves atque unà populus ex omni Græciâ. Neque ultio longius abiſſet, nisi venti terribiles reddidiſſent maria inacceſſa; & terra Bœotia retinuiſſet naves diſceſſuras in Aulide piſcoſâ. Cùm Græcia ibi obtuliſſent ſacra Jovi ritu patrio, cùm vetus altare micuit ignibus accenſis, viderunt ſerpentem cæruleum repere in platanum, quæ erat proxima ſacrificiis incœptis, Nidus erat octo pullorum ſupremâ arbore, quos anguis corripuit unà cum matre volitante circum ſuam cladem, & abdidit in rapacem ventrem. Omnes obſtupuerunt. At Theſtorides vates veri præſcius, Vincemus, inquit, exultate Græci, Ilium ruet; ſed ſpatium noſtri laboris erit longum: atque ſtatuit novem volucres pro annorum numero, *qui in bello* forent conterendi. *Ille ſicuti erat, amplexus ramos virides in arbore, mutatur in petram & manet petra ſpecie anguis.*

II. *Nereus ſtat acer in fluctibus Aöniis; neque transfert naves; & ſunt qui arbitrentur Neptunum ignoſcere Trojæ, quòd illam muris cinxerat. Theſtorides tamen non ita arbitratur. Neque enim aut ignorat, aut tegit iram Deæ virginis eſſe mulcendam ſanguine virgineo. Poſtquam cauſa communis ſuperavit pietatem, rexque patrem, atque Iphigenia conſtitit præ altari, famulis mœrentibus;*

NOTÆ.

7. *Mille*] Numero, ut loqui amant, rotundo: namque Homero 1186, Dycti, 1225. Dareti Phrygio, 1140 dicitur.

Ib. *Commune*] Pro populo universo: quo sensu Cicero, ver. 4. *Statuæ à communi Siciliâ datæ.*

Ib. *Pelasgæ*] Pro Græcis universis sæpissime venit gens Pelasga, quæ Thessaliam, cui & Pelasgiæ datum nomen, incoluit.

9. *Bœota*] Bœotia, Græcis regio, in quâ urbs Aulis Chalcida finitima, ubi non parvo tempore per tempestatem Græcorum naves manserunt.

15. *Volucrum*] Passeres dixit Homerus; ex cujus Iliad. 2. tota hæc desumpta fabula. Passer hieroglyphicè annum denotat.

16. *Circum*] Circum sua pignora, quæ cum maximo suo damno devorari a Dracone, videbat.

19. *Theſtorides*] *Calchas* est Theſtoris filius Græcorum vates, genus ducens ab Apolline.

24. *Permanet*] Id est sævit mare quod Bœotiæ adjacet, Aoniam namque Bœotiæ montanam partem; Nereum maris Deum sæpe diximus.

29. *Deæ*] *Dianæ*, cujus cervam Agamemnon imprudens occiderat: quæ et tempestatis & pestis causa fuit.

30. *Rex*] *Agamemnon*, qui Iphigeniæ patrem se esse quodam modo oblitus est, cum illam aris addixit, ut regis nomine Græcis omnibus consuleret.

Victa Dea est: nubemque oculis objecit, & inter
Officium turbamque sacri, vocesque precantum,
Suppositâ fertur mutâsse Mycenida cervâ.
Ergo ubi, quâ decuit lenita est cæde Diana;
Et pariter Phœbes, pariter maris ira recessit;
Accipiunt ventos à tergo mille carinæ:
Multaque perpessæ Phrygiâ potiuntur arenâ.
Orbe locus medio est inter terrasque, fretumque,
Cœlestesque plagas, triplicis confinia mundi;
Unde, quod est usquam, quamvis regionibus absit,
Inspicitur; penetratque cavas vox omnis ad aures.
Fama tenet, summâque domum sibi legit in arce:
Innumerosque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis inclusit limina portis.
Nocte, dieque patent. Tota est ex ære sonanti:
Tota fremit: vocesque refert: iteratque quod audit.
Nulla quies intus, nullâque silentia parte.
Nec tamen est clamor, sed parvæ murmura vocis,
Qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis
Esse solent: qualemve sonum, cùm Jupiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenent: veniunt leve vulgus, euntque:
Mistaque cum veris passim commenta vagantur
Millia rumorum: confusaque verba volutant.
E quibus hi vacuas implent sermonibus auras:
Hi narrata ferunt alio: mensuraque ficti
Crescit; & auditis aliquid novus adjicit auctor.
Illic Credulitas, illic temerarius Error,
Vanaque Lætitia est, consternatique Timores,
Seditioque repens, dubioque auctore Susurri.
Ipsa quid in cœlo rerum, pelagoque geratur,
Et tellure, videt; totumque inquirit in orbem.

III. Fecerat hæc notum, Graïas cum milite forti
Adventare rates: neque inexpectatus in armis
Hostis adest. Prohibent aditu, littusque tuentur

Dea lenita est: velavit oculos nube et dicitur transformasse Mycenam, cervâ aabibitâ, inter ministerium et turbam sacri, et voces precantium. Postquam igitur Diana est placata nece, quâ par fuit, et simul furor ejus et æquoris compositus est, mille naves accipiunt ventos à tergo; et plurima passæ appellunt ad littora Phrygia. Locus est in medio mundo inter tellurem et mare et oras sidereas, finis tripicis orbis, unde spectatur quodcumque est usquam, tametsi distet regionibus; et omnis sonus permeat ad sinuosas aures. Fama illum obtinet, atque posuit sibi sedem in supremo fastigio: et dedit innumeros ingressus, ac mille ostia domui: nullisque portis obturavit aditus. Pervii sunt die et nocte. Tota est ex sonanti ære; tota fremit et reddit sonos, et repetit quod audit. Nulla quies intus, et nullibi silentium. Neque tamen est vociferatio, sed susurri submissæ vocis: qualis solet esse fremitus fluctuum æquoris, si quis ex longi quo accipiat; vel qualem strepitum ultima tonitrua reddunt, cùm Jupiter percutit nebulas, multitudo occupat atria; plebi inrat atque prodit. Mille rumores fasi hinc inde errant unà cum veris, et voces permissæ volvuntur. Atque ex omnibus, hi referciunt inanem aërem sermonibus: alii portant aliò quæ prolata sunt, et modus falsi augetur; atque aliquis auctor aliquid addidit acceptis. Illi est Credulitas, illic Error imprudens, et inanè Gaudium, et Pavores attoniti, & Seditio subrepens, et Susurri incerto auctore. Ipsa cernit quid rerum agatur in cœlo, in mari, & solicita est de toto mundo.

III. *Hæc vulgaverat, naves Græcas adisse cum strenuâ manu: neque hostis accedit non exspectatus in armis. Prohibent* eum *accessu, & defendunt littus.*

NOTÆ.

34. *Mycenida*] *Iphigeniam* Mycenis oriundam: quam in Tauricam regionem avectam scripsit Eurypides; alii Scythicæ Dianæ immolatam asserunt.

40. *Triplicis*] In tres partes divisi cœlum mare & terram.

Troës

Troës: & Hectoreâ primus fataliter haſtâ,
Proteſilaë, cadis: commiſſaque prælia magno
Stant Danaïs, forteſq; animæ, neq; cognitus Hector.
Nec Phryges exiguo, quid Achaïa dextera poſſet,
Sanguine ſenſerunt. Et jam Sigæa rubebant
Littora: jam leto proles Neptunia Cygnus
Mille viros dederat. Jam curru iſtabat Achilles:
Troaque Peliacæ ſternebat cuſpidis ictu
Agmina: perque acies aut Cygnum aut Hectora quærens,
Congreditur Cygno: decimum dilatus in annum
Hector erat. Tum colla jugo candentia preſſos
Exhortatus equos, currum direxit in hoſtem:
Concutienſque ſuis vibrantia tela lacertis,
Quisquis es, ô juvenis, ſolatia mortis habeto,
Dixit, ab Hæmonio quòd ſis jugulatus Achille.
Hactenus Æacides. Vocem gravis haſta ſecuta eſt.
Sed quanqam certâ nullus fuit error in haſtâ;
Nîl tamen emiſſi profecit acumine ferri:
Utque hebeti pectus tantummodo contudit ictu;
Nate Dea (nam te famâ prænovimus) inquit
Ille, quid à nobis vulnus miraris abeſſe?
(Mirabatur enim.) Non hæc, quam cernis, equinis
Fulva jubis caſſis, neque onus cava parma ſiniſtræ
Auxilio mihi ſunt: decor eſt quæſitus ab iſtis.
Mars quoque ob hoc capere arma ſolet. Removebitur omne

Trojani: atque primus occumbis fataliter jaculo Hectoreo, Proteſilaë; & prælia incœpta & ſtrenuæ animæ, necdum cognitus Hector magno conſtant Græcis. Neque Trojani ſenſerunt pauco ſanguine quid Græca manus poſſet. Et jam littora Sigæa rubebant ſanguine: jam Cygnus filius Neptuni morti oppoſuerat mille viros. Achilles jam urgebat curru, & conficiebat catervas Trojanas ictu mucronis Peliaci: atque luſtrans per agmina aut Cygnum, aut Hectorem, incurrit in Cygnum: Hector erat ſervatus in annum decimum. Tum mulcens equos habentes albas cervices onuſtas jugo, dirigens currum in hoſtem; atque librans tremens haſtile ſuis brachiis, Quiſquis es, inquit, ô Juvenis, habeto ſolamen obitûs, quòd ſis mactatus ab Achille. Hactenus Æacides. Ponderoſum haſtile ſecutum eſt vocem. Sed quamvis nullum vitium fuerit in telo inerranti, nihil tamen promovit mucrone ferri impulſi; atque ut percuſſit tantûm pectus ictu vano, Fili Deæ, ait ille, nam te antè cognovimus famâ, cur ſtupes quòd intacti ſimus? (Namque ſtupidus hærebat) Non hæc galea flava, quam vides equinis jubis, neque ſcutum curvum onus ſiniſtræ ſunt mihi ad utilitatem; ſed tantùm ornamenti gratiâ geruntur. Mars etiam eâ gratiâ conſuevit induere arma. Tolletur omne

NOTÆ.

67. *Hectoreâ*] Alii tamen Æneæ, alii Achatæ mane cecidiſſe eum autumant.

Ibid. *Fataliter*] Oraculo monitus fuerat, ne ad Trojanum bellum proficiſceretur, ibi namque periturum. Atque in fatis erat occubiturum illum, qui primus ex Græcis in littus Trojanum deſcenderet.

68. *Proteſilaë, cadis*] Proteſilaus Laodamiæ Acaſti filiæ maritus. Hujus pater Iphiclus, curſûs velocitate celebris.

70. *Phryges*] Seu *Trojani*, qui Phrygiam minorem ſeu Troadem incolebant.

71. *Sigæa*] Promontorium Trojæ.

74. *Peliacæ*] Ex Pelio monte reciſæ; quæ *Pelias* ideo dicitur; &,

Ipſe ſuas quamvis vires inhiberet Achilles,
Miſſa graves ictus Pelias haſta dabat.

76. *Decimum*] Decennalis fuit Trojæ obſidio.

79. *Vibrantia*] Al. Vulcania; ut ad arma ejus à Vulcano fabricata alludat.

82. *Æacides*] *Achilles* Pelei & Thetidis filius: *Æacides*, ab avo Æaco dictus.

88. *Equinis jubis*] Iis verò galearum criſtas decorare quoque ſolebant heroës: hinc illud Virgil.

——*Criſtâque hirſutus equinâ.*

auxilium armorum; tamen defectam invulneratus. Est aliquid non esse natum Nereide sed qui regat Nereum, & ejus filias, & universum mare. Dixit, & intorsit in Æacidæ jaculum adhæsurum umboni clypei; quod penetravit & æs, & coria novem boum: decimo tamen tegmine repressum heros illud excutit, rursusque impulit strenua dexterâ vibrans hastile; rursus corpus fuit integrum sine plagâ, neque tertius mucro potuit vulnerare Cygnum pectus suum exhibentem. Non aliter exanduit, quàm taurus Circo spatioso, cùm incurrit cornu fulmineo in vestes purpureas sua irritamenta, & sensit impetum deceptum. Respicit tamen num ferrum hastæ lapsum sit. Ligno affixum erat. Mea igitur dextra ait est infirma: atque vires, quibus pollebat, amisit, dum unum hunc Cygnum petit. Nam profectò fortis fuit; vel cùm primus dirui muros Lyrnæsios; vel cùm sparsi Tenedon, & Thebas Ëtioneas suo sanguine; vel cùm Caycus fluxit ruber cruore populi sui: & Telepheus bis expertus est vim meæ lanceæ. Manus mea etiam hîc potens fuit, tot interfectis, quorum feci cumulos per littus, & cerno; atque fortis est. Dixit & quasi parum consideret antè factis, impulit hastam in adversum Menœten, ex gente Lyciâ:

Tegminis officium: tamen indestrictus abibo.
Est aliquid, non esse satum Nereide, sed qui
Nereaque, & natas, & totum temperet æquor.
Dixit: & hæsurum clypei curvamine telum
Misit in Æaciden; quod & æs, & proxima rupit
Terga novena boum: decimo tamen orbe moratum
Excutit hoc heros: rursusque trementia forti
Tela manu torsit: rursus sine vulnere corpus,
Sincerumque fuit, nec tertia cuspis apertum,
Et se præbentem valuit destringere Cygnum.
Haud secùs exarsit, quàm Circo taurus aperto,
Cùm sua terribili petit irritamina cornu
Phœniceas vestes, elusaque vulnera sentit.
Num tamen exciderit ferrum considerat hastæ,
Hærebat ligno. Manus est mea debilis ergo;
Quasque, ait, antè habuit vires effudit in uno.
Nam certè valuit, vel cum Lyrnesia primus
Mœnia disjeci; vel cum Tenedonque, suoque
Ëtioneas implevi sanguine Thebas.
Vel cùm purpureus populari cæde Caycus
Fluxit; opusque meæ bis sensit Telephus hastæ.
Hîc quoque tot cæsis, quorum per littus acervos
Et feci, & video, valuit mea dextra, valetque.
Dixit: &, ante actis veluti malè crederet, hastam
Misit in adversum Lycîâ de plebe Menœten:

NOTÆ.

93. *Nereïde*] Qualis fuit Thetis Achillis mater, quam gloriam Cycnus, qui Neptunum ipsum patrem haberet, quamquam modestè, extenuat tamen.

Ibid. *Sed qui*] Neptuno, cui famulatur Nereus, matris tuæ pater, *Nereïde*] *Thetide* nymphâ, Nerei filiâ.

97. *Terga*] Id est, novem terga quibus clypeus constabat.

102. *Circo*] In quo venationes exhibebantur.

104. *Phœniceas*] Effigies hominum coccineis indutes vestibus, quas stramento aut fœno farciebant, tauris in arenâ objectare sunt soliti, quò eos ad pugnam irritarent Sen. 3, 1. de Irâ.

108. *Lyrnesia*] Fuit Lyrnessus urbs Troadis Hippodamiæ Briseidos patria.

109. *Tenedon*] Quæ insula Trojano littori opposita, decennali illo bello cum multis aliis à Græcis fuit direpta.

110. *Ëtionéas*] *Thebas* Ciciliæ, in quibus regnavit Ëetion Andromaches pater: pro Trojanis enim arma sumserunt.

111. *Caycus*] Fluvius Musiæ; nam & hanc regionem Græci cum multis aliis, ne Trojanis auxilio essent, devastârunt.

112. *Opus*] *Vulnus, & auxilium.*

Ibid. *Telephus*] Herculis fuit filius ex Auge nymphâ, Mysorum rex, qui cùm Græcos ad Trojam proficiscentes transitu prohiberet, ab Achille est vulneratus. Insanabile erat vulnus; quamobrem ille ad oraculum confugit, à quo, eâdem quâ vulneratus fuerat hastâ sanandum esse vulnus edoctus, Achilli reconciliatus, cuspidis ærugine, pristinæ valetudini restitutus est.

116. *Lyciâ*] Nam & Lycii, tametsi in diversâ orâ, & ad Mediterraneum siti, Trojanis auxilio erant.

Loricamque

Loricamque simul, subjectaque pectora rupit.
Quo plangente gravem moribundo vertice terram,
Extrahit illud idem calido de vulnere telum:
Atque ait; Hæc manus est, hæc, quâ modò vicimus, hasta.
Utar in hunc iisdem: sit in hoc precor exitus idem.
Sic fatus, Cygnumque petit, nec fraxinus errat:
Inque humero sonuit non evitata sinistro,
Inde, velut muro, solidâve à caute, repulsa est.
Quâ tamen ictus erat, signatum sanguine Cygnum
Viderat, & frustrâ fuerat gavisus, Achilles.
Vulnus erat nullum: sanguis fuit ille Menœtæ.
Tum verò præceps curru fremebundus ab alto
Desilit, & nitido securum cominus hostem
Ense petens, parmam gladio, galeamq; cavari
Cernit, & in duro lædi quoque corpore ferrum.
Haud tulit ulterius: clypeoque adversa reducto
Ter quater ora viri, capulo cava tempora pulsat.
Cedentique sequens instat: turbatque, ruitq;
Attonitoq; negat requiem. Pavor occupat illum;
Ante oculosque natant tenebræ: retroque ferenti
Aversos passus medio lapis obstitit arvo.
Quem super impulsum resupino pectore Cygnum
Vi multâ vertit, terræque affixit Achilles.
Tum, clypeo genibusque premens præcordia duris,
Vincla trahit galæ; quæ presso subdita mento
Elidunt fauces; & respiramen, iterque
Eripiunt animæ. Victum spoliare parabat:
Arma relicta videt. Corpus Deus æquoris albam
Contulit in volucrem; cujus modò nomen habebat.

atque transfixit simul thoracem & pectus subjectum. Quo obeunte & percutiente durum solum capite, eripit illud idem hostile ex vulnere calido, atque inquit. Hæc est dextra, hæc est lancea, quâ modò vicimus: Utar in hunc iisdem, ora idem sit successus contra hunc. Sic loquutus est, & petit Cygnum, neque hastâ aberrat, atque non elusa strepitum edidit in sinistro humero. Inde repulsa est tanquam à muro aut rupe firmâ. Achilles tamen adverterat Cygnum infectum sanguine, quâ parte tactus fuerat, & incassùm tactus erat. Plaga nulla erat, ille fuit sanguis Menœtæ. Tum verò furens præceps desiluit de excelso curru, atque petens cominus gladio conjecto hostem tutum, videt scutum atque cassidem penetrari gladio, & ferrum etiam retundi in rigido corpore. Non ampliùs passus est: & clypeo repetito ter quater percutit vultum viri, & depressa tempora capulo. Atque persequens urget cedentem, atque turbat, & agit, & non permittit quietem exterrito. Pavor illum corripit, & caligo observatur oculis: & saxum in medio campo obstitit retro ferenti aversos gressus. Super quem Achilles dejecit magno nisu impulsum Cygnum pectore resupino, atque in terram prostravit. Tum urgens pectus clypeo & validis genibus, trahit retinacula cassidis, quæ subjecta mento pressò frangunt gulam, atque tollant spiritum & viam anhelitûs. Volebat victum exuere armis, advertit arma relicta. Deus maris mutavit corpus in avem candidam, cujus modò habebat nomen.

NOTÆ.

129. *Securum hostem*] Cygnum nihil timentem, qui erat toto corpore invulnerabilis, excepto capite.

132. *Clypeoque adversa reducto*] Innuit os Cygni adversùm clypeo impacto identidem ab Achille fuisse pulsatum. Sic *reducta hasta* apud Virgil. lib. X. Æneid.

136. *Natant tenebræ*] Attonitus enim nihil prospicere poterat.

145. *Volucrem*] Cygnum, cujus alitis Cygnum alium Stheneli filium lib. 2. formam quoque induisse vidimus. Ex hâc autem transmutatione, post fata maximè vivere bonos, quorum virtutibus nihil ampliùs aut invidia aut inimicorum impetus possint detrahere, pronum est mente consequi.

IV. V. Hic

IV. V. *Hic labor, hoc certamen, cauſſa fuit induciarum multorum dierum; & pars utraque requievit, amiſſis armis. Et dum vigil præſidium cuſtodit mœnia Trojana; & vigil cuſtodia ſervat munitiones Græcas; feſta dies erat, quâ Achilles victoriâ potitus adverſus Cygnum ſævum faciebat Minervæ ſanguine vaccæ vittatæ. Cujus poſtquam impoſuit exta calidis altaribus, & nidor Diis gratus pervenit in cœlum, ſacra habuerunt ſuam diei partem: reliqua eſt exhibita epulis. Accubuerunt exceliis lectis: & ſatiaverunt corpora carnibus aſſis, & leniunt mero & ſolicitudines & ſitim. Nequelyræ, neque carmina cantata, vel longa tibia buxi multifori illos oblectat: ſed tranſigunt noctem colloquiis; atque virtus eſt materia conſulationis. Narrant certamina hoſtium atque ſua. Atque gratum eſt viciſſim narrare diſcrimina crebrò tentata atque exacta. Quid enim dicaret Achilles! vel quid potius memorarent apud magnum Achillem? Ultima victoria præſertim victo Cygno commemorata fuit. Viſum mirabile omnibus, quòd corpus juvenis nullo telo violari potuit, neque plagis erat obnoxium, atque ferrum retunderet. Æacides hoc mirabatur, Græci hoc admirabantur; cùm ita Neſtor loquitur, Cygnus fuit ſolus veſtrâ ætate ſecurus ferri, & nullo ictu penetrabilis. At ego quondam aſpexi Cæneum Perrhæbum ferentem mille ictus corpore illæſo:*

IV. V. Hic labor, hæc requiem multorum pugnadierum
Attulit: & poſitis pars utraque ſubſtitit armis.
Dumque vigil Phrygios ſervat cuſtodia muros;
Et vigil Argolicas ſervat cuſtodia foſſas:
Feſta dies aderat; quâ Cygni victor Achilles
Pallada vittatæ placabat ſanguine vaccæ:
Cujus ut impoſuit profecta calentibus aris;
Et Dîs acceptus penetravit in æthera nidor:
Sacra tulêre ſuam: pars eſt data cætera menſis.
Diſcubuêre toris proceres: & corpora toſtâ
Carne replent: vinoque levant curaſque, ſitimque.
Non illos citharæ, non illos carmina vocum,
Longave multifori delectat tibia buxi:
Sed noctem ſermone trahunt, virtuſque loquendi
Materia eſt. Pugnam referunt hoſtiſque ſuamque,
Inque vices adita atque exhauſta pericula ſæpe
Commemorare juvat. Quid enim loquereter Achilles?
Aut quid apud magnum potiùs loquerentur Achillem?
Proxima præcipuè domito victoria Cygno
In ſermone fuit. Viſum mirabile cunctis;
Quòd juveni corpus nullo penetrabile telo,
Invictumque ad vulnera erat, ferrumque terebat.
Hoc ipſum Æacides, hoc mirabantur Achivi.
Cùm ſic Neſtor ait; Veſtro fuit unicus ævo
Contemptor ferri, nulloque forabilis ictu
Cygnus. At ipſe olim patientem vulnera mille
Corpore non læſo Perrhæbum Cænea vidi:

NOTÆ.

149. *Argolicas*] Fuit Argolis regio Peloponneſi, quæ pro totâ Græciâ, ſicuti & ejus populi pro omnibus Græcis, nonnunquam ſumitur.

152. *Profecta*] Carnes hoſtiarum, quas profecabant, i. e. primum ſecabant; Diiſque adolebant partem, ſacerdotibus partem dabant, partem ſibi apponebant. Turneb. lib. 15. cap. 17.

155. *Toſtâ*] Namque elixa heroïcis temporibus non veſcebantur. Servius.

157. *Non illos*] Lepidiſſimum, inquit Plutarchus, eſt illud convivium, in quod non intrat tibicen. Quibus de rebus in convivio diſſerendum ſit, docet A. Gellius, lib. 13. cap. 11. & Macrob. 7. lib. Saturn. 1. cap. Hic duces de virtute bellicâ, & pugnis.

168. *Achivi*] Græci, qui & Achæi dicti, ſunt ab Achaiâ, quam incoluerunt.

169. *Neſtor*] Nelei fuit filius, rex Pyli, ætate, eloquentiâ & prudentiâ clarus.

172. *Perrhæbum*] Fuerunt Perrhæbi Theſſaliæ, populi, qui à Lapithis devicti, in Pindi montana confugerunt.

Ibid. *Cænea*] Cænis Elati Lapitharum regis fuit filia, in virum mutata; cujus ex poëta jucundiùs poteris cognoſcere hiſtoriam.

Cænea

Cænea Perrhæbum; qui factis inclytus Othryn
Incoluit. Quòque id mirùm magìs esset in illo,
Fœmina natus erat. Monstri novitate moventur,
Quisquis adest: narretque rogant. Quos inter Achilles,
Dic age (nam cunctis eadem est audire voluntas)
O facunde senex, ævi prudentia nostri;
Quis fuerit Cæneus, cur in contraria versus;
Quâ tibi militiâ, cujus certamine pugnæ
Cognitus; à quo sit victus, si victus ab ullo est.
Tum senior: Quamvis obstet mihi tarda vetustas;
Multaque me fugiant primis spectata sub annis;
Plura tamen memini: nec, quæ magìs hæreat illâ,
Pectore res nostro est, inter bellique, domique
Acta tot. Ac si quem potuit spatiosa senectus
Spectatorem operum multorum reddere, vixi
Annos bis centum; nunc tertia vivitur ætas.
Clara decore fuit proles Elateïa Cænis,
Thessalidum virgo pulcherrima; perque propinquas,
Perque tuas urbes (tibi enim popularis, Achille)
Multorum frustrà votis optata procorum.
Tentàsset Peleus thalamos quoque forsitan illos;
Sed jam aut contigerant illi connubia matris,
Aut fuerant promissa, tuæ. Nec Cænis in ullos
Denupsit thalamos; secretaque littora carpens
Æquorei vim passa Dei est. Ita fama ferebat.
Utque novæ Veneris Neptunus gaudia cepit;
Sint tua vota licet, dixit, secura repulsæ:
Elige quid voveas. Eadem hoc quoque Fama ferebat.
Magnum, Cænis ait, facit hæc injuria votum,
Tale pati nîl posse mihi. Da fœmina ne sim,
Omnia præstiteris. Graviore novissima dixit

qui celeberrimus facinoribus frequentavit Othryn, & ut illud magìs esset stupendum in eo: natus erat fœmina. Quicunque adest tanguntur novitate prodigii, atque orant ut referat. Inter quos Achilles, Narra, quæso, ô diserte senex, prudentia nostri sæculi (nam omnes cupiunt cognoscere eadem) quis fuerit Cæneus; quamobrem in aliam formam mutatus; quo bello; cujus contentionis discrimine tibi cognitus, à quo sit domitus; si modò à quoquam est domitus. Tum senex. Quamvis mihi obstet longa senectus, multorum sim oblitus quæ vidi primâ ætate, recordor tamen plurimorum: neque est quicquam quod tenaciùs affixum sit memoriæ nostræ inter tot facta pace & bello, quàm illud. Et si longa vetustas potuit præstare aliquam testem multorum factorum, vixi annos ducentos; nunc tertia ætas agitur. Cænis Elati filia inclyta fuit formâ puella pulcherrima Thessalarum: & frustrà fuit petita vocis multorum procorum per urbes vicinas, & per tuas, Achille. (Namque tua fuit populares) Fortè etiam Peleus petiisset illos thalamos; sed aut jam illi obtigerant conjugia genetricis tuæ, aut fuerant concessa. Neque Cænis rupta est in ullos thalamos, atque ambulans in littore remoto compressa est à Deo maris potenti. Sic rumor increbuerat. Est postquam Neptunus potitus est voluptate novæ Veneris, Conceditur, iniquit, ut tua desideria sint tuta ab omni repulsâ, elige quid cupias. Idem rumor etiam istud prædicabat. Hoc dedecus inquit Cænis, facit magnum votum, scilicet, ut nihil simile pati possim. Fac ne sim fœmina, omnia feceris. Protulit ultimas majore

NOTÆ.

173. *Othryn*] Qui mons est Thessaliæ.

179. *Contraria*] In marem ex fœminâ.

188. *Bis centum*] Ut ita falsos liqueat, qui tres Nestoris ætates per 300 annorum secula minora metiuntur; siquidem Ovidio fides.

201. *Injuria*] Quâ mihi virginitatem eripuisti, effecit, ut magna petere audeam.

203. *Graviore*] Quia in marem mutat; hoc est, quia effœminatus qui erat, graviores viri mores induit.

Verba

ſono voces, atque ille ſonus poterat viderimajor, qualis erat. Nam jam Deus profundi maris audierat vota: atque inſuper fecerat, ne poſſet vulnerari ullo modo, vel occidi ferro. Hilaris dono diſcedit Atracias: atque tranſigit ætatem ſtudiis virilibus, & exſpatiatur per campos Peneïos. Filius temerarii Ixionis duxerat Hippodamen, atque juſſerat ſævos nubigenas diſcumbere menſis ex ordine conſtitutis in ſpeluncâ velatâ arboribus. Theſſali principes coïerant; nos quoque aderamus: atque aula feſta perſonabat confuſâ turbâ. Ecce cantant Hymenæum, atque atria fumant ignibus: & puella vultu pulcherrima accedit ſtipata turbâ matronarum & puellarum. Beatum prædicavimus Pirithoum illâ uxore: quod præſagium propè falſum fuit. Namque Euryte, crudeliſſime crudelium Centaurorum, tam tibi coruritur puellâ conſpectâ, quàm mero: & ebrietas duplicata libidine dominatur. Continuò menſæ disjectæ fædant convivia; atque recèns nupta trahitur per vim capillis correptis. Eurytus abripit Hippodamen, alii quam quiſque laudaverant; aut poterant rapere; *atque erat ſpecies urbis direptæ. Domus perſonat ululatibus muliebribus. Confeſtim omnes exſurgimus; atque prior Theſeus, Quæ, inquit, veſania te urget, Euryte, qui me vivo lædas Pirithoum, atque neſcius duos violes in uno? Neve heros fortiſſimus nequicquam ea dixit;*

Verba ſono: poteratque viri vox illa videri,
Sicut erat. Nam jam voto Deus æquoris alti
Annuerat: dederatque ſuper: ne ſaucius ullis
Vulneribus fieri, ferrove occumbere poſſet.
Munere lætus abit: ſtudiiſque virilibus ævum
Exigit Atracides, Peneïaque arva pererrat.
Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus;
Nubigenaſque feros, poſitis ex ordine menſis,
Arboribus tecto diſcumbere juſſerat antro.
Hæmonii proceres aderant; aderamus & ipſi,
Feſtaque confuſâ reſonabat regia turbâ.
Ecce canunt Hymenæon; & ignibus atria fumant:
Cinctaque adeſt virgo matrum nuruumque caterva
Præſignis facie. Felicem diximus illâ
Conjuge Pirithoum: quod pœnè feſellimus omen.
Nam tibi, ſævorum ſæviſſime Centaurorum
Euryte, quàm vino pectus, tam virgine viſâ
Ardet: & ebrietas geminata libidine regnat.
Protinus everſæ turbant convivia menſæ:
Raptaturque comis per vim nova nupta prehenſis.
Eurytus Hyppodamen, alii, quam quiſq; probârant,
Aut poterant, rapiunt; captæque erat urbis imago.
Fœmineo clamore ſonat domus. Ociùs omnes
Surgimus: & primus, Quæ te vecordia, Theſeus,
Euryte, pulſat, ait; qui, me vivente, laceſſas
Pirithoum, violeſque duos ignarus in uno?
Neve ea magnanimus fruſtrà memoraverit heros;

NOTÆ.

209. *Atracides*] *Cæneus Theſſaleus:* fuit enim *Atrax* ſeu *Atracia* Theſſaliæ oppidum, apud Peneum fluvium.

Ib. *Peneia*] Per quæ Peneus Theſſaliæ fluvius volvitur.

210. *Hippodamen*] Iſchomachen nominat Propert. l. 2. El. 2. Deidamiam. Plut. in Theſeo.

Ib. *Audaci*] Pirithoum dicit Ixionis filium; qui quidem Ixion Junonem etiam de ſtupro interpellare eſt auſus; quâ re à Jove intellectâ, nubem illi Junonis ſpecie ſuppoſuit, unde nati Centauri.

211. *Nubigenas*] Centauros nube genitos.

215. *Hymenæon*] Nuptiale carmen frequentabant: Hymenæumque nuptiarum Deum celebrabant.

Ib. *Ignibus*] Nuptiis non faces modò ſed & aræ, & ſacra adhibita, Diique advocati.

218. *Feſellimus*] Propter ortam rixam deinde & pugnam.

221. *Geminata*] Nam Baccho & Venere inebriati ſunt.

229. *Pirithoum*] Proverbio etiam cognita Theſei & Pirithoi mutua amicitia.

Submovet

Submovet instantes; raptamque furentibus aufert.
Ille nihil contrà: neque enim defendere verbis
Talia facta potest: sed vindicis ora protervis
Insequitur manibus, generosaque pectora pulsat.
Fortè fuit juxtà signis extantibus asper
Antiquus crater, quem vastum vastior ipse
Sustulit Ægides; adversaque misit in ora.
Sanguinis ille globos pariter, cerebrumque, merumque,
Vulnere & ore vomens, madidâ resupinus arenâ
Calcitrat. Ardescunt germanâ cæde bimembres:
Certatimq; omnes uno ore, Arma, arma, loquuntur.
Vina dabant animos: & primâ pocula pugnâ
Missa volant, fragilesque cadi, curvique lebetes:
Res epulis quondam, nunc bello & cædibus, aptæ.
Primus Ophionides Amycus penetralia donis
Haud timuit spoliare suis: & primus ab æde
Lampadibus densum rapuit funale coruscis:
Elatumque altè, veluti qui candida tauri
Rumpere sacrificâ molitur colla securi;
Illisit fronti Lapithæ Celadontis; & ossa
Non agnoscendo confusa relinquit in ore.
Exsiluêre oculi; disjectisque ossibus oris,
Acta retro naris, medioque infixa palato est.
Hunc pede convulso mensæ Pellæus acernæ
Stravit humi Belates, dejecto in pectora mento:
Cumque atro mistos sputantem sanguine dentes,
Vulnere Tartareas geminato mittit ad umbras.
Proximus ut steterat, spectans altaria vultu
Fumida terribili, Cur non, ait, utimur istis?
Cumque suis Gryneus immanem sustulit aram

nam repellit violentos, atque avellit sublatam furentibus. Ille nil dixit *contrà: neque enim potest tueri vocibus ejusmodi facinora: sed insurgit in vultum ultoris manibus temerariis & impetum facit contra magnanimum pectus. Fortè prope fuit vetus crater, durus signis promientibus, quem magnum ipse major Ægides corripuit, atque jecit in faciem adversam. Ille eructans simul spissam saniem & cerebrum, & vinum per os atque per plagam, resupinus percutit terram humidam calcibus. Omnes biformes* Centauri *incensi nece fratris certatim uno ore clamant, Ad arma, ad arma. Merum augebat animos: atque primo certamine pocula jacta, & cadi fragiles & cavi lebetes, res olim idoneæ convivis, nunc bello & cædibus, volant. Amycus Ophionis filius primus non veritus est tollere munera sua ex penetralibus; atque primus sustulit ex sacrario candelabrum instructum lucernis splendentibus: & misit altè sublatum in frontem Lapithæ Celadonis, veluti qui conatur frangere cervicem albam tauri sacrificâ bipenni: atque relinquit ossa quassata facie non agnoscendâ. Oculi sunt eruti, & ossibus oris sparsis naris retro pressa est, atque infixa medio palato. Belates Pellæus, pede mensæ acernæ extracto, hunc dejecit in terram, mento delapso in pectus: atque ictu repetito dimittit ad Manes inferos, exspuentem dentes confusos cum nigro sanguine. Gryneus, cùm proximus esset, adspiciens aram fumantem oculis atrocibus, Quamobrem, inquit, non utimur istis? atque sustulit ingens altare cum suis*

NOTÆ.

233. *Vindicis*] *Thesei*, qui novam nuptam à Centaurorum injuriâ liberat: pugnos in faciem & pectus Thesei ingerit.

237. *Ægides*] *Theseus* Ægei filius.

240. *Bimembres*] Centauri biformes, mediâ parte homines, alterâ equi.

243. *Fragiles*] Ex cretâ confecti.

245. *Penetralia*] Sacrarium dicit, seu locum ubi sacra reponerentur; sacrificia etiam peragerentur.

247. *Funale*] Lychnuchum intelligo, de laqueari fortè pendentem.

250. *Lapithæ*] Thessaliæ populi, Pindum & Othryn montes præsertim incolentes, Pirithoi olim imperio parentes.

254. *Pellæus*] Pellâ Thessaliæ urbe, ut verò simile est, oriundus: quanquam plures Pellæ fuerant.

ignibus, & immisit in mediam turbam Lapitharum; & protivit duos, Broteam & Orion. Orius matrem habebat Mycalen; quam certum erat crebrò subtraxisse incantationibus cornua Lunæ resistenti. Non discedes inultus, modò inveniam aliquod telum, dixerat Exadius: atque pro telo arripuit cornua cervi Dianæ *consecrati, quæ pendebant ab excelsâ pinu. Gryneus figitur ab eo duplici ramo in oculos; atque iis privatur; quorum pars hæret cornibus, pars fluit in barbam, & coagulata sanguine pendet. Ecce Rhœtus tollit ex medio altari magnum stipitem ardentem; & à dextrâ parte penetrat tempora Charaxi obducta flavis crinibus. Coma incensa igne fervido flagravit sicuti messis sicca: & sanguis adductus ictu strepitum fecit horrendum crepitando, qualem ferè ferrum candens consuevit reddere, quod, cùm faber extraxit forcipe aduncâ, injicit in lacum. At illud mersum crepitat, atque sibilat in aquâ tremente. Vulneratus excutit ignem rapacem de comâ bispidâ; atque tollit in humero saxum ex terrâ extractum, onus* magnum satis *plaustro, quod ne penitùs jaciat in hostem, ipsa gravitas prohibet. Pondus lapidis oppressit etiam Cometem propius stantem. Neque Rhœtus dissimulat lætitiam. Ita oro, ait, sit validum reliquum agmen tuorum sociorum, atque geminat plagam renovatam torre semiusto: perfregit terque quaterque commissuras capitis servo ictu, & ossa manserunt in fluido cerebro. Victor transit ad Evagrum, Corythumque, atque Dryantem; è quibus postquam Corythus, velatas habens maxillas primâ lanugine, humi stratus est, Quæ laus adolescente prostrato*

Ignibus, & medium Lapitharum jecit in agmen;
Depressitque duos, Brotean, & Orion. Orio
Mater erat Mycale: quam deduxisse canendo
Sæpe reluctanti constabat cornua Lunæ.
Non impunè feres, teli modò copia detur,
Dixerat Exadius. Telique habet instar, in altâ
Quæ fuerant pinu, votivi cornua cervi.
Figitur huic duplici Gryneus in lumina ramo:
Fruiturque oculos. Quorum pars cornibus hæret:
Pars fluit in barbam; concretaque sanguine pendet.
Ecce rapit mediis flagrantem Rhœtus ab aris
Primitium torrem: dextrâque à parte Charaxi
Tempora perfringit fulvo protecta capillo.
Correpti rapidâ, veluti seges arida, flammâ.
Arserunt crines: & vulnere sanguis inustus
Terribilem stridore sonum dedit; ut dare ferrum
Igne rubens plerumque solet, quod forcipe curvâ
Cùm faber eduxit, lacubus demittit: At illud
Stridet: & in trepidâ submersum sibilat undâ.
Saucius hirsutis avidum de crinibus ignem
Excutit: inque humeros limen tellure revulsum
Tollit, onus plaustri: quod ne permittat in hostem,
Ipsa facit gravitas. Socium quoque saxea moles
Oppressit spatio stantem propiore Cometem:
Gaudia nec retinet Rhœtus: Sic comprecor, inquit,
Cætera sit fortis castrorum turba tuorum;
Semicremoque novat repetitum stipite vulnus:
Terque, quaterque gravi juncturas verticis ictu
Rupit: & in liquido sederunt ossa cerebro.
Victor ad Evagrum, Corythumque, Dryantaque transit:
E quibus ut primâ tectus lanugine malas
Procubuit Corythus: Puero quæ gloria fuso

NOTÆ.

263. *Quam*] Veneficiis & incantationibus infames præsertim mulieres Thessaliæ.

267. *Quæ fuerat*] Virgil. Eclog. 7. *Dianæ vovet ramosa Micon vivacis cornua cervi.* Cornibus itaque pinu, in quâ figebantur votiva Dianæ, direptis, subitorum vice armorum utitur Exadius.

285. *Sic*, &c.] Utinam cæteri Cometis socii tam audacter accederent, ut eâdem cum illo fortunâ utantur.

Parta

Parta tibi est? Evagrus ait. Nec dicere Rhœtus
Plura finit; rutilasque ferox in aperta loquentis
Condidit ora viri, perque os in pectora flammas.
Te quoque, sæve Drya, circum caput igne rotato
Insequitur: sed non in te quoque constitit idem
Exitus. Assiduæ successu cædis ovantem,
Quà juncta est humero cervix, sude figis obustâ.
Ingemuit, duroque sudem vix osse revellit
Rhœtus; & ipse suo madefactus sanguine fugit.
Fugit & Orneus, Lycabasque, & saucius armo
Dexteriore Medon, & cum Pisenore Thaumas:
Quique pedum nuper certamine vicerat omnes
Mermerus; accepto nunc vulnere tardiùs ibat:
Et Pholus, & Melaneus, & Abas prædator aprorum:
Quique suis frustrà bellum dissuaserat augur
Astylos. Ille etiam metuenti vulnera Nesso,
Ne fuge: ad Herculeos, inquit, servaberis, arcus.
At non Eurynomus, Lycidasque, & Areos & Imbreus
Effugêre necem: quos omnes dextra Dryantis
Perculit adversos. Adversum tu quoque, quamvis
Terga fugæ dederas, vulnus, Crenæe, tulisti.
Nam grave respiciens inter duo lumina ferrum,
Quà naris fronti committitur, accipis, imæ.
In tanto fremitu ductis sine fine jacebat
Sopitus vinis & inexperrectus Aphidas;
Languentique manu carchesia mista tenebat,
Fusus in Ossææ villosis pellibus ursæ.
Quem procul ut vidit frustrà nulla arma moventem,
Inserit amento digitos, Miscendaque, dixit,

tibi comparata est? inquit Evagrus. Neque Rhœtus patitur plura proferre: atque sævus immisit ignes coruscos in os apertum viri loquentis, & per os in pectus. Persequitur te etiam, crudelis Drya, flammâ circum caput actâ: verum successus non fuit etiam idem in te: vulneras stipite præustâ triumphantem successu cædis continuæ, quâ putare *collum commissum est humero. Rhœtus ingemuit, vixque evellere potuit stipitem ex osse rigido, & ipse conspersus suo sanguine profugit: Recedit etiam Orneus atque Lycabas, & Medon vulneratus humero dextro, itemque Thaumas cum Pisenore, atque Mermerus, qui nuper superaverat omnes certamine pedum, jam plagâ impactâ segniùs incedebat; & Pholus, & Melaneus, & Abas venator aprorum, & Astylus vates, qui nequicquam dehortatus erat suos Centauros à pugnâ. Ille quoque dixit Nesso sibi caventi à vulneribus, Ne aufugias, servaberis, ab arcu Herculeo* occidendus. *At Eurynomus, & Lycidas, & Areus, & Imbreus, non vitaverunt mortem, quos omnes oppositos dextra Dryantis prostravit. Tu quoque, Crenæe, quanquam terga verteras in fugam, accepisti plagam in parte anteriore; nam retro spectans accipit ferrum inter duos oculos, quà nasus jungitur infimæ fronti. Aphidas mero hausto sine modo, stratus erat, somno victus, neque excitatus tanto strepitu, atque tractabat manu sopitâ carchesia temperata porrectus super pelle hispidâ ursæ Ossææ. Quem Phorbas ut adspexit procul, nequicquam bello carentem, aptat amentum digitis, atque, inquit, mittendum*

NOTÆ.

296. *Circum caput*] Quo motu gravior & paratior fit ictus.

299. *Figis*] Dryantem alloquitur, cujus quoque Homerus meminit.

309. *Servaberis*] Jam Nessum illum Deianiræ vim parantem ab Hercule interfectum vidimus.

314. *Respiciens*] Ad historiam fortè alludit, quam refert Quintilianus. Pomponius quidam vulnus in ore acceperat, quod Cæsari ostentabat: *Ne unquam igitur*, inquit, *fugiens respexeris.*

318. *Carchesia*] Eo nomine appellantur pocula procera, & circa mediam partem compressa, quorum ansæ à summo ad imum pertinent. Carchesium autem hoc in loco pro vino ipso positum.

319. *Ossææ*] In Ossâ monte nutritæ, aut etiam captæ.

320. *Amento*] Lorum erat, quo jaculum medium, seu hasta, ut jaci posset, religabatur.

Cum

Cum Styge vina bibas, Phorbas. Nec plura moratus
In juvenem torsit jaculum: ferrataque collo
Fraxinus, ut casu jacuit resupinus, adacta est.
Mors caruit sensu; plenoque è gutture fluxit
Inque toros, inque ipsa niger carchesia sanguis.
Vidi ego Petræum conantem evellere terrâ
Glandiferam quercum: quam dum complexibus ambit;
Et quatit huc illùc, labefactaque robora jactat,
Lancea Pirithoï costis immissa Petræi
Pectora cùm duro luctantia robora fixit.
Pirithoï virtute Lycum cecidisse ferebant:
Pirithoï cecidisse Chromin. Sed uterque minorem
Victori titulum, quàm Dictys, Helopsque dederunt.
Fixus Helops jaculo: quod pervia tempora fecit;
Et missum à dextrâ lævam penetravit in aurem.
Dictys ab ancipiti delapsus acumine montis,
Dum fugit instantem trepidans Ixione natum,
Decidit in præceps: & pondere corporis ornum
Ingentem fregit: suaque induit ilia fractæ.
Ultor adest Aphareus: saxumque è monte revulsum
Mittere conatur. Conantem stipite querno
Occupat Ægides: cubitique ingentia frangit
Ossa: nec ulteriùs dare corpus inutile leto
Aut vacat, aut curat: tergoque Bianoris alti
Insilit, haud solito quenquam portare, nisi ipsum.
Oppositque genu costis: prênsamque sinistrâ
Cæsariem retinens, vultum, minitantiaque ora
Robore nodoso, præduraque tempora fregit.
Robore Nedymnum, jaculatoremque Lycotan
Sternit, & immissâ protectum pectora barbâ
Hippason, & summis exstantem Riphea silvis;
Tereaque, Hæmoniis qui prênsos montibus ursos
Ferre domum vivos, indignantesque solebat.
Haud tulit utentem pugnæ successibus ultra
Thesea Demoleon: solidoque revellere dumo

haurias merum cum Stygе, neque diutiùs cunctatus, jecit hastile in virum; cùmque forte stratus esset resupinus, jaculum infixum est collo. Mors fuit sine sensu; tque cruor ater manavit ex pleno collo in lectos, inque ipsa pocula. Ipse vidi Petræum nitentem revellere solo quercum glandiferam; quam dum complectitur, & huc illùc impellit, atque agitat arborem concussam, hasta Pirithoï impacta costis Petræi, penetravit pectora pugnantia rigido ligno. Aiebant Lycum peremptum viribus Pirithoï, Pirithoï quoque Chromin: sed uterque minorem laudem attulerunt, quàm Dictys & Helops. Helops fossus fuit hastili, quod transegit tempora, & impulsum à dextrâ pervasit in aurem sinistram. Dictys delapsus à dubio vertice montis, dum pavidus vitat filium Ixionis urgentem, pronus cecidit; & rupit vastam ornum gravitate corporis; atque latera sua transfixa injecit super illam raptum: Apharеus vindex adest, atque nititur jacere lapidem ex monte extractum, Ægides prævertit nitentem vellequercu, atque conterit vasta ossa cubiti; neque amplius moratur, aut cupit mittere Orco corpus mutilum: atque sese immittit dorso excelsi Bianoris, non assueto quemquam vehere præter ipsum: & pressit costas genibus, atque comprimens jubas sinistra correptas, vulneravit faciem atque vultum minitantem, & tempora rigida clavâ nodosâ. Prosternit clavâ Nedymnum, & Lycotan jaculatorem, & Hippasum habentem pectus velatum barbâ promissâ, & Riphеum manentem in altis silvis; & Tereum, qui consueverat portare domum ursos vivos atque rigentes, correptos in montibus Thessalis. Demoleon non passus es ulteriùs Theseum prosperam fortunam in certamine habentem; atque è spissâ silvâ extrahere

NOTÆ.

325. *Mors caruit sensu*] Propter altum soporem *Aliis* (Hiatris sc.) *mors somno continuata est.* Liv. Dec. 5. lib. 1.

346. *Haud solito*] In duplici Centaurorum naturâ ludit Naso.

349. *Robore*] Clavâ nodis plenâ.

Annosam

Annosam pinum magno molimine tentat.
Quod quia non potuit, præfractam misit in hostem.
Sed procul à telo Theseus veniente recessit,
Pallados admonitu. Credi sic ipse volebat.
Non tamen arbor iners cecidit: nam Crantoris alti
Abscidit jugulo pectusque, humerumque sinistrum.
Armiger ille tui fuerat genitoris, Achille:
Quem Dolopum rector bello superatus Amyntor
Æacidæ dederat pacis pignusque, fidemque.
Hunc procul ut fœdo disjectum vulnere Peleus
Vidit, At inferias, juvenum gratissime Crantor,
Accipe, ait. Validoque in Demoleonta lacerto
Fraxineam misit, mentis quoque viribus, hastam:
Quæ laterum cratem perrupit: & ossibus hærens
Intremuit. Trahit ille manu sine cuspide lignum:
Id quoque vix sequitur. Cuspis pulmone retenta est.
Ipse dolor vires animo dabat. Æger in hostem
Erigitur: pedibusque virum proculcat equinis.
Excipit ille ictus galeâ, clypeoque sonantes,
Defensatque humeros: prætentaque sustinet arma:
Perque armos uno duo pectora perforat ictu.
Antè tamen leto dederat Phlegræon, & Hylen
Eminus: Hiphinoum collato Marte, Claninque.
Additur his Dorylas: qui tempora tecta gerebat
Pelle lupi, sævique vicem præstantia teli,
Cornua vara boum multo rubefacta cruore.
Huic ego, nam vires animus dabat, Aspice, dixi,
Quantùm concedant nostro tua cornua ferro:
Et jaculum torsi. Quod cùm vitare nequiret,
Opposuit dextram passuræ vulnera fronti:
Affixa est cum fronte manus. Fit clamor: at illum
Hærentem Peleus, & acerbo vulnere victum
(Stabat enim propior) mediam ferit ense sub alvum.

magno conatu veterem pinum nititur. Quod quia non potuit, jecit partem illius *ruptam in hostem. Ast Theseus vitavit telum è longinquo veniens hortatu Minervæ. Ipse volebat sic credi. Arbor tamen non cecidit inutilis; nam revulsit pectus & humerum sinistrum à collo excelsi Crantoris. Achille, ille fuerat armiger tui patris, quem Amyntor, rex Dolopum bello victus, dederat Æacidæ in obsidem & fidem pacis. Cùm Peleus illum procul adspexit lacerum horrendo vulnere. At, inquit, inferias accipe, Crantor dilectissime juvenum: atque intorsit hastile fraxineum in Demoleontem forti brachio, atque etiam animi impetu: quod perfregit texturam laterum, atque ossibus infixum contremuit. Ille eripit manu lignum sine mucrone; atque* lignum ipsum *ægrè* trahenti *cedit. Ferrum retentum est pulmone. Ipse dolor dabat vires animo. Vulneratus insurgit in hostem, & proterit virum* Peleum, *pedibus equinis. Ille eludit ictus strepentes casside & clypeo, & tegit humeros, & sustinet arma opposita: & transfigit uno ictu duo pectora per armos. Nihilominus priùs morti oppo-*

suerat eminus Phlegræum & Hylen; atque Hiphinoum & Clanin cominus. Adjicitur Dorylas qui habebat tempora velata pelle lupi, atque cornua panda taurorum, quæ illi erant vice duri teli multo sanguine tincta. Ego huic dixi, Vide, quantùm tua cornua sint inferiora nostro ferro: atque immisi telum; quod cùm non posset effugere, objecit dextram fronti accepturæ plagam. Manus simul cum fronte perfossa est. Exclamat; at Peleus (nam erat proximus) percutit gladio sub medio ventre illum stantem & domitum sævâ plagâ.

NOTÆ.

364. *Dolopum*] Dolopes Thessaliæ populi, in Phthiotidis extremis finibus: qui nonnunquam pro Græcis sumuntur.

365. *Pacis*] Significat Crantora Peleo obsidem ab Amyntore fuisse datum.

369. *Mentis*] *Mentis indignatione*, nonnunquam enim sine odio, aut omni etiam animâ perturbatione certatur.

374. *Virum*] *Peleum.*

377. *Duo*] *Equi, & bominis:* nam Centaurus fuit.

Dorylas *emicuit, atque ferus humi raptavit sua intestina: & protrivit raptata, & discerpsit protrita: atque in illis etiam impedivit pedes: tum procubuit vacuo ventre. Neque, Cyllare, tua pulchritudo servavit te certantem, si modò tribuimus pulchritudinem illi* monstrosæ *naturæ. Barba habebat lanuginem; lanuginis color erat flavus: flavi insuper capilli fluebant ex humeris in armos medios. Jucunda alacritas in vultu, collum, humeri, manus, pectora & partes, quibus est homo, haud absimiles erant statuis probatis artificum: neque equi species culpanda sub illâ* formâ, *aut pejor homine. Adjice collum & caput: dignus erit Castore; ita dorsum* latum *& sedi aptum, ita elata pectora consistunt toris; totus nigrior pice atrâ. Attamen cauda alba; color est etiam albus pedibus. Plurimæ de gente suâ illum optaverunt; sed sola Hylonome illum devinxit: quâ nulla fœmina formosior mansit inter semibrutos* Centauros, *in excelsis silvis. Ista & lenibus verbis, & amando, & amorem agnoscendo sola tenet Cyllaron* sibi devictum. *Ornatum etiam habuit, quantus esse licet in istiusmodi artubus; ut capilli sint pectine nitidi, ut nunc se impediat rore marino, nunc violâ aut rosâ; nonnunquam feras lilia alba; bisque die abluat faciem ad fontes fluentes: ex cacumine silvæ Pegasææ, bis lavet corpus flumine: neque tegat aut humeros aut latus sinistrum nisi pellibus ferarum delectarum. Est illis amor æqualis; vagantur unà per montes: unà etiam intrant speluncas; atque tum simul venerant in ædes Lapithicas, & pariter sæva bella exercebant. Auctor* vulneris *est dubius: Telum actum est à parte sinistrâ;*

Prosiluit, terrâque ferox sua viscera traxit;
Tractaque calcavit; calcataque rupit: & illis
Crura quoque impediit; & inani concidit alvo.
Nec te pugnantem tua, Cyllare, forma redemit,
Si modò naturæ formam concedimus illi.
Barba erat incipiens: barbæ color aureus; aureaque
Ex humeris medios coma dependebat in armos.
Gratus in ore vigor: cervix, humerique, manusque,
Pectoraque artificum laudatis proxima signis;
Et quâ parte viri est: nec equi mendosa sub illâ
Deteriorque viro facies: da colla, caputque;
Castore dignus erit. Sic tergum sessile, sic stant
Pectora celsa toris; totus pice nigrior atrâ.
Candida cauda tamen: color est quoque cruribus albus.
Multæ illum petiêre suâ de gente; sed una
Abstulit Hylonome: quâ nulla decentior inter
Semiferos altis habitavit fœmina silvis.
Hæc & blanditiis, & amando, & amare fatendo
Cyllaron una tenet. Cultus quoque quantus in illis
Esse potest membris, ut sit coma pectine lævis:
Ut modò rore maris, modò se violâve, rosâve
Implicet: interdum candentia lilia gestet:
Bisque die lapsis Pegasææ vertice silvæ
Fontibus ora lavet: bis flumine corpora tingat.
Nec, nisi quæ deceant electarumque ferarum,
Aut humero aut lateri prætendat vellera lævo.
Par amor est illis: errant in montibus unà;
Antra simul subeunt: & tum Lapitheïa tecta
Intrârant pariter; pariter fera bella gerebant.
Auctor in incerto est: jaculum de parte sinistrâ

NOTÆ.

393. *Cyllare*] Fuit & istud nomen equi Castore domiti, ad quem etiam poëta alludit, ut mox videbimus. Vers. 406.

402. *Toris*] Tori sunt carnes eminentiores.

410 *Rore Maris*] Rosmarinus & rosmarinum quoque dicitur: qui frutex est nullibi non obvius.

412. *Pegasææ*] Pegasis Thessaliæ urbi, fontibus abundanti, vicina.

415. *Vellera*] *Pelles*, quibus sinistrum latus velasse fingit poëta.

417. *Lapitheïa*] In antro arboribus tecto Pirithoi Lapitharum regis celebratæ sunt nuptiæ, suprà Vers. 212.

419. *Auctor*] *Hæc viro stridens alis allapsa sagitta est:*
Incertum quâ pulsa manu, quo turbine adacta. Virgil.

Venit;

Venit; & inferiùs, quàm collo pectora subsunt,
Cyllare, te fixit; parvo cor vulnere læsum
Corpore cum toto post tela educta refrixit.
Protinus Hylonome morientes excipit artus:
Impositâque manu vulnus fovet: oraque ad ora
Admovet: atque animæ fugienti obsistere tentat.
Ut videt extinctum: dictis, quæ clamor ad aures
Arcuit ire meas, telo, quod inhæserat illi,
Incubuit: morienſque ſuum complexa maritum est.
Ante oculos ſtat & ille meos; qui ſena leonum
Vinxerat inter ſe connexis vellera nodis
Phæocomes; hominemque ſimul protectus equumque.
Codice qui miſſo, quem vix juga bina moverent
Juncta, Phonoleniden à ſummo vertice fregit.
Fracta volubilitas capitis latiſſima: perque os,
Perque cavas nares, oculoſq; aureſq; cerebrum
Molle fluit. Veluti concretum vimine querno
Lac ſolet: utve liquor rari ſub pondere cribri
Manat; & exprimitur per denſa foramina ſpiſſus.
Aſt ego, dum parat hunc armis nudare jacentem,
(Scit tuus hoc genitor) gladium ſpoliantis in ima
Ilia dimiſi. Chthonius quoque Teleboaſque
Enſe jacent noſtro. Ramum prior ille bifurcum
Geſſerat; hic jaculum. Jaculo mihi vulnera fecit.
Signa vides; apparet adhuc vetus ecce cicatrix.
Tunc ego debueram capienda ad Pergama mitti: 445
Tunc poteram magni, ſi non ſuperare, morari
Hectoris arma meis. Illo ſed tempore nullus,
Aut puer, Hector erat. Nunc me mea deficit ætas.
Quid tibi victorem gemini Periphanta Pyreti?

& te vulneravit, Cyllare inferiùs quàm pectora ſubjecta ſunt collo: Cor deſtrictum levi plagâ dirigit cum toto corpore, poſtquam jaculum eſſet extractum. Continuò Hylonome excipit membra cadentia, atque contrectat plagam manu admotâ, & jungit os ori, et nititur retinere ſpiritum effluentem. Poſtquam cognoſcit eſſe mortuum, et dixit ea quæ confuſa vociferatio prohibuit pervenire ad aures meas, jecit ſe in jaculum, quod illum transfoderat, et moriens amplexa eſt ſuum virum. Ille etiam Phœocomes meis oculis obſervatur, qui junxerat nodis inter ſe complicatis ſex pelles leonum, velatus ſimul quâ parte homo et quâ parte equus erat, qui jacto ſtipite, quem non facilè quatuor boves traherent, diviſit Phonoleni filium à ſummo capite. Rotunditas vaſta capitis quaſſata eſt; et tenerum cerebrum emittitur per os, perque cavum najum, et oculos, et aures; ut lac coagulatum conſuevit exce ni vimine querno; vel utì liquor fluit preſſus ſub onere rari cribri, et craſſus exſudat per ſpiſſa foramina. At ego cum conatur ſpoli re armis hunc proſtratum, abdidi gladium in extrema latera ſpoliantis. Pater tuus ſcit iſtud. Chthonius etiam, et Teleboas occubuerunt noſtro gladio. Ille prior inſtructus erat ſude bifidâ, alter jaculo. Me vulneravit jaculo. Cernis veſtigia: ecce antiqua cicatrix adhuc conſpicitur. Tunc ego debueram mitti ad Trojam eruendam; tunc poteram, ſi non vincere, at detinere arma fortis Hectoris meis. Verùm illâ tempeſtate, aut Hector nondum natus erat, aut puer erat. Nunc mei anni me diſtituunt. Cur tibi narrem Periphantem domitorem duplicis Pyreti?

NOTÆ.

434. *Fracta volubilitas*] Latiſſimum ſeu maximum, & volubile ſeu rotundum caput fractum eſt eâ plagâ.

440. *Tuus genitor*] *Pelcus.* Nam Achillem alloquitur Neſtor.

445. *Tunc ego*] Quia jam nihil poſſunt ſenes, jactantiâ ſui contemptum, quem maxime metuunt, ſolent terrè amoliri.

449. *Gemini*] Quia centaurus bimembris.

Ampyca quid referam? qui quadrupedantis Oëcli
Fixit in adverſo cornum ſine cuſpide vultu.
Vecte Pelethronium Macareus in pectus adacto
Stravit Erigdupum. Memini & venabula condi
Inguine, Neſſeïs manibus conjecta, Cymeli.
Nec tu credideris tantùm ceciniſſe futura
Ampyciden Mopſum: Mopſo jaculante biformis
Occubuit, fruſtràque loqui tentavit Odites,
Ad mentum linguâ, mentoque ad guttura fixo.
Quinque neci Cæneus dederat, Stiphelumque, Bromumque,
Antimachumque, Helimumque, ſecuriferumque Pyracmon.
Vulnera non memini: numerum, nomenq; notavi.
Provolat Emathii ſpoliis armatus Haleſi,
Quem dederat leto, membris & corpore Latreus
Maximus. (Huic ætas inter juvenemq; ſenemq;
Vis juvenilis erat: variabant tempora cani)
Qui clypeo, galeâque, Macedoniâque fariſſâ
Conſpicuus, faciemque obverſus in agmen utrumq;
Armaque concuſſit, certumque equitavit in orbem:
Verbaque tot fudit vacuas animoſus in auras:
Et te, Cæni, feram? nam tu mihi fœmina ſemper,
Tu mihi Cænis, eris. Nec te natalis origo
Comminuit? mentemque ſubit, quo prœmia facto
Quâque viri falſam ſpeciem mercede pararis?
Vel quid nata vide, vel quid ſis pâſſa: columque,
I, cape cum calathis; & ſtamina pollice torque:
Bella relinque viris. Jactanti talia Cæneus
Extentum curſu miſſâ latus eruit haſtâ,
Quâ vir equo commiſſus erat. Furit ille dolore,

cur narrem Amphycem? qui fixit in faciem oppoſitam Oëcli quadrupedantis baſtile ſine mucrone. Macareus interfecit Erigdupum Pelethronium ſtipite fixo in pectus. Recordor etiam jaculum miſſum manibus Neſſi abditum fuiſſe in inguine Cymeli. Neque arbitreris Mopſum Ampyciden tantùm prædixiſſe ventura: nam *& Mopſo jaculum mittente Odites bimembris proſtratus eſt, & fruſtrà conatus eſt loqui linguâ cum mento commiſſâ, & mento cum fauceibus. Cæneus morti tradiderat quinque, Stiphelum, et Bromum, et Antimachum, et Helimum, et Pyracmum bipenni armatum. Non recordor quali plagâ ceciderunt; obſervavi tamen eorum numerum et nomina. Latreus vaſtiſſimus artubus, atque corpore, inſtructus exuviis Haleſi, quem mactaverat, accurrit. Huic ætas inter juvenem et ſenem, vires erant juveniles. Capilli albi diſtinguebant tempora. Qui inſignis clypeo, & caſſide, et Macedoniâ haſtâ, & vultus habens converſos in utrumque exercitum, et agitavit arma, et equitavit in certum gyrum, atque ferox emiſit has voces in inanem aërem; Te inſuper feram, Cæni? Namque tu ſemper mihi fœmina, tu mihi eris Cænis. Neque natalis origo tibi animum infregit? aut in mentem venit, quo facinore mercedem, aut quo præmio fictam formam maris retuliſti? Adſpice vel qualis ſis nata, vel quid ſis à Neptuno paſſa; atque abi, ſume colum cum quaſillis, et ducas fila pollice, Concede arma viris. Cæneus effodit jaculo intorto latus jactantis talia extentum curſu, quâ parte homo conjunctus erat equo. Ille furit dolore,*

NOTÆ.

450. *Quadrupedantis*] Equorum more quatuor pedibus currentis.

451. *Cornum*] Telum ex cornu arboreo.

452. *Pelethronium*] Lapitha Pelethronium Theſſaliæ montem incolens; *Fræna Pelethronii Lapithæ.* Georg. 3.

453. *Erigdupum*] Erigdupus ſignificat *gravitor ſtrepens.* Epitheton Homero frequens.

457. *Mopſum*] Qui vates Ampyci filius Lapitha fuit, cum aliis duobus non confundendus,

462. *Emathii*] Propriè Emathia Macedonia eſt; ſed ſuo quondam jure poëtæ pro Theſſaliâ vicinitatis ſpecie ſumunt.

466. *Macedoniâque fariſſâ*] Haſtâ Macedonicâ. *Macedo juſta arma ſumpſerat, æreum clypeum, haſtam, quam* fariſſam *vocant,* &c. Curtius, lib. 9.

468. *Equitavit*] Quippe Centaurus.

474. *Quid ſis nata*] Nam fœmina. *Quid ſis paſſa.* Namque Neptuni vim paſſa es.

Nudaque

Nudaque Phylleï juvenis ferit ora fariſſâ,
Non ſecùs hæc reſilit, quàm tecti à culmine grando:
Aut ſi quis parvo feriat cava tympana ſaxo.
Cominus aggreditur: laterique recondere duro
Luctatur gladium. Gladio loca pervia non ſunt.
Haud tamen effugies: medio jugulaberis enſe,
Quandoquidem mucro eſt hebes, inquit; & in latus enſem
Obliquat: longâque amplectitur ilia dextrâ.
Plaga facit gemitus, ceu corpore marmoris icti:
Fractaque diſſiluit percuſſo lamina collo.
Ut fatìs illæſos miranti præbuit artus:
Nunc age, ait Cæneus, noſtro tua corpora ferro
Tentemus; capuloque tenus dimiſit in armos
Enſem fatiferum, cæcamque in viſcera movit,
Verſavitque manum: vulnuſque in vulnere fecit.
Ecce ruunt vaſto rabidi de more bimembres:
Telaque in hunc omnes unum mittuntque, feruntque.
Tela retuſa cadunt. Manet imperfoſſus ab omni,
Inque cruentatus Cæneus Elateïus ictu.
Fecerat attonitos nova res. Heu dedecus ingens!
Monychus exclamat: populus ſuperamur ab uno,
Vixque viro. Quanquam ille vir eſt; nos ſegnibus actis,
Quod fuit ille, ſumus. Quid membra immania profunt?
Quid geminæ vires? quid, quòd fortiſſima rerum
In nobis natura duplex animalia junxit?
Nec nos matre Deâ, nec eos Ixione natos
Eſſe reor, qui tantus erat, Junonis ut altæ
Spem caperet. Nos ſemimari ſuperamur ab hoſte.
Saxa trabeſque ſuper, totoſque involvite montes:
Vivacemque animam miſſis elidite ſilvis.

atque vibrat haſtam in faciem apertam juvenis Phylleï. Haſta ea non aliter repercuſſa eſt, quàm grando à faſtigio tecti; vel ſi quis percutiat cava tympana exiguo lapide. Cominus invadit, atque nititur abdere enſem in rigido latere. Loca non ſunt penetrabilia enſi. Non tamen evades, ait, mactaberis medio gladio, ſiquidem cuſpis eſt retuſa; atque adigit tranſverſum gladium in coſtas, & amplectitur ilia longâ dextrâ. Ictus ſtrepitum facit, tanquam à corpore marmoris percuſſi; et lamina fractâ eſt percuſſo collo. Poſtquam ſatìs corpus ſuum Latreo percutiendum *exhibuerat, qui miratur* illud non vulnerari. *Nunc age, inquit Cæneus, tentemus tuum corpus noſtro enſe; atque abdidit gladium letiferum capulo tenus in humeros; et agitavit et verſavit manum cæcam per præcordia, et fecit plagam in plagâ. Ecce* Centauri *biformes cum impetu feruntur ſuo impetuoſo more, atque omnes jaciunt et ferunt arma in hunc unum. Jacula obtuſa cadunt. Cæneus Elateïus ſit illæſus atque incruentatus ab omni ictu, Nova res rapuerat illos in admirationem. Heu ingens opprobrium! exclamat Monychus, nos tota gens vincimur ab uno viro, qui vix vir eſt. Tametſi ille eſt vir, nos ſumus inertibus factis, quod ille fuit. Quid juvant artus ingentes? Quid proſunt duplices vires* hominis & equi? *Quid quòd natura duplex commiſit in nobis validiſſima animalia omnium? Neque arbitror nos natos matre Deâ nec Ixione, qui tantus erat, ut ſpem conciperet Junonis excelſæ. Nos vincimur ab hoſte ſemiviro. Dejicite ſuper* illum *lapides, arbores, et montes integros, atque opprimite animam vivacem immiſſis ſilvis.*

NOTÆ.

479. *Phylleï*] *Cænei*, Phyllo Theſſaliæ oppido oriundi.

488. *Percuſſo*] In Centauri collum lamina reſiluit.

493. *Vulnus*] Manum enim verſando, nova vulnera faciebat.

497. *Inque cruentatus*] Pro et incruentatus, per Tmeſin.

500. *Quanquam*] Centaurorum magis arguit turbam hac correctione quàm Cæneum laudat.

501. *Quod fuit ille, ſumus*] *Fœmina.* Nam Cæneus antea fœmina fuit.

504. *Deâ*] Junone, quam ſtultè gloriabantur matrem, quoniam eam Ixion auſus eſſet ſollicitare.

Silva opprimat jugulum, et onus erit pro vulnere. Dixit; et casu nactus arborem prostratam impetu furentis Austri, misit in strenuum hostem: atque sociis exemplo fuit; et stetum Othrys erat spoliatus arboribus; neque Pelion habebat umbras. Cæneus oppressus vastâ congerie assuat sub onere arboreo, et fert fortibus humeris ligna congesta. Verùm enimvero, postquam pondus additum est super os atque caput, neque anima habet aërem quem hauriat, nonnunquam deliquium patitur, interdum incassùm tentat sese erigere in aërem, atque excutere immissas arbores. Atque interdum movit se, tanquam Ide ille, quam en videmus, si agitetur motibus terræ. Eventus incertus est. Nonnulli dicebant corpus ejus cæcum ad inferos exiles pondere arborum. Ampycides diffitetur; atque videt illum mutatum in olitem pennis subflavis mittere se in aërem fluidum ex medio cumulo, quæ à me tum primò, tum ultimò est visa. Cùm Mopsus eam vidit obeuntem sua tentoria lento volatu, et circum strepentem magnâ voce, prosequutus simul oculis et mente, ô inquit, salve Cæneu, gloria nationis Lapithææ, olim vir maxime, sed nunc avis unica. Res fidem invenit ab illo qui illius author erat. Dolor adjecit iram, atque iniquo animo passi sumus unum obrutum à tot hostibus. Neque antè omisimus ferro sanguinem profundere, quam pars interfecta erat, et nox et fuga dissipavit alium partem.

Silva premat fauces: & erit pro vulnere pondus.
Dixit: & insani dejectam viribus Austri
Fortè trabem nactus, validum conjecit in hostem.
Exemplumque fuit: parvoque in tempore nudus
Arboris Othrys erat; nec habebat Pelion umbras.
Obrutus immani cumulo, sub pondere Cæneus
Æstuat arboreo; congestaque robora duris
Fert humeris. Sed enim postquam superora caputq;
Crevit onus; neq; habet, quas ducat, spiritus auras;
Deficit interdum: modò se super aëra frustrà
Tollere conatur, jactasque evolvere silvas.
Interdumque movet. Veluti, quam cernimus (ecce,)
Ardua si terræ quatiatur motibus Ide.
Exitus in dubio est. Alii sub inania corpus
Tartara detrusum silvarum mole ferebant.
Abnuit Ampycides; medioque ex' aggere fulvis
Vidit avem pennis liquidas exire sub auras:
Quæ mihi tunc primùm, tunc est conspecta suprem-
mùm.
Hanc ubi lustrantem leni sua castra volatu
Mopsus, & ingenti circum clangore sonantem
Adspexit, pari erque o ulis animoque secutus;
O salve, dixit, Lapithæ gloria g ntis
Maxime vir quondam, sed nunc avis unica, Cæneu.
Credita res auctore suo est. Dolor addidit iram:
Oppressumque ægrè tulimus tot ab hostibus unum
Nec priùs abstitimus ferrum exercere cruore,
Quàm data pars leto, partem fuga, noxque diremit.

VI. Hæc inter Lapithas, & semihomines Centauros
Prælia Tlepolemus Pylio referente dolorem
Præteriti Alcidæ tacito non pertulit ore;

VI. *Pylio narrante hæc certamina inter Lapithas et semiferos Centauros, Tlepolemus non tacitè quem concepit, passus est dolorem, quoniam Hercules non erat memoratus:*

NOTÆ.

521. *Ide*] Mons Phrygiæ.

524. *Ampycides*] *Mopsus* Ampyci filius.

Ibid. *Fuisse*] In aquilam mutatum fuisse volunt Cæneum.

527. *Castra*] Quæ fixerant Lapithæ ad Pirithoi nuptias venientes.

531. *Unica*] Propter virtutem, & peculiarem metamorphosium. Quanquam in aquilam mutatum fuisse Cæneum minùs constat.

532. *Auctore*] Mopso ita vaticinante.

537. *Tlepolemus*] Filius Herculis ex Astioche, iniquè ferens silentio præteriti paris sui laudatam operam in Centaurorum devictorum gloriâ.

Atque

Atque ait; Herculeæ mirum est oblivia laudis
Acta tibi, senior. Certè mihi sæpe referre
Nubigenas domitos à se Pater ipse solebat,
Tristis ad hæc Pylius: Quid me meminisse malorum
Cogis; & obductos annis rescindere luctus?
Inque tuum genitorem odium, offensasque fateri?
Ille quidem majora fide (Dî!) gessit: & orbem
Implevit meritis: quod mallem posse negari:
Sed neq; Deïphobum, nec Pulydamanta, nec ipsum
Hectora laudamus. Quis enim laudaverit hostem?
Ille tuus genitor Messenia mœnia quondam
Stravit; & immeritas urbes Elinque, Pylonque
Diruit: inque meos ferrum, flammamque penates
Impulit. Utque alios taceam, quos ille peremit;
Bis sex Nelidæ fuimus conspecta juventus:
Bis sex Herculeïs ceciderunt, me minùs uno,
Viribus. Atq; alios vinci potuisse ferendum est.
Mira Periclymeni mors est: cui posse figuras
Sumere quas vellet, rursusque reponere sumtas
Neptunus dederat, Neleï sanguinis auctor.
Hic, ubi necquicquam est formas variatus in omnes,
Vertitur in faciem volucris: quæ fulmina curvis
Ferre solet pedibus, Divûm gratissima Regi.
Viribus usus avis, pennis, rostroque redunco,
Hamatisque viri laniaverat unguibus ora.
Tendit in hunc nimiùm certos Tirynthius arcus:
Atque inter nubes sublimia membra ferentem,
Pendentemque ferit, lateri quà jungitur ala.
Nec grave vulnus erat: sed rupti vulnere nervi

atque inquit, Mirum est, senex, te oblivioni tradidisse gloriam Herculeam. Sanè pater consueverat mihi dicere nube genitos à se fuisse victos. Ad hæc Pylius mœstus, Quamobrem cogis me recordari malorum, & refricare dolores sopitos tempore? atque agnoscere odium in tuum patrem, & ejus injurias? Ille quidem (Dii) patravit facinora, quæ exsuperant fidem; atque cumulavit mundum beneficiis; quod mallem posse dissimulari: sed neque laudibus extollimus Deïphobum, nec Pulydamantem, nec ipsum Hectorem: quis enim laudaverit hostem? Ille tuus pater olim diruit muros Messenos, atque delevit urbes immeritas & Elin, & Pylon, atque immisit ferrum & ignem in meam domum. Atque ut silentio prætermittam cæteros, quos ille leto dedit; duodecim fuimus Neleï filii, juventute conspicui: duodecim occubuerunt viribus Herculeïs, me excepto. Atque tolerandum est cæteros potuisse superari. Mors Periclymeni est admiranda, cui Neptunus auctor Neleæ familiæ concesserat posse induere quas formas vellet, rursusque exuere indutas. Hic postquam frustrà est immutatus in omnes figuras, induit vultum vis, quæ dilectissima consuevit gerere aduncis unguibus fulmina Regis Deorum. Usus viribus avis, pennis, & rostro curvo, & unguibus uncinatis discerpserat vultum viri. Tyrinthius in hunc dirigit arcus nimiùm certos, atque attingit agentem excelsa membra inter nubes, & librat, quà ala committitur lateri. Neque plaga erat alta; sed nervi fracti vulnere illum

NOTÆ.

540. *Senior*] Nestorem appellat.

543. *Obductos*] Temporis diuturnitate quasi callo obductos & sopitos.

547. *Deïphobum*] Qui Priami fuit filius.

Ib. *Pulydamanta*] Nobilis fuit Trojanus inter fortissimos, Priami gener.

549. *Messenia*] *Messene* & urbs est, & regio adjacens Arcadiæ: à quâ non multùm distabat Pylus Nestoris.

550. *Elin*] Quæ urbs fuit Elidis, etiam in Peloponneso, Pylus vero Messeniæ.

553. *Nelidæ*] Neleï Neptuni fati, *filii*.

556. *Periclymeni*] Qui unus erat è fratribus Nestoris.

560. *Quæ fulmina*] *Apuilam* dicit; quanquam in musæum mutatum Periclymenum scripsit Apollonii interpres, ad vers. 159. lib. 1.

564. *Tyrinthius*] *Hercules*; à Tyrinthe patria urbe Peloponneso non longè ab Argis.

desituunt atque subtrahunt motum & vires volandi. Decidit in terram, pennis debilibus non capientibus aërem; & calamus qui leviter inflexus fuerat alæ, intactus est ponderc corporis afflicti, & eductus est juguli sinistrâ parte per supremum latus. Non videor debere laudes factis tui Herculis, ô dux spectatissime classis Rhodiæ? Ne tamen ulciscar fratres amplius quàm tacendo pulchra facinora, gratia est mihi integra tecum. Postquam Neleïus hæc protulit suavi linguâ, dono Bacchi repetito ab oratione senioris, à mensâ recesserunt. Reliqua nox est concessa sopori.

Deficiunt, motumque negant vireſque volandi.
Decidit in terram, non concipientibus auras
Infirmis pennis: & qua levis hæſerat alæ,
Corporis affixi preſſa eſt gravitate ſagitta;
Perque latus ſummum jugulo eſt exacta ſiniſtro.
Num videor debere tui præconia rebus
Herculis, ô Rhodiæ ductor pulcherrime claſſis?
Ne tamen ulteriùs, quàm fortia facta ſilendo,
Ulciſcar fratres, ſolida eſt mihi gratia tecum.
Hæc poſtquam dulci Neleïus edidit ore;
A ſermone ſenis repetito munere Bacchi,
Surrexêre toris. Nox eſt data cætera ſomno.

VII. *At Deus, qui moderatur tridente fluctus marinos, dolet animo paterno corpus filii mutatum in avem Sthenelëiam; atque exosus crudelem Achillem exercet hostiliter iras quas in memoriâ habebat. Jamque bello ferè producto per decem annos, affatur Sminthëum intonsum hujusmodi verbis: O mihi carissime omnium fratrum meorum qui mecum statuisti muros inutiles Trojæ; ecquid doles cùm vides has arces jam jam ruituras? vel ecquid luges*

VII. At Deus, æquoreas qui cuſpide temperat undas,
In volucrem corpus nati Stheneleïda verſum
Mente dolet patriâ: ſævumque peroſus Achillem
Exercet memores, plùs quàm civiliter, iras.
Jamque ferè tracto duo per quinquennia bello,
Talibus intonſum compellat Sminthea dictis:
O mihi de fratris longè gratiſſime natis,
Irrita qui mecum poſuiſti mœnia Trojæ;
Ecquid, ut has jam jam caſuras aſpicis arces,
Ingemis? aut ecquid tot defendentia muros
Millia cæſa doles? ecquid (ne perſequar omnes)
Hectoris umbra ſubit circum ſua Pergama tracti?
Cùm tamen ille ferox, belloque cruentior ipſo,
Vivit adhuc operis noſtri populator Achilles.
Dèt mihi ſe: faxo, triplici quid cuſpide poſſim,
Sentiat. At quoniam concurrere cominus hoſti

tot mille homines mactatos qui tuebantur muros? Ecquid (ne omnes recenseam) umbra Hectoris raptati circum muros patrios in mentem recurrit? cùm tamen ille sævus Achilles, & truculentior ipso bello vastator nostri operis adhuc fruitur vitâ. Occurrat mihi: faxo sentiat, quid valeam tridente. At siquidem congredi cominus cum hoste

NOTÆ.

457. *Rhodiæ*] In Rhodum inſulam, interfectu Licymnio matris germano, Telepolemus unà cum multis comitibus profugerat, ubi imperium adeptus eſt; atque adeò inde cum novem navibus ad bellum Trojanum eſt profectus à Sarpedone interficiendus.

582. *Cuſpide*] *Tridente*, qui Neptuni erat ſceptrum.

581. *Volucrem Sthenelëïda*] *Cygnum* dicit, in quem mutatus Cygnus Sthenelis filius; cujus etiam volucris Cygnum Neptuni filiam formam induiſſe ſupra vidimus.

585. *Sminthea*] *Apollinem* dicit, cui à muribus, qui Cretenſium linguâ σμινθεὺς appellantur, illud nomen impoſitum. Sed ejus cognominis rationes ſeu fabulas, quas piget exſcribere, apud Lil. Giraldum Syntagm. 7. habes.

586. *Fratris*] *Jovis.*

591. *Tractis*] Bigis raptatum, & circum muros Iliacos ab Achille tractum Hectorem in ſuperioribus vidimus.

593. *Operis*] *Murorum Trojanorum*; de quibus lib. ſuperiore.

564. *Det mihi*] Naviget, modò ſeque mihi credat, ſentiat faxo ultorem.

Non

Non datur; occultâ nec opinum perde ſagittâ.
Annuit: atque animo pariter patruique, ſuoque,
Delius indulgens, nebulâ velatus in agmen
Pervenit Iliacum; mediâque in cæde virorum
Rara per ignotos ſpargentem cernit Achivos
Tela Parin: faſſuſque Deum, Quid ſpicula perdis
Sanguine plebis? ait. Siqua eſt tibi cura tuorum;
Vertere in Æaciden, cæſoſque ulciſcere fratres.
Dixit: & oſtendens ſternentem Troïa ferro
Corpora Peliden, arcus obvertit in illum:
Certaque letiferâ direxit ſpicula dextrâ.
Quo Priamus gaudere ſenex poſt Hectora poſſet,
Hoc fuit. Ille igitur tantorum victor, Achille,
Vinceris à timido Grajæ raptore maritæ?
At ſi fœmineo fuerat tibi Marte cadendum;
Thermodontiacâ malles cecidiſſe bipenni.
Jam timor ille Phrygûm, decus & tutela Pelaſgi
Nominis Æacides, caput inſuperabile bello,
Arſerat; armârat Deus idem, idemque cremârat.
Jam cinis eſt: & de tam magno reſtat Achille
Neſcio quid, parvam quod non bene compleat urnam.
At vivit, totum quæ gloria compleat orbem.
Hæc illi menſura viro reſpondet: & hâc eſt
Par ſibi Pelides: nec inania Tartara ſentit.
Ipſe etiam, ut cujus fuerit cognoſcere poſſis,

non licet: confice eum, nihil tale metuentem, calamo occulto. Aſſentitur: atque Delius obſequens ſimul iræ & patrui, tectus nube deſcendit in caſtra Trojana, & videt Paridem in mediâ ſtrage virorum plebeios ac viles Græcos interficientem: atque indicans ſe Deum, Quamobrem, inquit, tela ſpargis in funera plebis? Si ſollicitus es pro tuis, converte te in Æaciden, atque ulciſcere fratres peremptos. Dixit, & monſtrans Peliden proterentem ferro viros Trojanos, intendit arcum in illum, & direxit certam ſagittam manu fatiferâ. Hoc fuit, quo Priamus ſenex poſſet lætari poſt Hectorem cæſum. Tu igitur Achilles domitor tantorum heroum, cadis per timidum pædonem puellæ Græcæ? At ſi tibi fuerat occumbendum manu fœmineâ, malles occubuiſſe ſecuri Thermodontiacâ. Jam ille terror Trojanorum Æacides, honor & præſidium gloriæ Græciæ, vir bello invictus crematus erat:

idem Deus armis inſtruxerat, atque idem uſſerat. Jam cinis eſt, & de tanto Achille ſupereſt neſcio quid, quod non ſatis impleat parvam urnam. At laus permanet, quæ impleat totum mundum. Hæc menſura convenit, gloriæ illius viri; atque eâ Achilles eſt ſibi æqualis, neque damnatur exilibus inferis. Ipſe etiam clypeus, ut pronum ſit cognoſcere cujus fuerit,

NOTÆ.

596. *Non datur*] Quia tum Achilles non navigabat.

597. *Patrui*] Cycni enim Neptuni filii patruelis fuit Apollo; qui iræ indulgens ob Hectorem clienteſque Trojanos occiſos, patrui Neptuni animum quoque induit, cùm Achillem ulciſcitur.

598. *Delius*] *Apollo*, quem toties in Delo inſulâ natum diximus.

606. *Direxit*] Ut Ita non tamen à Paride, quàm ab Apolline ipſo, ut Calaber indignator, occiſus videatur Achilles. Cæterùm per inſidias in Apollinis Thymbræ templo, quòd ad Polyxenæ nuptias invitatus fuerat; ab eodem tamen Paride poſt ſimulachrum latente, alii interfectum ſcripſerunt. Deo verò, ſagittam dirigente opus fuit, ſiquidem ille calcaneum duntaxat vulnerabile habuit, quâ parte intantem Stygiis undis immergens mater Thetis prehenderat.

609. *Grajæ*] *Helenæ*.

611. *Thermodontiacâ*] *Qualem gerebat Penthefilea Amazonum, Thermodontis Scythiæ fluvii accolarum, regina. Bipennis* erat Amazonum Telum.

614. *Deus*] *Vulcanus*, qui Thetidis rogatu Achilli arma fabricaverat.

618. *Hæc Menſura*] Totus terrarum orbis videtur *Menſura* gloriæ Achillis.

Bella

ciet certamina, atque bella excitantur ob arma Achillis. Tydides non audet ea petere, non etiam Oïlei filius Ajax: non Atrides minor, non major ætate & belli peritiâ, non alii: spes tantæ gloriæ movit solum filium Telamonis, atque Laërtæ. Tantalides à se rejulit onus & odium: atque voluit duces Græcos sedere in mediis castris, & transmisit in omnes judicium litis.

Bella movet clypeus: deque armis arma feruntur,
Non ea Tydides, non audet Oïleos Ajax,
Non minor Atrides, non bello major & ævo
Poscere, non alii: soli Telamone creato
Laërtäque fuit tantæ fiducia laudis. 625
A se Tantalides onus, invidiamque removit:
Argolicosque duces mediis considere castris
Jussit: & arbitrium litis trajecit in omnes.

NOTÆ.

621. *Bella movet*] Gravissimæ enim inter Ajacem Telamonis filium & Ulyssem de Achillis armis contentiones ortæ.

622. *Tydides*] *Diomedes* est Tydei filius, unus ex Græcis principibus.

Ib. *Oïleos*] *Oïlei Locrorum regis filius.*

623. *Minor*] *Menelaüs*, Atrei filius.

Ib. *Major*] *Agamemnon*, frater Menelai.

624. *Telamone creato*] *Ajaci*, qui patrem habuit Telamonem, Æaci filium.

625. *Laërtâ*] Sc. creato, *Ulyssi*. Nam Ulysses fuit Laërtæ filius.

Ib. *Tantæ*] *Ut Achillis armis potirentur.*

626. *Tantalides*] *Agamemnon* Atrei filius à proavo Tantalo Pelopis patre sic dictus: qui prudentissimè judex inter tantos dissidentes solus sedere noluit.

627. *Argolicosque duces*] Menelaum, Diomedem, Idomeneum, &c.

682. *Trajecit*] Sunt inter Græcos, qui judicium armorum captivis Trojanis delegatum, ab Agamemnone tradunt, quò ille invidiam à se derivaret, idque Nestoris consilio. Vide Calabrum, lib. 5. & Odyss. 11.

P. Ovidii Nasonis METAMORPHOSEON

LIBER XIII.

ARGUMENTUM.

NEPTUNUS deinde Achilli mortem procurat. De cujus armis Ajax & Ulysses post mortem contendunt. Ajace verò hâc de causâ mortuo, sanguis ejus in hyacinthum convertitur. Captâ postea Trojâ, Hecuba in canem mutata est. Cujus fortunam cùm Dii omnes deplorarent, Aurora sola Memnonem duntaxat, avem jam factum, lugebat. Æneas autem profugus ad Anium, cujus filiæ in columbas erant conversæ, aliaque deinceps loca transformationibus celebrata, delatus est. In Latium, denique ut venit, bellum cum Turno suscepit.

I. COnsedêre duces: & vulgi stante coronâ,
Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax.
Utque erat impatiens iræ, Sigeïa torvo
Littora respexit, classemque in littore, vultu:
Intendensq; manus, Agimus, prô Jupiter! inquit,

INTERPRETATIO.

I. Duces consederunt: atque multitudine circumstante, Ajax dominus clypei se, templicis ad hos surgit. Atque siquidem iræ non temperavit, respexit littora Sigæia et classem quæ erat in littore oculis indignantibus; atque porrigens manus, Prob! Jupiter, inquit, dicimus

NOTÆ.

1. *Duces*] Agamemnon, Menelaüs, Nestor, Diomedes, &c.

2. *Sep emplicis*] *Ex taurorum septem tergis facti.* Σάκος ἑπτάβοειον

Ibid. *Ajax*] *Telamonius*, homo vehemens, quem primum causam suam dicere prudens voluit poëta. Utrique personæ affingit pro decoro orationem aptam & moribus convenientem. Ajacis oratio militaris est, incitata, plena jactantiæ, plena indignationis: è contra Ulyssis, oratio est urbanâ & lenis, & quodammodo etiam veteratoria, Vicit equidem, nec immeritò, Ulyssis facundia; at certè, ut videtur, non magis facundia ipsa quàm causa.

3. *Sigeïa*] A Sigæo Trojæ promontorio.

5. *Agimus*] Exordium acre est & abruptum, maximè ex personæ militaris, ejusdemque non sine causâ indignantis decorum, atque idem causæ convenientissimum. Orditur à re præsenti: nam in eo loco causa agitur, unde conspiceret Græcorum classem, quam paulò ante virtute suâ servaverat.

Ante

causam in conspectu navium, & Ulysses mecum componitur! At non puduit illum cedere ignibus Hectoreis, quos ego sustinui, quos ego depuli ab hâc classe. Adeòque magis expedit certare fucatis verbis quàm dimicare dextrâ. Sed neque mihi facile est, orationem instituere; neque isti rem gerere: & quantùm ego possum sævo bello, atque certamine, tantùm iste potest dictis. Neque tamen opinor, Græci, mea facinora vobis esse referenda; namque ipsi ea spectâstis. Ulysses memoret sua, quæ gessit sine spectatore, quorum nox sola est testis. Agnosco ingentem mercedem posci: sed competitor Ajacis tollit laudem. Quantumvis hoc præmium sit magnum, non est gloriosum id consequi, siquidem Ulysses illud speravit. Iste jam nunc mercedem reportavit hujus contentionis, ex quâ cùm superatus discesserit, dicetur mecum contendisse.

Ante rates causam, & mecum confertur Ulysses!
At non Hectoreïs dubitavit cedere flammis,
Quas ego sustinui; quas hâc à classe fugavi.
Tutiùs est igitur fictis contendere verbis,
Quàm pugnare manu. Sed nec mihi dicere promptum;
Nec facere est isti. Quantùmque ego Marte feroci,
Quantùm acie valeo, tantùm valet iste loquendo.
Nec memoranda tamen vobis mea facta, Pelasgi,
Esse reor: vidistis enim. Sua narret Ulysses;
Quæ sine teste gerit, quorum nox conscia sola est.
Præmia magna peti fateor: sed demit honorem
Æmulus Ajaci. Non est tenuisse superbum,
Sit licèt hoc ingens, quicquid speravit Ulysses.
Iste tulit pretium jam nunc certaminis hujus;
Quo cùm victus erit, mecum certâsse feretur.
Atque ego, si virtus in me dubitabilis esset,
Nobilitate potens essem, Telamone creatus,
Mœnia qui forti Trojana sub Hercule cepit:
Littoraque intravit Pagasæâ Colcha carinâ.
Æacus huic pater est: qui jura silentibus illîc
Reddit, ubi Æoliden saxum grave Sisyphon urget.
Æacon agnoscit summus, prolemque fatetur
Jupiter esse suam. Sic ab Jove tertius Ajax.

Atque ego, si virtus mea esset incerta, valerem genere, ortus ex Telamone, qui potitus est muris Iliacis sub strenuo Hercule, atque adùt littora Colcha navi Pagasæâ. Æacus est hujus pater, qui jus dicit mortuis illic, ubi saxum ingens exercet Sisyphum Æoliden. Supremus Jupiter confitetur Æacum esse filium suum. Atque ita Ajax est tertius à Jove.

NOTÆ.

6. *Rates*] A quibus ego solus Hectoris faces repuli, cùm alii Græci, imprimisque Ulysses illius viri impetum non sustinentes, eas deseruerint. Vide infra v. 92. *Ego mille meo protexi pectore puppes.*

8. *Hâc*] Δειξικῶς: manum enim ad classem intendit, & sic illam Græcis monstrat.

9. *Fictis*] *Ut solet veterator Ulysses*, supple.

11. *Isti*] Sæpe usurpat Ajax cum contemptu maximo.

15. *Nox*] Ut aut nulla sint Ulyssis facta, aut qualia tantùm ab ignavis approbari possint.

16. *Magna*] Quippe arma Achillis a Vulcano fabricata.

17. *Æmulus*] *Ulysses.*

23. *Cepit*] Telamon Ajacis pater primùm Trojæ muros superavit, quo tempore ab Hercule expugnata est.

24. *Pagasæâ*] *Thessalicâ*; à Pagasis Thessaliæ urbe.

Ibid. *Colcha*] In Colchos enim cum Jasone profectum Telamonem notum ex superioribus.

25. *Huic*] *Telamoni.*

Ibid. *Qui jura*] Apud inferos judicem constitutum fuisse Æacum sæpius monuimus.

26. *Sisyphon*] Latro fuit Sisyphus, à Theseo occisus, cui in inferis id supplicii datum, ut ingens saxum ad excelsi montis verticem provolvat, quod simul ac cacumen attigit continuò deorsum revolvitur. Hujus autem hoc in loco Ajax meminit in Ulyssis opprobrium; namque ejus matrem Anticleam compressisse Sisyphum priusquam ad Laërtem duceretur, nonnulli scripserunt.

28. *Sic ab Jove tertius*] Jove excluso tertius. Priamus enim ab Jove Æacus, secundus Telamon, tertius Ajax: ita Ajax Jovis pronepos, Telamon nepos.

Nec

Nec tamen hæc ſeries in cauſâ profit, Achivi;
Si mihi cum magno non eſt communis Achille.
Frater erat: fraterna peto. Quid ſanguine cretus
Siſyphio, furtiſque, & fraude ſimillimus illi,
Inſerit Æacidis alienæ nomina gentis?
An quòd in arma prior, nulloque ſub indice veni,
Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille,
Ultima qui cepit; detrectavitque furore
Militiam ficto: donec ſolertior iſto,
Sed ſibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitataque traxit in arma?
Optima nunc ſumat, qui ſumere noluit ulla.
Nos inhonorati, & donis patruelibus orbi,
Obtulimus qui nos ad prima pericula, ſimus,
Atque utinam aut verus furor ille, aut creditus, eſſet;
Nec comes hic Phrygias unquam veniſſet ad arces
Hortator ſcelerum! non te, Pœantia proles,
Expoſitum Lemnos noſtro cum crimine haberet.

Neque tamen hic ſtemmatis ordo cauſam juvet, ô Græci, niſi mihi ſit communis gens cum illuſtri Achille. Erat patruelis: poſco patruelia. Quamobrem ortus ex ſanguine Siſyphi, atque illi ſimillimus dolis & furtis, annumerat Æacidis genti nomina diverſæ gentis. An arma mihi auferenda ſunt, quia prior acceſſi, atque nullo indicante? Atque ille dignior videbitur, qui cepit noviſſima, atque vitavit bellum ſimulatâ inſaniâ, donec callidior illo, ſed ſibi improvidus: Naupliades prodidit figmenta ingenii meticuloſi atque rapuit in arma, quæ vitaverat. Nunc conſequatur præſtantiſſima arma, qui recuſavit capere ulla: nos contempti ſimus, atque ſpoliati muneribus patruelibus, qui nos objecimus primis diſcriminibus. Atque utinam, aut hæc inſania vera fuiſſet, aut credita; neque hic ſuaſor flagitiorum unquam acceſſiſſet ſocius ad arces Trojanas! fili Pœantis, Lemnos non te haberet expoſitum per noſtrum flagitium.

NOTÆ.

31. *Frater*] *Patruelis*: fratres namque erant Telamon Ajacis, & Peleus Achillis pater. *Patrueles* autem *fratres* dicuntur, qui è fratribus oriuntur.

33. *Inſerit*] Ille verò in familiam aliquam cooptari videtur, qui ejus bona appetit.

34. *Indice*] Ulyſſi tacitè exprobrat, quòd coactus ad bellum Trojanum venerit. Is enim, ut ſcripſerunt tragici, uxoris amore detentus, inſaniæ ſimulatione littus, diverſi generis junctis animalibus, proſcindens, ſalemque frugum loco ſpargens, militiam ſubterfugere voluit. Quæ fraus Palamedem virum prudentiſſimum nequaquam latuit: qui inſuper doloſum virum in ſuis ipſius dolis, vomeri in ſulcum objecto Telemacho, corripuit. Ille enim aratrum à filii corpore avertit; quo argumento facilè viri ſimulatam eſſe inſaniam deprehenſum eſt. Vide Lucian, de Domo.

38. *Sibi inutilior*] Solertiâ enim ſuâ Ulyſſem contra ſe irritavit Palamedes, qui illius deinde dolis hoc modo ſublatus eſt. Literas finxit Ulyſſes à Priamo ad Palamedem, quibus ob præſtitam operam huic tranſmiſſum auri pondus commemorabat; illudque idem Ulyſſes per ſervos corruptos in Palamedis tentorio defodi curaverat. Perlatis ad Agamemnonem litteris, Palamedis proditionis arguitur. Ibi tum reo adeſſe ſimulans Ulyſſes, hoſti fidem non habendam eſſe contendit, reipſâ fraudem poſſe coargui ſiquidem aurum nullum apud Palamedem inveniretur, &c. Miſſi itaque qui ejus tentorium perſcrutarentur, à quibus aurum inventum; quamobrem Palamedes, utcumque immeritus, lapidibus obrutus eſt.

39. *Naupliades*] *Palamedes* eſt Nauplii Neptuni filii, Eubœæ regis filius.

43. *Atque utinam*] Hactenus in contemptum, nunc in odium Ajax Ulyſſem adducere nititur.

45. *Pœantia*] *Philoctetem* dicit Pœantis filium, cui Hercules in Oëtâ arſurus Lernææ hydræ felle tinctas ſagittas, ſine quibus Troja capi non poſſet, dederat. Ille autem unius ſagittæ caſu, vulnere penè immedicabili pede ſaucius, cùm propter fœtorem à Græcis ferri, aut propter dolorem navigare non poſſet, in Lemno inſulâ, Ulyſſis præſertim ſuaſu, eſt relictus.

46. *Lemnos*] Inſula eſt è regione Thraciæ, Vulcano dicata; una ex Cycladibus.

Qui

Qui nunc, (ut referunt) occultus speluncis silvestribus tangis silices questibus; atque optas eu Laërtiadæ, quibus dignus est: quæ Dii, Dii faciant non frustrà voveas. Et nunc ille, qui nobiscum juraverat in eadem arma, heu! pars una ducum, qui successor est sagittarum Herculis, confectus morbo et fame, et tegitur & nutritur avibus; atque alites jaculando utitur sagittis excidio Trojano destinatis. Ille tamen vitâ fruitur, quia non comitatus est Ulyssem. Miser Palamedes mallet etiam esse destitutus. Viveret; aut certe mortem oppetiisset sine proditionis insimulatione. Quem iste, nimiùm memor vesaniæ infeliciter detectæ commentus est prodere rem Græcam, atque confirmavit inventum crimen: & monstravit aurum quod ipse antè humo texerat. Adeòque subtraxit vires Græcis aut exilio, aut morte. Ulysses sic certat, sic est reformidandus. Quamvis superet etiam fidelem Nestorem eloquentiâ, non tamen præstiterit, ut credam nullum esse illi flagitium destituisse Nestorem. Qui lentus vulnere equi, & confectus ætate provectâ, cùm opem peteret ab Ulysse, destitutus est à comite. Tydides novit certo hæc probra à me non excogitari; qui exprobravit illum sæpe citatum nomine suo, atque coarguit fugam timidi amici. Dii vident terrestria oculis justis. Ecce qui Nestori opem non tulit, ipse caret auxilio: atque ut destituit, ita erat destituendus. Ipse sibi posuerat legem. Vocat comites. Accedo, et invenio pavidum.

Qui nunc (ut memorant) silvestribus abditus antris
Saxa moves gemitu: Laërtiadæque precaris,
Quæ meruit: quæ Dî, Dî dent non vana preceris.
Et nunc ille eadem nobis juratus in arma,
(Heu! pars una ducum, quo successore sagittæ
Herculis utuntur, fractus morboque fameque,
Velaturque, aliturque avibus; volucresque petendo
Debita Trojanis exercet spicula fatis.
Ille tamen vivit, quia non comitavit Ulyssem.
Mallet & infelix Palamedes esse relictus;
Viveret; aut certè letum sine crimine haberet.
Quem, malè convicti nimiùm memor iste furoris
Prodere rem Danaam finxit: fictumque probavit
Crimen. Et ostendit, quod jam præfoderat, aurum.
Ergo aut exilio vires subduxit Achivis,
Aut nece. Sic pugnat; sic est metuendus Ulysses.
Qui licèt eloquio fidum quoque Nestora vincat;
Haud tamen efficiet, desertum ut Nestora crimen
Esse rear nullum. Qui, cùm imploraret Ulyssen
Vulnere tardus equi, fessusque senilibus annis,
Proditus a socio est. Non hæc mihi crimina fingi
Scit bene Tydides: qui nomine sæpe vocatum
Corripuit: trepidoque fugam exprobravit amico.
Aspiciunt oculis Superi mortalia justis.
Eneget auxilio, qui non tulit; utque reliquit,
Sic linquendus erat. Legem sibi dixerat ipse.
Conclamat socios. Adsum, videoque trementem,

NOTÆ.

47. *Qui nunc*] Philoctetæ miserias, ut majorem Ulyssi conciliet invidiam, oratoriè amplificat.

53. *Velatur*] Pennarum contextu corpori tegumenta fecisse Philoctetem ex Attio poëtâ, quem & citat Cicero, confirmatur.

54. *Debita*] Quia sine illis capi Troja non poterat.

58. *Furoris*] *Detrectavitque furore*——*Militiam fictio.* Suprà v. 36.

60. *Præfoderat*] In tentorio Palamedis, per servos illius corruptos.

61. *Exilio*] *Exilio* Philoctetis, *morte* Palamedis.

62. *Sic pugnat*] Hæc sunt ejus facinora militaria, hi terrores, fraudes, insidiæ, &c.

64. *Desertum*] Nestor, Græcis fulmine territis & altero jugali ab Alexandro [*Paride*] vulnerato, penè interfecto ab Hectore interceptus, nisi auxilio occurrisset Diomedes, frustrà invocato Ulysse, & ipso jam fugâ sibi consulente; Iliad. 8.

68. *Tydides*] *Diomedes* Tydei filius.

69. *Trepido*] Alludit ad verba, quæ Diomedi attribuit Homer.

Διογενες Λαερτιάδη πολυμηχαν Ὀδυσσεῦ,
Πῆ φεύγεις, &c.

Pal-

Pallentemque metu, & trepidantem morte futurâ.
Oppoſui molem clypei; texique jacentem;
Servavique animam (minimum eſt hoc laudis) inertem.
Si perſtas certare, locum redeamus in illum:
Redde hoſtem, vulnuſq; tuum, ſolitumq; timorem.
Poſt clypeumq; late: & mecum contende ſub illo.
At poſtquam eripui: cui ſtandi vulnera vires
Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.
Hector adeſt: ſecumque Deos in prælia ducit.
Quàque ruit, non tu tantùm terreris, Ulyſſe;
Sed fortes etiam: tantum trahit ille timoris.
Hunc ego ſanguineæ ſucceſſu cædis ovantem
Cominus ingenti reſupinum pondere fudi.
Hunc ego poſcentem, cum quo concurreret, unus
Suſtinui: ſortemque meam voviſtis, Achivi:
Et veſtræ valuêre preces. Si quæritis hujus
Fortunam pugnæ; non ſum ſuperatus ab illo.
Ecce ferunt Tröes ferrumque, ignemque Jovemq;
In Danaas claſſes. Ubi nunc facundus Ulyſſes?
Nempe ego mille meo protexi pectore puppes,
Spem veſtri reditûs. Date tot pro navibus arma.
Quòd ſi vera licet mihi dicere; quæritur iſtis,
Quàm mihi, major honos: conjunctaque gloria noſtra eſt.
Atque Ajax armis, non Ajaci arma petuntur.
Conferat his Ithacus Rheſum, imbellemq; Dolona,

& exſanguem timore, atque trementem inſtanti morte. Objeci vaſtum clypeum, & defendi proſtratum, atque ſervavi animam (in hoc minimum eſt gloriæ) ſocordem. Si pergis contendere, revertamur in illum locum: pone denuo hoſtem, atque plagam tuam & metum conſuetum: atque latita pone ſcutum meum, & certa mecum ſub illo. At poſtquam retraxi; cui vulnera non conceſſerant facultatem conſiſtendi, in pedes ſe conjecit nullo impeditus vulnere. Hector adeſt, atque rapit ſecum Deos in certamina: & quâ fertur non tu modò trepidas, Ulyſſe, ſed etiam ſtrenui; tantum ille incutit pavoris. Ego proſtravi eum reſupinum cominus ſaxo ingenti, cùm triumpharet ſucceſſu ſtragis cruentæ. Ego ſolus ſteti adverſus cum petentem cum quo certaret, & optaſtis ut ſors mea proferretur, ô Græcis & vota veſtra prævaluerunt. Si petitis eventum hujus certaminis, non ſum victus ab illo. Ecce Trojani ferunt ferrum & ignem, & Jovem in naves Græcas. Ubi nunc diſertus Ulyſſes? Nempe ego defendi meo pectore mille naves, in quibus erat ſpes recurſûs. Concedite arma pro tot navibus. Quod ſi mihi licet profiteri vera, majus decus iſtis quàm mihi quæritur, & honor eſt inter me & illa conjunctum: atque Ajax ab armis poſcitur, non ab Ajace arma. Ithacus componat cum iſtis Rheſum, & Dolonem inermem,

NOTÆ.

75. *Molem*] Σάκος ἠύτε πύργον.

78. *Vulnus*] Quod à Soco Ulyſſes acceperat, priuſquam illum interfeciſſet, ut refert Homerus.

79. *Clypeum*] Quo Ajax, monitu Menelai, vulneratum Ulyſſem protexit.

82. *Deos*] Non ſemel à Jove ſuſtentatos fuiſſe Trojanos ſcripſit Homerus; qui Iliad. 15. ab illio miſſum dicet Apollinem, qui debiles fractoſque reſtitueret.

86. *Pondere*] Saxo ſc. quo Hectoris pectus ita percuſſit, ut cum ingenti armorum ſtrepitu illium terræ affixerit.

88. *Sortemque*] Græcos omnes ad certamen ſingulare Hector provocaverat; quamobrem Neſtoris conſilio novem eorum fortiſſimi ſortiti ſunt, uter cum illo congrederetur, voventibus interea Achivis omnibus, ut Ajacis Telamonii, aut Ajacis Oïlei, aut Agamemnonis ſors exiret. Quæ omnia ex Homeri Iliad. H.

Ζευ πάτερ, ἠ Αιαντα λαχεῖν.

89. *Et veſtræ*] Ἐκ δ' ἐθορε κληρος κῦδος ὃν ἀρ ἠθελεν αὐτοῖ Αἰαντος. Iliad. H.

91. *Jovem*] *Jovis auxilium Hectori faventis.*

98. *Ithacus*] *Ulyſſes*, quem non ſine contemptu à parvâ inſulâ, in quâ ille imperabat, eo nomine appellat.

Ib. *Rheſum*] *Regem Thraciæ*, qui eâ nocte, quâ Trojanis in auxilium venerat à Diomede & Ulyſſe, fuit interemptus. Iliad. 10.

Ib. *Dolona*] Qui ab Hectore ſpeculatum miſſus à Diomede & Ulyſſe interceptus atque interfectus eſt. Iliad. 10.

atque Helenum Priamiden raptum cum Minervâ. Nihil est factum de die, nihil absente Diomede. Si fortè aliquando conceditis ista arma factis tam levibus, dividite; & pars major eorum erit Diomedis. Cur tamen hæc Ithaco donentur? qui furtim, qui semper inermis rem gerit, atque clanculum fallit hostem improvidum? Ipse splendor cassidis lucentis ex micante lauro manifestos faciet dolos, & reteget occultum. Sed neque caput Dulichium sub galeâ Achillis feret tantum onus: Neque hasta Pelias potest non esse gravis atque molesta brachiis imbellibus. Neque scutum gerens sculptam imaginem immensi orbis aptum erit sinistræ pavidæ & institutæ ad furta. Quamobrem poscis, proterve, donum tibi obsturum? quod si populi Græci nescii tibi indulserint, causa erit cur exuaris, non cur timearis ab hoste. Atque fuga, quâ solâ antecellis omnibus, ignavissime, lenta tibi futura est, dum trahis tanta gestamina. Adde quod iste tuus clypeus tam rarè certaminibus objectus, est integer & intactus. Novus successor est quærendus nostro, qui ferendo tela apertus est mille vulneribus. Denique quid opus est verbis? judicemur agendo. Arma viri strenui Achillis jaciantur in medios hostes: jubete inde repeti, atque decorate reportantem reportatis. Filius Telamonis absolverat, & fremitus populi sequutus erat postrema verba; *donec heros Laërtius*

Priamidenque Helenum raptâ cum Pallade captum.
Luce nihil gestum, nihil est Diomede remoto:
Si semel ista datis meritis tam vilibus arma;
Dividite: & major pars sit Diomedis in illis.
Quòd tamen hæc Ithaco? qui clam, qui semper inermis
Rem gerit; & furtis incautum decipit hostem?
Ipse nitor galeæ claro radiantis ab auro
Insidias prodet, manifestabitque latentem.
Sed neque Dulichius sub Achillis casside vertex
Pondera tanta feret. Nec non onerosa gravisque
Pelias esse potest imbellibus hasta lacertis.
Nec clypeus vasti cælatus imagine mundi
Conveniet timidæ, natæque ad furta sinistræ.
Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?
Quod tibi si populi donaverit error Achivi;
Cur spolieris, erit; non, cur metuaris ab hoste.
Et fuga (quâ solâ cunctos, timidissime, vincis)
Tarda futura tibi est gestamina tanta trahenti.
Adde, quòd iste tuus, tam rarò prælia passus,
Integer est clypeus. Nostro, qui tela ferendo
Mille patet plagis, novus est successor habendus.
Denique, quid verbis opus est? spectemur agendo.
Arma viri fortis medios mittantur in hostes.
Inde jubete peti: Et referentem ornate relatis.
Finierat Telamone satus; vulgique secutum
Ultima murmur erat: donec Laërtius heros

NOTÆ.

99. *Helenum*] Priami filius à Diomede & Ulysse captus, arcana Trojanorum fata Græcis revelavit. Q. Smyrn. lib. 10.

107. *Dulichius*] *Ulysses* est, qui Dulichii Ionii maris insulæ Ithacæ vicinæ regnum tenuit.

109. *Pelias*] *Achillis hasta*, quam ex Pelio monte reciſam, Chiron Peleo illius patri dederat. Iliad. 16. Q. Smyrn. lib. 5.

114. *Cælatus*] Hujus clypei fabricam & cælaturam, habes Il. 18. de quo Silius. l. 7.

113. *Error*] Sibi ominosum istud protulit Ajax, judicibusque invidiosum, neque autem eâ causâ poëtam damnaveris: summâ arte violentum Ajacem ita loquentum finxit.

116. *Trahenti*] Multo ingenio hæc & proximè sequentia Ajaci attribuit poëta, quæ tamen ad obtinendam causam nequaquam, nisi fortè à militibus, spectant.

124. *Laërtius*] *Ulysses* Laërtæ filius.

Adstitit:

Adſtitit, atque oculos paulùm tellure moratos
Suſtulit ad proceres; exſpectatoque reſolvit
Ora ſono: neque abeſt facundis gratia dictis.
Si mea cum veſtris valuiſſent vota, Pelaſgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis hæres:
Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille
Quem quoniam non æqua mihi, vobiſque negârunt
Fata, (manuque ſimul veluti lacrymantia terſit
Lumina), quis magno meliùs ſuccedat Achilli,
Quàm per quem magnus Danaïs ſucceſſit Achilles?
Huic modò ne proſit, quòd, ut eſt, hebes eſſe videtur:
Neve mihi noceat, quod vobis ſemper, Achivi,
Profuit ingenium: meaque hæc facundia, ſi qua eſt,
Quæ nunc pro domino, pro vobis ſæpe locuta eſt,
Invidiâ careat: bona nec ſua quiſque recuſet.
Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco. Sed enim, quia rettulit Ajax
Eſſe Jovis pronepos, noſtri quoque ſanguinis auctor
Jupiter eſt, totidemque gradus diſtamus ab illo.
Nam mihi Laërtes pater eſt, Arceſius illi,
Jupiter huic: neque in his quiſquam damnatus & exſul.
Eſt quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas. Deus eſt in utroque parente.
Sed neque materno quòd ſim generoſior ortu,
Nec mihi quòd pater eſt fraterni ſanguinis inſons,
Propoſita arma peto: meritis expendite cauſam.

ſurrexit: atque ſuſtulit ad primates oculos paulùm terræ affixos; atque aperuit os voce exſpectatâ; neque deſideratur lepos diſertæ orationi. Si mea deſideria valuiſſent cum veſtris, ô Græci, ſucceſſor horum armorum, *de quibus tanta nunc eſt contentio, non eſſet dubius, tuque gauderes tuis armis, nos te frueremur, Achille. Quem quoniam ſors iniqua mihi atque vobis non indulſerunt, (atque ſimul quaſi lachrymantes oculos manu abſterſit) quis æquiùs ſuccedat forti Achilli, quàm qui Achillem Græcis auxiliaturum adduxit? Modò ne huic proſit quòd, ut eſt, videtur eſſe ſtupidus; neu mihi obſit ſolertia, quæ vobis ſemper utilis fuit, Græci; atque hæc mea eloquentia, (ſi quâ eſt) quæ nunc dicit pro domino, ſæpe dixit pro vobis, invidiâ careat; neque quiſquam negligat ſua bona. Nam vix dico noſtra, ſtirpem & majores, & quæ ipſi non geſſimus. Verùm enimvero, quia Ajax memoravit ſe eſſe pronepotem Jovis, Jupiter eſt etiam auctor noſtræ ſtirpis; & diſtamus ab illo totidem gradus. Nam patrem habeo Laërtem, ille Arceſium, hic Jovem; neque inter illos quiſquam damnatus & profugus. Cyllenius, è quo mater mea orta eſt, ex alterâ parte genus meum nobilitat. Deus eſt in utroque parente. Verùm neque poſco arma, de quibus agitur, quia ſum nobilior origine maternâ, neque quia habeo patrem inſontem fraterni ſanguinis: dirimite litem meritis.*

NOTÆ.

125. *Adſtitit*] Στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἰδέσκε καλὰ χθονὸς ὄμματα πηξας, Iliad. 3.

Moratos] Per moram illam dicturi cura indicatur, quæ maxime auditoris, quem ille revereri videtur, benevolentiam conciliat.

126. *Exſpectato*] Atque adeò expetito, quemque avidè curioſus auditor excipiat.

132. *Veluti*] Ut neque oratorem iraſci, ità nec flere decet, ſimulare non dedecet.

134. *Per quem*] *Ulyſſem* qui inter Lycomedis Scyri inſulæ regis filias latitantem Achillem deprehendit, ut infrà videbimus.

139. *Bona*, &c.] i. e. Nemo modeſtè nimis merita ſua ſilentio premat.

145. *Damnatus*] Tacitè Ajaci, Pelei patrui, ut & Telamonis patris crimen objectat: Phocum namque fratrem ab utroque interfectum nonnulli ſcripſerunt.

146. *Cyllenius*] *Mercurius*, à Cyllene Arcadiæ monte ubi natus dicitur. Anticles autem Ulyſſis mater Autolyci fuit filia, Autolycus Mercurii ex Chione Dedalionis filiâ.

147. *Deus eſt in utroque*] In patre Jupiter, in matre Mercurius.

Modòne sit meritum Ajacis, quòd Telamon & Peleus fuerunt fratres: neque series consanguinitatis, sed gloria virtutis quæratur ad istæ arma adipiscenda. Vel si propinquitas & proximus hæres requiritur, ille habet patrem Peleum, qui habet filium Pyrrhum. Quis locus Ajaci? ferantur ad Phthian, vel Scyron. Neque Teucer est minùs patruelis Achilli, quàm iste. An tamen ille poscit, an sperat consequi arma? Adeòque, siquidem agitur tantùm de meritis, equidem plura peregi, quàm quæ mihi sit facilè oratione assequi. Attamen dirigar serie rerum. Mater Nereïa prudens futuri interitûs filii, occultat filium ornatu muliebri. Fraus amictûs induti fefellerat omnes, inter quos etiam Ajacem. Ego immisceri mercibus muliebribus arma accensura cor virile. Neque adhuc heros deposuerat ornatus puellæ: cum dixi arripiendi scutum & lanceam, fili Deæ, Ilium ruiturum se tibi reservat. Quamobrem differs delere magnam Trojam? Atque immisi manum, & duxi strenuum ad opera belli. Ergo quicquid præclarè ab illo gestum est, mihi debetur. Ego vici Telephum certantem hastâ & sanavi domitum atque supplicem. Mihi debetur, quòd Thebæ sunt diruta. In animum inducite me Lesbon,

Dummodo quòd fratres Telamon, Peleusq; fuerunt,
Ajacis meritum non sit: nec sanguinis ordo,
Sed virtutis honor spoliis quæratur in istis,
Aut si proximitas, primusque requiritur hæres;
Est genitor Peleus, est Pyrrhus filius illi.
Quis locus Ajaci? Phthian Scyronve ferantur.
Nec minùs est isto Teucer patruelis Achilli.
Num petit ille tamen? num sperat, ut auferat arma?
Ergo operum quoniam nudum certamen habetur;
Plura quidem feci, quàm quæ comprèndere dictis
In promptu mihi sit. Rerum tamen ordine ducar.
Præscia venturi genitrix Nereïa leti
Dissimulat cultu natum. Deceperat omnes,
In quibus Ajacem, sumtæ fallacia vestis.
Arma ego fœmineis animum motura virilem
Mercibus inserui. Neque adhuc projecerat heros
Virgineos habitus, cùm parmam, hastamque tenenti,
Nate Deâ, dixi; tibi se peritura reservant
Pergama. Quid dubitas ingentem evertere Trojam?
Injecique manum; fortemque ad fortia misi.
Ergo opera illius mea sunt. Ego Telephon hastâ
Pugnantem domui; victum, orantemque refeci.
Quòd Thebæ cecidêre, meum est. Me credite Lesbon,

NOTÆ.

152. *Ajacis*] Qui sanguinis jure armis potiùs, quàm Ulysses potiri debuerat.

155. *Illi*] *Achilli.*

156. *Phthian*] Quæ urbs fuit Thessaliæ, ubi Peleus Achillis pater commorabatur.

Ibid. *Scyron*] Pyrrho Achillis filio servanda arma dicit; qui in Scyro insulâ, ubi Deidamia mater, Lycomedis filia, tunc temporis imperium habebat.

157. *Patruelis*] Frater, filius Telamonis ex Hesione, uti Ajax ex Eubœâ. Ver. 32. suprà, *frater* ponitur pro *patruele.*

162. *Nereïa*] Thetis Nerei filia, Achillis mater quæ, cùm filium bello Trojano periturum cognovisset, muliebri habitu illum inter Lycomedis regis filias occultandum tradidit. Inchoat narrationem ab Achille ad bellum adducto, colligens omnia facinora ejus sibi esse adscribenda: se enim eorum fuisse causam.

164. *Ajacem*] Hoc scepticè dicit & ironicè.

167. *Tenenti*] Arma enim, neglectis muliebribus omnibus, quæ puellæ cæteræ sibi delegerant, Achilles corripuit: quâ ex re illum esse compertum est.

171. *Telephon*] *Herculis filium*, de quo suprà lib. 22. 112. quem à Trojanorum partibus stantem Achilles vulneravit, deinde tamen sanavit.

173. *Thebæ*] *Cilicia* scilicet, de quibus libro superiori, quas Achilles diripuit.

Ib. *Lesbon*] Quæ insula Troadi propemodum opposita, ab Achille direpta erat; Alcæi carminibus & Sapphûs clara.

Me

Me Tenedon, Chryſenq; & Cyllan Apollinis urbes,
Et Scyron cepiſſe. Meâ concuſſa putate
Procubuiſſe ſolo Lyrneſſia mœnia dextrâ.
Utque alias taceam; qui ſævum perdere poſſet
Hectora, nempe dedi: per me jacet inclytus Hector.
Illis hæc armis, quibus eſt inventus Achilles,
Arma peto. Vivo dederam, poſt fata repoſco.
Ut dolor unius Danaos pervenit ad omnes;
Aulidaque Euboïcam complêrunt mille carinæ;
Exſpectata diu, nulla, aut contraria claſſi,
Flamina ſunt: duræque jubent Agamemnona ſortes
Immeritam ſævæ natam mactare Dianæ.
Denegat hoc genitor: Diviſque iraſcitur ipſis:
Atque in rege tamen pater eſt. Ego mite parentis
Ingenium verbis ad publica commoda verti.
Nunc equidem fateor, faſſoque ignoſcat Atrides;
Difficilem tenui ſub iniquo judice cauſam.
Hunc tamen utilitas populi, fraterque, datique
Summa movet ſceptri, laudem ut cum ſanguine penſet.
Mittor & ad matrem: quæ non hortanda, ſed aſtu
Decipienda fuit. Quò ſi Telamonius îſſet,
Orba ſuis eſſent etiamnum lintea ventis.
Mittor & Iliacas audax orator ad arces:
Viſaque & intrata eſt altæ mihi curia Trojæ.

& Tenedon, & Chryſen, & Cyllan urbes Apollinis & Scyron expugnâſſe. Exiſtimate muros Lyrneſſios funditus deletos fuiſſe meâ manu. Utque prætermittam alias; ſcilicet obtuli, qui poſſet vincere ferocem Hectorem: famâ celebratus Hector per me occubuit. Quare bis armis quibus ego tunc Achillem indui, me pro tantis meritis *nunc donari æquum cenſeo. Dederam eâ vivo* Achilli, *repeto poſt* illius *mortem. Poſtquam dolor unius permovit omnes Græcos; atque mille naves impleverunt Aulidem Euboïcam, venti diu exſpectati, aut nulli ſunt, aut adverſi navibus: & crudelia oracula jubent Agamemnonem immolare infenſæ Dianæ filiam immeritam. Pater iſtud recuſat: atque Diis ipſis ſuccenſet: & amor parentis eſt in rege. Ego oratione flexi lenem animum patris ad communia commoda. Nunc equidem agnoſco, atque Atrides fatcat confitenti:* magnâ *cum difficultate obtinui cauſam ſub duro judice. Attamen commoda populi, & fratris & auctoritas collati ſceptri illum tangit, ut expendat gloriam ſanguine* filiæ immolandæ. *Mittor etiam ad genetricem: quæ non fuit* ratione *inducenda, ſed* arte *fallenda. Quò ſi Telamonius iviſſet, noſtra claſſis etiam nunc deſtituta ventis ſecundis* hæreret in portu. *Mittor etiam orator intrepidus ad arces Trojanas: & regia ſuperbæ Trojæ à me eſt ſpectata & penetrata:*

NOTÆ.

170. *Tenedon*] *Trojæ proximam inſulam.*

1b. *Chryſen & Cyllan*] Quæ Troadis urbes:

175. *Scyron*] Inſula eſt Ægæi quidem eo nomine, verùm inter Cycladas recenſetur, quas expugnâſſe Græcos nullibi legitur. Quare niſi in voce mendum irrepſit, haud abſurdum videtur credere Scyron unam eſſe ex urbibus undecim, quas ante expugnationem Trojæ Achilles cepiſſe dicitur.

176. *Lyrneſſia*] *Lyrneſſi*, Troadis urbis, ex quâ Hippodamia ſeu Briſeis abducta.

179. *Quibus*] Redi ad verſum 165.

181. *Unius*] *Menelai*, cui à Paride ademta conjux Helena.

182. *Aulida*] Fuit urbs Bœotiæ juxta Chalcidem, portum habens ampliſſimum, quò ex totâ Græciâ naves ad bellum Trojanum convenerunt.

187. *Pater*] Qui filiæ plùs, quam dignitati & reipublicæ conſulat. *Pater* pro *paternâ charitate.*

190. *Iniquo*] *Agamemnone* patre, quem filiæ amor movebat magis, quàm publica utilitas.

191. *Dati*] *Rex* enim *regum* dictus Agamemnon, qui omnibus de voluntate eorum imperabat.

193. *Mittor*] Arceſſita adducitur Iphigenia, quaſi nuptura Achilli, qui ideo à Lycrophrone vocatur Iphigeniæ ζύνευνος.

195. *Orba*] Quia nunquam à Clytemneſtræ amplexibus Iphigeniam hebes Ajax avelliſſet: neque adeò ea Dianæ aris admota: neque Dea placata fuiſſet.

Quæ erat adhuc referta multis proceribus. Impavidus dixi causſam, quam tota Græcia mihi commiſerat; & accuſo Paridem & repeto Helenam raptam: & flexi Priamum, & Antenorem unà cum Priamo. At Paris & fratres, & qui prædati ſunt Helenam ſub illius ductu, ægrè compeſcuerunt manus ſceleſtas (tibi iſtud compertum eſt, Menelaë) atque ille fuit primus dies mei diſcriminis & tui. Longum eſt memorare quæ in rempublicam exegi conſilio & factis per ſpatium longi belli. Poſt primam pugnam hoſtes ſe continuerunt diu intra urbis muros: neque locus ullus datus eſt aperto certamini. Certavimus denique anno decimo: Quid agis interea, qui tantùm manu ſtrenuus es? Quæ tua Græcis *utilitas? nam ſi interrogas de meis factis, inſidias ſtruxi hoſtibus,* navalia *foſſis communivi, ſocios animavi, ut paterentur æquo animo tædia longi belli: curavi quomodo eſſemus commeatu atque armis inſtruendi: mittor quò neceſſitas vocavit. Ecce rex deceptus ſpecie ſomni Jovis inſtinctu, hortatur* duces *omittere curam belli incœpti. Ille poteſt tueri ſuam cauſam auctore. Ajax ne iſtud patiatur, atque inſtat Trojam eſſe evertendam: & quòd poteſt, certet. Quamobrem non retinet diſceſſuros? Cur non ſumit arma? cur* non dicit vel *facit* aliquid, *quod incertum vulgus cohibeat? Hoc non erat difficile* Ajaci *magna ſemper dicenti. Quid quòd & ipſe fugis? Spectavi, atque puduit ſpectare, cùm tu pedem retro ferres, atque turpiter inſtrueres naves. Nec mora, Quid agitis? dixi; quæ veſania vos*

Plenaque adhuc erat illa viris. Interritus egi,
Quam mihi mandârat communis Græcia, cauſam:
Accuſoque Parin, prædamque Helenamq; repoſco;
Et moveo Priamum, Priamoque Antenora junctum:
At Paris, & fratres, & qui rapuêre ſub illo,
Vix tenuêre manus (ſcis hoc, Menelaë) nefandas:
Primaque lux noſtri tecum fuit illa pericli.
Longa referre mora eſt, quæ conſilioque manuque
Utiliter feci ſpatioſi tempore belli.
Poſt acies primas, urbis ſe mœnibus hoſtes
Continuêre diu; nec aperti copia Martis
Ulla fuit. Decimo demum pugnavimus anno.
Quid facis interea, qui nîl niſi prælia nôſti?
Quis tuus uſus erat? nam ſi mea facta requiris,
Hoſtibus inſidior, foſſas munimine cingo:
Conſolor ſocios, ut longi tædia belli
Mente ferant placidâ: doceo, quo ſimus alendi
Armandique modo: mittor, quò poſtulat uſus.
Ecce Jovis monitu deceptus imagine ſomni
Rex jubet incœpti curam dimittere belli.
Ille poteſt auctore ſuam defendere cauſam.
Non ſinat hoc Ajax: delendaque Pergama poſcat:
Quòdque poteſt, pugnet. Cur non remoratur ituros?
Cur non arma capit? dat, quod vaga turba ſequatur?
Non erat hoc nimium, nunquam niſi magna loquenti.
Quid, quòd & ipſe fugis? vidi, puduitque videre,
Cùm tu terga dares, inhoneſtaque vela parares.
Nec mora, Quid facitis? quæ vos dementia, dixi,

NOTÆ.

200. *Prædam*] Vel prædam, Helenam ipſam, quam prædo Pa is avexit; vel prædam, quæ cum Helena abducta erat, intellige.

201. *Antenora*] Qui quidem, cùm ex Trojanorum principibus eſſet.

——*Cenſet belli præcidere cauſam.*
Hor. Epiſt. lib. 1. 2.

Ibid. *Junctum*] Vel affinitate; vel quia aſſentiebatur Priami ſententiæ.

203. *Nefandas*] Siquidem, jure gentium, legatos inviolatos eſſe decet.

212. *Foſſas*] Ad illam reſpicere videtur, quæ à Græcis ante navium ſtationem ducta & muro cincta fuit; quam poſtea Neptunus immiſſis Phrygiæ fluminibus delevit.

215. *Mittor*] Nempe ad Chryſſen Apollinis ſacerdotem, cui filiam reſtituit.

217. *Rex*] Agamemnon, qui ut ſuorum animos tentaret, de reditu à Jove per ſomnes admonitum ſeſe ſimulavit. Vid. Hom. Il. B. ſub initio.

218. *Auctore*] *Jove.*

Con-

Concitat, ô socii, captam dimittere Trojam?
Quidve domum fertis decimo, nisi dedecus, anno?
Talibus atque aliis, in quæ dolor ipse disertum
Fecerat, aversos profugâ de classe reduxi.
Convocat Atrides socios terrore paventes:
Nec Telamoniades etiam nunc hiscere quicquam
Ausit. At ausus erat reges incessere dictis
Thersites, etiam per me haud impunè, protervis.
Erigor: & trepidos cives exhortor in hostem:
Amissamque meâ virtutem voce reposco.
Tempore ab hoc quodcunque potest fecisse videri
Fortiter iste, meum est; quem dantem terga retraxi.
Denique de Danaïs quis te laudatve, petitve?
At sua Tydides mecum communicat acta:
Me probat; & socio semper confidit Ulysse.
Est aliquid, de tot Graiorum millibus, unum
A Diomede legi. Nec me fors ire jubebat:
Sic tamen & spreto noctisque, hostisque periclo,
Ausum eadem, quæ nos, Phrygiâ de gente Dolona
Interimo: non antè tamen, quàm cuncta coëgi
Prodere, & edidici quid perfida Troja pararet.
Omnia cognôram: nec, quod specularer, habebam:
Et jam præmissâ poteram cum laude reverti.
Haud contentus eâ, petiî tentoria Rhesi:
Inque suis ipsum castris comitesque peremi.

cogit, ô comites, relinquere Trojam jam fere *captam? aut quid reportatis in patriam anno decimo nisi opprobrium? Talibus atque aliis, in quæ ipse dolor fecerat facundum, reduxi contumaces de classe ad fugiendum paratâ.* Agamemnon *Atrei filius ad concilium ciet comites pavore territos: neque* Ajax, *Telamonis filius etiam nunc audeat quicquam dicere. At Thersites non veritus erat convicüis lacessere reges: cujus protervitatem etiam ego valde castigavi. Exsurgo; atque exhortor in bellum socios timidos, & animos eorum jam dejectos erigo atque accendo. Quicquid iste, quem fugientem reduxi, potest videri fecisse ab eo tempore, mihi debut referri. Denique quis ex Græcis te probat,* aut socium *sibi expetit? At Tydides me participem adscivit in omnibus suis laboribus; me laudat, & semper bene sperat, Ulysse comite. Est aliquid deligi solum à Diomede inter tot millia Græcorum. Neque fors cogebat me proficisci: sic tamen & non deterritus discrimine noctis, & hostis interficio Dolonem de natione Trojanâ, conantem eadem quæ nos: neque tamen priùs quàm coëgi omnia aperire, & exploravi quid perfidi hostes machinarentur, cuncta resciveram; neque supererat quod explorarem: & jam poteram redire magnâ cum glorîâ, cujus modò memini. Sed & ampliorem aspirans, adii tentoria Rhesi, atque interemi ipsum cum comitibus in suis castris.*

NOTÆ.

228. *Dolor*] Mon fine artificio maximo dolori attribuit, quod arrogantiæ videri potuisset: ita ex eo, quod invidiosissimum fuit, sibi gratiam conciliavit.

233. *Thersites*] Deformosissimus & impudentissimus Græcorum.

φοξὸς ἐὴν κεφαλὴν, &c. Iliad. B.

233. *Haud impune*] Graviter Ulysses sceptro percussit hominem ineptum.

236. *Potest*] Non dixit *fecit*, aut *fecisse* videtur, sed *potest videri fecisse*: ut maxima sit factorum Ajacis extenuatio.

238. *Denique de Danaïs*] Inversio est argumenti, quo uritur Ajax in Ulyssem cum inquit, *Luce nihil gestum est*, &c.] & amplificatur ex signis consequentibus, quibus Ulysses probat se pugnâsse acriùs ipso Ajace, quia exceperit vulnera non clypeo, sed adverso corpore: Ajacem verò semper sibi caviisse ne vulneraretur.

242. *Nec me fors*] Veteratoriè profectò quod laudi erat adversario, in sese Ulysses cum illius diminutione derivat. Tacitè enim Ajacem quasi sorte coactum cum Hectore congressum innuit; cùm ipse sua pericula sponte subiret.

244. *Ausum eadem*] Missum ab Hectore ad explorandum castra Græcorum, sicut & nos speculatum res Trojanas. *Dolona.*] Qui interceptus ab Ulysse, omnia Trojanorum consilia Rhesique adventum indicavit; hinc proverbium Δόλωνος ἀγενέστερος.

249. *Rhesi*] *Thraciæ regis*, de quo suprà.

Atque ita captivo victor votisque potitus
Ingredior curru lætos imitante triumphos.
Cujus equos pretium pro nocte popoſcerat hoſtis,
Arma negate mihi: fueritque benignior Ajax.
Quid Lycii referam Sarpedonis agmina ferro
Devaſtata meo? cum multo ſanguine fudi
Cœranon Iphitiden, Alaſtoraque, Chromiumque,
Alcandrumque, Haliumque, Noëmonaque, Prytaninque,
Exitioque dedi cum Cherſidamante Thoöna,
Et Charopen, fatiſque immitibus Ennomon actum:
Quinque minùs celebres noſtrâ ſub mœnibus urbis
Procubuêre manu. Sunt & mihi vulnera, cives,
Ipſo pulchra loco. Nec vanis credite verbis.
Aſpicite en. Veſtemque manu deducit; &, Hæc ſunt
Pectora ſemper, ait, veſtris exercita rebus.
At nihil impendit per tot Telamonius annos
Sanguinis in ſocios: & habet ſine vulnere corpus.
Quid tamen hoc refert; ſi ſe pro claſſe Pelaſgâ
Arma tuliſſe refert contra Troaſque, Jovemque?
Confiteorque, tulit; neque enim benefacta malignè
Detrectare meum eſt; ſed nec communia ſolus
Occupet; atque aliquem vobis quoque reddat honorem.

atque ita victor & voti compos capto regio *curru ſimilis triumphanti reverſus ſum. Nunc* (ſi Diîs placet) *mihi denegate* illius *arma, cujus equos* Dolon Trojanorum ſpeculator *auſus erat petere pro* nocturnâ ſuâ *operâ; ſitque meliùs de vobis meritus Ajax,* quàm ego. *Cur memorem copias Sarpedonis Lycii proſtratas meâ manu? Profligavi cum multâ ſtrage Cœranon Iphitiden, & Alaſtorem, & Chromium, & Alcandrum, & Halium, & Noëmonem, & Prytanin; atque interemi Theönem cum Cherſidamante, & Charopen & Ennomon impulſum ad* prælia *ſorte iniquâ: & quinque minùs inclyti interierunt noſtrâ dextrâ ad muros urbis. Nec mihi ſunt cicatrices* adverſo corpore exceptæ *quas, ſi verbis meis fidem non habetis, en aſpicite;* Libet enim eas exhibere tanquam teſtes meæ virtutis, id quod Ajax non poteſt. *Atque ſubmovet amictum manu; &, Hæc ſunt, inquit, pectora ſemper exercita in veſtrum commodum. At Telamonius nihil fudit ſanguinis per tot annos pro comitibus, nec ullum vulnus corpore accepit. Quid tamen iſtud intereſt; ſi narrat ſe cepiſſe arma pro claſſe Græcâ* tuendâ *contra Trojanos & Jovem? Atque agnoſco, geſſit: nolo enim tanquam invidus, hanc laudem ei detrahere. Sed neque ſolus ſibi arroget, quod omnium eſt; atque concedat etiam vobis aliquam laudem.*

NOTÆ.

252. *Curru*] *Conſcendo currum Rheſi, qui Triumphum penè referebat.* Obiter ad triumphales equos & currus, quibus Romani victores vehi ſolebant, alludit.

253. *Cujus equos pretium.*] Ordo eſt; *negate mihi arma ejus viri, cujus equos Dolon pronocturnâ ſpeculatione popoſcerat.* Illa verò Ironia Ulyſſes arma Achillis, & Ajaci neganda, & ſibi adjudicanda oſtendit. *Cujus* Achillis, cujus ἵππους καὶ ἅρματα ποίκιλα χαλκῷ ſpeculationis ſuæ pretium ab Hectore popoſcerat Dolon.

255. *Sarpedonis*] Qui Jovis fuit ex Europâ filius, rex Lyciæ Trojanis favens a Patroclo poſt multos ex ejus ſociis ab Ulyſſe mactatos, tandem interfectus.

257. *Iphitiden*] Iphiti filium Sarpedonis unà cum ſequentibus comitem.

263. *Loco*] Adverſo pectore, non tergo.

267. *Sine vulnere*] Habent fabulæ, Herculem aliquando Salaminem veniſſe ad Telamonem, ibique cùm Ajacem adhuc infantem conſpexiſſet, circumdediſſe illi pellem ſuam Leoninam, precatumque, ut qui puer illa tegeretur, invulnerabilis foret; atque ita fuit toto corpore, niſi latere, quod pelle contectum non fuerat: Hinc infrà.

Dixit, & in pectus tum demum vulnera paſſum
Quà patuit ferro, lethalem condidit enſem.

Sed hic Ulyſſes exprobat Ajacem, quòd ſibi cavebat, ne vulneraretur.

268. *Quid tamen*] Concedit eſſe quidem vera; ſed non uni arroganda, quæ Ajax retulit de claſſe & monomachiâ.

Reppulit

Reppulit Actorides sub imagine tutus Achillis
Troas ab arsuris cum defensore carinis.
Ausum etiam Hectoreo solum concurrere Marti
Se putat, oblitus regisque, ducumque, meique,
Nonus in officio, & prælatus munere sortis.
Sed tamen eventus vestræ, fortissime, pugnæ
Quis fuit? Hector abit violatus vulnere nullo.
Me miserum! quanto cogor meminisse dolore
Temporis illius, quo Graiûm murus Achilles
Procubuit! nec me lachrymæ, luctusve, timorve
Tardârunt, quin corpus humo sublime referrem:
His humeris, his, inquam, humeris ego corpus Achillis,
Et simul arma tuli: quæ nunc quoque ferre laboro.
Sunt mihi, quæ valeant in talia pondera, vires:
Est animus vestros certè sensurus honores.
Scilicet idcirco pro gnato cærula mater
Ambitiosa suo fuit, ut cœlestia dona,
Artis opus tantæ, rudis & sine pectore miles
Indueret? neque enim clypei cœlamina nôrit,
Oceanum, & terras, cumque alto sidera cœlo,
Pleïadasque, Hyadasque, immunemque æquoris Arcton,

Actorides securus armis Achillis repulit Trojanos à navibus deflagraturis cum te earum defensore. Jactat etiam se solum singulari certamine ausum congredi cum Hectore, immemor & regis, & ducum, & mei, qui idem facturi erant, si, per sortem quâ cùm nonus inter duces esset prælatus est, licuisset. Attamen, strenuissime, quis fuit successus vestri certaminis? Hector discessit sine vulnere. Me infelicem: quanto cum mœrore cogor recordari illius temporis, quo Achilles propugnaculum Græcorum occubuit? Neque fletus, aut mœror, aut pavor me retinuerunt, quin sustulerim in humeros meos & reportaverim corpus terrâ sublatum. His humeris, his, inquam, humeris ego gestavi corpus Achillis, unà cum armis: quæ nunc etiam gestare cupio. Sunt mihi vires, quæ sufficiant in ejusmodi onera: est animus certè sensurus vestros honores. Nimirum mater cærulea ideo fuit curiosa pro suo filio, ut miles hebes & sine ingenio ferret munera cœlestia, opus tantæ artis? Neque verò intellexerit sculpturam clypei oceanum & terras, atque astra cum excelso cœlo, & Pleïadas atque Hyadas, & Arctον expertem maris,

NOTÆ.

273. *Actorides*] Patroclus Actoris nepos, armis indutus Achillis, quem denique Hector interfecit.

274. *Defensore*] Te, ô Ajax. Suprà enim Ver. 92. dixit Ajax——*Ego mille meo protexi pectore puppes*; nunc autem id Patroclo ascribit Ulysses. Sarcasticè igitur Ajacem vocat navium defensorem; quasi diceret, *Patroclus indutus armis Achillis repulit Trojanos à carinis, cum quibus tu qui te earum defensorem jactas, arsurus eras.*

275. *Ausum*] Ex hâc pugnâ utercque discessit sine vulnere, ab altero pernicioſis donatus muneribus: Hector quidem balteo quo ligatus circum Iilii muros tractus fuit; Ajax verò gladio, in quem incumbens seipsum interfecit.

276. *Regis*] *Agamemnonis*, quem, si sors tulisset, juxta cum octo aliis adversus Hectorem singulari certamine pugnaturum suprà diximus.

278. *Fortissime*] Ironia est; quanquam iniqua. Non male tamen Ajaci pugnæ eventus objicitur, siquidem de eâ, non sine aliorum contemptu, gloriatus esset.

288. *Cærula*] Thetis mater Achillis, quæ Vulcanum rogavit, ut filio arma fabricaret.

293. *Pleïades*] *Virgilius* dicunt Latini, Atlantis ex Pleïone Nymphâ filias cœlo relatas; quæ, ut ait Ovidius in Fastis.

Ore micant Tauri septem radiantia flammis
Sydera, quas Hyadas Graius ab imbre vocat.

Ibid. *Arcton*] De quibus jam sæpe; ideo autem *æquoris signa immunia*, quòd nobis versus polum Septentrionalem constitutis nunquam occidant, adeòque in oceanum mergi oculis non videantur.

& urbes varias, & gladium coruscum Orionis. Optat habere arma, quæ non intelligit. Quin etiam reprehendit me, qui detrectavi officia belli & tardè veni ad incœptum laborem? neque videt se coarguere generosum Achillem? Si vocat flagitium finxisse; uterque finximus. Si cunctatio vitio vertitur, ego sum celerior illi. Uxor pia me prohibuit; mater pia Achillem; atque prima tempora sunt concessa illis, reliqua vobis. Nequaquam metuerem, si jam non tsssem diluere hoc *crimen, quod cum tanto viro commune* habeo. *Ille tamen detectus solertiâ Ulyssis; at non Ulyssis Ajacis. Nec admiremur eum jacere in me probra linguæ hebetis; exprobrat vobis etiam digna dedecore. At enim mihi flagitiosum est arguisse Palameden ficti facinoris, vobis honestum damnâsse? At neque Nauplíades potuit refellere tantum crimen tamque manifestum: neque fando accepistis illius facinora; spectastis; atque ea quæ* mihi *exprobrata sunt, vobis patefacta erant auro* in tentoriis invento. *Neque*

Diversasque urbes, nitidumque Orionis ensem.
Postulat ut capiat, quæ non intelligit, arma.
Quid? quòd me duri fugientem munera belli
Arguit incœpto ferum accessisse labori?
Nec se magnanimo maledicere sentit Achilli?
Si simulâsse vocat crimen; simulavimus ambo.
Si mora pro culpâ est; ego sum maturior illo.
Me pia detinuit conjux; pia mater Achillem:
Primaque sunt illis data tempora, cætera vobis.
Haud timeo, si jam nequeo defendere crimen
Cum tanto commune viro. Deprênsus Ulyssis
Ingenio tamen ille; at non Ajacis Ulysses.
Neve in me stolidæ convicia fundere linguæ
Admiremur eum: vobis quoque digna pudore
Objicit. An falso Palameden crimine turpe
Accusâsse mihi, vobis damnâsse decorum est?
Sed neque Naupliades facinus defendere tantum,
Tamque patens valuit; nec vos audîstis in illo
Crimina: vidistis: pretioque objecta patebant.
Nec Pœantiaden quòd habet Vulcania Lemnos,
Esse reus merui. Factum defendite vestrum:
Consensistis enim. Nec me suasisse negabo;
Ut se subtraheret bellique, viæque labori,
Tentaretque feros requie lenire dolores.
Paruit; & vivit. Non hæc sententia tantùm
Fida, sed & felix; cùm sit satis, esse fidelem.
Quem quoniam vates delenda ad Pergama poscunt,

dignus fui reprehensione, quòd Pœantiades sit in Lemno Vulcaniâ insulâ. Asserite vestrum factum: namque vos hoc comprobastis. Neque inficiabor me consuluisse, ut se redimeret à labore belli atque itineris, & conaretur minuere per quietem acres dolores. Obsequutus est, atque vitâ fruitur. Hoc consilium non modò fidele, sed & faustum: quanquam satis est, quòd fuerit fidele. Quem quoniam vates petunt ad diruendam Trojam,

NOTÆ.

294. *Diversas urbes*] Al. *diversos orbes, ut* stellas innuat. Rectiùs tamen *urbes*; quippe in scuto Achillis duæ *diversæ urbes* a Vulcano (ut narrat Homerus) cælatæ fuerunt; quorum altera pace frui, altera bello obsidione premi videtur.

Ibid. *Orionis*] Qui Dianæ comes post mortem ab ipsâ in cœlum translatus & gladio cinctus, pulcherrimum 17 stellarum sydus juxta Taurum efficit.

295. *Labori*] *Bello Trojano.*

298 *Maledicere*] Namque & Achilles bellum detrectaverat.

300. *Maturior*] Qui insuper Achillem ad idem bellum protraxit.

302. *Illis*] Vide quàm callidè per Achillem sese Ulysses excuset; imò ejus laudem in se transmoveat.

310. *Naupliades*] *Palamedes Nauplii filius.*

313. *Pœantiaden*] Philoctetes est Pœantis filius.

Ib. *Vulcania*] In quam Vulcanus, cœlo, ob deformitatem despectus, præcipitatus est; ubi ferrariam exercuit.

320. *Quem*] In fatis erat, sine Herculis sagittis, quas Philoctetes habebat, Trojam capi non posse.

Ne

Ne mandate mihi: Meliùs Telamonius ibit:
Eloquioque virum morbis irâque furentem
Molliet: aut aliquâ producet callidus arte.
Antè retro Simoïs fluet, & sine frondibus Ide
Stabit, & auxilium promittet Achaïa Trojæ;
Quàm, cessante meo pro vestris pectore rebus,
Ajacis stolidi Danaïs solertia prosit.
Sis licet infestus sociis, regique, mihique,
Dure Philoctete; licet exsecrêre, meumque,
Devoveas sine fine caput; cupiasque dolenti
Me tibi fortè dari, nostrumque haurire cruorem:
Utque tui mihi, sic fiat tibi copia nostri:
Te tamen aggrediar: mecumque reducere nitar.
Tamque tuis potiar (faveat Fortuna) sagittis;
Quàm sum Dardanio, quem cepi, vate potitus:
Quàm responsa Deûm, Trojanaque fata retexi:
Quàm rapui Phrygiæ, signum penetrale Minervæ
Hostibus è mediis. Et se mihi comparat Ajax?
Nempe capi Trojam prohibebant fata sine illo.
Fortis ubi est Ajax? ubi sunt ingentia magni
Verba viri? cur hîc metuis? cur audet Ulysses
Ire per excubias, & se committere nocti?
Perque feros enses, non tantùm mœnia Troüm,
Verùm etiam summas arces intrare: suâque
Eripere æde Deam: raptamque efferre per hostes?

ne mihi hoc *imperate: Telamonius aptius proficiscetur: atque deliniet facundiâ virum ferocem morbis atque irâ; vel solers protrahet aliquâ astutiâ. Priùs Simois retro curret, & Ideerit sine foliis, & Græcia promittet opes Trojæ, quam animo meo omittente vestra commoda, prudentia hebetis Ajacis juvet Græcos. Quanquam, sæve Philoctete, sis iniquus sociis, atque regi mihique; quanquam detesteris, & usque diris addicas meum caput, atque forsan optes me tibi, irascenti occurrere, & fundere nostrum sanguinem; si non aliter copia tui mihi dari potest, nisi tibi etiam mei copia detur; te tamen adoriar: & conabor reducere mecum: & ita obtinebo tua spicula, (modò fortuna sit propitia) sicuti sum potitus vate Dardanio, quem cepi; sicuti aperui oracula Deorum & fata Trojana, sicuti sustuli ex mediis hostibus simulachrum reconditum Phrygiæ Minervæ. Atque se Ajax mecum confert? Nempe fata negabant Trojam capi sine illo. Ubi est strenuus Ajax? Ubi sunt magnifica verba fortis viri? Quamobrem hîc times? Quamobrem Ulysses non reformidat pervadere vigilias, & se credere nocti? atque subire per sævos gladios, non modò muros Iliacos, verùm etiam supremas arces; atque revellere Deam suo templo, & efferre sublatam per hostes?*

NOTÆ.

321. *Ne mandate*] Ne mihi hoc mandate, ut ducam Philoctetem.

Ib. *Meliùs*] Ajacem, tanquam nullius consilii hominem, irridet.

315. *Simoïs*] Troadis rivus.

325. *Achaïa*] *Græcia*, quæ Trojam obsidione premebat.

328. *Regi*] *Agamemnoni*. Ad Sophoclis fabulam alludit poëta, in quâ Philoctetes tum illum tum Ulyssem præsertim, plurimis insectari verbis fingitur.

334. *Tamque tuis potiar*] Sic in potestate meâ tuas sagittas habeo, ut habui Helenum vatem egregium, & Palladium; quod nisi hostibus abstulissem, Troja nunquam capi potuisset.

335. *Dardanio vate*] Heleno, Priami filio; cujus ut & Palladii raptum, Ajax Ulyssi crimini dabat, & furtum nominabat; hic pro summâ gloriâ ducit, & accusatori insultat.

337. *Signum*] Palladium, quo Trojanis incolumi, ἀνάλωτον fortè Trojam in fatis erat. Sapientiâ sc. ex urbibus sublatâ, tum demum everſæ sunt.

358. *Et se*] Vel per furta ipsa, quæ maximè Ulyssi Ajax exprobraverat, sese Ulysses Ajace multò majorem contendit: idque jure optimo.

340. *Ingentia verba*] Vide quàm acutè Ulysses Ajacis molem vimque consilii expertem exagitet: quàmque callidè derivatâ in se, si quâ fuit, Ajacis virtute, vaniloquentiam quam huic objecerat, in eundem cum ipsius rusticitate rejicit.

Quæ

Quæ nisi feciſſem, filius Telamonis nequicquam tuliſſet ſiniſtrâ terga ſeptem boum. Victoria Trojæ à me parta eſt illâ nocte: tum domui Pergama, cùm cœgi poſſe ſubigi. Omitte nobis oſtentare oculis & ſuſurris meum Tydidem: Sua eſt pars gloriæ in illis. Neque tu ſolus eras, cùm tractabas ſcutum pro navibus ſocius; tibi totum agmen opem tulit, mihi unus obtigit ſocius: qui niſi intelligeret militem eſſe inferiorem ſapienti; neque præmia deberi manui invictæ, ipſe etiam hæc poſceret: alter ille lenior Ajax poſceret, atque ſævus Eurypilus, & filius illuſtris Andremonis; neque minùs Idomeneus, & Meriones eodem loco oriundus: frater majoris Atridæ poſceret. Quippe manu ſtrenui (neque ſunt tibi inferiores bello) ceſſerunt conſiliis meis. Habes manum bello utilem; ingenium eſt, quod opus habet regimine noſtro. Tu geris vires ſine prudentiâ; ego curam habeo futuri. Tu potes certare, ſed me conſulit Agamemnon quærens tempora certamine idonea *ſunt. Tu utilis es tantùm corpore, nos ingenio: & quantò qui moderatur navi, præponitur muneri remigis, quantò dux præſtantior milite, tantò ego tibi præcello; atque eſt animus excellentior manu in noſtro corpore.* Noſtra *vis omnis in illo* ſita eſt. *At vos, ô optimates, conferte mercedem in veſtrum vigilem;*

Quæ niſi feciſſem, fruſtrà Telamone creatus
Geſtâſſet lævâ taurorum tergora ſeptem.
Illâ nocte mihi Trojæ victoria parta eſt:
Pergama tum vici, cùm vinci poſſe coëgi.
Deſine Tydiden vultuque & murmure nobis
Oſtentare meum. Pars eſt ſua laudis in illis.
Nec tu, cùm ſociâ clypeum pro claſſe tenebas,
Solus eras: tibi turba comes, mihi contigit unus;
Qui, niſi pugnacem ſciret ſapiente minorem
Eſſe, nec indomitæ deberi præmia dextræ,
Ipſe quoque hæc peteret: peteret moderatior Ajax,
Eurypiluſque ferox, claroque Andremone natus;
Nec minùs Idomeneus, patriâque creatus eâdem
Meriones: peteret majoris frater Atridæ.
Quippe manu fortes (nec ſunt tibi Marte fecundi)
Conſiliis ceſsêre meis. Tibi dextera bello
Utilis; ingenium eſt, quod eget moderamine noſtri.
Tu vires ſine mente geris: mihi cura futuri eſt.
Tu pugnare potes: pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides. Tu tantùm corpore prodes;
Nos animo. Quantoque ratem qui temperat, anteit
Remigis officium; quanto dux milite major;
Tanto ego te ſupero. Nec non in corpore noſtro
Pectora ſunt potiora manu. Vigor omnis in illis.
At vos, ô proceres, vigili date præmia veſtro;

NOTÆ.

346. *Fruſtrà*] Quia Troja, antequam ablatum eſſet palladium, capi non poterat.

347. *Taurorum*] Ex quibus Ajacis ſcutum conſtabat. Nota autem de induſtriâ multitudinis numero uſum Ulyſſem, ut bajulum magis quàm militem adverſarium irrideret.

350. *Tydiden meum*] Diomedem, Tydei filium mihi amicum.

353. *Oſtentare*] Diomedem comitem habuit Ulyſſes prope in omnibus: quamobrem id ſibi vultu, aut geſtu objicere Ajacem finxit.

355. *Indomitæ dextræ*] Temeritati, & viribus ratione carentibus.

356. *Ajax*] Oilei filius, qui inter fortiſſimos numerabatur. Vide autem, quam artificioſè judicum favorem ſibi conciliet Ulyſſes.

357. *Eurypilus*] Hic Evæmonis fuit filius ex Ormenio Theſſaliæ urbe, qui ut ſcripſit Homerus, cum 40 navibus Agamemnonem in expeditionem Trojanam eſt ſecutus.

Ibid. *Natus*] Thoas princeps Ætolorum, qui cum 40 navibus itidem ad bellum Trojanum eſt profectus.

358. *Idomeneus*] Rex fuit Cretenſium, qui ſe quoque fortiſſimè in bello Trojano geſſit.

359. *Meriones*] Fortiſſimus fuit Idomenei auriga Martî ipſi comparandus.

Ibid. *Frater*] *Menelaüs*, Agamemnonis frater, Atrei quoque filius.

Proque

Proque tot annorum curâ, quos anxius egi,
Hunc titulum meritis pensandum reddite nostris.
Jam labor in fine est. Obstantia fata removi:
Altaque, posse capi faciendo, Pergama cepi.
Per spes nunc socias, casuraque mœnia Troûm,
Perque Deos oro, quos hosti nuper ademi;
Per, si quid superest, quod sit sapienter agendum;
Si quid adhuc audax, ex præcipitique petendum:
Si Trojæ fatis aliquid restare putatis;
Este mei memores: aut si mihi non datis arma;
Huic date. Et ostendit signum fatale Minervæ.
Mota manus procerum est: &, quid facundia posset,
Re patuit: fortisque viri tulit arma disertus.
Hectora qui solus, qui ferrum, ignemque, Jovemq:
Sustinuit toties: unam non sustinet iram;
Invictumque virum vincit dolor. Arripit ensem:
Et, Meus hic certè est, An & hunc sibi poscet Ulysses?
Hoc, ait, utendum est in me mihi: quique cruore
Sæpe Phrygum maduit, domini nunc cæde madebit:
Ne quisquam Ajacem possit superare, nisi Ajax.
Dixit: & in pectus tum denique vulnera passum,
Quà patuit ferro, letalem condidit ensem:
Nec valuêre manus infixum educere telum:
Expulit ipse cruor. Rubefactaque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem,
Qui priùs Oebalio fuerat de vulnere natus.
Litera communis mediis pueroque, viroque
Inscripta est foliis: hæc nominis, illa querelæ.

& pro sollicitudine tot annorum, quos transegi irrequietus, concedite hunc honorem expendendum nostris beneficiis, Jam labor noster finitur. Sustuli fata obnitentia, & cepi excelsa Pergama faciendo posse capi. Precor nunc per spes communes, & muros ruituros Trojanorum, & per Deos, quos nuper sustuli ab hostibus, per si quid est reliquum, quod sit prudenter & cautè exequendum: si quid adhuc audax est, & petendum ex difficili loco, si quid existimatis superesse fatis Trojæ, estote mei memores: vel si non conceditis mihi arma, concedite huic: atque monstrat simulachrum fatale Minervæ. Primarii tacti sunt; & re ipsâ apparuit, quid eloquentia posset, & facundus reportavit arma viri strenui. Qui solus toties sustinuit ferrum & ignem, & Jovem, est impar ferendæ iræ: & dolor superat virum indomitum. Corripit gladium: atque ait, *Hic certè meus est. An Ulysses etiam sibi hunc petet? Hoc, inquit, est mihi utendum in me; & qui sæpe tinctus est sanguine Phrygûm, nunc tingetur nece domini: ne quisquam valeat vincere Ajacem, nisi Ajax. Dixit; & abdidit gladium letiferum in pectus, tum denique passum plagas, quà apertum fuit ferro: neque manus potuerunt extrahere gladium impactum; ipse sanguis ejecit: & terra rubefacta cruore produxit florem rubrum de cespite viridi, qui antea fuerat ortus ex plagâ Oebaliâ. Litera communis puero* Hyacintho, *& viro* Ajaci *insculpta est foliis: hæc nominis, illa querimoniæ* indicium.

NOTÆ.

373. *Labor*] Quo in eruendâ Trojâ opus fuit.

376. *Quos*] De palladio loquitur.

377. *Si quid superest*] Quam opportunè sub finem orationis de usu futuro admonuit Nulla potior ratio apud homines, qui ut plurimùm ob præterita beneficia sunt infensi.

387. *Meus*] Dona ab Hectore acceperat, cui vicissim balteum funestum dederat, quo circum muros Iliacos ab Achille raptatus fuit.

396. *Oebalio*] Hyacinthi Oebalii seu Laconis intellige, quem lib. 10. à versu 195. in Hyacinthum florem mutatum vidimus.

398. *Hæc nominis*] Flos *Hyacinthus* inscriptum habet in foliis, *Ai*, quæ notant priores duas literas vocis *Ajax*, & pariter querimoniam Apollinis ob occisum Hyacinthum; nam *Ipse suos gemitus foliis inscribit; et ai, flos habet, inscriptum.* Lib. 10. v. 215.

II. Victor Ulysses *navem vertit ad patriam Hypsipiles, & incliti Thoantis, & tellurem infamem nece antiquorum virorum, ut reduceret spicula, missilia Tirynthia. Quæ postquam reduxit ad Græcos, domino comitante, finis denique impositus est sero bello. Troja & Priamus unà pereunt: misera uxor Priami post omnia amisit figuram humanam; atque tremefecit aërem peregrinum novo latratu. Troja flagrabat quâ Hellespontus longus terminatur in angustum: neque flamma adhuc oppressa erat; & altare Jovis sorbuerat pauculum sanguinem Priami senis. Sacerdos Phœbi rapta capillis porrigebat ad cœlum manus non profecturas. Græci victores potiti templis incensis rapiunt matronas Trojanas amplexas (quàm diu poterant) simulacra Deorum patricrum, prædam invidiæ plenam. Astyanax dejicitur ex illis turribus, unde consuevérat sæpe cernere parentem monstratum à matre certantem pro se, atque tuentem regna antiqua.*

II. Victor ad Hypsipyles patriam, clariq; Thoantis,
Et veterum terras infames cæde virorum,
Vela dat; ut referat, Tirynthia tela, sagittas.
Quæ postquam ad Graios, domino comitante, revexit:
Imposita est sero tandem manus ultima bello.
Troja simul Priamusque cadunt: Priameïa conjux
Perdidit infelix hominis post omnia formam,
Externasque novo latratu terruit auras.
Longus in angustum quà clauditur Hellespontus,
Ilion ardebat; neque adhuc confederat ignis:
Exiguumque senis Priami Jovis ara cruorem
Combiberat. Tractata comis antistita Phœbi
Non profecturas tendebat ad æthera palmas.
Dardanidas matres patriorum signa Deorum
Dum licet amplexas, succensaque templa tenentes,
Invidiosa trahunt victores præmia Graii.
Mittitur Astyanax illis de turribus, unde
Pugnantem pro se proavitaque regna tuentem
Sæpe videre patrem, monstratum à matre, solebat.
Jamque viam suadet Boreas; flatuque secundo
Carbasa mota sonant, jubet uti navita ventis.
Troja, vale; rapimur, clamant: dantque oscula terræ
Troades; & patriæ fumantia tecta relinquunt.
Ultima conscendit classem (miserabile visu)
In mediis Hecubæ natorum inventa sepulchris.

Jamque Aquilo invitat ad discessum, et vela agitata flamine propitio strident; nauta illos hortatur uti ventis secundis. Troja, vale, auferimur, clamant Trojanæ, atque deosculantur solum; & deserunt domos fumantes patriæ. Hecuba reperta in mediis tumulis filiorum, novissima ascendit navem (visu lamentabile).

NOTÆ.

399. *Hypsipyles patriam*] Lemnum, insula ubi Hypsipyle regnabat, quæ patris Thoantis vitæ sola pepercit, cûm cæteræ omnes Lemniades maritos suos, patres, filiosque interfecissent; sive maritis propter fœtorem à Venere iratâ iis immissum fastiditæ; sive zelotypiâ in eos actæ, qui rem habuerunt cum captivis ancillis, ut Smyrn. Lib. 9. v. 337. sive publica tum in Atticis ultæ, ut habet Herodot. lib. 6. Hinc τα σχετλια ἐργα παντα Λημνια vocantur.

401. *Tirynthia*] *Hercules, Tirynthe Peloponnesi urbe nutrici.*

402. *Domino*] *Philoctete*, cui sagittas suas Hercules dederat.

404. *Conjux*] *Hecuba*, de cujus metamorphosi in sequentibus.

406. *Externas*] *Thracias* nimirum procul à patriâ, ut videbimus postea; quanquam diversa alii scripserunt.

407. *Quâ*] Angustatur maximè Hellespontus, ubi olim Sestos & Abydos fuerunt, protenditur autem ad Troadem usque, in quâ fuit Ilium, seu Trojana civitas. Asiam ab Europâ dividit.

409. *Exiguum*] Quem in Jovis arâ, ad quam stabat Priamus, Pyrrhus effudit.

410. *Antistita*] Cassandram dicit, Apollinis sacerdotem, Priami filiam.

415. *Astyanax*] Hectoris ex Andromache filius.

418. *Boreas*] Qui ventus à Septentrione spirans Græcis in patriam reversuris secundus erat.

Prin-

Prênsantem tumulos, atque ossibus oscula dantem
Dulichiæ traxêre manus; tamen unius hausit,
Inque sinu cineres secum tulit Hectoris hausto.
Hectoris in tumulo canum de vertice crinem,
Inferias inopes, crinem, lachrymasque relinquit.
Est, ubi Troja fuit, Phrygiæ contraria tellus,
Bistoniis habitata viris. Polymnestoris illîc
Regia dives erat, cui te commisit alendum
Clam, Polydore, pater, Phrygiisque removit ab armis.
Consilium sapiens: sceleris nisi præmia magnas
Adjecisset opes, animi irritamen avari.
Ut cecidit fortuna Phrygûm, capit impius ensem
Rex Thracûm, juguloque sui defigit alumni:
Et, tanquam tolli cum corpore crimina possent,
Exanimem è scopulo subjectas misit in undas.
Littore Threïcio classem religârat Atrides,
Dum mare pacatum, dum ventus amicior esset.
Hîc subitò, quantus, cùm viveret, esse solebat,
Exit humo latè ruptâ: similisque minaci
Temporis illius vultum referebat Achilles,
Quo ferus injusto petiit Agamemnona ferro:
Immemoresque mei disceditis, inquit, Achivi?
Obrutaque est mecum virtutis gratia nostræ?
Ne facite. Utque meum non sit sine honore sepulchrum,
Placet Achilleos mactata Polyxena manes.
Dixit: &, immiti sociis parentibus umbræ,
Rapta sinu matris, quam jam propè sola fovebat,
Fortis, & infelix, & pulsquam fœmina, virgo

Manus Ulyssis abripuerunt complectentem sepulchra atque deosculantem ossa. Attamen sumsit cineres unius Hectoris, et portavit secum sumptos in gremio. Relinquit in sepulchro Hectoris, comam albam recisam *ex capite, comam atque fletus inferias pauperiorum. Est terra adversa Phrygiæ ubi Troja fuit, culta a viris Thracibus. Illîc erat opulenta aula Polymnestoris, cui pater dedit te clam educandum, Polydore, et removit ab armis Phrygiis. Institutum prudens: nisi addidisset magnas divitias mercedem flagitii, & irritamentum mentis avaræ. Postquam fortuna Phrygûm eversa est, rex sceleratus Thracûm sumit gladium, atque dimittit in guttura alumni, et quasi flagitia possent removeri cum corpore, impulit* eam *exsanguem ex caute in aquas suppositas. Atrides appulerat littori Thracio, donec mare tranquillum, donec ventus esset mitior. Hîc repentè Achilles, quantus esse solebat cùm in vivis esset, prodit, terrâ latè apertâ atque similis minanti exhibebat* terribilem *faciem temporis illius, quo sævus insurrexit iniquo ense adversus Agamemnonem: atque, inquit, proficiscimini, ô Græci, mei obliti? Atque gratia nostræ virtutis est sepulta mecum? Ne facite: atque ut tumulus meus ne sit absque honore, Polyxena jugulata leniat umbram Achillis. Dixit et sociis obsequentibus manibus feri Achillis, puella generosa atque misera, & plusquam fœmina sublata ex gremio matris, quam jam propè sola amplectebatur*

NOTÆ.

415. *Dulichiæ*] *Ulyssis Dulichii insulæ regis.*

430. *Bistoniis*] Thraciæ est periphrasis Synecdochia: Bistonia enim Thraciæ urbs, fuit, à Bistone Martis & Callirrhoës filio cognominata.

ib. *Polymnestoris*] Thraciæ tyranni, Priami generi, avaritiâ & Polydori cæde famosissimi.

432. *Polydore*] Priami fuit filius natu minimus, quem cum magnis divitiis belli incertus pater nefario amico, & hospiti infeliciter crediderat.

436. *Si alumni*] Polydori, quem à patre alendum nutriendumque susceperat.

438. *Mist*] Euripidem secutus est noster, nam terra obrutum Polydorum narrat Virg. Æn. 3.

439. *Atrides*] *Agamemnon* in Græciam post Trojæ excidium revertens.

448. *Polyxena*] Priami & Hecubæ fuit filia quam vivus amaverat Achilles, mortuus sibi immolari jubet.

450. *Sola*] Utpote cæteris liberis orba.

Ducitur

Ducitur ad tumulum; diroque fit hostia busto.
Quæ memor ipsa sui, postquam crudelibus aris
Admota est; sensitque sibi fera sacra parari;
Utque Neoptolemum stantem, ferrumque tenentem,
Inque suo videt figentem lumina vultu;
Utere jamdudum generoso sanguine, dixit.
Nulla mora est, Aut tu jugulo, vel pectore telum
Conde meo, jugulumque simul pectusque retexit.
Scilicet aut ulli servire Polyxena ferrem;
Aut per tale sacrum numen placabitur ullum.
Mors tantùm vellem matrem mea fallere posset.
Mater obest; minuitque necis mihi gaudia. Quamvis
Non mea mors illi, verùm sua vita gemenda est.
Vos modò, ne Stygios adeam non libera Manes,
Este procul; si justa peto; tactuque viriles
Virgineo removete manus. Acceptior illi,
Quisquis is est, quem cæde meâ placare paratis,
Liber erit sanguis. Si quos tamen ultima nostri
Vota movent oris; Priami vos filia regis,
Non captiva, rogat, genitrici corpus inemtum
Reddite: neve auro redimat jus triste sepulchri,
Sed lachrymis. Tunc, cùm poterat, redimebat & auro.
Dixerat. At populus lachrymas, quas illa tenebat,
Non tenet. Ipse etiam flens invitusque sacerdos
Præbita conjecto rupit præcordia ferro.
Illa, super terram defecto poplite labens,
Pertulit intrepidos ad fata novissima vultus.
Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas,
Cùm caderet; castique decus servare pudoris.

rapitur ad sepulchrum, & fit victima crudeli tumulo. Quæ non oblita sui, postquam admota est feris altaribus, atque cognovit sibi dira sacra adornari, & postquam advertit Neoptolemum stantem et tractantem cultrum, & torquentem oculos in suam faciem, statim inquit, Accipe sanguinem nobilem. Nulla est cunctatio per me. *At tu, abde cultrum jugulo vel pectore: atque simul nudavit collum et pectus. Quasi verò aut Polyxena paterer cuiquam servire; aut ullus Deus leniatur per ejusmodi sacrum. Optarem tantùm,* ut *mors mea posset latere matrem. Mater impedit,* quò minus libenter moriar, *atque minuit mihi solatia mortis: quanquam non meus obitus, sed ipsius vita est illi lugenda. Vos tantùm absistite, ut videar sponte ire ad umbras inferas: postulo æqua; atque arcete manus viriles à contactu virgineo. Sanguis libenter effusus erit gratior illi, quisquis est, quem instituitis delinire meâ morte. Attamen, si preces supremæ nostri oris tangunt aliquos, filia regis Priami, non captiva, vos orat, Restituite corpus inemtum matri; neve redimat auro, sed fletibus, jus luctuosum tumuli. Tunc, cùm poterat, redimebat etiam pretio. Absolverat. At populus non compescit fletus: quos illa compescebat. Ipse etiam sacerdos lachrymans atque coactus, aperuit viscera oblata cultro immisso. Illa cadens in terram poplite flexo vultus gessit interritos ad fata ultima. Tunc etiam, cum laberetur, curavit tegere partes obvolvendas; et custodire honorem pudicitiæ verecundæ.*

NOTÆ.

452. *Tumulum*] Ad Achillis sepulchrum, quod in [illegible] Trojæ promontorio fuit.

[illegible] *[illegible]ptolemum*] Pyrrhus est, Achillis fil[illegible], [illegible] illud nomen à Græcis impo[illegible] [illegible]yenis admodum ad bellum pro[illegible]

457. *Generoso*] De suo loquitur.

[illegible]] Quasi diceret, *Regia puella, [illegible]* Emphasis est.

461. *Aut per tale*] Optimè profectò ejusmodi sacrum quod lubentis non sit animi, nullius momenti apud Deos profitetur.

463. *Mater obest*] Dolor, quo mater afficitur morte meâ, animum meum cruciat.

497. *Cura fuit*] Quam curam Cæsari fuisse narrat Suetonius, ut togam ad pedes permitteret, quò à conjuratoribus vulneratus honestiùs caderet.

Troades

Troades excipiunt, deploratoſque recenſent
Priamidas: & quid dederit domus una cruoris.
Teque gemunt, virgo; teque, ô modò regia conjux,
Regia dicta parens, Aſiæ florentis imago;
Nunc etiam prædæ mala ſors: quam victor Ulyſſes
Eſſe ſuam nollet, niſi quòd tamen Hectora partu
Edideras. Dominum matri vix repperit Hector.
Quæ corpus complexa animæ tam fortis inane,
Quas toties patriæ dederat, natiſque, viroque,
Huic quoque dat lachrymas; lachrymas in vulnera fundit.
Oſculaque ore legit: conſuetaque pectora plangit:
Canitiemque ſuam concreto in ſanguine verrens,
Plura quidem, ſed & hæc, laniato pectore dixit:
Nata tuæ (quid enim ſupereſt?) dolor ultime matri,
Nata, jaces: videoque tuum mea vulnera vulnus.
En, ne perdiderim quenquam ſine cæde meorum,
Tu quoque vulnus habes. Atte, quia fœmina, rebar
A ferro tutam: cecidiſti & fœmina ferro.
Totque tuos idem fratres, te perdidit idem,
Exitium Trojæ noſtrique orbator, Achilles.
At poſtquam cecidit Paridis, Phœbique ſagittis:
Nunc certè, dixi, non eſt metuendus Achilles.
Nunc quoque mî metuendus erat. Cinis ipſe ſepulti
In genus hoc ſævit: tumulo quoq; ſenſimus hoſtem.
Æacidæ fœcunda fui. Jacet Ilion ingens:
Eventuque gravi finita eſt publica clades:
Si finita tamen. Soli mihi Pergama reſtant;

Trojanæ ſuſcipiunt cadaver, *atque dinumerant infelices Priamidas, & quantum una domus dederit ſanguinis. Teque flent, puella, teque ô modò appellata uxor regia, regia mater, imago Aſiæ florentis: nunc etiam ſors prædæ contemnenda, quam Ulyſſes victor vellet, non eſſe ſuam; niſi quòd tamen enixa eras Hectorem partu. Illa magni Hectoris mater adeò abjecta eſt, ut vix inveniat dominum, cui ſerviat. Quæ complexa corpus orbatum animâ tam generoſâ, dat etiam huic fletus, quos toties dederat patriæ, & filiis, & marito. Irrigat vulnus lachrymis, & deoſculatur os, & percutit pectus ſolitum, atque inficiens caput ſuum canum ſanguine coagulato, dixit quidem plura, ſed hæc etiam pectore diſcerpto: filia, dolor noviſſime matri (quid enim reſtat?) filia exſtincta es: atque cerno tuam plagam, tanquam eſſet mea* dolore afflicta. *Ecce, ne amiſerim quenquam meorum, ſine cæde, tu etiam vulnere ſuccumbis. At te putabam ſecuram ferri, quia fœmina eras: occubuiſti etiam fœmina ferro: Idemque Achilles clades Trojæ, & noſtri orbator exitio dedit tot fratres tuos, idem te* afflixit. *At poſtquam occubuit ſpiculis Paridis & Apollinis, nunc certe, dixi, Achilles non eſt reformidandus. Nunc etiam mihi erat reformidandus. Ipſe cinis* Achillis *in ſepulchro conditi furit in noſtram progeniem: expertæ ſumus hoſtem etiam in ſepulchro exiſtentem. Peperi multos liberos ad* voluntatem *Achillis. Superba Troja proſtrata eſt, & commune exitium abſolutum eſt triſti exitu, ſiquidem abſolutum tamen. Troja mihi ſoli ſupereſt:*

NOTÆ.

482. *Quid cruoris*] Nam Priamidæ omnes fuerunt interfecti.

483. *Regia conjux*] Hecubam dicit.

485. *Mala ſors*] Quippe quam, ob ſenectutem, vix quiſquam Græcorum ſibi contingere optaret.

501. *Phœbi*] Qui Paridis ſagittam direxiſſe dicitur.

504. *Genus hoc*] *Priamidas.*

Ibid. *Tumulo quoque*] Nimis redundans eſt hoc hemiſtichium; uti & alibi paſſim ultra modum luxuriat. *Habet hoc Montanus vitium,* inquit Seneca, *ſententias ſuas repetendo corrumpit,* &c. *Solebat itaque Scaurus cum interoratores Ovidium vocare. Nam & Ovidius neſcit, quod bene ceſſit relinquere,* Ovidium autem vindicant H. Stephanus lib. de Criticis, & Joh. Paſſeratius præfat. in antiquorum judicium.

505. *Æacidæ*] *Ut eſſent, quos Achilles, Æaci nepos, mactaret.*

507. *Soli mihi*] *Aliis jam fato functis Troja dirata eſt, mihi verò ſoli reſtat*; viz. quia hoſtes perinde in Hecubam ſæviunt, ac ſi Troja ipſa ſtaret, nec finis eſſet bello impoſitus.

In

atque ærumna mea etiam adhuc non finitur. Modò maximarum rerum potita, pollens tot generis, tot filiis, & filiabus, atque marito, nunc trahor, exterris, egena, tracta a sepulchris meorum, donum Penelopæ. Quæ monstrans me trahentem pensa exhibita fœminis Ithacensibus, Hæc, inquit illa est mater inclyta Hectoris; hæc est uxor Priami. Atque tu, quæ nunc sola leniebas mœrores maternos post tot perditos, placâsti sepulchra hostilia. Enixa sum inferias hosti. Ad quem vitæ terminum ego in me ipsam crudelis reservor? Vel quid exspecto? quò me servas, senectus damnosa? Quamobrem, Dii sævi, in longum tempus differtis vivacem anum, nisi ut videam nova funera? Quis crederet Priamum posse vocari beatum post Trojam eversam? Beatus morte suâ, neque te cernit mactatam, mea filia: atque deseruit simul vitam & regnum, At credo ornaberis exequiis, puella regia; atque tuum corpus sepelietur in tumulis avorum. Non ea est fors domûs. Tibi obvenient ultima *dona matris* nempe *lachrymæ, atque injectio pulveris peregrini. Omnia amisimus. Restat Polydorus filius acceptissimus matri nunc solus, olim minimus de prole masculâ,*

In cursuque meus dolor est. Modò maxima rerum,
Tot generis, natisque potens, nuribusque, viroq:
Nunc trahor exsul, inops, tumulis avulsa meorum,
Penelopæ munus. Quæ me data pensa trahentem
Matribus ostendens Ithacis, Hæc Hectoris illa est
Clara parens: hæc est, dicet, Priameïa conjux.
Postque tot amissos tu nunc, quæ sola levabas
Maternos luctus, hostilia busta piasti.
Inferias hosti peperi. Quò ferrea resto?
Quidve moror? quò me servas, damnosa senectus?
Quid, Dî crudeles, nisi quò nova funera cernam,
Vivacem differtis anum? quis posse putaret
Felicem Priamum post diruta Pergama dici?
Felix morte suâ nec te, mea nata, peremptam
Aspicit: & vitam pariter regnumque reliquit.
Ac (puto) funeribus dotabere, regia virgo;
Condeturque tuum monumentis corpus avitis:
Non hæc est fortuna domûs. Tibi munera matris:
Contingent fletus, peregrinæque haustus arenæ.
Omnia perdidimus: superest, cur vivere tempus
In breve sustineam, proles gratissima matri,
Nunc solus, quondam minimus de stirpe virili,
Has datus Ismario regi Polydorus in oras.
Quid moror interea crudelia vulnera lymphis
Abluere, & sparsos immiti sanguine vultus?
Dixit: & ad littus passu processit anili,
Albentes laniata comas. Date, Troades, urnam,
Dixerat infelix, liquidas hauriret ut undas:
Aspicit ejectum Polydori in littore corpus,
Factaque Threïciis ingentia vulnera telis.
Troades exclamant: obmutuit illa dolore;

concreditus regi Thracio in istis regionibus, ob quem pessim vivere in exiguum temporis spatium. Quamobrem cessò interea lavare aquâ purâ sæva vulnera, & faciem infectam fœdo cruore? Absolvit; atque accessit gressu anili ad littus discerptos habens crines albos. Trojanæ, dixerat ærumnosa, admovete situlam, ut sumeret aquas puras: videt corpus Polydori repulsum ad littus, & plagas vastas impactas ferro Thracio. Trojanæ vociferantur: illa obmutuit dolore;

NOTÆ.

509. *Tot*] Priami 54 liberorum nomina habemus apud Hyginum, cap. 90. & Apollodorum lib. 3. quorum decem masculos septem fœminas ex Hecubâ suscepit.

511. *Penelopæ*] Quia Ulyssi, Penelopes marito, fortè Hecuba obtigerat.

516. *Ferrea*] Vel in memet crudelis: vel quæ per tot calamitates extingui non potui.

523. *Funeribus*] *Exequiarum magnifico apparatu.* Ironicè autem loquitur.

526. *Peregrinæ arenæ*] Injectæ tibi procul à patriâ in externâ regione.

530. *Ismario*] *Polymnestori Thraciæ regi*; Ismarus enim Thraciæ mons est.

536. *Aspicit*] Diversa est Euripidis œconomia: ubi ancilla aquam petitum missa ad abluendum corpus Polyxenæ, corpus Polydori in littore invenit, & pallio involutum ad dominam portat.

537. *Threïciis*] Polydorum enim Polymnestor Thraciæ tyrannus jugulaverat.

Et pariter vocem, lachrymasque introrsus obortas
Devorat ipse dolor; duroque simillima saxo
Torpet: & adversâ figit modò lumina terrâ:
Interdum torvos sustollit ad æthera vultus:
Nunc positi spectat vultum, nunc vulnera, nati;
Vulnera precipuè: seque armat & instruit irâ.
Quâ simul exarsit, tanquam regina maneret,
Ulciscî statuit; pœnæque in imagine tota est.
Utque furit catulo lactente orbata leæna;
Signaque nacta pedum sequitur, quem non videt, hostem:
Sic Hecube, postquam cum luctu miscuit iram,
Non oblita animorum, annorum oblita suorum,
Vadit ad artificem diræ Polymestora cædis:
Colloquiumque petit: nam se monstrare relictum
Velle latens illi, quod nato redderet, aurum.
Credidit Odrysius: prædæque assuetus amore
In secreta venit. Tum blando callidus ore,
Tolle moras, Hecube, dixit: da munera nato.
Omne fore illius quod das, quod & antè dedisti,
Per Superos juro. Spectat truculenta loquentem,
Falsaque jurantem; tumidâque exæstuat irâ.
Atque ita correptum captivarum agmine matrum
Involat, & digitos in perfida lumina condit,
Exspoliatque genas oculis (facit ira potentem)
Immergitque manus: fœdataque sanguine fonti
Non lumen, neque enim supereſt, loca luminis haurit.
Clade sui Thracûm gens irritata tyranni
Troada telorum lapidumque incessere jactu
Cœpit. At hæc missum rauco cum murmure saxum
Morsibus insequitur: rictuque in verba parato
Latravit, conata loqui. Locus exstat & ex re

& ipse dolor simul absorbet vocem & fictus introrsum excitos: atque simillima aspero silici riget; & interdum demittit oculos in terram oppositam; nunc tollit ad cœlum infensam faciem: nunc aspicit vultum, nunc plagas filii jacentis, plagas præsertim: seque irâ armat et accendit ad vindictam. *Quâ statim atque excanduit, quasi esset adhuc regina, decrevit ulcisci, atque tota est in cogitatione pœnæ. Et sicut leæna privata catulo lactente furit, & consecuta vestigia sequitur hostem, quem non videt: sic Hecuba postquam miscuit iram cum luctu, non immemor irarum, immemor tamen senectutis, it ad Polymestorem auctorem crudelis necis, & poscit affari: quia cuperet illi ostendere aurum relictum, occultum, quod traderet filio. Thracius fidem habuit: atque concessit in secretum assuetus cupidine prædæ. Noli cunctari Hecuba, inquit, versutus mollibus verbis: porrige dona filio. Juro per Deos, omne quod offers, & quod antea obtulisti, futurum illius. Atrox aspicit loquentem, & ficta jurantem, atque furit irâ turgidâ. Et injicit se cum turbâ fœminarum captivarum in illum prehensum, & abdit digitos in perfidos oculos, & illos revellit ex genis (ira ministrat vires) & intingit manus, & nocenti inquinata cruore eruit non oculos, neque enim restant, sed sedes oculorum. Natio Thracia offensa exitio sui regis, cœpit invadere Trojanam jactu saxorum & missilium. At hæc persequitur lapides jactos morsibus simul & murmure rauco: & conata fari ore in verba parato, latravit. Locus superest & ex re*

NOTÆ.

546. *Pœnæ*] Quâ Polymestorem afficeret.

554. *Odrysius*] *Polymestor Thracius*: sunt enim Odrysæ Thraciæ populi.

564. *Loca luminis*] Oedipus apud Senec. v, 965, *Suos radice ab imâ-funditus vulsos simul evolvit orbes*; *Hæret* in *vacuo manus*, &c.

566. *Troada*] *Hecubam Trojanam.*

568. *Morsibus*] In canem propter animi rabiem & acerbitatem mutatam volunt Hecuban; nisi fortè per contemptum ita appellatam credideris: Utut, ejus sepulchrum, quod in Chersoneso Thraciæ juxta Sestion Strabo collocat, *canis sepulchrum*, Κυνὸς σῆμα, dicitur.

Nomen habet: Veterumque diu memor illa malorum
Tum quoque Sithonios ululavit mœsta per agros.
Illius, Troasque suos, hostesque Pelasgos,
Illius fortuna Deos quoque moverat omnes:
Sic omnes, ut & ipsa Jovis conjuxque, sororque
Eventus Hecubam meruisse negaverit illos.

III. Non vacat Auroræ, quamquam îsdem faverat armis,
Cladibus & casu Trojæque, Hecubæque moveri.
Cura Deam propior, luctusque domesticus angit
Memnonis amissi. Phrygiis quem lutea campis
Vidit Achilleâ peruntem cuspide mater.
Vidit; et ille color, quo matutina rubescunt
Tempora, palluerat; latuitque in nubibus æther.
At non impositos supremis ignibus artus
Sustinuit spectare parens: sed crine soluto,
Sicut erat, magni genibus procumbere non est
Dedignata Jovis, lachrymisque has addere voces:
Omnibus inferior, quas sustinet aureus æther,
(Nam mihi sunt totum rarissima templa per orbem)
Diva tamen venio: non ut delubra, diesque
Des mihi sacrificos, calituraque ignibus aras.
Si tamen aspicias, quantùm tibi fœmina præstem,
Tum cùm luce novâ noctis confinia servo;
Præmia danda putes. Sed non ea cura: neque hic est
Nunc status Auroræ, meritos ut poscat honores.
Memnonis orba mei venio: qui fortia frustrà
Pro patruo tulit arma suo; primisque sub annis
Occidit à forti (sic vos voluistis) Achille.
Da, precor, huic aliquem solatia mortis honorem,
Summe Deûm rector: maternaque vulnera leni.

nominatur. Atque illa diu recordans antiquarum æru mnarum, tum etiam tristis ululavit per campos Sithonios. Sors illius tetigerat & Trojanos, & etiam hostes eorum Græcos, atque omnes Deos præterea: ita omnes, ut & ipsa Jovis uxor & soror dixerit Hecubam non esse dignam hujusmodi exitu.

III. *Non est otium Auroræ, tametsi fautrix fuerat eorundem armorum, tangi damnis atque interitu Trojæ, atque Hecubæ Sollicitudo propior, & mœror domesticus Memnonis perditi movet Deam, quem mater crocea vidit occumbentem in agris Trojanis ense Achillis. Aspexit, & ille color, quo tempora matutina rubent, palluerat: atque cœlum obscuratum est nebulis. At mater non potuit intueri membra imposita ultimis flammis; sed coma lacera, sicut erat, non abnuit sese demittere ad genua magni Jovis, atque adjicere hæc verba petibus: Minor omnibus inter cœlites (nam mihi sunt rarissima templa in orbe) attamen Dea accedo, non ut mihi tribuas delubra & dies festos, aut altaria sacrificiis flagratura. Si tamen consideres, quantùm tibi prosim, quamvis sim fœmina, tum cùm custodio fines noctis luce novâ, arbitreris mercedem rependendam. Verùm non ea sollicitudo, neque hic est nunc status Auroræ, ut petat dignos honores. Adsum privata meo Memnone, qui nequicquam gessit strenua arma pro patruo suo, atque (ita vobis volentibus) iuventute mactatus est à strenuo Achille: Concede, quæso, aliquem honorem huic, in consolationem obitûs, supreme arbiter Deorum: atque mitiga dolores maternos.*

NOTÆ.

571. *Sithonios*] *Thracios*; quorum pars fuerunt Sithonii.

574. *Ipsa*] Ut cunque Trojanis infensissima.

576. *Isdem*] *Trojanis*, propter Tithonum maritum, Laomedontes filium Priamique fratrem.

579. *Memnonis*] Quem suum ex Tithono filium, Æthiopum regem, ad Trojanum bellum misit Aurora.

Ib. *Lutea*] Aurora enim Memnonis mater matutila ac rubicunda apparet.

592 *Noctis confinia servo*] Custodio ne nox fines suos transeat. Nisi enim Aurora vigilans esset, nox semper videretur duratura.

596. *Patruo*] *Priamo.*

597. *Sic vos*] Ut non inferior Memnon manu Achillis cecidisse videatur.

Jupiter

Jupiter annuerat; cùm Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus: nigrique volumina fumi
Infecêre diem. Veluti cùm flumina natas
Exhalant nebulas, nec Sol admittitur infrà.
Atra favilla volat: glomerataque corpus in unum
Denſatur, faciemque capit; ſumitque calorem
Atque animam ex igni. Levitas ſua præbuit alas.
Et primò ſimilis volucri, mox vera volucris,
Inſonuit pennis. Pariter ſonuêre ſorores
Innumeræ; quibus eſt eadem natalis origo.
Terq; rogum luſtrant; & conſonus exit in auras
Ter clangor. Quarto ſeducunt caſtra volatu.
Tum duo diverſa populi de parte feroces
Bella gerunt: roſtriſque, & aduncis unguibus iras
Exercent; alaſque, adverſaque pectora laſſant.
Inferiæque cadunt cineri cognata ſepulto
Corpora; ſeque viro forti meminêre creatas.
Præpetibus ſubitis nomen facit auctor; ab illo
Memnonides dictæ; cùm Sol duodena peregit
Signa, parentali perituræ Marte rebellant.
Ergo aliis latrâſſe Dymantida flebile viſum:
Luctibus eſt Aurora ſuis intenta; piaſque
Nunc quoque dat lachrymas, & toto rorat in orbe.

IV. Nec tamen everſam Trojæ cum mœnibus eſſe
Spem quoque fata ſinunt. Sacra, & ſacra altera patrem,
Fert humeris, venerabile onus, Cythereïus heros.

Jupiter annuerat; cùm excelſa pyra Memnonis ſubſedit ſublimi igne: & vortices fumi atri obſcuraverunt dei lucem: veluti, cùm fluvii emittunt nebulas inde orias, neque ſol infrà recipitur. Nigra favilla volat, atque congl bata in unum corpus craſſatur, & formam induit, atque capit calorem & vitam ex igne. Levitas favillæ propria effecit alas. Atque primo ſimilis avi, mox vera avis ſtrepitum fecit pennis: ſimul ſororesinnumeræ ſtrepitum fecêre, quibus eſt eadem origo natalis. Terque circumvolant pyram, & ter clamore conſono proruperunt in aërem. Quarto volatu dividunt agmen in duas partes. *Tum duo ſævi populi bella gerunt ex diverſis partibus: atque exercent iras roſtris & curvis unguibus; & fatigant alas & pectora adverſa; atque corpora agnata decidunt inferiæ condito cineri, & recordantur ſe ſimul ortas eſſe ex ſirenuo viro. Auctor dedit nomen avibus repentinè natis; quæ ab illo Memnonides dicuntur, morituræ bellum gerunt Marte parentali, cùm Sol permeavit duodecim ſigna. Adeòque aliis viſum erat lugubre quòd Hecuba in canem verteretur: Aurora vacat ſuis doloribus; & nunc etiam fundit pios fletus, & rorem ſpargit in toto orbe.*

IV. *Neque tamen fata patiuntur ſpem Trojanorum periiſſe unà cum muris. Heros Cytherëius portat ſacra, & patrem* Anchiſem *altera ſacra humeris, pondus venerabile.*

NOTÆ.

606. *Animam*] Propter motum celerem quidam Philoſophi *animam igneæ* naturæ dixerunt.

612. *Duo*] Ad ſepulchrum Memnonis in Ilio ex Æthiope advolare aves Memnonides, & parentalia quaſi celebrantes depugnare, ſcribit Plinius lib. 10. cap. 26. Fabulam autem quod attinet, inde natam volunt, quòd ex Æthiopiâ, quæ magis ad ortum & auroram ſpectat, aves quædam quotannis aut certe, ut aliis placet, quinto quoque anno, in Phrygiam advolarent; quas quidem aves ibi Memnoni ideo parentare voluerunt, quòd illîc ſepultus eſſet rex Æthiopicus.

618. *Cum Sol*] (i. e.) *Quotannis.*

619. *Parentali Marte*] Alludit ad gladiatores in patriciis funeribus exhiberi ſolitos.

620. *Dymantida*] *Hecubam Dymantei filiam.*

622. *Rorat*] Poetico more *rorem* matutinum Auroræ *lachrymas* dixit.

624. *Sacra*] *Sacra ſuoſque tibi commendat Troja Penates*, per ſomnum Æneæ dixerat Hector apud Virgilium.

Ib. *Sacra*] *Patrem* dicit *ſacrum*: non enim minùs pium eſt parentibus quàm ſacris auxilium ferre.

Ib. *Fata*] Vaticinium Neptuni de redivivo Trojanæ ſtirpis, in Æneæ poſteris, imperio; lege Homer. Iliad. 20. v. 306.

625. *Cythereïus*] *Æneas* filius *Veneris*, quæ Cytherea dicta eſt, à Cytheris inſulâ contrà Cretam; de quibus ſæpius.

Ille pius eligit illam prædam de tantis divitiis, atque suum filium Iulum: & vehitur ab Antandro classe exule per maria; atque deserit oras fecinorosas Thracûm, & telluren perfusam cruore Polydori: & ventis secundis & cursu per undas felici subit urbem Apollinis unà cum comitibus. Anius, quo rege homines, quo *Sacerdote Apollo bene colebatur, eum excepit delubro & domo: atque monstravit urbem, & templa dedicata, & duas arbores quas olim Latona paritura amplexa est. Thure admoto ignibus, & mero sparso in thura, atque extis taurorum mactatorum igne consumtis de more, secedunt in sedes regias & postquam consedissent in excelsis* toris quiinstrati erant *tapetibus, sumant dona Cerealia (panem) cum vino liquido. Tum pius Anchises, ô delecte antistes Apollini, decipior? an, cùm primùm invisi hanc urbem habebas, quantùm recordor, & filium & quatuor filias? Anius concutiens tempora cinctа vittis candidis, atque mœstus* hæc *reddit*; *Non deceptus es heros maxime: vidisti me patrem quinque liberorum, quem nunc cernis filiis prope carentem: tanta mutabilitas rerum agitat homines. Quid enim filius absens mihi* adfert *opis? qui nunc, pro patre locum & imperium nactus, in terrâ cognomine moratur. Delius huic præbuit vaticinandi peritiam; Bacchus præbuit alia*

De tantis opibus prædam pius eligit illam,
Ascaniumque suum: profugâque per æquora classe
Fertur ab Antandro; sceleratæque limina Thracûm,
Et Polydoreo manantem sanguine terram
Linquit: & utilibus ventis, æstuque secundo
Intrat Apollineam sociis comitantibus urbem.
Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phœbus
Ritè colebatur, temploque, domoque recepit:
Urbemque ostendit, delubraque vota, duasque
Latonâ quòndam stirpes pariente retentas.
Thure dato flammis, vinoque in thura profuso,
Cæsorumque boum fibris de more crematis,
Regia tecta petunt: positique tapetibus altis
Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho.
Tum pius Anchises: O Phœbi lecte sacerdos,
Fallor? an & natum, cùm primùm hæc mœnia vidi,
Bisque duas natas, quantùm reminiscor, habebas?
Huic Anius niveis circumdata tempora vittis
Concutiens, & tristis, ait: Non falleris, heros
Maxime: natorum vidisti quinque parentem,
Quem nunc (tanta homines rerum inconstantia versat)
Pænè vides orbum. Quid enim mihi filius absens
Auxilii? quem dicta suo de nomine tellus
Andros habet, pro patre locumq; & regna tenentem.
Delius augurium dedit huic: dedit altera Liber

NOTÆ.

626. *De tantis*] Capto Ilio, Græci per prænonem denunciabant, ut singuli ex civibus, quod vellent unum aliquod sacrum auferrent. Æneas *Deos penates* sustulit. Græci pietate viri moti permiserunt, ut unum aliquod insuper ex suis tolleret. Ille patrem senio confectum humeris sublatum portabat. Ælian, Var. Hist. lib. 3. 22.

628. *Antandro*] Quæ urbs est Phrygiæ minoris, ad radices Idæ montis, ubi Æneæ classis fabricata est.

Ib. *Sceleratæ*] Qui ibi per scelus mactatus Polydorus Priami filius.

631. *Apollineam*] *Delum*, Apollinis oraculo insignem. *Egressi veneramur Apollinis urbem. Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos.* Virgil Æneid. 3.

635. *Duas stirpes*] Duas arbores, palmam & olivam; quas tenens amplectensque Latona, Apollinem & Dianam enixa est. Vide lib. 6. v. 334.

637. *Cæsorumque boum*] Non hoc ex ritu. Namque in arâ Apollinis Γενήτορος, quæ Deli est, nulla hostia mactatur. Macrob. 3. lib. Saturnal.

642. *Bisque duas*] His Bacchus concessit, ut quicquid tangerent, in frumentum, vel vinum, vel oleum commutarent; quas cùm Agamemnon ad Trojam duceret ad aliendum exercitum, à Baccho in columbas conversæ sunt.

648. *Dicta suo*] Quam tamen alii ab Eurymacho dictam volunt.

649. *Andros*] Maris Ægæi insula, prima inter Cyclades.

Fœmineæ sorti voto majora fideque
Munera: nam tactu natarum cuncta mearum
In segetem, laticemque meri, baccamq; Minervæ
Transformabantur: diversque erat usus in illis.
Hoc ubi cognovit Trojæ populator Atrides,
(Ne non ex aliquâ vestram sensisse procellam
Nos quoque parte putes) armorum viribus usus
Abstrahit invitas gremio genitoris: alantque
Imperat Argolicam cœlesti munere classem.
Effugiunt quò quæque potest. Eubœa duabus,
Et totidem natis Andros fraterna petita est.
Miles adest: &, ni dedantur, bella minatur.
Victa metu pietas consortia pectora pœnæ
Dedit; & ut timido possis ignoscere fratri:
Non hic Æneas, non, qui defenderet Andron,
Hector erat; per quos decimum durâstis in annum.
Jamque parabantur captivis vincla lacertis.
Illæ tollentes etiamnum libera cœlo
Brachia, Bacche pater, fer opem, dixêre: tulitque
Munerís auctor opem. Si miro perdere more
Ferre vocatur opem. Nec quâ ratione figuram
Perdiderint, potui scire, aut nunc dicere possim.
Summa mali nota est. Pennas sumpsêre; tuæque
Conjugis in volucrem, niveas abiêre columbas.

V. Talibus atq; aliis postquam convivia dictis
Implêrunt; mensâ somnum petiêre remotâ.
Cumque die surgunt; adeuntque oracula Phœbi.
Qui petere antiquam matrem, cognataque jussit

dona, supra desideria & fidem, sorti fœmineæ: namque omnia mutabantur tactu filiarum mearum in frumentum, & liquorem vini, & Olivas Minervæ: atque erat in illis opulenta utilitas. Postquam Agamemnon vastator Trojæ hoc compertum habuit, (ne credas nos etiam non expertos esse aliquo modo vestram cladem) usus viribus armorum abstrahit nolentes ex sinu patris; atque jubet ut pascant classem Græcam dono cœlesti. Elabuntur quò cuique licet. Duæ meæ filiæ iverunt in Eubœam atque totidem concessêrunt *in Andron fratre suo possessam. Classis inimica appellit: & nisi reddantur, intentat bellum. Pietas* Andri fratris *superata pavore objecit sorores pœnæ: atque ut possis veniam dare fratri pavido, non ibi erat Æneas, non Hector, quorum virtute* vos Trojam invicti *mansistis in annum decimum, qui posset tueri Andron. Jamque catenæ parabantur brachiis captivarum. Illæ obtendentes lacertos etiam nunc liberos in cœlum, Bacche pater, dixerunt, ades in auxilium: atque auctor doni adfuit in auxilium: siquidem perdendo eas mirando modo dici potest adesse in auxilium. Neque licuit cognoscere quomodo amiserint formam, neque nunc possim indicare. Caput damni cognitum est. Induerunt pennas, atque mutatæ sunt in columbas albas, aves tuæ uxori sacras.*

V. *Postquam absolverunt convivia talibus atque aliis sermonibus, concessêrunt ad somnum, mensâ sublatâ. Et surgunt cum die; & accedunt ad oracula Apollinis: qui hortatus est quærere veterem matrem; et socia*

NOTÆ.

653. *Baccam*] Olivam dicit: Minervæ ideo sacram, quòd olivam arborem, hastâ in terrâ impactâ pacis insigne produxerit, cùm de nomine Athenis imponendo inter eam & Neptunum ageretur.

654. *Transformabantur*] Inde nata fabula, quòd ejus generis fructuum vim magnam, ex donis Apollini oblatis, colligeret sacerdos Anius, ejusque filiæ asservarent.

660. *Eubœa*] Quæ insula est maxima maris Ægæi, à Bœotiâ Euripo admodum angusto diremta. Hodie *Negrepont.*

661. *Natis*] Pro *natabus.*

663. *Pœnæ*] Agamemnoni tradidit, ut de captivis faceret quod vellet, siquidem ei resistere non posset.

673. *Tuæ*] Quia cum Venere Anchises concubuisse dicitur, ex quâ Æneas ortus est. *Dicuntur autem columbæ Veneris currum trahere.*

678. *Antiquam*] *Italiam*, Unde Dardanus Trojanæ gentis author, in Phrygiam fuerat profectus. Sic in Virgil. Æneid. 3. Apollo respondet.

——— *Antiquam exquirite matrem.*

littora. Rex comitatur & offert dona discessuris; Anchisæ sceptrum, chlamydem & pharetram nepoti, crateram Æneæ, quem Therses Ismenius hospes illi olim miserat, à regionibus Bœotiæ. Therses illi hunc miserat, Alcon Myleus fabricaverat atque sculpserat circum eum prolixam historiam. Urbs erat illic cælata; atque facile erat monstrare septem portas. Hæ erant loco nominis, & indicabant, quænam illa esset. Funera ante urbem, & sepulchra, & flammæ & ignes, & matronæ habentes capillos sparsos, & pectora nuda innuunt mœrorem. Nymphæ videntur etiam lachrymari, & ejulare, quòd fontes arescerent. Arbor spoliata nuda stat: capræ velli ant cautes siccas. Ecce sculpsit mediis Thebis filias Orionis, hanc exhibentem pectus non muliebre nudato collo, illam accumbentem pro gente suâ cultro quem alto vulnere strenuè in pectus immerserat; & elatam magnificis exequiis per urbem, atque crematam in platea celebri, redeuntes ex cinere virgineo ne surgat pereat, quos fama appellat Coronas, atque ducentes pompam in sepulturam matris.

Littora. Prosequitur Rex, & dat munus ituris;
Anchisæ sceptrum, chlamydem pharetramque nepoti, 680
Cratera Æneæ; quem quondam miserat illi
Hospes ab Aöniis Therses Ismenius oris:
Miserat hunc illi Therses, fabricaverat Alcon
Myleus; & longo cælaverat argumento.
Urbs erat: & septem posses ostendere portas. 685
Hæ pro nomine erant; &, quæ foret illa, docebant.
Ante urbem exequiæ, tumulique, igneſque, rogique,
Effusæque comas & apertæ pectora matres
Significant luctum. Nymphæ quoque flere videntur;
Siccatosque queri fontes. Sine frondibus arbos 690
Nuda riget: rodunt arentia saxa capellæ.
Ecce facit mediis natas Orione Thebis,
Hanc non fœmineum jugulo dare pectus aperto,
Illam demisso per fortia vulnera telo
Pro populo cecidisse suo; pulchrique per urbem 695
Funeribus ferri, celebrique in parte cremari:
Tum de virgineâ geminos exire favillâ,
Ne genus intereat, juvenes, quos fama Coronas
Nominat, & cineri materno ducere pompam.

VI. VII. Hactenus antiquo signis fulgentibus ære; 700
Summus inaurato crater erat asper acantho.
Nec leviora datis Trojani dona remittunt:
Dantque sacerdoti custodem thuris acerram;
Dant pateram, claramque auro gemmisque coronam.

VI. VII. *Simulachra hactenus* enumerata *in veteri ære sculpta erant, crateris verò summa* ora *aurato* opere *prætexebatur, quod acanthum* herbam *referebat. Neque Trojani retribuunt munera minora, quàm quæ acceperant; atque offerunt sacerdoti acerram thuri servando, offerunt pateram atque coronam fulgentem auro atque gemmis.*

NOTÆ.

680. *Nepoti*] *Ascanio* Æneæ filio.

682. *Aoniis*] Pars Bœotiæ montana *Aonia* dicta est.

Ib. *Ismenius*] *Thebanus*, ab Ismeno Bœotiæ fluvio.

683. *Alcon*] Qui artifex atque sculptor insignis erat, fuit & alius sagittandi peritiâ celebris, de quo Virgilius.

684 *Myleus*] Siculus; Mylæ enim est oppidum Siciliæ ad distinctionem ab illo Cretensi, cujus meminit Virgil. Eclog. 5.

686. *Hæ*] Nam *Septem portæ* significant eas esse Thebes Bœotias.

690. *Queri*] Nam & in illis Nymphæ.

692. *Natis*] Orioni duæ erant filiæ, Metiocha & Menippa; cum grassaretur per Aoniam pestis, responsumque esset ex oraculo, placatum iri Deorum iram, si duæ virgines immolarentur; cæteris recusantibus, hæ pro salute patriæ se devoverunt. Ant Liberalis 25. Fab.

693. *Non fœmineum*] Non *timidum*, sed virile & audax.

701. *Aconibo*] Frutex est exoticus, semper frondens, floribus albis, quem *Acaciam* esse volunt, Summus autem hujus herbæ foliis honor accessit, postquam Callimachus Architectus capita columnarum (quæ ab eo *Corinthiæ* dicta sunt) *foliis acanthi* cooperiri voluit.

703. *Sacerdoti*] Dant Anio, quà sacerdoti acerram; quà regi, peteram, & *duplicem gemmis auroque coronam*. Æn. 1. v. 659.

Inde recordati Teucros à sanguine Teucri
Ducere principium, Creten tenuêre; locique
Ferre diu nequiêre Jovem: centumque relictis
Urbibus, Ausonios optant contingere portus.
Sævit hyems, jactatque viros: Strophadumque receptos
Portubus infidis exterruit ales Aëllo.
Et jam Dulichios portus, Ithacamque, Samenque,
Neritiasque domos, regnum fallacis Ulyssei
Præter erant vecti: certatam lite Deorum
Ambraciam, versique vident sub imagine saxum
Judicis, Actiaco quæ nunc ab Apolline nota est,

Tum memores Teucros repetere originem à sanguine Teucri, Cretam petiverunt, neque valuerunt diu pati aërem regionis, & relictâ Cretâ centum urbibus clarâ; cupiunt appellere ad portus Italos. Tempestas furit & agitat viros: atque volucris Aëllo exterruit appulsos portubus malefidis Strophadum. Jamque præterierant portus Dulichios, & Ithacam, & Samum, & domos Neritias, regnum perfidi Ulyssis; cernunt Ambraciam, de qua Dii certant, quæ nunc est celebris ab Apolline Actiaco, & cautem sub specie transformati judicis;

NOTÆ.

705. *Teucri*] Hic Scamandri Cretensis fuit filius, qui inoptâ compulsus ad novas sedes quærendas in Phrygiam appulit. Ejus filiam Dardanus, à Tuscis pulsus quòd fratrem Jasium occidisset, uxorem duxit. Adeòque *proles* fuit *ambigua & parentes gemini* ut habet Virgilius: quod quidem Anchisem atque Æneam in errorem induxit: quanquam ex Cassandræ vaticiniis, & Creüsæ verbis rem totam facilè potuissent dijudicare, nisi fuissent immemores.

706. *Creten*] Quæ insula est celeberrima maris Mediterranei, inter Ægæum & Libycum mare, unde Teucrum ortum esse modò vidimus.

707. *Jovem*] *Aërem*. Namque gravissimâ pestilentia laborârunt. Eò etiam alludit fortè, quòd Creta fit natale solum *Jovis*.

Ibid. *Centum*] Numerus certus pro incerto: nam neque ipse Homerus, cui Ἑκατόμπολις, dicitur Creta, tot illi ubique tribuit.

708. *Ausonios*] *Italos*: Namque ab Ausoniis antiquissimis populis, qui extrema Italiæ littora coluerunt, Italia tota, à poëtis præsertim, *Ausonia* dicta est.

709. *Strophadum*] Sunt insulæ duæ in mari Ionio, juxta Zacynthum; quæ Græcis à conversione ἀπὸ τῆς Στροφῆς nomen habuerunt, quòd eò usque Calais atque Zethes Harpyias ex Phinei regno depulsas persequuti sint, deinde Jovis monitu retrocesserint.

710. *Aëllo*] Unius est Harpyiæ nomen, quæ ex Hesiodo duas, ex aliis tres habuit sorores, quibus diversa insuper data sunt nomina. *Cæleno* dicitur à Virgilio. Aliæ dicta sunt *Ocypete, Iris, Alope, Thyella*, &c. Sive unica fuerit diversis nominibus, sive plures; per eas videntur intelligere poëta in terris, quæ sunt *Furiæ* in inferis, & *Diræ* apud Superos. Ponti ac Terræ fuerunt filiæ volatiles, auribus ursinis, corpore vulturino, vultu virgineo, manibus uncis.

711. *Dulichios*] Dulichium una est ex Echinadibus insulis; quæ olim sub ditione fuit Ulyssis in mari Ionio.

Ib. *Ithacam*] Insula fuit inter Dulichium & Cephaleniam, Ulyssis patria.

Ib. *Samen*] Hæc insula est etiam maris Ionii, quæ olim Ulyssi paruit, alio nomine dicta *Cephalenia*, quod hodieque retinet. Alia fuit Thraciæ adjacens, quæ & *Samothrace* dicta, Alia in mari Icario: plures aliæ. Namque Phœnicibus, qui primi in Græciam colonias deduxerunt, suâ linguâ Σάμον, *loca celsa* dicebantur.

712. *Neritias*] De Nerito videtur agere, quæ urbs fuit Leucadis: namque ea insula à dextrâ Æneæ in Italiam tendenti post Samum occurrit.

713. *Certatam*] Participium contra Grammatices rationem formatum, *De qua Dii certârunt*. Qui verò fuerunt Dii (qua de Ambraciâ certarunt) ac judex ille, qui in saxum convertus fuit, ignoratur.

714. *Ambraciam*] Urbs fuit Epiri celeberrima, Pyrrhi regis, ad sinum cui nomen dedit.

715. *Actiaco*] *Qui Actio colebatur*. Fuit autem Actium Epiri oppidum & promontorium, victoriâ, quam ibi adversus Antonium Augustus navali prælio reportavit, celeberrimum.

Ib. *Nunc*] Quia Augustus Apollinis templum amplificavit; ei naves plurimas consecravit; ludos insuper Quinquennales magnâ celebritate, in victoriæ suæ memoriam, ibi instituit.

itemque terram Dodonæam, vocalem suâ quercu, & sinus Chaonios: ubi filii regis Molossi vitârunt ignes vanos pennis additis.

Vocalemque suâ terram Dodonida quercu,
Chaoniosque sinus: ubi nati rege Molosso
Irrita subjectis fugêre incendia pennis.

VIII. *Tendunt in campos proximos Phæacûm, consitos mitibus pomis. Deinde appellunt ad Epirum, & Buthrotum possessam à Phrygio vate, & Trojam repræsentatam. Indè securi futurorum quæ Helenus Priami filius prædixerat, adeunt Siciliam. Hæc protenditur in mare tribus promontoriis: ex quibus* unum, viz. *Pachynus porrectum est ad notos pluviales; Lilybæum patet mitibus Zephyris; at Pelorus vergit ad aquilonem & ursam à mari vacantem. Trojani intrant per istam; & remis, atque æquo motu maris, classis admovetur terræ Zancleæ ingruente nocte. Scylla* vexat *dextram, Charybdis sinistram*

VIII. Proxima Phæacûm felicibus obsita pomis
Rura petunt. Epiros ab his, regnataque vati
Buthrotos Phrygio, simulataque Troja tenentur.
Inde futurorum certi, quæ cuncta fideli
Priamides Helenus monitu prædixerat, intrant
Sicaniam. Tribus hæc excurrit in æquora linguis.
E quibus imbriferos obversa Pachynos ad Austros:
Mollibus expositum Zephyris Lilybæon: at Arcton
Æquoris expertem spectat Boreanque Peloros.
Hâc subeunt Teucri: remisque, æstuque secundo
Sub noctem potitur Zanclæâ classis arenâ.
Scylla latus dextrum, lævum irrequieta Charybdis

NOTÆ.

716. *Dodonida*] A Dodone Epiri urbe, apud quam nemus jovi sacrum, in quo duæ columbæ è quercu dabant responsa. Vocales arbores fuisse volunt alii, & oracula edidisse.

717. *Chaonios*] Chaones populi fuerunt Epiri; à quibus *Chaonia* dicta est.

Ib. *Molosso*] In aves mutatos dicit Molossi regis filios: quæ etiam fabula obscurior.

719. *Phæacûm*] Populi fuerunt Corcyræ, à Phæace Neptuni filio sic dicti. Insula hodie dicitur *Corfu*, *biferis* Alcinoi pomariis olim nobilitata, Odyss. 12.

720. *Epiros*] Quæ regio in Italiam à Corcyrâ navigantibus occurrit.

Ib. *Vati*] Heleno, Priami filio, cui post Pyrrhum ab Oreste cæsum, cesserat uxor ejus Andromache cum regno Epiri.

721. *Buthrotos*] Urbs est Epiri, non longè à Corcyra, à primo habitatore sic dicta.

Ib. *Simulataque*] *Parvam Trojam simulataque magnis Pergama.* Virg. Æn. condiderat enim Helenus in Epiro urbem ad formam veteris Trojæ delineatam.

724. *Sicaniam*] Quæ alio nomine *Sicilia* dicitur, itemque *Triquetra*, *Trinacria*. Mediterranei maris insula notissima.

Ib. *Tribus*] Unde nomen Trinacria.

Ib. *Linguis*] Promontoria ita appellavit, quorum *Pachynus* Græciam, *Lilybæum* Africam, *Pelorus* Italiam spectat. De quibus vid. lib. 5. 320.

725. *Obversa*] Refertur ad *lingua*, non ad *Pachynos*.

727. *Æquoris expertem*] Quia circum polum septentrionalem volvitur.

Ib. *Peloros*] A Peloro, classis Hannibalis duce, ibi sepulto, ita dicitur.

729. *Zanclæâ*] *Zancle* est urbs Siciliæ, Strabo scribit eandem esse cum Messenâ *Zanclen* verò antea vocatam, quod in curvo littore sita foret. *Zanclea* enim vocantur curva.

730. *Scylla*] Monstrum in freto Siculo quod ipse poëta in principio sequentis libri plenissimè describit.

Ib. *Charybdis*] Furacissima fuit meretrix, quæ cùm Herculis boves surripuisset; ab illo in fretum projecta, vel ut aliis placet à Jove fulmine icta, in monstrum marinum, vel potiùs voraginem ex Siciliæ latere fuit conversa. Quæ fabula ex maris æstu in illis augustiis vehementissimo, ventis præsertim à meridio adversus illum ruentibus, detorta est.

Infestant

Infestant. Vorat hæc raptas, removetque carinas:
Illa feris atram canibus succingitur alvum:
Virginis ora gerens: & (si non omnia vates
Ficta reliquerunt) aliquo quoque tempore virgo.
Hanc multi petiêre proci: quibus illa repulsis
Ad pelagi Nymphas, pelagi gratissima Nymphis,
Ibat: & elusos juvenum narrabat amores.
Quam, dum pectendos præbet Galatea capillos,
Talibus alloquitur repetens suspiria dictis:
Te tamen, ô virgo, genus haud immite virorum
Expetit: utque facis, potes his impunè negare.
At mihi, cui pater est Nereus, quam cærula Doris
Enixa est; quæ sum turbâ quoque tuta sororum,
Non nisi per fluctus licuit Cyclopis amorem
Effugere: & lachrymæ vocem impedière loquentis.
Quas ubi marmoreo detersit pollice virgo;
Et solata Deam est; Refer, ô carissima, dixit:
Neve tui causam tege (sum tibi fida) doloris.
Nereis his contra resecuta Cratæide natam:
Acis erat Fauno, Nymphâque Symæthide cretus,
Magna quidem patrisque sui, matrisque voluptas,
Nostra tamen major. Nam me sibi junxerat uni
Pulcher: & octonis iterum natalibus actis,
Signârat dubiâ teneras lanugine malas.
Hunc ego, me Cyclops nullo cum fine petebat.
Nec, si quæsiêris odium Cyclopis, amorne
Acidis in nobis fuerit præsentior, edam.
Par utrimque fuit. Prô! quanta potentia regni
Est, Venus alma, tui! nempe ille immitis, & ipsis
Horrendus silvis, & visus ab hospite nullo
Impunè, & magni cum Dîs contemptor Olympi;
Quid sit amor sentit: nostrique cupidine captus.

agitat. Hæc absorbet atque rejicit naves raptas. Illa habet nigra inguina circumdata trucibus canibus, exhibens vultus puellæ; & si poëtæ non dixerunt omnia falsò, fuit etiam aliquando puella. Multi proci hanc ambiverunt; quibus spretis, illa acceptissima Nymphis maris concedebat ad Nymphas maris; atque referebat amores deceptos adolescentium. Quam Galatea, dum dat comam pectendam, talibus verbis alloquitur, ingeminans suspiria: Attamen, ô puella, genus lene hominum te cupit; atque ut facis, potes recusare hoc securè. At mihi, cui Nereus est genitor, quam Doris glaucæ genuit, quæ sum etiam potens agmine consortium, non datum fuit vitare amorem Cyclopis nisi per undas: & fluctus obstiterunt voci loquentis. Quos postquam puella detersit pollice candido, & solata est Deam. Narra, inquit, Galatea ô dilectissima, neve mihi cela materiam tuæ molestiæ: sum tibi fidelis. Nereis contrà sic respondit filiæ Cratæidis: Acis erat filius Fauni & Nymphæ Symæthydis, deliciæ quidem parentum, sed magis nostræ; namque amabilis sese mihi soli devinxerat; & decimo sexto anno præterito vestierat molles maxillas incertâ lanugine. Ego semper illum consectabar, Cyclops me. Neque si petiveris odium Cyclopis, an amor Acidis fuerit vehementior, aperiam. Æqualis fuit utrinque. Proh! Venus amabilis, quantæ sunt vires tui imperii. Nimirum ille sævus, atque formidabilis ipsis silvis, neque impune cognitus ulli peregrino, & spretor magni cœli & Deorum, experitur quid sit amor; & actus nostri desiderio,

NOTÆ.

734. *Virgo*] Phorci nempe filia.

738. *Galatea*] Quæ Nympha fuit aut Dea, Nerei & Doridis filia.

744. *Cyclopis*] Polyphemum dicit.

749. *Nereis*] Galatea Nerei filia. *Cratæide natam*] Scyllam, Phorci & Cratæidis natam

Cratæis autem flumen est Calabriæ.

750. *Symæthide*] Symæthi, Sciliæ fluvii prope Catanam, filia.

758. *Par utrimque fuit*] Æquale utrumque fuit; & odium quo Cyclopem; & amor, quo Acidem prosequebatur Scylla.

Uritur;

Uritur; oblitus pecorum antrorumque suorum.
Jamque tibi formæ, jamque est tibi cura placendi:
Jam rigidos pectis rastris, Polypheme, capillos:
Jam libet hirsutam tibi falce recidere barbam:
Et spectare feros in aquâ, & componere vultus.
Cædis amor, feritasque, sitisque immensa cruoris
Cessant: & tutæ veniunt abeuntque carinæ.
Telemus interea Siculam delatus ad Ætnen,
Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales,
Terribilem Polyphemon adit: lumenq; quod unum
Fronte geris mediâ, rapiet tibi, dixit, Ulysses.
Risit, & O vatum stolidissime, falleris inquit:
Altera jam rapuit. Sic frustrà vera monentem
Spernit: & aut gradiens ingenti littora passu
Degravat; aut fessus sub opaca revertitur antra.
Prominet in pontum cuneatus acumine longo
Collis: utrumque latus circumfluit æquoris unda.
Huc ferus ascendit Cyclops; mediusq; resedit.
Lanigeræ pecudes nullo ducente secutæ.
Cui postquam pinus, baculi quæ præbuit usum,
Ante pedes posita est, antennis apta ferendis;
Sumtaque arundinibus compacta est fistula centum;
Senserunt toti pastoria sibila montes:
Senserunt undæ. Latitans ego rupe, meique
Acidis in gremio residens, procul auribus hausi
Talia dicta meis, auditaque mente notavi.
Candidior nivei folio, Galatea, ligustri,

flagrat, immemor pecorum, & suarum speluncarum. Jamque, Polypheme, est tibi stadium pulchritudinis, jamque studes *placere; jam fingis crines hirsutos rastris; jam amas tondere barbam hispidam falce, & contemplari sævam faciem in aquâ, atque* ita *fingere,* ut pulchra videatur. *Amor stragis, & sævitia, & cupido immoderata sanguinis omittuntur, atque naves accedunt atque recedunt intactæ. Interea Telemus vectus ad Ætnam Siculam, Telemus Eurymides, quem nulla avis deceperat, accedit ad horrendum Polyphemum; atque, inquit, Ulysses eruet tibi unum oculum, quem habes in fronte mediâ. Risit, atque, ô vatum, inquit, stultissime, hallucinaris,* cum *alia jam sustulit. Hujusmodi verbis contemnit frustrà prædicentem verba; atque aut premit littora incedens vasto gressu; aut lassus redit in umbrosas speluncas. Collis extat in mare acuminatus in* formam *longi cunei: maris aqua circumlavat utrumque latus. Sævus Cyclops huc ascendit, atque in medio resedit. Pecudes laniferæ sequutæ sunt nullo agente, Postquam verò* Polyphemus *pinum idoneam ferendis antennis quæ fuit pro scipione; ante pedes posuerat, & fistulam junctam centum calamis* in manus *sumserat, toti montes personuerunt cantu pastorali. Fluctus personuerunt. Ego tecta rupe, atque sedens in sinu mei Acidis procul excepi auribus meis hujusmodi verba, atque memoriæ mandavi accepta, O Galatea,* es *candidior folio albi ligustri,*

NOTÆ.

769. *Tutæ*] Cùm prius omnes diriperet, atque victores trucidaret.

770. *Telemus*] Eurymi fuit filius, inter Cyclopas vates egregius.

771. *Ales*] Quarum volatu & garritu futura angurari solebant.

755. *Altera*] *Galatea.* Ad id alludit, quòd amantes finguntur esse cæci.

780. *Recedit*] Καθεζομενος δ' ἐπὶ πέτρας ὑψηλᾶς ἐς πόντον ὀρών. Theocr.

722. *Pinus*] Quantus fuerit Polyphemus ex baculo licet colligere. De quo ait Virg. Æn. 3.

Trunca manum pinus regit & vestigia firmat.

Boccacius 4. lib. Geneal. refert in Siculo antro inventum cadaver Polyphemi, ut credebatur; cujus læva contum tenebat cujusvis navis malo majorem.

787. *Auribus hausi*] Virgil.

——— *Vocemque his auribus hausi.*

789. *Candidior*] Amatoria hæc cantilena adumbrata est ex Cyclope Theocriti Idyll. 11.

Ω λευκά Γαλατεια, τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλης.
Λευκοτερα πακτᾶς, &c.

Vid. etiam Virg. Eclog. 2. & 7.

Ib. *Nivei*] Alludit ad nomen Galateæ, quod à candore lactis illi inditum fuisse innuit Hesiodus.

Flo-

Floridior pratis; longâ procerior aliṅo;
Splendidior vitro; tenero lascivior hœdo;
Lævior assiduo detritis æquore conchis;
Solibus hibernis, æstivâ gratior umbrâ;
Nobilior pomis; platano conspectior altâ;
Lucidior glacie; maturâ dulcior uvâ;
Mollior & cygni plumis, & lacte coacto;
Et, si non fugias, riguo formosior horto.
Sævior indomitis eadem Galatea juvencis,
Durior annosâ quercu; saliacior undis;
Lentior & salicis virgis, & vitibus albis;
His immobilior scopulis, violentior amne;
Laudato pavone superbior; acrior igni;
Asperior tribulis; fœtâ truculentior ursâ;
Surdior æquoribus; calcato immitior hydro:
Et, quod præcipuè vellem tibi demere possem,
Non tantùm cervo claris latratibus acto,
Verùm etiam ventis, volucrique fugacior aurâ.
At, bene si nôris, pigeat fugisse: morasque
Ipsa tuas damnes: & me retinere labores.
Sunt mihi pars montis vivo pendentia saxo
Antra; quibus nec Sol medio sentitur in æstu;
Nec sentitur hyems: sunt poma gravantia ramos:
Sunt auro similes longis in vitibus uvæ:
Sunt & purpureæ: tibi & has servamus, & illas.
Ipsa tuis manibus silvestri nata sub umbrâ
Mollia fraga leges: ipsa autumnalia corna,
Prunaque, non solùm nigro liventia succo,
Verùm etiam generosa, novasque imitantia ceras.
Nec tibi castaneæ, me conjuge, nec tibi deerunt

florentior pratis, erectior procerâ aliṅo; lucidior vitro; alacrior tenero hœdo; lævigatior conchis expolitis fluctibus continuis; gratior solibus hibernis; atque *umbrâ æstivâ; splendidior pomis; pulchrior excelsâ platano; nitentior glacie; mitior racemo maturo; tenerior & plumis cygni, & lacte densato; &, nisi fugias, formosior horto riguo. Eadem Galatea ferocior juvencis indomitis; rigidior veteri quercu; fraudulentior fluctibus; flexibilior & virgis salicis, & vitibus albis, immobilior his saxis; impetuosior torrente; elatior laudato pavore; violentior flammâ; asperior tribulis: terribilior ursâ, quæ enixa est fœtus; surdior mari; sævior serpente pressè: & quod maximè à te cuperem removere, non modò fugacior cervo agitato sonoris latratibus, verùm etiam ventis atque levi aurâ. At, si bene cognoveris, pœniteat fugisse, & ipsa improbes tuas cunctationes; & studeas me retinere. Sunt mihi speluncæ concameratæ in viva rupe, pars montis, in quibus neque sol sentitur cùm intentissimè ardet; neque frigus. Sunt poma curvantia ramos; sunt uvæ similes auro in productis vitibus; sunt & rubræ; tibi asservamus & has, & illas. Ipsa collige tuis manibus matura fraga nata sub umbrâ silvestri: ipsa* decerpes *corna autumni* tempore maturescentia *& pruna, non tantùm nigricantia succo, verùm etiam nobilia, atque exhibentia recentes ceras. Neque castaneæ, neque, me marito, tibi deerunt*

NOTÆ.

700. *Alno*] Arbor est ripis fluminum gaudens.

800. *Lentior*] Ideo flexibiliorem dicit Galateam *salicis virgis*, quod astutâ calliditate sese ex Polyphemi insidiis expediret.

801. *Immobilior*] Quia nullis Polyphemi neque blanditiis, neque minis movebatur.

804. *Æquoribus*] Quæ cùm tumultuantur & mugiunt, vix alium audiri sonum patiantur.

Ib. *Calcato*] *Qui tum sævit impensiùs.*

808. *Moras*] *Quæ faciunt ne statim meis amoribus fruaris.*

810. *Pendentia*] Ita videntur, quando pars ima rupis est erosa, superiore in modum tecti protensâ atque imminente.

816. *Corna*] Baccæ sunt rubicundæ, in medio nucleum durissimum habentes. Unde Virgil, dixit, *Lapidosaque corna.*

Arbutei

Arbutei fœtus. Omnis tibi ſerviet arbos.
Hoc pecus omne meum eſt. Multæ quoque vallibus errant:
Multas ſilva tegit: multæ ſtabulantur in antris.
Nec, ſi fortè roges, poſſim tibi dicere, quot ſint.
Pauperis eſt numerare pecus. De laudibus harum
Nîl mihi credideris: præſens potes ipſa videre,
Ut vix ſuſtineant diſtentum cruribus uber.
Sunt fœtura minor tepidis in ovilibus agni.
Sunt quoque par ætas aliis in ovilibus hœdi.
Lac mihi ſemper adeſt niveum: Pars inde bibenda
Servatur: partem liquefacta coagula durant.
Nec tibi deliciæ faciles, vulgataque tantùm
Munera contingent, damæ, leporeſque, capræque,
Parve columbarum, demtuſve cacumine nidus.
Inveni geminos, qui tecum ludere poſſint,
Inter ſe ſimiles, vix ut dignoſcere poſſis,
Villoſæ catulos in ſummis montibus urſæ.
Inveni: & dixi, Dominæ ſervabimus iſtos.
Jam modò cœruleo nitidum caput exſere ponto:
Jam, Galatea, veni: nec munera deſpice noſtra.
Certè ego me novi, liquidæque in imagine vidi
Nupèr aquæ: placuitque mihi mea forma videnti.
Adſpice, ſim quantus. Non eſt hoc corpore major
Jupiter in cœlo: nam vos narrare ſoletis
Neſcio quem regnare Jovem. Coma plurima torvos
Prominet in vultus: humeroſque, ut lucus obumbrat.

fructus arbutei. Omnis arbor tua erit. Omnes hæ pecudes meæ ſunt: multæ quoque vagantur per valles: ſilva occulit multas: multæ jacent in ſpeluncis: neque tibi poſſim dicere quot ſint, ſi exquiras. Eſt egeni hominis *in numero habere pecus. Nihil mihi credideris de laudibus harum: ipſa præſens potes cernere, ut vix ferant pedibus uber turgidum. Sunt* mihi *agni, fœtus minores, in ovilibus calidis: ſunt etiam hædi ejuſdem ætatis in capri ibus. Semper habeo lac candidiſſimum: cujus pars ſervatur bibenda, coagula immixta condenſant partem in* caſeum. *Neque tantùm epulæ, quæ facilè* haberi poſſunt, *& dono communia tibi obvenient, quales ſunt damæ, aut lepores, aut capræ, aut par columbarum, aut nidus petitus ex vertice: inveni in excelſis montibus, qui poſſint ludere tecum, duos catulos urſæ hiſpidæ inter ſe* ita *ſimiles, ut ægrè poſſis dignoſcere. Inveni; atque dixi, ſervabimus iſtos amicæ* noſtræ. *Nunc tantùm tolle pulchrum caput ſuper mare glaucum; ades Galatea, neque contemne dona noſtra. Certè ego me novi, & nupèr ſum intuitus in ſpecie aquæ puræ: mea figura arriſit mihi ſpectanti. Vide quam ſim vaſtus. Jupiter in cœlo non eſt major hoc corpore: nam vos conſueviſtis dicere neſcio quem Jovem regnum tenere. Spiſſi capilli porriguntur in truculentam faciem, atque tegunt armos tanquam ſilva.*

NOTÆ.

820. *Arbutei*] Fructus qui ex arbuto arbore deripiuntur, ſunt valde aſperi; quamobrem etiam *unedones* à Plinio nuncupantur, quòd plures edi non poſſint. At abor ipſa antiquis in deliciis fuit propter umbram & foliorum amœnitatem.

826. *Suſtineant*] Al Circueant.

Ib *Uber*] Significat *greſſum ovium magnitudine uberum impediri.*

830. *Coagula*] *A cogendo.* Illud vero dilutum in lac infunditur, atque cum eo miſcetur, ut condenſetur, & in caſeum abeat.

840. *Certè*] Hæc ad imitationem Theocriti, Idyll. 6. 34.

Καὶ γάρ θὴν οὐδ' εἶδος ἔχω κακὸν, ὥς με λεγοντι
Η γαρ πράνὲς πόντον ἐσεβλεπον (ἧς δε γαλάνα)
Και καλα μὲν τὰ γένεια, καλα δ' ἐμὶν ἅ μὶα κώρα,
Ὡς πὰρ ἐμὶν κεκριται, καλεφαίνετο.

Quod etiam imitatus eſt Virg. Eclog. 2.

Nec ſum adeò informis, nupèr me in littore vidi, &c.

846. *Rigidis*] *Dura corpora denſiſſimis ſetis horrent.*

Nec

Nec mihi quòd rigidis horrent denſiſſima ſetis
Corpora, turpe puta. Turpis ſine frondibus arbos:
Turpis equus, niſi colla jubæ flaventia velent.
Pluma tegit volucres: ovibus ſua lana decori eſt:
Barba viros, hirtæque decent in corpore ſetæ.
Unum eſt in medio lumen mihi fronte, ſed inſtar
Ingentis clypei. Quid, non hæc omnia magno
Sol videt è cœlo? Soli tamen unicus orbis.
Adde, quòd in veſtro genitor meus æquore regnat.
Hunc tibi do ſocerum. Tantùm miſerere, preceſque
Supplicis exaudi. Tibi enim ſuccumbimus uni.
Quiq; Jovem, & cœlum ſperno, & penetrabile fulmen,
Nerei, te vereor: tua fulmine ſævior ira eſt.
Atque ego contemptùs eſſem patientior hujus;
Si fugeres omnes. Sed cur, Cyclope repulſo,
Acin amas, præferſque meis amplexibus Acin?
Ille tamen placeatque ſibi, placeatque licebit,
Quod nollem, Galatea, tibi; modò copia detur,
Sentiet eſſe mihi tanto pro corpore vires.
Viſcera viva traham: divulſaque membra per agros,
Perque tuas ſpargam (ſic ſe tibi miſceat) undas.
Uror enim; læſuſque exæſtuat acrius ignis:
Cumque ſuis videor tranſlatam viribus Ætnam
Pectore ferre meo: nec tu, Galatea, moveris.
Talia nequicquam queſtus (nam cuncta videbam)
Surgit: & ut taurus vaccâ furibundus ademtâ
Stare nequit, ſilvâque & notis ſaltibus errat.
Cùm ferus ignaros, nec quicquam tale timentes,
Me videt atque Acin: Videoque, exclamat; & iſta
Ultima ſit, faciam, Veneri concordia veſtræ.
Tantaque vox, quantam Cyclops iratus habere
Debuit, illa fuit. Clamore perhorruit Ætne.
Aſt ego vicino pavefacta ſub æquore mergor.
Terga fugæ dederat converſa Symæthius heros:

Neque indecorum crede quòd corpus riget ſpiſſiſſimum horridis ſetis. Arbor indecora eſt ſine foliis: equus indecorus, niſi jubæ tegant colla flava. Pluma velat aves: ſua lana eſt decori ovibus: barba eſt honori viris; ſetæ horridæ in corpore gratæ ſunt. *Unus eſt mihi oculus in mediâ fronte, ſed inſtar vaſti clypei. Quid? annon Sol aſpicit hæc omnia ex vaſto cœlo? Unicus* tamen *eſt oculus Soli. Adde, quod pater meus imperium habet in vaſtro mari. Eum tibi offero ſocerum: tantùm miſerere, atque exaudi preces orantis: namque tibi ſoli ſervimus. Quique contemno Jovem, & cœlum, & fulmen ſubtile, te veneror, Nerei filia: tua ira eſt terribilior fulmine. Atque ego facilius ferrem iſtam negligentiam, quâ me ſpernis, ſi contemneres etiam omnes alios. Verùm quamobrem, Cyclope ſpreto, diligis Acin, atque anteponis Acin meis amplexibus? Ille tamen & ſibi pulcher videatur, & quod nollem, licebit tibi etiam, Galatea: modò ipſum comprehendere poſſim, cognoſcet me pro* mensurâ *tanti corporis vires habere. Extraham viva præcordia, atque abjiciam artus diſcerptos in agros, atque in tuas aquas: ita tecum rem habeat. Namque ardeo: & offenſus amor violentiùs ſævit; & videor gerere meo corde* tranſportatum *Ætnam cum ſuis ignibus: neque tu curas, Galatea. Talia fruſtrà queſtus ſurgit: (nam omnia conſpiciebam) & tanquam taurus furens vaccâ ſurreptâ non valet conſiſtere, atque vagatur per nemora & notos ſaltus. Cùm ſævus me adſpicit atque Acin inſcios, neque quicquam hujuſmodi reformidantes; atque vociferatur, Intueor; & faxo ita ſit noviſſima concordia veſtro amori. Atque illa vox tanta fuit, quantum infenſus Cyclops debuit habere. Ætna fremuit vociferatione. At ego tremefacta me condo ſub mari proximo. Heros Symæthius in fugam dederat terga converſa:*

NOTÆ.

852. *Clypei*] *Lumen.* Sic. Virgil Æneid. 3.
——*Unum, quod fronte latebat,*
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.

858. *Nerei*] Vocat, datus, à Nereis.

879. *Symæthius*] *Symæthidis nymphæ filius.* *Acis* eſt autem Symæthus Siciliæ fluvius maximus, inter Pelorum & Pachynum ſe in mare exonerans. Hodie *De Jaretta.*

Et,

atque dixerat, succurre mihi, Galatea, quæso; succurrite, parentes: atque admittite interiturum in vestra aquarum regna. Cyclops persequitur, atque jacit fragmentum direptum ex monte, & quamvis extrema pars anguli ejus illum attigit, tamen obruit totum Acin. At nos præstitimus quod solum à fatis concessum fuit, ut Acis colligeret vires avitas. Sanguis purpureus fluebat de saxo; & rubor cœpit evanescere intra breve spatium temporis, atque apparet color primò fluvii pluviâ turbidi, & fit limpidus tempore. Tum rupes percussa aperitur, & canna viva, atque erecta nascitur ex hiatibus; et alta rima lapidis strepit aquis salientibus: resque stupenda, juvenis habens cornua recentia circumdata intextis arundinibus repentè emersit usque ad medium ventrem. Qui, nisi quòd major, quòd est glaucus toto vultu, erat Acis. Verum sic etiam, erat nihilominus Acis mutatus in fluvium: & amnis retinuit vetus nomen.

Et, Fer opem, Galatea, precor, mihi; ferte parentes:
Dixerat: & vestris periturum admittite regnis.
Insequitur Cyclops: partemque è monte revulsam
Mittit; & extremus quamvis pervenit ad illum
Angulus è saxo, totum tamen obruit Acin.
At nos, quod fieri solum per fata licebat,
Fecimus, ut vires adsumeret Acis avitas.
Puniceus de mole cruòr manabat: & intra
Temporis exiguum rubor evanescere cœpit:
Fitque color primò turbati fluminis imber:
Purgaturque morâ. Tum moles jacta dehiscit;
Vivaque per rimas, procerumque surgit arundo:
Ossque cavum saxi sonat exsultantibus undis.
Miraque res; subitò mediâ tenus extitit alvo
Incinctus juvenis flexis nova cornua canis.
Qui, nisi quòd major, quòd toto cœrùlus ore est,
Acis erat. Sed sic quoque erat tamen Acis in amnem
Versus: & antiquum tenuerunt flumina nomen.

IX. Desierat Galatea loqui: cœtuque soluto
Discedunt: placidisque natant Nereïdes undis.
Scylla redit (neque enim medio se credere ponto
Audet) & aut bibulâ sine vestibus errat arenâ;
Aut ubi lassata est, seductos nacta recessus
Gurgitis, inclusâ sua membra refrigerat undâ.
Ecce fretum findens alti novus incola ponti,
Nupèr in Euboïca versis Anthedone membris,
Glaucus adest: visæque cupidine virginis hæret:
Et, quæcunque putat fugientem posse morari,

IX. Galatea finem fecerat dicendi: & cœtu dimisso abeunt Nereïdes & natant in aquis quietis. Scylla ad littus revertitur, neque enim audet se committere medio mari: atque, aut exspatiatur sine amictu in bibulâ arenâ, aut postquam defessa est, incidens in secretos sinus maris, tingit suos artus illîc stagnante. Ecce Glaucus novus incola profundi maris, artubus nupèr mutatis apud Anthedonem Euboïcam, dividens pontum accedit: atque conspexit perculsus *amore conspectæ puellæ: & dicit quæcunque autumat posse retinere fugientem:*

NOTÆ.

886 *Vires*] Id est, *in fluvium verteretur*, Istud autem ideo fictum, qui Acis fluvius ex Ætnâ monte tanto impetu decurrit, ut inde fuerit appellatus. Ακις enim *jugitta* est Græcis.

887. *Mole*] A Polyphemo in Acin jacta, quâ obrutus fuit.

894. *Cornua*] Nimirum *cornuti* esse debuerant Dii fluviales, propter aquarum circumflexiones præsertim, quas etiam *cornua* vocant. *Cannæ*] additæ, quia circa amnes plerumque nascuntur.

897. *Antiquum*] Qui & hodie vocatur accolis *Aci*, vel *Jaci*.

905. *Euboïcâ*] Quia Eubœa, quæ Ægæi est insula, à Bœotiâ parvo Euripo tantùm diremta est.

1b. *Anthedone*] Urbs est Bœotiæ maritima.

906 *Glaucus*] Nupèr Deus maris factus ex homine; quod ipse modò narrabit.

Verba

Verba refert: fugit illa tamen: veloxque timore
Pervenit in summum positi prope littora montis.
Ante fretum est ingens apicem collectus in unum
Longa sine arboribus convexus ad æquora vertex;
Constitit hîc: & tuta loco, monstrumne, Deusne.
Ille sit ignorans, admiraturque colorem,
Cæsariemque humeros, subjectaque terga tenentem,
Ultimaque excipiat quòd tortilis inguina piscis,
Sentit: & innitens, quæ stabat proxima, moli,
Non ego prodigium, non sum fera bellua, virgo;
Sum Deus, inquit, aquæ: nec majus in æquora Proteus
Jus habet, & Triton, Athamantiadesque Palæmon.
Antè tamen mortalis eram: sed scilicet altis
Deditus æquoribus, jam tum exercebar in illis.
Nam modò ducebam ducentia retia pisces:
Nunc in mole sedens moderabar arundine linum:
Sunt viridi prato confinia littora, quorum
Altera pars undis, pars altera cingitur herbis:
Quas neque cornigeræ morsu læsêre juvencæ;
Nec placidæ carpsistis oves, hirtæve capellæ.
Non apis inde tulit collectos sedula flores:
Non data sunt capiti genialia serta; nec unquam
Falciferæ secuêre manus. Ego primus in illo
Cespite consedi, dum lina madentia sicco.
Utque recenserem captivos ordine pisces;
Insuper exposui, quos aut in retia casus,
Aut sua credulitas in aduncos egerat hamos.

Illa tamen prorumpit, atque celeriter currens propter metum pervenit ad fastigium montis siti ad littus. Est vertex sine arboribus inclinatus in mare, reductus in unum cacumen juxta vastum æquor. Hic substitit; atque secura loco, nesciens an ille Deus esset an prodigium admiratur & colorem, & capillos velantes humeros, & dorsum submissum, & quòd piscis flexilis subjiciatur extremis inguinum partibus. Advertit Glaucus, *atque insidens scopulo qui propè erat, Ego, ait, non sum monstrum, ô puella, non sum aspera bellua, sum Deus marinus; neque Proteus, & Triton, & Palæmon Athamantiades majorem habent potestatem in maria: Priùs tamen eram homo; verùm enimverò studiosus* piscandi *in profundis aquis jam tum versabar circa illas. Nunc enim trahebam retia quibus captabam pisces: nunc quiescens super scopulo flectebam* hami *lineam virgâ: Sunt littora contermina, prato virenti, quorum pars alia cingitur aquis, pars alia graminibus, quæ neque juvencæ cornutæ decerpserunt morsu, neque mites pecudes aut hispidæ capræ totondistis. Apis diligens non inde exportavit flores libatos: coronæ voluptati convenientes non sunt illinc petitæ* ad ornandum *caput, neque unquam manus falce instructæ exsiderunt* ea. *Ego primus requievi in illo herboso littore, dum exsicco lina humida. Atque ut numerarem singulatim pisces captes, supernè exposui, quos aut fors impulerat in retia, aut sua credulitas* allexerat *in curvos hamos.*

NOTÆ.

912. *Excipiat*] *Atrum defluat in piscem.*

Ib. *Tortilis*] Quà se facile torquet. *Ultima inguina*] Ultimam inguinam partem. Ad id autem alludit, quod Strab. ait, Glaucum fuisse in balænam conversum.

918. *Proteus*] Deus maris, Neptuni & Phænices filius, omnes formas mutabilis, Phocarum pastor.

919. *Triton*] Neptuni ejusdem ex Amphitrite filius, atque tubicen.

Ibid. *Palæmon*] *Portumnus* seu *Portunus* à Latinis dictus est hic Athamantis & Inûs filius: cujus metamorphosim vidimus lib. 4.

920. *Sed*] Erat, inquit Palæphatus, Glaucus natator & urinator peritissimus. Ita ut portu Anthedonio in conspectu civium enatans, & insulæ littore deserto per dies aliquod latitans, postmodo rediret, seque subundis per id tempus degisse affirmaret, &c. Quin & hyberno tempore pisces, quoscunque cives sui poposcerant, adducebat.

Res

Res videtur similis falsæ: verum quid mihi refert fallere? Herbâ contactâ capti pisces jamque mortui *cæperunt moveri, atque exilire in latera, & micare in terrâ sicut in mari. Dumque maneo, & simul stupeo, omnis multitudo prorumpit in aquas suas, atque deserunt novum dominum cum littore. Obstupui, atque diu incertus perpendo quæ causa hujus rei sit; num Deus aliquis num succus graminis hos præstiterit. Quod tamen gramen, dixit, potest his viribus? atque revelli herbas manu, & cùm revulseram dente momordi. Vix fauces satis degustaverant succos, inexpertos, cùm statim sensi viscera intus salire, & animum teneri amore alterius naturæ. Neque potui consistere in loco, atque dixi. Tellus nunquam adeunda vale; & immisi corpus sub maria. Dî maris decorant* me *exceptum honore communi: & rogant Oceanum atque Tethyn, ut mihi auferant omnia quæ habeam mortii obnoxia. Ego purgor ab illis; atque jubeor submittere pectora centum fluviis, carmine à me novies prolato, quod delet nefas. Et sine dilatione fluvii fluantes ex diversis scaturiginibus, & totum mare excurrit supra caput nostrum.*

Res similis fictæ: (sed quid mihi fingere prodest?)
Gramine contacto cœpit mea præda moveri,
Et mutare latus: terrâque, ut in æquore, niti.
Dumq; moror, mirorq; simul, fugit omnis in undas
Turba suas: dominumq; novum, littusq; relinquunt.
Obstupui: dubiusque diu, quæ causa, requiro:
Num Deus hoc aliquis, num succus fecerit herbæ,
Quæ tamen has, inquam, vires habet herba? manuq;
Pabula decerpsi, decerptaque dente momordi.
Vix bene combiberant ignotos guttura succos:
Cùm subitò trepidare intus præcordia sensi;
Alteriusque rapi naturæ pectus amore.
Nec potui restare loco: Repetendaque nunquam
Terra, vale, dixi: corpusque sub æquora mersi.
Dî maris exceptum socio dignantur honore:
Utque mihi, quæcunq; feram, mortalia demant,
Oceanum, Tethynque rogant. Ego lustror ab illis:
Et purgante nefas novies mihi carmine dicto
Pectora fluminibus jubeor supponere centum.
Nec mora: diversis lapsi de fontibus amnes,
Totaq; vertuntur supra caput æquora nostrum.
Hactenus acta tibi possum memoranda referre:
Hactenus & memini: nec mens mea cætera sensit.
Quæ postquam rediit; alium mè corpore toto,
Ac fueram nuper, nec eundem mente recepi.
Hanc ego tum primùm viridem ferrugine barbam,
Cæsariemque meam, quam longa per æquora verro,
Ingentesque humeros, & cœrula brachia vidi,
Cruraque pinnigero curvata novissima pisce.
Quid tamen hæc species, quid Dîs placuisse marinis,

Hactenus tibi possum narrare facta digna memoriâ, hactenus quoque recordor: neque animus meus advertit reliqua. Qui postquam rediit, percepi me esse toto corpore alium ac fueram nuper, neque eundem ingenio. Ego tum primùm spectavi glaucam hunc barbam atque subnigram, & meos capillos, quos trahо per vasta maria, & magnos humeros, & lacertos cæruleos, & pedes ultimò sinuatos in piscem pinnas habentem. Quid tamen hæc forma, quid gratum fuisse Dîs mariis,

NOTÆ.

937. *Niti*] *Salire. Salientes* enim *niti* solent, ut longiores faciant saltus.

942. *Has vires*] Tantam vim, ut mortuos pisces vivos efficere possit.

947. *Restare loco*] *Resistere amori & cupiditati alterius naturæ.*

949. *Socio*] *Nam me quoque in suum numerum admiserunt.*

951. *Tethyn*] Quæ uxor Oceani, Cœli & Terræ filia.

963. *Curvata*] Nimirum curva & plicatilis est piscis cauda.

Quid

Quid juvat esse Deum, si tu non tangeris istis? 965
Talia dicentem, dicturum plura reliquit
Scylla Deum. Furit ille, irritatusque repulsâ
Prodigiosa petit Titanidos atria Circes.

quid prodest esse Deum, si tu non moveris istis? Scylla destituit Deum talia proferentem, & plura prolaturum. Ille insanit, atque impulsus contemptu adit aulam Circes Titanis filiæ monstris plenam.

NOTÆ.

968. *Prodigiosa*] In quibus homines in bestiarum formam mutati carminibus & præstigiis Circes Lib. seq. & Virg. 7. Æn. sub initio. ex 5. Odyss. Homeri express.

Ib. *Titanidos*] *Titanis* seu *Solis filiæ*. Quin & veteres *magicæ artis peritas* omnes *Solis filias* dicebant. Ut Medea in Argon Apollon. vocatur Πασιφάη, & κούρη πελλοιο.

Ib. *Circes*] Quæ veneficiis & incantamentis ab omnibus cognita meretrix, mox sese insuper prodet.

P. Ovidii Nasonis METAMORPHOSEON.

LIBER XIV.

ARGUMENTUM.

Is cùm per Venulum peteret auxilium à Diomedę, cujus ſocii in aves erant mutati, repulſam paſſus eſt; redeunte Venulo per ea loca, in quibus paſtor quondam in oleaſtrum erat converſus. Poſtea naves Æneæ in prœlio Nymphæ fiunt; ſicut & Ardea, poſt occiſum Turnum, avis; atque Æneas ipſe, Indiges. Succeſſerunt huic reges alii. Quorum inter cæteros ſub Procâ floruit Pomona. Quàm cùm amaret Vertumnus, ſumptâ primùm anûs formâ, & Anaxaretes in ſaxum converſæ exemplo uſurpato: deinde rurſum juvenis factus, voto potitur. Inde, ſub Numitore, aquæ frigidæ redduntur calidæ. Cui qui ſucceſſit Romulus, factus eſt Quirinus: ejuſque uxor, Ora Dea.

INTERPRETATIO.

I. *Jamque Glaucus Fubœicus ſulcator maris æſtuoſi præteriêrat Ætnam impoſitam cervicibus gigantum, atque agros Cyclopum intactos raſtris atque aratro, nec quicquam debentes bobus jugo preſſis. Præteriêrat etiam Zanclen, & muros oppoſitos Rhegii,*

I. Jamque Giganteïs injectam faucibus Ætnen,
Arvaque Cyclopum, quid raſtra, quid uſus aratri,
Neſcia, nec quicquam junctis debentia bobus,
Liquerat Euboïcus tumidarum cultor aquarum:
Liquerat & Zanclen, adverſaquè mœnia Rhegî,

NOTÆ.

1. *Giganteïs*] Non modò Ætna capiti *Typhœi Gigantis & Enceladi*, &c. ſed tota inſula Siciliæ, quàm latè patet, illi monſtro impoſita; ut alibi Naſo, lib. 5, 353.

2. *Cyclopum*] *Arva ſubjecta tribus ſcopulis Cyclopum*; qui Neptuni & Amphitrites filii in Siciliâ ferrariam ſub Vulcano exercuerunt, Jovis præſertim fabricandis fulminibus intenti.

3. *Debentia*] *Quia nunquam aratro ſubacta.*

4. *Euboïcus*] *Glaucus Anthedonius*, de quo ſuprà, qui Deus factus marinus *maria natando ſulcabat.* Lib. 13. 906.

5. *Zanclen*] Vid. Lib. 13. 730.

Ib. *Rhegî*] *Rhegium* urbs in extremis finibus Calabriæ, quâ parte Sicilia ab Italiâ impetu maris *diſtracta* dicitur: ἀπὸ τοῦ ῥήγνυσθαι (i. e.) *abrumpendo.*

Navi-

Navifragumq: fretum, gemino quod littore preſſum
Auſoniæ Siculæque tenet confinia terræ.
Inde, manu magnâ Tyrrhena per æquora lapſus,
Herbiferos adiit colles, atque atria Glaucus
Sole ſatæ Circes, variarum plena ferarum:
Quam ſimul adſpexit; dictâ acceptâque ſalute,
Diva, Dei miſerere, precor: nam ſola levare
Tu potes hunc, dixit, (videar modò dignus) amorem.
Quanta ſit herbarum, Titani, potentia nulli,
Quàm mihi cognitius; qui ſum mutatus ab illis.
Neve mei non nota tibi ſit cauſa furoris:
Littore in Italico Meſſenia mœnia contra
Scylla mihi viſa eſt. Pudor eſt promiſſa, preceſque
Blanditiaſque meas, contemptaque verba referre.
At tu, ſive aliquid regni eſt in carmine; carmen
Ore move ſacro: ſive expugnacior herba eſt;
Utere tentatis operoſæ viribus herbæ.
Nec medeare mihi, ſaneſque hæc vulnera, mando:
Fineque nil opus eſt. Partem ferat illa caloris.
At Circe (neque enim flammis habet aptius ulla
Talibus ingenium, ſeu cauſa eſt hujus in ipſâ;
Seu Venus indicio facit hoc offenſa paterno)
Talia verba refert: Meliùs ſequerere volentem,
Optantemque eadem, parilique cupidine captam.
Dignus eras; ultro poteras certèque rogari:
Et ſi ſpem dederis, mihi crede, rogaberis ultro.
Neu dubites, abſitve tuæ fiducia formæ:

& fretum naufragum, quod coarctatum duplici littore finès facit terræ Italiæ & Siculæ. Inde (à freto) *Glaucus natans vaſtâ manu per maria Tuſca, accedit ad montes herbidos, atque aulam Circes filiæ Solis, refertam feris diverſi generis. Quam ſimul atque vidit, ſalute oblatâ atque acceptâ. Dea, inquit, oro miſerere Dei: nam ſola potes opem ferre huic amori, modò videar dignus. O filia Titanis, nulli quàm mihi notius eſt, qui ab illis ſum converſus ex* homine in Deum marinum, *quanta ſit vis graminum. Neve neſcias cauſam mei amoris, Scylla conſpecta eſt à me in littore Italico ex adverſo urbis Meſſeniæ. Me pudet narrare pollicitationes, & preces, & mea lenocinia, & dicta neglecta. At tu, ſeu eſt aliqua potentia in incantationibus, profer incantamenta ore ſacro: ſive gramen eſt ad expugnandum efficacius. Utere viribus probatis graminis efficacis. Neque hortor ut mihi remedium admoveas, aut auxilium feras his plagis:*

nam nolo ut amori meo imponatur *finis. Illi ſit pars æqua amoris. At Circe (neque enim ulla prædita eſt animo promptiore in amores hujas generis* conciliandos, *ſeu cauſa iſtius rei in ipſius voluntate, ſeu Venus læſa indicio paterno hoc præbet) reddit talia verba, Sapientiùs amaveris redamantem, atque quærentem eadem, & irretitam pari amore. Meritus eras; atque certè poteras rogari: & ſi ſpem indulſeris mihi fidem habe, ſponte rogaberis. Neve ſis incertus, aut diffidas tuæ pulchritudini,*

NOTÆ.

6. *Fretum*] Siculum dicet, propter æſtûs violentiam atque anguſtias maris, & ſcopulos, viz. Scyllam & Charybdim, &c. itemque ventorum impetum, maximè naufragum.

7. *Auſoniæ*] Freto namque Sicilia ab Auſoniâ, hoc eſt Italia, diſterminatur, *Tenet*] *Terit* Heinſius. Noſter ipſe lib. 15. de Siciliâ & Italiâ;

——*Confinia pontus*
Abſtulit, & mediâ tellurem reppulit undâ.

8. *Tyrrhena*] *Tyrrhenum & Tuſcum* dicitur *mare*, quod Italiæ maximam partem à latere meridionali alluit.

9. *Atria*] i. e. *Circæum*, in quo monte habitâſſe dicitur *Circe*.

14. *Titani*] Vocativus eſt Græcus *Titanis* namque fuit *Circe*, *Solis* ſeu *Titanis* filia.

17. *Meſſenia*] *Meſſiniæ Urbs*, quæ olim *Zancle* appellata eſt. Lib. 13. 730.

24. *Illa*] *Scylla* quam pari amore correptam cupit Glaucus.

25. *Aptius*] Ut ſatìs ſupèrque conſtet inſignem fuiſſe meretricem.

27. *Indicio*] *Solem* vidimus antea fuiſſe *Circes patrem*, qui *Veneris* cum Marte adulterium deprèndit, atque inſuper Vulcano indicavit.

30. *Rogari*] Scilicet *à Scyllâ*.

31. *Rogaberis*] Subaud. *a me*. Tacitè enim ſubinnuit ſe rogaturum eſſe Glaucum ut illius amore potiatur.

ecce ego, cùm Dea sim, cùm filia splendidi Solis, cùm tantùm valeam incantamentis, cùm tantùm herbis, percupio tuam esse. Contemne negligentem: par pari refer amanti, atque vindica duas uno facto. Glaucus respondet talia dicenti. Antè arbores crescent in mari, & algæ in excelsis collibus, quàm nostri amores mutentur, Scyllâ vivâ & incolumi. Dea irata est; & siquidem non poterat ipsum offendere, neque quia amabat eum, *cuperet, odium exercet in illam, quæ sibi præposita est: atque læsa repulsâ sui amoris continùo terit herbas infames succis abhorrendis: & addit his contritis incantationes Hecateias & sumit pullos amictus; & egreditur ex mediâ regiâ per turbam ferarum blandientium: & tendens ad Rhegium obversum muris Zanclæis intrat aquas agitatas æstibus; in quibus firmat pedes tanquam in duro littore, & fertur super ultima maria siccis plantis. Exiguus erat gurges curvatus in arcus sinuosos, acceptum otium Scyllæ, quò se recipiebat à furore maris & caloris, cùm sol erat intensus in medio cœlo, & signabat brevissimas umbras à capite. Dea antè infecit hunc* gurgitem, *atque fœdat venenis portenta & monstra facientibus: in hunc immittit succos expressos ex herbis noxiis; & demurmurat ter novies ære magico incantamentum obscurum ambitu vocum inauditarum. Scylla adest, atque progressa erat usque ad medium ventrem, cùm videt sua inguina dedecorari monstris latrantibus: & primò non putans eas esse partes sui corporis, & vitat, & repellit* manibus suis, *& metuit rictus* rabidos *canum. Verùm secum rapit quos vitat: atque lustrans carnem femorum & tibiarum & pedum, reperit* terribilia *ora canum loco illarum partium.*

En ego, cùm Dea sim, nitidi cum filia Solis,
Carmine cùm tantùm, tantùm cùm gramine possim,
Ut tua sim, voveo. Spernentem sperne; sequenti
Redde vices: unoque duas ulciscere facto.
Talia tentanti, Priùs, inquit, in æquore frondes,
Glaucus, & in summis nascentur montibus algæ;
Sospite quàm Scyllâ nostri mutentur amores.
Indignata Dea est: & lædere quatenus ipsum
Non poterat, nec vellet amans; irascitur illi,
Quæ sibi prælata est: Veneriscque offensa repulsâ,
Protinus horrendis infamia pabula succis
Conterit; & tritis Hecateïa carmina miscet:
Cœrulaque induitur velamina; perque ferarum
Agmen adulantum mediâ procedit ab aulâ:
Oppositumque petens contra Zancleïa saxa
Rhegion, ingreditur ferventes æstibus undas:
In quibus, ut solidâ, ponit vestigia, ripâ;
Summaque decurrit pedibus super æquora siccis.
Parvus erat gurges curvos sinuatus in arcus,
Grata quies Scyllæ: quò se referebat ab æstu
Et maris & cœli, medio cùm plurimus orbe
Sol erat, & minimas à vertice fecerat umbras:
Hunc Dea prævitiat, portentiferisque venenis
Inquinat. Huic fusos latices radice nocenti
Spargit: & obscurum verborum ambage novorum
Ter novies carmen magico demurmurat ore.
Scylla venit, mediâque tenus descenderat alvo;
Cùm sua fœdari latrantibus inguina monstris
Aspicit: ac primò non credens corporis illas
Esse sui partes, refugitque, abigitque, timetque
Oro proterva canum. Sed quos fugit, attrahit unà
Et corpus quærens femorum, crurumque, pedumque,
Cerbereos rictus pro partibus invenit illis.

NOTÆ.

36. *Redde vices*] *Me pariter redama.*

Ib. *Duas*] *Scyllam, quæ amori non respondebat, deserendo: Circe, quæ opem denegabat, spem amoris injiciendo, ut eo torqueretur.*

Ib. *Facto*] Heinsius malit *pacto*, nuptiali scilicet.

37. *Priùs in æquore*] Antè rerum natura commutabitur, quàm ego ab amandâ Scyllâ desistam.

43. *Pabula*] Gramina, herbæ.

44. *Hecateïa*] *Incantamenta ab Hecate matre accepta.* Vid. lib. 7. 74.

45. *Cœrula*] Pro *nigris* videtur posita.

53. *Medio cùm*] Periphrasis est Meridiei.

59. *Fusos*] *Succos dicit ex venenatis herbis expressos.* Alii, *pressos.*

60. *Monstris*] *Canibus atque lupis.*

65. *Cerbereos*] *Cerberi inferorum canis similes*, hoc est, terribiles.

Statque

Statque canum rabies: subjectaque terga ferarum
Inguinibus truncis uteroque exstante cohærent.
II. Flevit amans Glaucus; nimiùmque hostiliter usæ
Viribus herbarum fugit connubia Circes.
Scylla loco mansit; cùmque est data copia primùm,
In Circes odium sociis spoliavit Ulyssen.
Mox eadem Teucras fuerat mersura carinas;
Ni priùs in scopulum, qui nunc quoque saxeus exstat,
Transformata foret. Scopulum quoque navita vitat.
III. Hanc ubi Trojanæ remis avidamque Charybdin
Evicêre rates; cùm jam prope littus adessent
Ausonium, Libycas vento referuntur ad oras.
Excipit Æneân illic animoque, domoque,
Non bene discidium Phrygii latura mariti,
Sidonis: inque pyrâ sacri sub imagine factâ
Incubuit ferro: deceptaque decipit omnes.
Rursus arenosæ fugiens nova mœnia terræ,
Ad sedemque Erycis, fidumque relatus Acesten

Atque manet canum rabies, & terga subdita ferarum junguntur inguinibus mutilatis atque ventri prominenti.

II. *Glaucus amans flevit* Scyllæ fatum, *atque vitavit conjugium Circes usæ nimis hostiliter viribus herbarum. Scylla in eodem* gurgite *mansit*; *& cùm primùm occasio oblata est, privavit Ulyssem comitibus in odium Circes. Brevi eadem fuerat peritura naves Trojanas, nisi antè mutata fuisset in scopulum, qui nunc quoque saxeus eminet: nauta etiam effugit scopulum.*

III. *Postquam naves Trojanæ remis effugerunt hanc, atque rapacem Charybdin; cùm jam penè appulissent ad littus Italum, revehuntur vento ad littora Africæ.* Dido *Sidonia, non æquo animo passura divortium viri Trojani, illic accipit mente & hospitio Æneam: atque sese injecit in ensem super rogo structo sub specie sacri; & elusa omnes elusit. Rursus vitans recentes muros terræ arenosæ, et revectus ad sedes Erycis et fidelem Acesten*

NOTÆ.

67. *Truncis*] *Quia in canes fuerunt mutata.*

71. *Circes*] Quam Scylla Ulyssis amore teneri resciverat.

Ibid. *Spoliavit*] Plurimos eorum in freto Siculo amisisse Ulyssem scripsit Homerus in Odysseâ M. 245.

72. *Teucros*] Æneæ, qui per fretum Siculum iter habebat.

73. *Scopulum*] Inde nata fabula, quòd procul videntibus promontorium appareat ex parte Italiæ specie mulieris; ad cujus radices aqua, æstu atque ventorum impetu allisa, latrantium canum voces reddere videatur.

75. *Avidam*] Quia à latere Siciliæ mare vorticosum est ex repulsu atque collisione fluctuum, qui in oppositos scopulos Italiæ per vim ventorum irruerunt: quo efficitur, ut naves illic transeuntes *trahi* videantur, quæ *æstu abripiuntur.*

77. *Libycas*] *Africanas:* In Africam nempe tempestate delatus ad Didonem Æneas pervenit quod fusè persequutus est Maro, Lib. 1. Æn.

78. *Excipit*] Historiæ fidem non observat poëta, siquidem Æneas annos 286 vixit ante Didonem. Æneæ errores describit poëta, ut commodè ad Pithecusam insulam descendat, atque Cercopum metamorphosin describat.

79. *Non bene*] *Namque Æneâ profecto, sese ipsa Dido, amoris impatientiâ, jugulavit.*

80. *Sidonis*] *Dido, Sidone oriunda.*

Ib. *Sacri*] Quod pluribus persequitur Maro, Æneid. 4.

81. *Decepta*] *Ab Æneâ, qui spem fecerat firmarum nuptiarum.*

Ib. *Decipit*] Neminem, namque ne quidem Annam sororem fecit suæ necis consciam:

Non tamen Anna novis prætexere funera sacris
Germanam credit: nec tantos mente furores
Concipit. Virgil. Æn. 4.

82. *Arenosæ*] *Libycæ*, ut Virgil. ait;

Littus arenosum Libyæ———

83. *Sedem*] Siciliam, in quâ mons Eryx, ab Eryco filio Veneris ibi condito. Nisi Etymologia fit Punica.

Ib. *Acesten*] Qui *Trojano à sanguine crêtus*, per Ejectam matrem, atque Segestæ imperium tenens quam ipse condiderat, benignissimè antea hospitio Æneam exceperat.

ſacrum facit, atque veneratur ſepulchrum ſui patris: et ſolvit naves, quas Iris à Junone emiſſa propè cremaverat: atque præterit regnum Hippotadæ et terras fumantes ſulphure calido, et cautes Sirenum Achelöiadum: et navis ſpoliata nauclero tranſit Inarimen, et Prochyten, et Pythecuſas poſitas in monte infœcundo, appellatas nomine incolentium. Namque pater Deorum peroſus dolos et perjuria, et facinora nationis fradulentæ veterum Cercopum, transformavit homines in turpe animal: ut iidem poſſent videri ſimiles atque diſſimiles homini: atque coarctavit artus, et depreſſit naſum recurvum à fronte, et ſignavit vultus rugis anilibus: et miſit in has ſedes habentes totum corpus tectum pilis ſubfuſcis: quinetiam antè ademit uſum vocis, & linguæ factæ execranda perjuria. Permittit tantùm facultatem querendi rauco ſtridore.

Sacrificat; tumulumque ſui genitoris honorat.
Quaſque rates Iris Junonia pœnè cremârat,
Solvit: & Hippotadæ regnum, terraſque calenti
Sulfure fumantes, Acheloïadumque relinquit
Sirenum ſcopulos. Orbataque præſide pinus
Inarimen, Prochytenque legit, ſterilique locatas
Colle Pithecuſas, habitantum nomine dictas.
Quippe Deûm genitor fraudem, & perjuria quondam
Cercopum exoſus, gentiſque admiſſa doloſæ;
In deforme viros animal mutavit: ut îdem
Diſſimiles homini poſſent, ſimileſque videri.
Membraque contraxit: nareſque à fronte reſimas
Contudit, & rugis peraravit anilibus ora.
Totaque velatos flaventi corpora villo
Miſit in has ſedes. Nec non priùs abſtulit uſum
Verborum, & natæ dira in perjuria linguæ.
Poſſe queri tantùm rauco ſtridore relinquit.

NOTÆ.

84. *Tumulum*] Namque patri in Siciliâ ſepulto Æneas anniverſarium ſacrum inſtituerat: in cujus etiam honorem ludos Trojam celebrârunt; ut fusè à Marone hæc omnia narrantur. Æneid. 5.

85. *Iris*] Quæ *Junonis nuncia* matribus Trojanis ſuaſit, ut ignem navibus injicerent, ne ulterius poſſet Æneas progredi, aut in Latio

Romanam condere gentem. Æn. 5.

86. *Hippotadæ*] *Æolus eſt Hippotæ Trojani filius* qui optimus princeps, atque aſtronomiæ péritiſſimus in Æoliis inſulis imperavit, quæ inter Siciliam atque Italiam jacent; alio nomine dictæ *Vulcaniæ*.

Ib. *Terras*] Vulcani inſulas dicit, *Liparam, Hieram, Strongylen.*

87. *Acheloïadum*] *Sirenes*, quæ *Acheloïdes* à patre *Acheloo* dictæ ſunt, quarum deſcriptionem vide Metam. 7. v. 552. Tres fuerunt *Parthenope, Lyſia, & Leucoſia*; quæ in Sirenis ſaxis, ſeu Pæſtani ſinûs inſulis, ſedem habuerunt.

88. *Præſide*] *Palinuro*; quem ſomni Deus,

——*Cum puppis parte revulsâ,*
Cumque gubernaclo liquidas projecit in undas.

(ut habet Virgil. Æn. 5. ſub finem) priuſquam Sirenum ſcopulos eſſet prætervectus.

89. *Inarimen*] Inſula eſt contra Campaniam, quæ & *Ænaria*, atque *Iſchia* dicta eſt. Vox hæc *Inarime* à Virgilio videtur eſſe conficta: nam Homerus locutus de hâc inſulâ dicit ἐν Ἀρίμοις. Sanè apud nullos ante Virgilium auctores legitur; poſt eum uſurpata eſt ſtatim ab Ovidio, Lucano, &c. quod ad conjecturam multùm facit.

Ib. *Prochyten*] Alia eſt inſula ab Inarime terræ motu divulſa; unde & nomen habuit; πρόχεω namque eſt *Profundo*.

90. *Pithecuſas*] Quæ urbs eſt in Pithecuſâ, inſulâ in Campano ſinu ſupra Neapolim ad occaſum; à Simiis, qui Græcis πίθηκοι dicuntur, ſic appellata. Plinius ſcribit à figulinis *doliariorum* dictam eſſe: πίθος enim eſt *Dolium*.

91. *Quippe*] Inſulæ Inarimes incolæ, ut habet Suidas, improbi erant impoſtores: in eis fratres duo Candulus & Atlas, quorum alter *paxillus*, alter *incus* dictus. Hi fidem Jovi datam cùm violâſſent, omnes in *ſimias* mutari ſunt.

65. *Reſimas*] Ita emendavit Salmaſius ad Solinum. Nam *reſimus* ut *repandus* & *reduncus* alibi apud noſtrum.

IV. Has ubi præteriît, & Parthenopeïa dextrâ
Mœnia deſeruit; lævâ de parte canori
Æolidæ tumulum, & loca fœta paluſtribus ulvis
Littora Cumarum, vivaciſque antra Sibyllæ
Intrat: &, ut manes adeat per Averna paternos,
Orat. At illa diu vultus tellure moratos
Erexit: tandemque Deo furibunda recepto,
Magna petis, dixit, vir factis maxime, cujus
Dextera per ferrum, pietas ſpectata per ignes.
Pone tamen, Trojane, metum: potiere petitis:
Elyſiaſque domos, & regna noviſſima mundi
Me duce cognoſces, ſimulachraque cara parentis.
Invia virtuti nulla eſt via. Dixit: & auro
Fulgentem ramum ſilvâ Junonis Avernæ
Monſtravit: juſſi que ſuo divellere trunco.
Paruit Æneas: & formidabilis Orci
Vidit opes, atavoſque ſuos, umbramque ſenilem
Magnanimi Anchiſæ: didicit quoque jura locorum;
Quæque novis eſſent adeunda pericula bellis.

IV. *Poſtquam has reliquit, atque præteriit à dextrâ muros Parthenopeïos, adit à parte ſiniſtrâ ſepulchrum Æolidæ tubicinis & littora Cumarum loca conſita ulvis paluſtribus, atque ſpeluncas vivacis Sibyllæ, & precatur ut veniat ad Manes paternos per Averna. At illa ſuſtulit oculos diu affixos terræ; & denique turbata Deo admiſſo, Ingentia poſcis, inquit, vir rebus geſtis clariſſime, cujus dextra probata eſt per enſem, pietas per flammas. Omitte tamen timorem, Trojane; frueris votis, & me duce viſes ſedes Elyſias, & regna ultima mundi, & dilectam imaginem genitoris. Nulla eſt via inacceſſa virtuti, ait; atque oſtendit ramum in ſilvâ Deæ Inferorum, ſplendentem auro: & imperavit diripere ſuo ſtipite. Æneas obſequutus eſt, & intuitus eſt divitias tremendi Plutonis, & majores ſuos, & manes veteres generoſi Anchiſæ: edoctus eſt etiam jura locorum, & quæ diſcrimina eſſent ſubeunda novis bellis.*

NOTÆ.

101. *Parthenopeïa*] *Neapolis eſt, à Parthenope Sirene ibi ſepultâ ſic dicta.*

103. *Æolidæ*] Miſenum dicit Æoli filium,

——*Quo non præſtantior alter,*
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

ut Virgil. Æn. 6. Unde etiam promontorium dict. *Miſenum.*

104. *Cumarum*] *Cumæ* urbs Campaniæ antiquiſſima.

Ib. *Vivacis*] Quæ vixit 700 annos, ut poſtea dicetur, ver. 164. Sibyllæ erant à veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel à conſiliis Deorum denunciandis: Σιους enim Deos, & conſilium βουλην appellabant Æoles. Aliis quaſi Σιοῦ βουλὴ Deo plena.

104. *Sibyllæ*] Cumæam dicit, quæ inter decem à Lactantio recenſitas, novem oraculorum voluminibus, quæ Tarquinio Priſco obtulit, maximè celebris.

Ib. *Manes paternos*] Animam Anchiſæ patris.

Ib. *Averna*] *Avernus* in ſingular, ſeu *Averna* in plur. lacus fuit non longè à Puteolano Campaniæ ſinu, profundiſſimus, cinctus olim inacceſſis ſilvis, atque præruptis collibus: quâ ex re, cùmque inſuper totus ille terræ tractus cavernoſus, ſulfure atque bitumine abundans eſſet, maximè factum, ut Latini poetæ hàc etiam in Inferos deſcenſum patere ſcripſerint.

107. *Deo*] *Apolline.*

111. *Elyſias*] Elyſium, campi Elyſii, aut domus Elyſiæ, ſedes fuerunt beatorum apud inferos, ex poëtarum maximè, atque ethnicorum ſententiâ: ubi omnis generis voluptatibus ſecuri poſt mortem fruerentur.

Ib. *Noviſſima*] Ima, id eſt, inferos. *Supremum enim* mundi regnum eſt cœlum; *medium* terra cum aquis: *ultimum*, inferi.

114. *Junonis avernæ*] Proſerpinæ. Juxta Avernum fuit ſylva Plutoni & Proſerpinæ dicata.

115. *Divellere*] Ut ramum, munus Proſerpinæ deferat.

116. *Orci*] Plutonem dicit, qui diverſis de cauſis diverſa etiam habuit nomina, quæ paſſim ex lexicis licet cognoſcere.

117. *Opes*] Divitiarum namque Deus eſt Plutus.

118. *Jura*] Quique adeò hîc aut illîc eſſent, plecterentur, aut oblectarentur, &c. Quæ fuſè perſequitur Virgil. Æn. 6.

119. *Novis*] Quæ adverſus Turnum præſertim geſſit Æneas.

Inde regrediens aversâ viâ cum duce Cumæâ defessus decipit laborem colloquio. Et dum iter facit tremendum per obscuram lucem; Seu, inquit, tu es Dea propitia, seu Dîs dilectissima, eris semper mihi tanquam Dea: & agnoscam me vivere ex tuo beneficio, quæ voluisti me visere sedes mortis, quæ voluisti me effugere sedes conspectæ mortis. Pro quibus beneficiis sublatus ad oras superas tibi ponam delubra, tibi præbebo cultum thuris. Sibylla respicit hunc, & suspiriis ex imo pectore ductis, Neque, inquit, Dea sum: neque honora caput humanum sacro thure. Neve pecces ignorantiâ, vita æterna mihi præberetur sine fine, si mea virginitas fuisset permissa Apollini amanti. Quamdiu tamen hanc sperat, quamdiu optat me antè captare muneribus; Dissice, inquit, puella Cumæa, quid voveas, frueris tuis votis. Ego monstrans cumulum arenæ correptæ, insciens petivi tot mihi annos evenire, quot pulvis haberet atomos. Oblita sum vovere etiam continuò annos juveniles. Ille tamen mihi offerebat etiam juventutem illabatam si paterer concubitum. Permaneo cœlebs, dono Apollinis neglecto. Verùm jam anni lætiores præterierunt; & tristis senectus venit passu tremulo, quæ diu est ferenda.

Inde ferens lassos aversо tramite passus,
Cum duce Cumæâ fallit sermone laborem.
Dumq; iter horrendum per opaca crepuscula carpit;
Seu Dea tu præsens, seu Dîs gratissima, dixit;
Numinis instar eris semper mihi: meque fatebor
Muneris esse tui; quæ me loca mortis adire,
Quæ loca me visæ voluisti evadere mortis.
Pro quibus aërias meritis avectus ad auras
Templa tibi statuam; tribuam tibi thuris honorem.
Respicit hunc vates, & suspiratibus haustis,
Nec Dea sum, dixit; nec sacri thuris honore
Humanum dignare caput. Neu nescius erres;
Lux æterna mihi, carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti.
Dum tamen hanc sperat, dum præcorrumpere donis
Me cupit; Elige, ait virgo Cumæa, quid optes:
Optatis potiere tuis. Ego pulveris hausti
Ostendens cumulum, quot, haberet corpora pulvis,
Tot mihi natales contingere vana rogavi.
Excidit optarem juvenes quoque protinus annos.
Hos tamen ille mihi dabat, æternamq; juventam,
Si Venerem paterer. Contempto munere Phœbi
Innuba permaneo. Sed jam felicior ætas
Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra senectus;
Quæ patienda diu est. Nam jam mihi sæcula septem
Acta vides; superest, numeros ut pulveris æquem,
Tercentum messes, tercentum musta videre.
Tempus erit, cùm me de tanto corpore parvam
Longa dies faciat: consumtaque membra senectâ
Ad minimum redigantur onus. Nec amata videbor,
Nec placuisse Deo. Phœbus quoque forsitan ipse
Vel non agnoscet, vel dilexisse negabit.
Usque adeò mutata ferar: nullique videnda,
Voce tamen noscar. Vocem mihi fata relinquent.

Nam jam cernis mihi septem sæcula præterita: restat adspicere tercentum messes, & tercentum vindemias, ut impleam numerum arenæ. Dies erit, cùm diuturnitas temporis reddet me exiguam de tanto corpore et artus exhausti senectute redigantur ad minimum pondus: neque videbor dilecta, neque grata fuisse Deo. Apollo etiam ipse fortè non cognoscet, vel inficiabitur se nostro *amore correptum fuisse. Usque adeò dicar mutata: neque cuiquam conspicienda, cognoscar tamen voce. Fata mihi relinquent vocem.*

NOTÆ.

120. *Aversо*] Cùm rursus ad superas auras Æneas atque Sibylla redirent.

122. *Crepuscula*] Id est, *per lucem dubiam*, qualem decet esse apud inferos.

124. *Numinis*] Hæc omnia adumbrata sunt ex Virg. Æn. lib. 6.

132. *Lux æterna*] Immortalitatis: quam castitatis dispendio noluit Sibylla consequi.

136. *Excidit*] Animo sc. hoc est, oblita sum.

142. *Felicior ætas*] Juvenilis.

143. *Tremulo*] Immo maximè festino venit, sed tremula est ipsa senectus.

153. *Voce*] Vocem fatidicam intelligit, ut indicet, se facultatem vaticinandi cum corporis mole non amissuram.

V. Talia convexum per iter memorante Sibyllâ,
Sedibus Euboïcam Stygiis emergit in urbem
Troïus Æneas: sacrisque è more litatis,
Littora adit nondum nutricis habentia nomen.
Hîc quoque substiterat post tædia longa laborum
Neritius Macareus, comes experientis Ulyssei;
Desertum quondam mediis qui rupibus Ætnæ
Noscit Achæmeniden: improvisoque repertum
Vivere miratus, Quis te casusve, deusve
Servat, Achæmenide? Cur, inquit, barbara Grajum
Prora vehit? petitur vestrâ quæ terra carinâ?
Talia quærenti, jam non hirsutus amictu,
Jam suus, & spinis conserto tegmine nullis,
Fatur Achæmenides: Iterum Polyphemon & illos
Aspiciam fluidos humano sanguine rictus;
Hâc mihi si potior domus est Ithaceque carinâ;
Si minùs Æneam veneror genitore. Nec unquam
Esse satîs potero, præstem licet omnia, gratus.
Quod loquor, & spiro; cœlumque, & sidera Solis
Respicio, (Possimne ingratus, & immemor esse?)
Ille dedit; quòd non anima hæc Cyclopis in ora
Venit: & ut lumen jam nunc vitale relinquam;
Aut tumulo, aut certe non illâ condar in alvo.

V. *Sibyllâ talia referente per tramitem arduum, Æneas Phrygius prodit in urbem Euboïcam ex locis inferis: & sacrificiis feliciter absolutis secundum ritus, pervenit ad oras nondum habentes nomen nutricis. Macareus Neritius, socius perspicacis Ulyssis, hîc etiam requieverat post longa tædia laborum; qui agnescit Achæmeniden olim destitutum in mediis cautibus Ætnæ: & stupens quòd ex improviso repertus in vivis esset. Quæ fortuna, inquit, vel quis Deus te custodit, Achæmenide? quamobrem navis Phrygia habet Græcum? quæ tellus quæritur vestrâ navi? Achæmenides nunc non hispidus vestitu, nunc sui juris, & veste nullis spinis obsitâ talia refert petenti; Utinam videam denuo Polyphemum, atque illud os fluens sanguine humano: si vel Ithaca est mihi carior domus hâc navi, si minùs honoro Æneam quam patrem: neque unquam potero esse satîs memor, quamvis faciam omnia. Ex ejus beneficio est quod verba facio, & vivo, & intueor cœlum & solem; quòd hæc anima non data est in rictus Cyclopis (possimne esse immemor & ingratus?) & quanquam jam nunc deseram lumen vitale, aut componar in sepulchrum, aut certè non in illum ventrem.*

NOTÆ.

154. *Convexum*] *Ascensu arduum.*

155. *Euboïcam*] *Cumas* Chalcidensium coloniam: Chalcis enim Eubœæ fuit civitas.

Ib. *Stygiis*] *Inferis: à* Styge inferorum palude.

156. *Litatis*] *Feliciter peractis.*

157. *Nutricis*] *Cajetæ:* quæ ibi sepulta promontorio atque urbi nomen dedit, in eâ Neapolitani regni parte, quæ hodie *Terra di Lavoro* dicitur. Quanquam aliùnde alii nominis istius rationem deducant.

159. *Neritius*] *Ithacensis:* fuit namque Neritus mons Ithacæ Ulyssis Patriæ. Hujus autem Macarei meliùs ab ipso postmodum nosces historiam.

161. *Achæmeniden*] Ulyssis socius, Polyphemi Cyclopis timore in Siciliâ ab Ulysse relictus, qui mox casus suos Macareo petenti narrabit.

163. *Barbara*] *Trojana* navis: nam Græci cæteros omnes vocabant *Barbaros.*

Ib. *Grajum*] Miratur Macareus Achæmeniden Græcum, Ulyssisque comitem cum Trojanis hostibus navigare.

165. *Hirsutus amictu*] Qualem optimè describit Maro: quem vide, Æn. 3. sub fine.

166. *Jam suus*] Jam liber & sui juris: cùm antea Polyphemi potiùs mactanda victima sibi videretur.

Ib. *Nullus*] Cùm priùs, dum in dumis latitaret, lacera & spinis hispida vestis esset:

168. *Aspiciam*] Miserè peream Polyphemi redditus antro, nisi mihi hæc sub Æneâ conditio potior sit, quam illa sub Ulysse. Se enim gratum erga Æneam ostendit Achæmenides.

169. *Hâc*] *Quâ nunc vehor,* (i. e.) *Æneâ.*

Quid

Quid tum mihi fuit consilii (nisi si pavor ademit omnem sensum & consilium) cùm destitutus prospexi vox provebii in vasta maria? Subiit voeferari: verùm metui me detegere hosti: vociferatio Ulyssis propemodum etiam obfuit vestræ navi. Aspexi, cùm rupe direptâ jecit in medios fluctus saxum ingens. Aspexi projicientem iterum ingentes lapides brachio giganteo, tanquam impulsi essent viribus tormenti. Atque metui, ne saxum vel unda obrueret navem, immemor me jam non esse in illâ. Postquam autem fuga vos seduxit à violentâ nece, ille quidem nubilus excurrit per totam Ætnam, atque prætensâ manu explorat arbores, & privatus oculo impingit in saxa, atque porrigens in æquor lacertos infectos sanie, detestatur nationem Græcam, O etiam dicit, si qua fors mihi reddat Ulyssen, vel aliquem ex comitibus, in quem mea ira exæstuat, cujus laniem præcordia, cujus sanguis mihi irriget fauces, & membra fracta tremant sub dentibus, quàm nullum, vel parvum videretur mihi dispendium oculi effossi! Sævus hæc & plura dixit: pallidus metus me invadit, qui cernerem faciem etiamnum fluentem sanguine, & truculentas manus, & circulum orbatum oculo, & artus, & barbam squallentem sanguine humano. Mors erat præ oculis, illa tamen minimum erat malorum. Atque cogitabam illum *modò correpturum* me, *jam jam deterbaturum mea præcordia in sua: & species illius temporis manebat in animo, quò intuitus sum duo corpora meorum sodalium ter quater allidi solo: super quæ ipse immissus, tanquam bispidus leo,*

Quid mihi tunc animi (nisi si timor abstulit omnem
Sensum, animumq;) fuit; cùm vos petere alta relictus
Æquora prospexi? volui inclamare; sed hosti
Prodere me timui: vestræ quoque clamor Ulyssis
Penè rati nocuit. Vidi, cùm monte revulso
Immanem scopulum mediâs permisit in undas.
Vidi iterum, veluti tormenti viribus acta,
Vasta giganteo jaculantem saxa lacerto.
Et, ne deprimeret fluctusve, lapisve carinam,
Pertimui; jam me non esse oblitus in illâ.
Ut verò fuga vos ab acerbâ morte removit;
Ille quidem totam fremebundus obambulat Ætnam,
Prætentatque manu silvas; & luminis orbus
Rupibus incursat: fœdataque brachia tabo
In mare protendens, gentem exsecratur Achivam.
Atque ait: O si quis referat mihi casus Ulyssen,
Aut aliquem è sociis, in quem mea sæviat ira,
Viscera cujus edam, cujus viventia dextrâ
Membra meâ laniem, cujus mihi sanguis inundet
Guttur, & elisi trepident sub dentibus artus;
Quàm nullum, aut leve sit damnum mihi lucis ademptæ!
Hæc, & plura ferox. Me luridus occupat horror,
Spectantem vultus etiamnum cæde madentes,
Crudelesque manus, & inanem luminis orbem,
Membraq; & humano concretam sanguine barbam.
Mors erat ante oculos; minimum tamen illa malorum,
Et jam prênsurum, jam jam mea viscera rebar
In sua mersurum: mentique hærebat imago
Temporis illius, quô vidi bina meorum
Ter quater affligi sociorum corpora terræ.
Quæ super ipse jacens, hirsuti more leonis,

NOTÆ.

186. *Clamor*] Ad illud alludit, quod apud Homerum fingitur Odyss. 9. ubi Ulysses navi aufugiens, Polyphemum clamando atque indicando quinam ipse verè esset, qui se priùs *neminem* dixerat, in sese irritat. Quare, ingentis saxi jactu, penè & ipse & tota navis ab eodem Polyphemo oppressa est.

186. *Oblitus*] Hinc maximus Achæmenidis in suos illustratur affectus.

189. *Prætentat*] Cœcorum more, aut eorum qui per tenebras ambulant.

198. *Luridus*] Qui luridos atque livore pallentes efficit.

Vis-

Viſceraque, & carnes, obliſiſque oſſa medullis,
Semianimeſque artus avidam condebat in alvum.
Metremor invaſit. Stabam ſine ſanguine mœſtus;
Mandentemque videns, ejectantemque cruentas
Ore dapes, & fruſta mero glomerata vomentem:
Talia fingebam miſero mihi fata parari.
Perque dies multos latitans: omnemque tremiſcens
Ad ſtrepitum, mortemque timens, cupiduſque
moriri,
Glande famem pellens, & miſtâ frondibus herbâ,
Solus, inops, exſpes, leto pœnæque relictus,
Haud procul adſpexi longo poſt tempore navim:
Oravique fugam geſtu, ad littuſque cucurri;
Et movi, Graiumque ratis Trojana recepit.
Tu quoque pande tuos, comitum gratiſſime, caſus,
Et ducis, & turbæ, quæ tecum credita ponto eſt.
Æolon ille refert Tuſco regnare profundo;
Æolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos:
Quos bovis incluſos tergo, memorabile munus,
Dulichium ſumſiſſe ducem: flatuque ſecundo
Lucibus îſſe novem, & terram aſpexiſſe petitam:
Proxima poſt nonam cùm ſeſe Aurora moveret,
Invidiâ ſocios prædæque cupidine ductos,
Eſſe ratos aurum, demſiſſe ligamina ventis:
Cum quibus ille retro, per quas modò venerat undas,
Æoliique ratem portus reperîſſe tyranni.
Inde Lami veterem Læſtrygonis, inquit, in urbem

profundebat in ventris voraginem præcordia, & carnes, & oſſa, expreſſis medullis & membra ſemiviva. Horror me corripuit. Triſtis eram atque exſanguis, aſpiciens manducantem, & ejicientem riſtu eſcas ſanguinolentas, & vomentem partes vino immiſtas: credebam ejuſmodi ſortem manere me infelicem. Atque latitans per multos dies, & tremens ad omnem motum, pavens & optans mori, fugans famem glandibus, & gramine miſto foliis, ſolus, egenus, ſine ſpe, traditus morti & ſupplicio, poſt longum tempus non longè vidi navem, atque geſtu indicavi me cupidum eſſe diſcedendi, & excurri ad littus; commovi etiam nautas; & navis Trojana recipit Græcum. Tu etiam, dilectiſſime ſociorum, expone tuam ſortem, & ducis, & agminis, quod tecum commiſſum eſt Pelago.

Ille narrat quomodo Æolus Hippotæ filius, retinuerit ventos carcere, & imperium habuerit in Tuſcum mare; quos ventos coactis in pelle Tauri dux Dulichius ab Æolo accepit, donum magnificum: atque progreſſum eſſe novem diebus vento propitio, & intuitum eſſe terram deſideratam, cùm Aurora decima ſeſe exhiberet, comites impulſos invidiâ, & deſiderio prædæ, putantes utri eſſe incluſam *auram, diſſolviſſe ventos; cum quibus retroceſſiſſe per aquas, per quas modo venerat, atque navem relatam eſſe ad portus regis Æolii. Inde, ait, venimus in antiquam urbem Lami Læſtrygonis.*

NOTÆ.

211. *Ejectantem*] *Eructantem* Heinſ. Ita enim Virg. de hâc re, *ſaniem eructans*, &c.

215. *Moriri*] Secundum quartam conjugationem verbum inflexit, quod ſæpius ſecundum tertiam invenitur. *Moriri* inſuper pro *moriendi* poſitum, ſyntaxi Græcâ.

219. *Fugam*] Geſtu indicavit ſe miſerum ibi relictum atque in navem percupere recipi.

220. *Graium*] Ut hinc Æneæ, aut certè poëtæ humanitas ſit maximè conſpicua, qui hoſtem miſeriâ atque periculis liberat.

221. *Tu quoque*] O Macareu.

223. *Tuſco*] *In mare Tuſcum, ubi Æolias inſulas ſitas eſſe vidimus, imperium tenere.*

224. *Hippotaden*] Filium Jovis ex Aceſtâ quæ Hippotæ Trojani filia.

225. *Incluſos*] Æolo ea poteſtas data eſt, quòd certiſſimè ventorum tempora atque impetum cognoſceret, aliiſque indicaret.

226. *Dulichium ducem*] Ulyſſem, qui ita dictus eſt à Dulichio, ubi regnavit.

233. *Lami*] Neptuni filius, antiquiſſimus rex Læſtrygonum, qui fuerunt populi feritate famoſi, in ultimo Italiæ habitantes. Ad eos cùm veniſſet Ulyſſes, Anthiphates regnabat, à quo nonnullis & navibus & ſociis fuit ſpoliatus. *Formiarum dicitur mœnia tenuiſſe latè Tyrannus*, in Campaniâ, ut ait Hor.

Venimus

Antiphates imperium tenebat in illâ regione. Ego sum missus ad hunc, duobus comitantibus, & vix servati sumus ego & socius meus fugâ: tertius ex nobis madefecit rictus impios Læstrygonis Antiphatæ suo sanguine. Antiphates persequitur fugientes, & convocat multitudinem Læstrygonum. *Conveniunt & sine intermissione jactant lapides & arbores; atque obruunt viros, obruunt naves. Una tamen elapsa est, quæ ferebat nos atque ipsum Ulyssem. Parte comitum amissâ, indignantes & multa conquesti devenimus ad illas terras, quas vides hinc procul: aspice, hinc tibi est procul cernenda insula à me conspecta. Tuque, ô æquissime Trojanorum, fili Deæ, neque enim finito bello appellandus es hostis, ô Ænea) hortor, vita littora Circes. Nos etiam nave vinctâ in littora Circæa, non oblíti Antiphatæ, & Cyclopis valde crudelis, noluimus ire, atque intrare domos incognitas. Delecti fuimus sorte. Sors misit me atque fidelem Politen, & unà Eurylocum, & Elpenorum nimis ebriosum, cum octodecim sodalibus ad urbem Circæam. Ad quam statim atque perveximus, & stetimus ad limen domûs, mille lupi, atque ursæ & leænæ missæ lupis incusserunt timorem occursu suo: sed nulla metuenda, nullaque erat impactura plagam nostro corpori. Quinetiam agitaverunt adulantes caudas per aërem atque, adblandientes prosequuntur vestra vestigia, donec ministræ nos excipiunt & deducunt ad dominam per aulas marmoreis tegmentis circumstratas. Illa sedet in pulchro secessu super solio conspicuo; & tecta pallâ splendenti, circumvelatur insuper veste auratâ.*

Venimus. Antiphates terrâ regnabat in illâ.
Missus ad hunc ego sum, numero comitante duorum:
Vixque fugâ quæsita salus comitique, mihique.
Tertius è nobis Læstrygonis impia tinxit
Ora cruore suo: fugientibus instat & agmen
Concitat Antiphates. Coëunt, & saxa trabesque
Continuant; merguntque viros, merguntque carinas:
Una tamen, quæ nos, ipsumque vehebat Ulyssen,
Effugit. Amissâ sociorum parte dolentes,
Multaque conquesti terris allabimur illis,
Quas procul hinc cernis. Procul hinc tibi (cerne) videnda est
Insula, visa mihi. Tuque, ô justissime Troûm
Nate Deâ (neque enim finito Marte vocandus
Hostis es, Ænea) moneo, fuge littora Circes.
Nos quoque Circæo religatâ in littore pinu
Antiphatæ memores, immansuetique Cyclopis,
Ire negabamus, & tecta ignota subire.
Sorte sumus lecti. Sors me, fidumque Politen,
Eurylochumque simul, nimiique Elpenora vini,
Bisque novem sociòs Circæa ad mœnia misit.
Quæ simul attigimus, stetimusque in limine tecti:
Mille lupi, mistæque lupis ursæque, leæque
Occursu fecêre metum: sed nulla timenda,
Nullaque erat nostro factura in corpore vulnus.
Quinetiam blandas movêre per aëra caudas,
Nostraque adulantes comitant vestigia: donec
Excipiunt famulæ, perque atria marmore tecta
Ad dominam ducunt. Pulchro sedit illa recessu,
Solenni solio; pallamque induta nitentem,
Insuper aurato circumvelatur amictu.

NOTÆ.

233. *In urbem venimus*] Quæ postea *Formiæ* dictæ sunt, Δάμος αἰπὺ πτολίεθρον, Homer.

234. *Antiphates*] Crudelissimus fuit Anthropophagus ex Lami posteris.

214. *Quas*] *Circæum* promontorium digito ostendebat Macareus olim insulam, nunc continenti junctum, ut patet ex Virgil. Æn. 7. Situm est autem in Latii extremâ orâ, ortum versus: atque ibi urbs fuit *Circæa*, à Circe sic dicta.

Ibid. *Procul videnda*] Neque enim tutum est accedere propiùs.

252. *Nimiique*] Al. *nimiùmque*. Nil. muta. Sic Horat. *Multi Damalis meri*. Idem tamen dixit *nimiùm mero Hylæum*. lib. 2. Ode 12.

253. *Bisque*] Homerus viginti duos præter Eurylochum memorat, Odyss. K, 208.

Ner-

Nereïdes, Nymphæque simul, quæ vellera motis
Nulla trahunt digitis, nec fila sequentia ducunt,
Gramina disponunt; sparsosque sine ordine flores
Secernunt calathis, variasque coloribus herbas.
Ipsa, quod hæ faciunt, opus exigit: ipsa, quid usus
Quoque sit in folio, quæ sit concordia mistis,
Novit: & advertens pensas examinat herbas.
Hæc ubi nos vidit, dictâ acceptâque salute,
Diffudit vultus, & reddidit omnia votis.
Nec mora; misceri tosti jubet hordea grani,
Mellaque, vimque meri, cum lacte coagula passo;
Quique sub hâc lateant furtim dulcedine, succos
Adjicit. Accipimus sacrâ data pocula dextrâ.
Quæ simul arenti sitientes hausimus ore,
Et tetigit summos virgâ Dea dira capillos;
(Et pudet, & referam) setis horrescere cœpi,
Nec jam posse loqui; pro verbis edere raucum
Murmur; & in terram toto procumbere vultu:
Osque meum sensi pando occalescere rostro:
Colla tumere toris: & quâ modò pocula parte
Sumta mihi fuerant, illâ vestigia feci.
Cumque eadem passis (tantùm medicamina possunt)
Claudor harâ: solumque suis caruisse figurâ
Vidimus Eurylochum: solus data pocula fugit.
Quæ nisi vitâsset, pecoris pars una maneret
Nunc quoque setigeri. Nec tantæ cladis ab illo
Certior ad Circen ultor veniisset Ulysses.
Pacifer huic dederat florem Cyllenius album,
Moly vocant Superi. Nigrâ radice tenetur.
Tutus eo, monitisque simul cœlestibus intrat
Ille domum Circes: & ad insidiosa vocatus

Nereïdes mistæ puellis, quæ nullas trahunt lanas agitatis digitis, neque ducunt fila sequacia, herbas in ordinem ponunt, atque discernunt in quasdam flores confusè positos, atque gramina distincta coloribus. Ipsa etiam in simili opere se exercet: ipse etiam scit, quæ sit virtus cujusque herbæ, quæ sit vis conjunctarum; atque sedula discutit gramina ponderata. Postquam illas nos intuita est, salute oblatâ atque redditâ exhilaravit faciem, & nobis ad omnia pro votis nostris benignè respondet. Atque omissâ cunctatione, imperat misceri grana hordei tosti, & mella, & copiam vini, cum lacte coagulato: & admiscet succos, qui clam sint sub hâc dulcedine. Sumimus pocula exhibita manu execrabili. Quæ statim atque siti compulsi bibimus ore sicco, & Dea crudelis attigit extremos capillos baculo; (Pudet me, sed tamen narrabo) cœpi aper fieri & setosus, atque jam non posse verba facere: loco vocum proferre raucum murmur; & dilabi in solum totâ facie: atque sensi metum os mutari in callum curvi rostri; colla extantibus carnibus tumida fieri: & quâ parte pocula à me accepta fuerant, illâ signavi vestigia. Et (tantùm valent medicinæ) cum sociis concludor suili stabulo: atque advertimus unicum Eurylochum in porcum non fuisse mutatum: unicus vitavit exhibita pocula. Quæ nisi effugisset, esset nunc etiam eorum unus, qui mutati erant in pecudes setiferas: Neque Ulysses certior factus tanti exitii ab illo ultus esset Circen. Cyllenius pacis conciliator illi dederat florem candidum: Dii appellant Moly. Alitur radice atrâ. Ille securus eo, atque simul documentis cœlestibus jubit domum Circes: atque illectus ad dolosa

NOTÆ.

270. *Pensas*] Nam Pharmaca, nisi penderentur, rectè componi non possunt.

272. *Diffudit*] Opponitur τὸ corrugare.

283. *Parte*] *Manus, quibus modo pocula sumpseram in crura anteriora versa.*

291. *Cyllenius*] *Mercurius* est, *à Cyllene Arcadiæ* monte, ubi educatus erat; qui *Moly* reperisse dicitur Homero.

291. *Florem*] Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἶκελον ἄνθος, Μῶλυ δὲ μιν κάλέεσι Θεοί. Homer, Odyss. 10. v. 304. Scribunt quidam hanc herbam à Mercurio Ulyssi datam, tanquam amuletum adversus veneficia præsentissimum. Alii Φρόνησιν, alii σωφρόσυνην interpretantur.

Po-

Pocula conantem virgâ mulcere capillos
Reppulit ; & ſtricto pavidam deterruit enſe.
Inde fides, dextræque datæ : thalamoque receptus
Conjugii dotem ſociorum corpora poſcit.
VI. Spargimur innocuæ ſuccis melioribus herbæ;
Percutimurque caput converſæ verbere virgæ :
Verbaque dicuntur dictis contraria verbis.
Quò magis illa canit, magis hoc tellure levati
Erigimur : ſetæque cadunt, bifidoſque relinquit
Rima pedes. Redeunt humeri : ſubjecta lacertis
Brachia ſunt. Flentem flentes amplectimur illum,
Hæremuſque ducis collo : nec verba locuti
Ulla priora ſumus, quàm nos teſtantia gratos.
Annua nos illic tenuit mora : multaque præſens
Tempore tam longo vidi, multa auribus hauſi.
Hoc quoque cum multis, quod clam mihi rettulit una
Quatuor è famulis, ad talia ſacra paratis.
Cum duce namque meo Circe dum ſola moratur,
Illa mihi niveo factum de marmore ſignum
Oſtendit, juvenile, gerens in vertice picum,
Æde ſacrâ poſitum, multiſque inſigne coronis.
Quis foret, et quare ſacrâ coleretur in æde,
Cur hanc ferret avem, quærenti, & ſcire volenti,
Accipe, ait, Macareu : dominæque potentia quæ ſit,
Hinc quoque diſce, meæ. Tu dictis adjice mentem.
VII. Picus in Auſoniis, proles Saturnia, terris
Rex fuit, utilium bello ſtudioſus equorum.
Forma viro, quam cernis, erat. Licet ipſe decorem
Aſpicias, fictâque probes ab imagine veram.
Par animus formæ. Nec adhuc ſpectâſſe per annos
Quinquennem poterat Graiâ quatèr Elide pugnam.

pocula, reppulit illam *nitentem tangere comam bacillo, & prohibuit trementem evaginato gladio. Inde fides* inita eſt, *& dextræ junctæ : atque admiſſus in lectum petit in præmium connubii*, ut reſtituat *corpora comitum* priſtinæ figuræ.

VI. *Irrigamur ſuccis melioribus graminis innocui : atque nobis percutitur caput ictu virgæ converſæ, & voces contrariæ vocibus prolatis proferuntur. Quò magis illa cantat, eò magis tollimur jublati ex terrâ, & ſetæ decidunt, & fiſſura deſerit pedes bifidos. Humeri redduntur, brachia ſubmittuntur lacertis.* Nos *lachrymantes amplectimur illum lachrymantem, atque manemus ſuſi in collo ducis ; neque protulimus ullas voces priores, quàm ſignificantes nos* fore *memores* tanti beneficii. *Ibi manſimus per annum : & cùm tam diu adfuerim, vidi plurima, accepi plurima auribus.* Audivi *hoc etiam cum plurimis, quod una ex quatuor ancillis inſtitutis ad ejuſmodi ſacra mihi clam narravit : namque, dum Circe ſola eſt cum meo duce, illa mihi monſtrat ſtatuam juvenis ſculptam ex candido marmore, ferentem picum in vertice collocatam in ſacello, atque ornatam multis ſertis. Cum exquirerem, & nôſſe cuperem, quiſnam is eſſet, & quamobrem coleretur in templo ſacro quare gereret hanc volucrem, Audi, inquit, Macaren : atque hinc cognoſce, quæ ſit poteſtas meæ dominæ. Tu attentum præbe animum* meis *ſermonibus.*

VII. *Picus filius Saturni rex fuit terris Italis, cupidus equorum generoſorum. Pulchritudo erat viro, qualem vides. Potes ferè ſpectare pulchritudinem, atque laudare veram* Pici formam ob ea quæ *à ſimulacro fictо* exhibetur. *Animus ſimilis erat pulchritudini : neque adhuc poterat per ætatem vidiſſe quater certamen quinquennale in Græca Elide.*

NOTÆ.

311. *Quatuor è famulis*] Ancillas quidam exponunt quatuor anni tempeſtates, alii elementa quatuor ; ipſem Circen interpretantur mixtionem, et alterationem diverſarum rerum, unde generentur omnia, beneficio Solis, cujus filia fuit Circe.

322. *Quam*] *Statuam & ſignum Pici oſtendit.*

324. *Nec adhuc*] Nondum natum fuiſſe dicit 20 annos.

325. *Elide*] Quæ regio eſt Peloponneſi, in quâ Piſa ſeu Olympia ad Alpheum fluvium, ubi ludi Olympici quinto quoque anno celebrati ſunt.

Ille

Ille suos Dryadas Latiis in montibus ortas
Verterat in vultus: illum fontana petebant
Numina Naïades, quas Albula, quasque Numici,
Quasque Anienis aquæ, cursuque brevissimus Almo,
Narq; tulit præceps, & amœnæ Farfarus umbræ; 330
Quæque colunt Scythicæ regnum nemorale Dianæ,
Finitimosque lacus. Spretis tamen omnibus unam
Ille fovet Nymphen, quam quondam in colle Palatî
Dicitur Iönio peperisse Venilia Jano.
Hæc, ubi nubilibus primùm maturuit annis, 335
Præpositio cunctis Laurenti tradita Pico est,
Rara quidem facie, sed rarior arte canendi;
Unde Canens dicta est. Silvas & saxa movere,
Et mulcere feras, & flumina longa morari
Ore suo, volucresque vagos retinere solebat. 340
Quæ dum fœmineâ modulatur carmina voce,
Exiêrat tecto Laurentes Picus in agros,
Indigenas fixurus apros: tergumque premebat
Acris equi; lævâque hastilia bina ferebat,
Phœniceam fulvo chlamydem contractus ab auro. 345

ille formæ suæ venustate in amorem illexit Dryadas natas in collibus Latinis: Naïades Deæ aquaticæ, quas Tibris, & quas atquæ Numici, & quas aquæ *Anienis, & Almo brevissimus cursu, & Nar celer habuit & Farfarus præbens gratam umbram, & quæ frequentant regnum nemorale Dianæ Scythicæ, & stagna proxima, illum cupiebant. Ille tamen, contemptis cæteris, amat unam Nymphan, quam Venilia dicitur peperisse olim Jano Iönio in monte Palatino. Postquam hæc præstans quidem formâ, sed præstantior peritiâ cantandi: ex quo vocata est Camens; primùm pervenit ad ætatem nubilem, data est Pico Laurenti qui omnibus erat prælatus. Consueverat attrahere arbores & lapides, & delinire feras, & sistere suo cantu longos fluviös, & corripere aves fugaces. Quæ dum modulatur versus voce muliebri. Picus prodiêrat domâ in campos Laurentes percussurus apros ibi versatos: atque equo insidebat generoso, & gerebat sinistrâ duo venabula, collectam habens chlamyden purpúream fibulâ aureâ.*

NOTÆ.

316. *Dryadas*] Nymphas dicit, quæ in *silvis vivere* credebantur, Pici amore fuisse correptas.

328. *Albula*] Tiberis est, qui priùs ab aquæ colore eo nomine appellatus.

Ib. *Numici*] Fluvius est Laurentis agri, in quo Æneam mersum fuisse ferunt.

329. *Anienis*] *Anio* fluvius est Latii non longè ab urbe in Tiberim defluens.

Ib. *Almo*] Fluvius haud longè ab urbe Româ distans, qui in Tiberim non longè à fonte influit; unde à Nostro *cursu brevissimus* dicitur.

330. *Nar*] Umbriæ hic est fluvius, in Tiberim quoquè labens.

Ib. *Farfarus*] Sabinorum est fluvius, qui per valles stagnans ripas habet plurimis arboribus consitas, à quibus amænæ diffunduntur umbræ.

331. *Scythicæ*] In *Chersonesо Tauricâ* sanguine exterorum, qui illic appellabant, colebatur Diana; quæ ab Oreste, ut quibusdam placet, *Atticiam* Latii oppidum oraculi jussu translata, tantâ ibi non culta fuit immanitate.

Ib. *Regnum nemorale*] Sacerdotium Dianæ Aricinæ vocabatur Regnum, & sacerdos ipse Rex, quem Suet. in Calig. *nemorensem regem* vocat.

333. *Palatî*] *Palatium mons* fuit unus ex septem Romæ maximè conspicuis, ubi Augustus Apollini ædem porticibus & bibliothecam celeberrimam extruxit.

334. *Iönio*] *Janus*, qui antiquissimus ideo *Iönius* dicitur, quòd Perrhœbus esset, atque adeò *Iönio* mari vicinus, illud superandum habuerit, cùm in Italiam venit.

Ib. *Venilia*] *Soror* una dicitur *Amatæ Latini uxoris*, & *mater Turni* à Virgilio; quæ quomodo *Jani uxor* esse potuerit, non video.

336. *Laurenti*] Qui *Laurento Latii oppido* ab ipso condito, non procul à Lavinio imperabat.

345. *Contractus*] Illud est, quod Maro ita expressit, Æneid. 9.

——— *Lato quam circum amplectitur auro*
Balteus, & tereti subnexit fibula gemmâ.

Filia Solis venerat etiam in eadem nemora; atque ut carperet raras quasdam *herbas in fertilibus montibus deseruerat montem Circæum appellatum suo nomine. Quas abscondita frondibus statim atque aspexit juvenem, hæsit attonita: gramina, quæ carpserat, exciderunt sinu, & ignis visus est currere per totas medullas. Postquam primùm respuit, & vindicavit se à potenti flammâ, voluit agnoscere, quid optaret. Impetus equi, & ministri circumfusi causæ fuerunt, ne posset accedere. Non tamen elaberis,* inquit, *quanquam ventis auferreris, si saltèm mihi perspecta jum, si omnis potentia graminum non effluxit, si mea carmina* non *me decipiunt. Dixit: & formavit speciem ficti apri sine omni corpore: atque imperavit transcurrere præter oculos regis, & videri subire silvam spissam arboribus, quâ ea est maximè opaca, & qua loca sunt impervia equo. Sine cunctatione, Picus nescius confestim persequitur umbram prædæ: atque properè deserit dorsum fumans equi: & sequens spem inanem vagatur pedes in excelsâ silvâ. Illa concipit preces, & profert incantamenta, & veneratur Deos ignotos obscuro carmine, quo & consuevit obscurare faciem Lunæ splendidæ, atque inducere nubila bibula capiti paterno. Tum etiam aer cogitur carmine cantato, & tellus emittit vapores: atque comites errant per obscuras vias, & rex caret satellitibus.* Circe *nacta locum et tempus, ô, inquit, per tuos oculos, qui corripuerunt meos, & per hanc speciem, formosissime, quæ causa est, ut* Ego, licèt, *Dea* sim, *te precor, fave nostro amori, atque sume tibi pro socero Solem, qui perspicit omnia;*

Venerat in silvas & filia Solis easdem:
Utque novas legeret fœcundis collibus herbas,
Nomine dicta suo Circæa reliquerat arva.
Quæ simul ac juvenem virgultis abdita vidit;
Obstupuit. Cecidêre sinu, quas legerat herbæ:
Flammaque per totas visa est errare medullas.
Ut primùm valido mentem collegit ab æstu:
Quid cuperet, fassura fuit. Ne posset adire,
Cursus equi fecit, circumfususque satelles.
Non tamen effugies, vento rapiare licebit,
Si modò me novi; si non evanuit omnis
Herbarum virtus, & me mea carmina fallunt.
Dixit; & effigiem nullo cum corpore falsi
Finxit apri: præterque oculos transcurrere regis
Jussit, & in densum trabibus nemus ire videri;
Plurima quâ silva est, & equo loca pervia non sunt.
Haud mora; continuò prædæ petit insscius umbram
Picus, equique celer fumantia terga relinquit.
Spemque sequens vanam, silvâ pedes errat in altâ.
Concipit illa preces, & verba venefica dicit;
Ignotosque Deos ignoto carmine adorat,
Quo solet & niveæ vultum confundere Lunæ,
Et patrio capiti bibulas subtexere nubes.
Tum quoque cantato densatur carmine cœlum,
Et nebulas exhalat humus; cæcisque vagantur
Limitibus comites; & abest custodia regi.
Nacta locum, tempusque, Per ô tua limina, dixit,
Quæ me acceperunt, perq; hanc, pulcherrime, formam,
Quæ facit ut supplex tibi sim Dea, consule nostris
Ignibus; & socerum, qui pervidet omnia, Solem

NOTÆ.

346. *Filia*] *Circe* scilicet.

354. *Circumfusus.* Non modò celerrimus equus Picum à Circes oculis abstulerat; verùm ut maxime constitisset, facilè non erat coram comitum latera stipantium agmine, de amore illum compellare.

362. *Umbram*] *Apum Circes veneficiis simulatum.*

366. *Ignoto*] *Non vulgo intellecto; magico.*

368. *Patrio*] *Soli.* Fabulam autem videtur exponere ipsa poëta.

369. *Densatur*] *In nubem cogitur aër,* ut inquit Virgilius.

373. *Mea*] *Ipsi tui oculi per meos oculos ad intima delapsi præcordia, meis medullis acerrimum commovent incendium,* inquit Apuleius Metamorph. lib. 10.

Accipe

Accipe: nec durus Titanida despice Circen.
Dixerat. Ille ferox ipsamque, precesque, repellit;
Et, quæcumque es, ait, non sum tuus; altera captum
Me tenet; & teneat per longum comprecor ævum:
Nec Venere externâ socialia fœdera lædam;
Dum mihi Janigenam servabunt fata Canentem.
Sæpe retentatis precibus Titania fruſtrà,
Non impunè feres, neque enim reddêre Canenti:
Læsaq; quid faciat, quid amans, quid fœmina, discet
Rebus, ait: sed amans, & læsa & fœmina, Circe.
Tum bis ad occasum, bis se convertit ad ortum:
Ter juvenem baculo tetigit: tria carmina dixit.
Ille fugit, sese solito velociùs ipse
Currere miratus, pennas in corpore vidit:
Seque novam subitò Latiis accedere silvis
Indignatus avem, duro fera róbora rostro
Figit; & iratus longis dat vulnera ramis.
Purpureum chlamydis pennæ traxêre colorem.
Fibula quod fuerat, vestemque momorderat aurum,
Pluma fit; & fulvo cervix præcingitur auro:
Nec quicquam antiqui Pico, nisi nomina, restat.

VIII. Interea comites clamato sæpe per agros
Nequicquam Pico, nullâque in parte reperto,
Inveniunt Circen (nam jam tenuaverat auras,
Passaque erat nebulas ventis ac sole resolvi)
Criminibusque premunt veris, regemque reposcunt,
Vimque ferunt; sævisque parant incessere telis.
Illa nocens spargit virus, succosque veneni:
Et Noctem, Noctisque Deos Ereboque Chaoque
Convocat, & magicis Hecaten ululatibus orat.
Exsiluêre loco (dictu mirabile!) silvæ:

neque immitis sperne Circen Titanida. Dixerat: ille ferox rejicit & ipsam & preces; atque, inquit, Quæcunque es, non sum tuus: alia tenet me captum, & oro ut illa teneat me per longum tempus; neque violabo jura connubialia Venere peregrinâ, quamdiu fata mihi indulgebunt Canentem Jani filiam. Titania, precibus sæpius iteratis fruſtrà; Non inultus discedes, inquit; neque verò reverteris ad Canentem: & scies experientiâ quid, quæ offensa est, præstare possit, quid amans, quid fœmina: atque Circe & offensa, & amans, & fœmina. Tum bis se convertit ad occasum, bis se contorquet ad ortum: ter tetigit juvenem virgâ, protulit tria carmina. Ille fugit, ipse miratus sese ferri celeriùs solito, advertit pennas in corpore: atque ægrè ferens se repentè accedere novam volucrem silvis Latinis percutit duras arbores sævo rostro, atque infensus impingit plagas oblongis ramis. Pennæ ceperunt colorem coccineum chlamydis: aurum quod fuerat uncinulus, atque conjunxerat amictus, fit pluma; & collum circumdatur flavo auro; nec quicquam supereſt antiqui Pico præter nomen.

VIII. *Interea comites, Pico sæpe fruſtrà vocato per campos, neque ullibi invento, incidunt in Circen (jam enim tenuaverat aërem, atque passa erat nubila dispergi ventis ac sole) atque coarguunt veris accusationibus, & repetunt regem, vimque intentant, & volunt irruere* in eam *feris hastilibus. Illa spargit perniciosum virus & succos venenatos, & congregat caliginem, & Deos Caliginis & Erebi & Chaos, atque precatur Hecaten magicis ululatibus, Silvæ (mirabile dictu) loco motæ sunt:*

NOTÆ.

376. *Titanida*] *Titanis sive Solis filiam.*

384. *Discet rebus*] Re ipsâ cognoscet.

385. *Circe*] Non sine lepore atque maximâ emphasi ultimò nominata est *Circe.*

387. *Ter juvenem*] Religionis summæ Pythagoricus hic numerus, & masculæ virtutis, & Deorum superûm, propter trinam regulam divinæ rationis.

391. *Rostro*] Felium enim more in subrecum ascendit, percussique corticis sono pabulum subesse intelligit. *A Woodpecker.*

399. *Tenuaverat*] Coactas nubes & densatum aërem solverat.

404. *Erebo*] Quæ profundissima est inferorum sedes; ubi etiam Erebus Deus, ex Chao & Calligine procreatus.

Ibid. *Chao*] Quod omnium rerum confusa moles, ex quâ omnia derivata: vel etiam Deorum omnium antiquissimus, ex quo cæteri propagati.

405. *Hecaten*] Dianam dicit, quæ veneficiis atque incantamentis præfuit.

& terra ingemuit, & arboros proximæ palluerunt: & gramina humida facta sunt sparsa guttis cruentis: & saxa visa proferre rauces mugitus; & canes latrare; & terra exudare nigris anguibus, & exiles umbræ mortuorum volitare. Vulgus attonitum prodigiis tremit. Illa tetigit vultus attonitos trementium baculo incantato: ex cujus contactu prodigia diversarum ferarum invadunt juvenes. Nulli sua forma supererat.

Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbos:
Sparsaque sanguineis maduerunt pabula guttis;
Et lapides visi mugitus edere raucos;
Et latrare canes; & humus serpentibus atris
Squallere, & tenues animæ volitare silentûm.
Attonitum monstris vulgus pavet. Illa paventûm
Ora venenatâ tetigit mirantia virgâ.
Cujus ab attactu variarum monstra ferarum
In juvenes veniunt. Nulli sua manſit imago.

IX. *Sol occidens tetigerat Hesperia, & maritus nequiquam erat exspectatus oculis atque mente Canentis. Ministri una cum plebe discurrunt per omnes silvas, atque ferunt lucernas obvias. Neque satis est Nymphæ ejulare, & discerpere comam & seſe plangere; quanquam facit hæc omnia: exsilit, atque amens vagatur per campos Latinos. Sex noctes & totidem dies solis revertentis conspexerunt illam, expertem somni & alimenti, errantem per cacumina montium & per valles, quà fortuna ferebat. Tiberis novissimus vidit illam exhaustam mœrore & itinere, atque demittentem artus in ripâ frigidâ: Ibi lugens etiam ipsos mœrores non sine modulatione exprimens, proferebat voces sono exiguo cum fletibus, ut aliquando cygnus jam moriturus modulatur cantus ante funera. Denique habens medullas extenuatas fletibus defecit; & paulatim disjecta est in subtilem aërem. Fama tamen mansit loco, quem antiquæ Musæ appellârunt Canentem, ut par fuit, de nomine Nymphæ.*

IX. Presserat occiduus Tarteſſia littora Phœbus:
Et fruſtrà conjux oculis, animoque Canentis
Exſpectatus erat. Famuli, populuſque per omnes
Diſcurrunt ſilvas, atque obvia lumina portant.
Nec ſatis eſt Nymphæ flere, & lacerare capillos,
Et dare plangorem; facit hæc tamen omnia: ſeſe
Proripit, ac Latios errat veſana per agros.
Sex illam noctes, totidem redeuntia Solis
Lumina viderunt, inopem ſomnique, cibique,
Per juga, per valles, quà fors ducebat, euntem.
Ultimus aſpexit feſſam luctuque, viâque
Tibris, & in gelidâ ponentem corpora ripâ.
Illìc cum lachrymis ipſos modulata dolores,
Verba ſono tenui mœrens fundebat; ut olim
Carmina jam moriens canit exequialia cygnus:
Luctibus extremùm tenues liquefacta medullas
Tabuit: inque leves paulatim evanuit auras.
Fama tamen ſignata loco eſt; quem ritè Canentem
Nomine de Nymphæ veteres dixêre Camœnæ.

NOTÆ.

411. *Tenues*] Umbras dicit ſine corpore.

Ib. *Silentûm*] *Silentes* pro *umbris*, paſſim apud poëtas: ſic Æacus *jura ſilentibus reddere* dicitur, Met. 13.

412. *Vulgus*] De Pici comitibus ſermo eſt.

413. *Tetigit*] Neque hodiernæ veneficæ, niſi ſingulatim aut peculiari quodam modò ſingulis attributo, veneno nocere videntur.

416. *Tarteſſia*] *Occidentalia: Tarteſſus* enim, quam Mela alibique *Carthaginem* vocant, eſt oppidum Hiſpaniæ Bœoticæ inter Calpen, & Belotum. Secundum verò vulgarem opinionem à littore Heſperio proſpicientibus ſol in oceano, tanquam in plano, occidere videtur.

419. *Obvia*] *Pico*, ſi forte reperire poſſent.

430. *Canit*] Mirùm eſt, quòd non poëtæ modò ſed oratores, philoſophi inſuper hanc eandem fabulam de cygni ferali cantu inculcaverint, qui non aliam quam raucam vocem ſolitus eſt prodere.

432. *Evanuit*] Aptiſſimâ certè metamorphoſi, ſiquidem *Vocis* ea ſit natura, ut poſt breve aliquod temporis ſpatium *tenues vaneſcat in auras.*

Tali

Talia multa mihi longum narrata per annum,
Visaque sunt: resides & desuetudine tardi
Rursus inire fretum, rursus dare vela jubemur.
Ancipitesque vias, & iter Titania vastum
Dixerat, & sævi restare pericula ponti.
Pertimui, fateor; nactusque hoc littus adhæsi.
X. Finierat Macareus: urnâque Æneïa nutrix
Condita marmoreâ, tumulo breve carmen habebat:
Hîc me Caieten notæ pietatis alumnus
Ereptam Argolico, quo debuit igne, cremavit.
Solvitur herboso religatus ab aggere funis:
Et procul insidias, infamatæque relinquunt
Tecta Deæ; lucosque petunt, ubi nubilus umbrâ
In mare cum flavâ prorumpit Tibris arenâ,
Faunigenæque domo potitur natâque Latini;
Non sine Marte tamen. Bellum cum gente feroci
Suscipitur; pactâque furit pro conjuge Turnus.
Concurrit Latio Tyrrhenia tota: diuque
Ardua sollicitis victoria quæritur armis.
Auget uterque suas externo robore vires:
Et multi Rutulos, multi Trojana tuentur
Castra. Neque Æneas Evandri ad limina frustra,
At Venulus magnam profugi Diomedis ad urbem

Multa ejusmodi mihi relata atque visa per longum annum: segnes atque ignavi desuetudine denuò jubemur inire mare, atque pandere carbasa. Titania admonuerat de itinere dubio atque de ejus longitudine, & superesse discrimina asperi matris. Agnosco me expavisse atque nactus has oras hîc mansi.

X. Absolverat Macareus: & Æneæ nutrix composita in urnâ marmoreâ habebat brevem titulum sepulchro inscriptum: *Alumnus celebris pietate hîc cremavit igne, quo debuit, me Cajetam servatam ab* igne *Græco. Vincula nexa expediuntur ab aggere gramineo, atque longè deserunt insidias & domum Deæ famosæ, & accedunt ad lucos, ubi Tibris, opacus arborum umbris, defluit in mare cum fulvâ glareâ. Atque* Æneas *potitur domo & filiâ Latini, qui Fauni filiis erat, non tamen sine bello. Bellum geritur cum natione sævâ; & Turnus sævit pro sponsâ promisâ. Tota Tuscia congreditur cum Latio, & victoria difficilis diu quæritur bello anxio. Uterque augat suas opes viribus peregrinis; & multi stant à partibus Rutulorum, multi à partibus Trojanorum. Neque Æneas accesserat incassùm ad ædes Evandri, at Venulus* frustrà venerat *ad ingentem urbem profugi Diomedis.*

NOTÆ.

455. *Longum*] Quo apud Circen Macareus, una cum Ulysse atque sociis commoratus erat.

438. *Ancipites*] *Multis periculis obsitas.*

Ib. *Titania*] *Circe* est.

441. *Æneïa*] *Cajeta:* quæ ibi sepulta portui & urbi nomen suum dedit, quod hodieque permanet.

444. *Argolico igne*] Quo à Græcis incensum fuit Ilium. *Quo debuit*] Funebri.

445. *Funis*] Quo Æneæ naves alligatæ erant.

449. *Faunigenæ*] Latini, qui Fauno & Maricâ genitus est.

Ib. *Natâ*] *Laviniâ.*

450. *Marte*] Namque gravissimum bellum adversus Turnum & Rutulos, gentem ferocem, gessit.

451. *Pactâ*] Lavinia est, quam mater Amatâ, (ut est fœminarum pervicacia) Turno, invitis Fauni oraculis, quæ illum externo marito addicebant, Latino insuper marito reluctante promiserat.

452. *Tyrrhenia*] Quæ Trojanis favet adversus Turnum; ut Virgil.

453. *Ardua*] Siquidem Dii ipsi sæpius de eâ contenderint. Junone Turno, Venere sub præsertim favente Æneæ.

455. *Rutulos*] Latii fuerunt populi Turno subditi.

Ib. *Multi*] Recensentur omnes à Marone Æn. 7. à v. 794.

456. *Evandri*] Rex fuit Arcadiæ, qui cùm patrem imprudens occidisset, atque regno pulsus esset, Carmentæ matris fatidicæ hortatu in Italiam venit, atque victis Aboriginibus ea loca tenuit, ubi postea Roma condita fuit. Is Æneam consiliis, atque copiis auxiliaribus juvit.

457. *Venulus*] Qui à Turno ad Diomedem missus orator, frustrà auxilium petivit.

Ib. *Diomedis*] Rex fuit Ætoliæ, idemque bello fortissimus, qui à bellò Trojano reversus, cùm adulteram sibique insidiantem Ægialen uxorem cognovisset, in Italiam profugit; ubi Dauni Apuliæ regis filiam cum parte regni suam fecit Argyripam insuper condidit.

Ille quidem posuerat vastissimos muros sub Dauno Iapyge, & possidebat agros dotales. Sed postquam Venulus enarravit jussa Turni, & popposcit suppetias, heros Ætolius excusat se quò minùs opem ferat: & ait se non cupere ut ad bellum mittat subditos sui soceri: neque habere viros ex numero suorum quos armare possit. Neve credatis hæc esse ficta, tametsi mœror redintegretur crudeli admonitu, sustineam tamen referre. Postquam sublimis Troja deflagravit, & arces Illiacæ pabulo fuerunt igni Græco; & heros Narycius, virgine sublatâ, pœnam, quam ipse solus à virgine meruit, in omnes Græcos sparsit, nos Græci divellimur, & ablati ventis per infensa maria, ferimus fulmina, caliginem, nimbos, iram cœli & occani & in summam exitii Caphareum. Neve detineam vos memorans singulatim luctuosos eventus; Græcia tum potuit videri lugenda etiam Priamo. Favor tamen armigeræ Palladis sustulit ex undis me custoditum. Verùm rursus ab Argis patriis

Venerat. Ille quidem sub Iapyge maxima Dauno
Mœnia condiderat, dotaliaque arva tenebat.
Sed Venulus Turni postquam mandata peregit,
Auxiliumque petit; vires Ætolius heros
Excusat. Nec se soceri committere pugnæ
Velle sui populos, nec, quos è gente suorum
Armet, habere viros. Neve hæc commenta putetis,
(Admonitu quanquam luctus renoventur amaro)
Perpetiar memorare tamen. Postquam alta cremata est
Ilion, & Danaas paverunt Pergama flammas;
Naryciusque heros, à virgine, virgine raptâ,
Quam meruit solus pœnam, digessit in omnes;
Spargimur; & ventis inimica per æquora rapti,
Fulmina, noctem, imbres, iram cœlique, marisque
Perpetimur Danaï, cumulumque Capharea cladis.
Neve morer referens tristes ex ordine casus;
Græcia tum potuit Priamo quoque flenda videri.
Me tamen armiferæ servatum cura Minervæ
Fluctibus eripuit. Patriis sed rursus ab Argis

NOTÆ.

458. *Iapyge*] Apulò: ut 6 lib. Fast. Et *generum Oenidèn, Apule Daune, tuum.* Confunduntur hæc nomina, Apulia, Calabria, Iapygia: quæ propriè continet Messapios, Peucetios, Daunios. *Cluver.* lib. 4. cap. 10.

459. *Dotalia*] In dotem uxoris à socero Dauno accepta.

461. *Ætolius*] *Diomedes*, quem antea in Ætoliâ imperium habuisse diximus.

466. *Postquam*] *Hic incipit Diomedis oratio ad Venulum.* Vide similem in Virg. Æneid. 11. sub initio.

468. *Narycius*] Locrensis: fuit enim *Narynx*, quæ & *Narycium* & *Naryce* dicitur, urbs Locridis. De Ajace autem Oïlei hîc agitur, qui ob stupratam Cassandram regiam virginem in ipso Minervæ templo, non in se tantùm, sed in omnes Græcos numinis iram concitavit. Nam in patriam navigantes, & ipse, maximâ ortâ tempestate, fulmine percussus est, alii per maria fuêre disjecti: Æneid. *Unius ob noxam & furias Ajacis Oïlei*, &c.

Ib. *Virgine*] *Minervâ*; quam dicit Virgil. Græcòs tempestate oppressisse; Æn. 1.

——*Pallasne exurere classem*
Argivum, &c.——

Ib. *Virgine*] *Cassandrâ.*

472. *Capharea*] Illud Eubœæ promontorium Virgilius hâc causâ *ultorem* dixit. Nauplius Palamedis filii mortem iniquo animo ferens, Minervæ suasu, Græcis tempestate laborantibus faces, quasi portûs signa, ex Caphareo extulit, quò cùm appellere niterentur, in cautes Euboïcas naufragi interiêrunt.

474. *Priamo*] Utcumque infensissimo hosti, siquidem à Græcis regno, liberis, vitâ denique spoliatus erat. Diomedes apud Virg. Æn. 11.

Vel Priamo miseranda manus——

475. *Armiferæ*] *Nam & Dea belli.*

476. *Argis*] Argos enim Peloponnesi urbem Tydeus, Ætoliæ regno pulsus ad Adrastum confugerat; ubi ex Deiphyle hujus filiâ Diomedem suscepit.

477. *Vulnere*] Nam in bello Trojano Diomedes cum Æneâ congressus, cùm ibi eum auxilio Veneris eripi viderit, in ipsam Deam sagittas conjecit. Quare irata Dea à Diomede uxoris Ægiales (Sthenelì amoribus jam vacantis) animum sic abalienavit, ut illum ab excidio Trojano reversum accipere noluerit.

Pellor:

Pellor: & antiquo memores de vulnere pœnas
Exigit alma Venus: tantosque per alta labores
Æquora sustinui, tantos terrestribus armis;
Ut mihi felices sint illi sæpe vocati,
Quos communis hyems, importunisque Caphareus
Mersit aquis: vellemque horum pars una fuissem.
Ultima jam passi comites belloque, fretoque
Deficiunt; finemque rogant erroris. At Agmon
Fervidus ingenio, tum verò & cladibus asper,
Quid supereſt, quod jam patientia vestra recuset
Ferre, viri? dixit. Quid habet Cytherea, quod ultra
(Velle puta) faciat? nam dum pejora timentur,
Est in vota locus: fors autem ubi pessima rerum,
Sub pedibus timor est, securaq; summa malorum: 490
Audiat ipsa, licèt; licèt, ut facit, oderit omnes
Sub Diomede viros; odium tamen illius omnes
Spernimus, & magno stat magna potentia nobis.
Talibus invitam Venerem Pleuronius Agmon
Instimulat verbis; veteremque resuscitat iram. 495
Dicta placent paucis. Numeri majoris amici
Agmona corripimus: cui respondere paranti
Vox pariter, vocisque via est tenuata; comæque
In plumas abeunt: plumis nova colla teguntur,
Pectoraque, & tergum: majores brachia pennas 500
Accipiunt; cubitique leves sinuantur in alas.
Magna pedum digitos pars occupat, oraque cornu
Indurata rigent; finemque in acumine ponunt.
Hunc Lycus, hunc Idas, & cum Rhetenore Nycteus,
Hunc miratur Abas; et dum mirantur, eandem 505
Accipiunt faciem: numerusque ex agmine major
Subvolat, et remos plausis circumsonat alis.

rejicior; atque alma Venus recordans vulneris antiqui, à me illati, repoſcit pœnas: & passus jam tantos labores per profunda maria, tantos armis ter ſtribus, ut illi ſint ſæpe dicti beati à me, quos publica tempeſtas & Caphareus abſorbuit aquis pernicioſis; optaremque ut fuiſſem pars una eorum. Socii jam paſſi extrema bello & mari me volunt derelinquere & orant finem itineris. At Agmon vehementi animo præditus, tum verò etiam fævior factus ex malis: Quid reſtat, inquit, quod veſtra virtus jam non patiatur viri? quid habet Cytherea, quod amplius cupere eam putaremus? nam dum graviora metuuntur, locus eſt precibus relictus; cùm verò peſſimus eſt rerum ſtatus, pavor protritus eſt, ſumma malorum minimè ſunt timenda. Quanquam ipſa audiat; tametſi, ut facit, odio habeat omnes viros Diomede duce navigantes, nihilominus omnes contemnimus illius odium, & contrà magnum eſt nobis magna vis. Agmon Pleuronius talibus verbis provocat Venerem nolentem, & accendit antiquam illius iram. Hæc verba probantur à paucis. Plures amici arguimus Agmonem, cujus volentis reſpondere vox ſimul & meatus vocis tenuis & exiguus eſt; & capilli vertuntur in plumas, collum in novam formam converſum velatur plumis, tum pectore & dorſo: lacerti induunt majores pennas, & leves cubiti curvantur in alas: magna pars pedum à digitis fuit occupata, & os cornu rigidum induratur, & deſinit in acuminatum roſtrum. Lycus, atque Idas, & Nycteus cum Rhetenore hunc mirantur; & dum ſtupent, aſſumunt eoſdem vultus; & potior numerus ex multitudine comitum evolat, & ſtrepit circum remos alis cum crepitu quodam motis

NOTÆ.

484. *Erroris*] Eo nomine etiam appellantur *itinera*, quæ per *incertum mare* ſuſcipiuntur: Ut *Æneæ errores* dicimus.

487. *Cytherea*] *Venus* Diomedi infenſa, à *Cytheris* ſic dicta, in quam inſulam illa primum conchâ marinâ dicitur advecta.

490. *Sub pedibus timor eſt*] Nihil timetur.

Ib. *Securaq;*] *Fortuna miſerrima tuta eſt, ut* noſter, lib. 2. de Pont. Eleg. 2.

493. *Magno*] Hôc ſibi vult, *Veneris inſultibus, majorem ſuam cognoſci potentiam.*

494. *Pleuronius*] *Ex Pleurone Ætoliæ oppido oriundus.*

495. *Veterem*] *Ob vulnus ſibi à Diomede impactum.*

Si petis quænam sit facies avium repentinarum; non prorsùs hæc eadem est cum formâ candidâ cygnorum, sed tamen ad eam quàm proximè accedit. Ægrè equidem, gener Dauni Iapygis servo hanc habitationem, & agros aridos cum minimâ parte meorum.

Si volucrum quæ sit subitarum forma requiris;
Ut non cygnorum, sic albis proxima cygnis.
Vix equidem has sedes, & Iapygis arida Dauni
Arva gener teneo minimâ cum parte meorum.

XI. Hactenus Oenides. Venulus deserit regna Calydonia, & sinus Peucetios, atque campos Messapios: in quibus cernit speluncas, multis arboribus opacas, & stillantes levibus aquis, quas Pan, qui dimidiâ parte caper est, nunc possidet; at Nymphæ olim possidebant. Pastor Apulus tremefecit illas fugaces ex illâ regione, atque primò movet repentino metu: mox postquam collegerunt animum, & spreverunt persequentem, agitaverunt chorcas pedibus pro numerorum varietate motis. Pastor has culpat; atque illas simulans sultu rustico adjecit probra insulsa turpibus verbis. Neque antè siluit, quàm arbor reduxit fauces. Facile est verò intelligere mores ex arbore atque ejus fructu: namque oleaster indicat probrum linguæ baccis austeris. Acerbitas dictorum transit illas.

XI. Hactenus Oenides. Venulus Calydonia regna,
Peucetiosque sinus, Messapiaque arva relinquit:
In quibus antra videt; quæ multâ nubila silvâ,
Et levibus stagnis manantia, semicaper Pan
Nunc tenet; at quodam tenuerunt tempore Nymphæ.
Appulus has illâ pastor regione fugatas
Terruit; & primò subitâ formidine movit:
Mox, ubi mens rediit, & contempsêre sequentem;
Ad numerum motis pedibus duxêre choreas.
Improbat has pastor: saltuque imitatus agresti,
Addidit obscœnis convicia rustica dictis.
Nec priùs obticuit, quàm guttura condidit arbor.
Arbore enim succoque licet cognoscere mores.
Quippe notam linguæ baccis oleaster amaris
Exhibet. Asperitas verborum cessit in illas.

XII. Postquam legati inde reversi sunt, nunciantes arma sibi denegata, Rutuli gerunt bella parata. Ne illis copiis; & multum sanguinis funditur ab utrâque parte. Ecce Turnus infert rapaces tædas ineptas pinetas; & illi, quibus fluctus non nocuerunt, reformidant flammas. Jamque ignis incendebat picem, & ceras, & reliqua fomenta flammæ; atque ad lintea per excelsum malum scandebat: & transtra cavæ navis fumum emittebant:

XII. Hinc ubi legati rediêre, negata ferentes
Arma Ætola sibi, Rutuli sine viribus illis
Bella instructa gerunt; multumq; ab utrâq; cruoris
Parte datur. Fert ecce avidas in pinea Turnus
Texta faces: igneſq; timent, quibus unda pepercit.
Jamq; picem, & ceras, alimentaque cætera flammæ
Mulciber urebat, perque altum ad carbasa malum
Ibat: & incurvæ fumabant transtra carinæ:

NOTÆ.

509. *Cygnis*] *Ardeæ* sunt seu *Erodii*, *Oloritus similes*. Angl. *Herons*.

512. *Oenides*] *Diomedes Oenei nepos.*

Ib. *Calydonia*] Ea pars Apuliæ, quam in dotem Diomedes à Dauno acceperat, eo nomine appellatur, quia ille rex olim Ætoliæ *Calydonius* etiam à *Calydone Ætoliæ* urbe dicebatur.

513. *Peucetios*] *Apulos.* Namque in quas partes divisa Apulia, quarum alia ad ortum *Peucetia*, alia ad occasum *Daunia* appellatur. Utraque ad mare Adriaticum porrecta, atque Aufido, acri fluvio, divisa.

Ib. *Messapia*] Messapium peninsulam, in quâ Calabri & Silentini.

515. *Pan*] Deus pastorum, qui à parte posteriori capro similis pingebatur.

525. *Notam*] Amarulentiam, quâ lingua notabatur.

528. *Ætola*] *Diomedis Ætoli.*

530. *Pineæ*] Naves indicat Æneæ, in quas Turnus ignem immisit.

533. *Mulciber*] *Vulcanus*, qui à *mulcendo* ferro ita dictus. Atque is pro *igne* ponitur.

Cùm

Cùm memor has pinus Idæo vertice cæsas
Sancta Deûm genitrix, tinnitibus aëra pulsi
Æris, & inflati complevit murmure buxi.
Perque leves domitis invecta leonibus auras,
Irrita sacrilegâ jactas incendia dextrâ,
Turne, ait, eripiam; nec me patiente cremabit
Ignis edax nemorum partes & membra meorum.
Intonuit dicente Deâ: tonitrumque secuti
Cum saliente graves ceciderunt grandine nimbi:
Aëraque, & subitis tumidum concursibus æquor
Astræi turbant, et eunt in prælia, fratres.
E quibus alma parens unius viribus usa,
Stupea prærumpit Phrygiæ retinacula classis:
Fertque rates pronas, imoque sub æquore mergit.
Robore mollito, lignoque in corpora verso,
In capitum faciem puppes mutantur aduncæ.
In digitos abeunt, & crura natantia, remi:
Quodque priùs fuerat, latus est: mediisque carina
Subdita navigiis, spinæ mutatur in usum.
Lina comæ molles, antennæ brachia fiunt.
Cœrulus, ut fuerat, color est: Quasque antè timebant,
Illas virgineis exercent lusibus undas
Naïdes æquoreæ; durisque in montibus ortæ
Molle fretum celebrant: nec eas sua tangit origo.
Non tamen oblitæ, quàm multa pericula sævo
Pertulerint pelago, jactatis sæpe carinis
Suppositêre manus: nisi si qua vehebat Achivos.
XIII. Cladis adhuc Phrygiæ memores odêre Pelasgos:

cùm sancta mater Deorum recordans has arbores fuisse excisas jugis Idæis, implevit aërem tinnitibus æris, & sono tibiæ inflatæ: atque vecta per tenuem aërem leonibus sub jugum missis. Fruſtrà, inquit, immittis ignes manu impiâ, Turne; eximam, neque me finente, flammæ rapax absumet partes & membra earum silvarum. Æther insonuit, Deâ verba faciente; & densi imbres secuti sunt tonitru cum grandine saliente: & fratres Astræi confundunt aërem, & mare inflatum repentinis concursibus, & inter se concurrunt. E quibus alma mater Cybele *usa impetu unius priùs divellit vincula Phrygiæ classis, & rapit naves pronas, & deprimit in profundum mare. Duritie emollitâ, atque ligno mutato in artus, puppes curvæ vertuntur in speciem capitum, remi mutantur in digitos & pedes natantes; &, quod fuerat antea, est latus, & carinæ substrata mediis navibus vertitur in spinam. Carbasa abeunt in flexiles capillos, antennæ in lacertos. Color est cæruleus, ut priùs fuerat: atque Naiades marinæ agitant lusibus virgineis illos fluctus, quos antea reformidabant; & natæ in asperis collibus frequentant molle æquor, neque curant suam originem. Non tamen immemores, quàm multa discrimina sint perpessæ in mari tumultuoso, submiserunt crebrò manus navibus agitatis,* ut iis opem ferrent, *nisi iis navibus quæ ferebant Græcos.*

XIII. *Nondum oblitæ Phrygii excidii, odio persequuntur Achivos:*

NOTÆ.

535. *Idæo*] Idæ Montis Phrygiæ.

536. *Genitrix*] *Cybele est:* De his navibus à Cybele in Nymphas mutatis, ne à Turno exurerentur Vid. Virg. Æn. 9.

Ib. *Tinnitibus*] Illud habuit cum Baccho commune bona hæc mater, ut incondito tympanorum & fistularum strepitu fuiralique ululatu, sacra ejus fierent.

538. *Leonibus*] Ab his Cybeles currum trahi finxit antiquitas.

545. *Astræi*] *Venti, Astræi* gigantis & Auroræ filii.

547. *Stupea*] Funis, quo navis littori alligatur. Græcis dicitur ἔμβολιον & πεῖσμα Latinis verò *ora*, ut Quintil. *Substratæ sunt anchoræ, solvimus oram.*

548. *Mergit*] Ex eo quòd aquis extingueretur ignis à Turno Æneæ navibus immissus, fabulam contexuit Virgilius, eas in Nymphas esse conversas.

553. *Spinæ*] Carina, quæ pars est navis infima, seu trabs, cui cæteræ adherent, in spinam dorsi fuit mutata

562. *Phrygiæ*] Quasi Nymphæ Græcos Trojani excidii ulcisci cuperent.

atque ſpectaverunt fragmenta navis Neritiæ hilari facie. Et hilares viderunt puppim Alcinoï verti in ſcopulum & rupem adnaſci ligno.

XIV. *Spes erat, claſſe animatâ in Nymphas æquoreas, Rutulum poſſe omittere bellum timore prodigii. Pergit: atque pars utraque habet Deos; & habent animos, qui ſunt inſtar Deorum, neque jam quærunt regna dotalia, nec ſceptrum ſoceri, nec te, virgo Lavinia: ſed victoriâ potitos eſſe: & gerunt bella præ pudore ne alteruter videatur ſuſceptam cauſam deponere. Atque tandem Venus cernit arma victricia filii; & Turnus procumbit: Ardea, vocata potens Turno incolumi, ruit; quam poſtquam ſævus ignis conſumſit; & domus ſunt abſconditæ ſub calido cinere, præpes tum primum cognita evolat è medio cumulo, atque excutit favillas alis percuſſis. Et vox, & macies, & pallor, & omnia quæ conveniunt urbi domitæ, nomen etiam urbis illi manſit, atque ipſa Ardea deplangitur ſuis pennis.*

XV. *Jamque virtus Æneæ cœgerat omnes Deos ipſamque Junonem finem imponere antiquæ iræ, cùm opibus Aſcanii creſcentis bene conſtitutis, heros Cythereïus erat maturus cœlo; atque Venus ambiêrat Deos; & projecta in collum Jui patris, Nunquam, dixerat, mihi immitis pater ullo tempore, pretor ſis nunc benigniſſimus, atque optime, concedas illi numen eſſe quantumvis exiguum, dummodo aliquod eſſe concedas meo Æneæ, qui fecit te avum de noſtro ſanguine.*

Neritiæque ratis viderunt fragmina lætis
Vultibus. Et lætæ vidêre rigeſcere puppim
Cautibus Alcinoï; ſaxumque increſcere ligno.
XIV. Spes erat, in Nymphas animatâ claſſe marinas,
Poſſe metu monſtri Rutulum deſiſtere bello.
Perſtat; habetq; Deos pars utraque: quique Deorum
Inſtar, habent animos. Nec jam dotalia regna,
Nec ſceptrum ſoceri, nec te, Lavinia virgo,
Sed viciſſe petunt: deponendique pudore
Bella gerunt. Tandemque Venus victricia nati
Arma videt: Turnuſque cadit; cadit Ardea Turno
Soſpite dicta potens. Quam poſtquam barbarus ignis
Abſtulit; & tepidâ latuerunt tecta favillâ,
Congerie è mediâ tum primùm cognita præpes
Subvolat: & cineres plauſis everberat alis.
Et ſonus, & macies, & pallor, & omnia, captam
Quæ deceant urbem, nomen quoque manſit in illâ
Urbis: & ipſa ſuis deplangitur Ardea pennis.
XV. Jamque Deos omnes, ipſamque Æneïa virtus
Junonem veteres finire coëgerat iras:
Cùm, bene fundatis opibus creſcentis Iüli,
Tempeſtivus erat cœlo Cythereïus heros;
Ambiêratque Venus Superos: colloque parentis
Circumfuſa ſui, Nunquam mihi, dixerat, ullo
Tempore, dure pater, nunc ſis mitiſſimus oro;
Æneæque meo, qui te de ſanguine noſtro
Fecit avum, quamvis parvum, des, optime, numen;

NOTÆ.

563. *Neritiæ*] *Ulyſſis*, qui Ithacæ regnavit, ubi mons Neritus.

565. *Alcinoï*] Qui rex Phæacûm Ulyſſem è naufragio enatantem hoſpitio excepit: navique inſtruxit, quâ in Ithacum veheretur: quam quidem Neptunus Polyphemi filii ultor in ſcopulum mutavit: ut refert Homer Odyſſ. 13.

566. *Animetâ*] Mutata in Nymph.s.

568. *Pars utraque*] Trojana & Rutula, illa Venerem habuit, hæc Junonem, *Sat fatis Veneríque datum, &c. Sed & mea contrà fata mihi, &c.* Turnus 9. Æn. 137.

570. *Soceri*] *Latini regis.*

572. *Natæ*] *Æneæ.*

573. *Turnus*] Quem Æneas interfecit; ut ex Marone intelligitur.

Ib. *Ardea*] Quæ urbs Latii, Turni regia.

574. *Barbarus*] *Trojanus.* Nam Trojani aliique omnes à Græcis *barbari* habiti, mòx etiam Latinis. Heinſius legendum cenſet *Dardanus ignis.*

576. *Præpes*] *Avis*, quæ altiùs volat, ut ſolent Ardeæ. In auguriis felices aves *præpetes* dicuntur. Agell. lib. 6. cap. 6.

581. *Ipſamque Junonem*] Quæ ſemper ei adverſata fuerat.

584. *Cythereius*] *Æneas Veneri Cythereæ filius.*

585. *Parentis*] *Jovis.*

Dum-

Dummodo des aliquod. Satis est inamabile regnum
Aspexisse semel, Stygios semel isse per amnes.
Assensere Dei: nec conjux regia vultus
Immotos tenuit; placatoque annuit ore.
Tum pater, Estis, ait, cœlesti munere digni,
Quæque petis, pro quoque petis. Cape, nata, quod optas.
Fatus erat. Gaudet, grateque agit illa parenti:
Perque leves auras junctis invecta columbis
Littus adit Laurens, ubi tectus arundine serpit
In freta flumineis vicina Numicius undis.
Hunc jubet Æneæ, quæcunque obnoxia morti,
Abluere; & tacito deferre sub æquora cursu.
Corniger exsequitur Veneris mandata: fuisque
Quicquid in Æneâ fuerat mortale repurgat,
Et respergit aquis. Pars optima restitit illi.
Lustratum genitrix divino corpus odore
Unxit, & ambrosiâ cum dulci nectare mistâ
Contigit os; fecitque Deum: quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, temploque, arisque recepit.

XVI. Inde sub Ascanii ditione binominis Alba

Satis est vidisse semel regnum horrendum, transisse semel per fluvios inferos. Dii annuerunt; neque uxor regia habuit faciem immotam, annuit etiam vultu placato. Tum pater inquit, Estis ambo digni dono cœlesti, & tu quæ poscis, & ille pro quo poscis: sume, filia, quod cupis. Absolverat. Illa agit gratias patri; atque lata per subtilem aërem junctis columbis accedit ad littus Laurens, ubi fluvius Numicius velatus cannis volvitur in mare fluctibus flumineis: Huic imperat, ut repurget quæcunque in Æneâ erant subjecta morti, & vehere sub maria leni fluxu. Corniger perficit jussa Veneris, atque abluit suis aquis quicquid in Æneâ fuerat morti obnexium, atque undis respergit. Pars optima illi permansit. Mater imbuit corpus purgatum divino odore, & tetigit faciem ambrosiâ mistâ cum suavi nectare: atque fecit Deum: quem populus Romanus vocat Indigetem, & recepit in templa atque altaria.

XVI. *Postquam* hæc fuerint transacta, *Alba atque imperium Romanorum fuit sub potestate*

NOTÆ.

590. *Regnum*] Plutonis, quod Sibyllæ ope, patris videndi causâ, Æneas subierat.

593. *Immotos*] Quales habent qui annuere noluat.

597. *Columbis*] A quibus Veneris currum trahi voluerunt poëtæ, propter earum libidinem scilicet.

598. *Littus*] Quòd non longè à Lavinio, ubi Æneas regnabat, à Laurento, vicinâ urbe, sic dictum.

599. *Numicius*] Latii fluvius. *Secundum inde prælium Latinis, Æneæ etiam ultimum mortalium operum fuit*; inquit Liv. lib. 1. Namque ibi pugnans cùm in flumine interiisset nec corpus inveniretur, ad Deos migrasse credebatur.

600. *Hunc*] Scilicet per mortem quicquid morti obnoxium deponimus.

602. *Corniger*] *Numicius.* Diximus enim sæpius, propter divergentem cursum, fluviis *cornua* tribui.

604. *Optima*] *Animam*, effluvium divinitatis.

606. *Ambrosiâ*] Quæ cibus est Deorum jucundissimus: sicut *Nectar* eorundem potus suavissimus. Utrumque immortalitatem significat & sæpe confunduntur.

607. *Quirini*] *Romuli*: quem in cœlo *Quirinum* vocari scripsit Florus. Atque per eum Romani intelliguntur.

608. *Indigetem*] Quos sua merita, ut inquit Tullius, in cœlum vocarunt & Diis adscripserunt, illi, quòd, antè in terris agentes, nunc nullius rei egentes in Diis agerent, *Indigetes* dicti sunt.

Ib. *Templo*] Æneæ tanquam Heroï Latini sacellum dicaverunt cum inscriptione hujusmodi: Πατρὸς Θεᾷ χθονίᾳ ἐς πατραμᾶ Νομικίᾳ ῥεῦμα διεπει. Dionys. lib. 1.

609. *Binominis*] Nam & *Iülus* dictus.

Ib. *Alba*] Quam Ascanius condidit, Lavinio novercæ relicto.

Resque

Ascanii, qui duo habuit nomina. Silvius succedit illi: cujus filius Latinus sumsit nomina iterata cum veteri sceptro: Alba succedit illustri Latino, tum subit Epitus, Capetus & Capys hunc sequuntur, sed Capys fuit prior. Tiberinus sumpsit sceptrum post illos: atque extinctus in fluctibus fluvii Tusci dedit nomen aquæ. Ex quo & sævus Remulus & Acrota sunt orti. Remulus ætate major, simulator fulminis, interiit ictu fulmineo. Acrota lenior fratre suo dedit sceptrum strenuo Aventino, qui sepultus est in eodem colle, in quo regnaverat, atque imposuit nomen colli. Jamque Proca obtinebat imperium in gentem Palatinam. Sub hoc rege Pomona vixit, quâ nulla inter Hamadryadas Latinas coluit hortos majori industriâ; neque alia fuit magis dedita fructibus arboreis, à quibus habet nomen. Illa non deligit nemora, neque fluvios, sed campos, & arbores proferentes poma felicia. Neque manus est armata venabulo, sed curvâ falce, quâ nunc coërcet arborum luxuriem, & reprimit ramos passim porrectos: nunc immittit surculum in divisum corticem, & præbet humorem surculo ex alia arbore in aliam translato.

Resque Latina fuit. Succedit Silvius illi; 610
Quo satus, antiquo tenuit repetita Latinus
Nomina cum sceptro: clarum subit Alba Latinum:
Epitos ex illo est. Post hunc Capetusq; Capysque;
Sed Capys ante fuit. Regnum Tiberinus ab illis
Cepit: & in Tusci demersus fluminis undis 615
Nomina fecit aquæ. De quo Remulusq; feroxque
Acrota sunt geniti: Remulus maturior annis
Fulmineo periit imitator fulminis ictu.
Fratre suo sceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Aventino: qui, quo regnârat, eodem 620
Monte jacet positus; tribuitque vocabula monti.
Jamque Palatinæ summam Proca gentis habebat.
Rege sub hoc Pomona fuit: quâ nulla Latinas
Inter Hamadryadas coluit solertiùs hortos,
Nec fuit arborei studiosior altera fœtûs: 625
Undè tenet nomen. Non silvas illa, nec amnes;
Rus amat, & ramos felicia poma ferentes.
Nec jaculo gravis est, sed adunca dextera falce:
Quâ modò luxuriem premit, & spatiantia passim
Brachia compescit, fissâ modò cortice virgam 630
Inserit; & succos alieno præstat alumno.

NOTÆ.

610. *Silvius*] Tantis tenebris involuta sunt rei Romanæ primordia, ut neque sibi constent ipsi auctores, qui de iis scripserunt: ne miretur quisquam ab hoc nostro Dionysium, ab utroque Livium in recensendâ Albanorum regum genealogiâ dissentire. Hanc habet posteriorem: Ascanius primus est; 2 Silvius Posthumus Æneæ filius; 3. Æneas Silvius: mansit enim *Silvius*, postea omnibus Albanis regibus cognomen, nomen, sicut *Cæsar* Romanis Imperatoribus: 4 Latinus: 5 Alba; 6 Atys; (Dionysio Capetus seu Calpetus; 6 Tiberinus; 10 Remulus; 11 Agrippa, qui nostro Acrota; 12 Aventinus; 13 Procas; 14 Amulius Numitor.

611. *Repetita*] Latinum habuimus supra Laviniæ patrem.

Ib. *Latinus*] Silvii Æneæ filius, Posthumi nepos. Post Latinum autem alii recensent Albam: post Albam hîc Ovidius Epitum vocat.

615. *Tusci*] *Albulæ* cui à submerso Tiberino, *Tiberis* datum nomen.

616. *De quo*] Post Tiberinum, Agrippam Silvium numerant, Tiberini filium, qui annos regnavit tres & triginta. Post Agrippam autem Remulum hujus filium, quem tamen Dionysius *Alladium* vocat.

618. *Imitator fulminis*] Cùm enim vellet videri *imitari* fulmina; à Jove vero fulmine percussus est.

621. *Vocabula monti*] Aventinus enim unus ex septem Romæ collibus, ab Aventino Rege, ibi sepulto, cognominatus fuit.

622. *Summum gentis*] Pro *imperio* in eam gentem quæ circa Palatium & ea loca, ubi postea Roma condita. Dionysius verò post Aventinum, Procam numerat, patrem Amulii & Numitoris.

623. *Pomona*] Pomorum Dea, à quibus nomen habuit. *Poma* autem dicuntur, quoscunque fructus arbores, seu plantæ esui aptos profundunt.

629. *Luxuriem*] *Luxuriari* dicuntur arbores, quæ nimias frondes protudunt.

Nec

Nec patitur sentire sitim: bibulæque recurvas
Radicis fibras labentibus irrigat undis.
Hic amor, hoc studium: Veneris quoque nulla cupido.
Vim tamen agrestum metuens, pomaria claudit
Intus: & accessus prohibet, refugitque viriles.
Quid non & Satyri saltatibus apta juventus
Fecêre, & pinu præcincti cornua Panes,
Silvanusque suis semper juvenilior annis,
Quique Deus fures vel falce vel inguine terret,
Ut poterentur eâ? sed enim superabat amando
Hos quoque Vertumnus: neque erat felicior illis.
O quoties habitu duri messoris aristas
Corbe tulit; verique fuit messoris imago!
Tempora sæpe gerens fœno religata recenti,
Defectum poterat gramen versâsse videri.
Sæpe manu stimulos rigidâ portabat; ut illum
Jurares fessos modò disjunxisse juvencos.
Falce datâ frondator erat, vitisque putator.
Induerat scalas, lecturum poma putares.
Miles erat gladio, piscator arundine sumtâ.
Denique per multas aditum sibi sæpe figuras
Reperit, ut caperet spectatæ gaudia formæ.
Ille etiam pictâ redimitus tempora mitrâ,
Innitens baculo, positis ad tempora canis,
Assimilavit anum: cultosque intravit in hortos,
Pomaque mirata est: Tantòque potentior, inquit;
Paucaque laudatæ dedit oscula, qualia nunquam

Neque sinit sitire, & irrigat fibras sinuosas siticulosæ radicis aquis fluentibus. Hic illi erat *amor, hoc studium; nullum etiam desiderium habuit connubii. Nihilominus reformidans violentiam rusticorum claudit intus pomaria, & impedit atque vitat accessus viriles. Quid non fecerunt & Satyri, juventus prona in saltationes, & Panes habentes cornua circumdata pinu, & Silvanus semper juvenilior quàm ætas ipsius ferebat, & Deus qui tremefacit fures vel falce vel inguine, ut eam consequerentur? Verùm enimverò Vertumnus præcellebat etiam illis amando; neque erat beatior illis. O quoties portavit aristas corbe, specie asperi messoris, & fuit imago veri messoris! Sæpe habens tempora vincta novo fœno, poterat videri is, qui metebat herbas rectas. Sæpe ferebat aculeos manu durâ, ut assereres illum modò jugo levâsse tauros lassos. Falce oblatâ erat frondium putator, & vitis amputator. Sumserat scalas, credereres collecturum poma. Erat miles ense* cinctus, *piscator virgâ captâ. Denique crebrò sibi paravit accessum per multas formas, ut frueretur voluptate visæ pulchritudinis. Ille etiam habens tempora involuta mitrâ pictâ, innitens scipione, capillis albis affixis temporibus imitatus est vetulam, atque subiit cultos hortos, & mirata est poma: Et, inquit, O virgo tantò potentior: atque obtulit pauca suavia laudatæ, qualia nunquam*

NOTÆ.

633. *Fibras*] Tenuiores & subtiliores *radices*, quæ terræ humorem exsugunt.

637. *Satyri*] De Satyris, Silvanis atque omni cornuto & capripedi falsissimo genere jam sæpius mentio est facta.

639. *Juvenilior*] Quia ut senex, sicuti à Marone dicitur, non ideo tamen minùs festivus, aut amori deditus.

640. *Deus*] Priapum dicit hortorum Deum, Bacchi & Veneris filium, pudendis suis ita turpem, ut fures etiam, si Naso credas, proterrere potuerit.

642. *Vertumnus*] Fuit unus ex Diis Latinis, qui à vertendo, quod in formas omnes sese verteret, illud nomen impositum. Romæ sacellum habuit. Festa ejus *Vertumnalia* dicta, quæ mense Octobri celebrantur.

647. *Sæpe manu*] Sæpe, inquit, in bubulcum Vertumnus mutabatur, ut Pomonâ potiri posset.

650. *Scalas*] Quibus utuntur qui poma ex arboribus, diu servanda, colligunt.

653. *Spectatæ formæ*] Al. *speratæ*. Apud Terentium tamen *formarum spectator*.

657. *Tantòque*] *Quantò cultiores hortos habet.* Verùm ea ellipsis vetulæ optimè sapit familiarem eandemque callidam agendi rationem.

vera anus obtulisset; & gibbosâ sedit super cespite, suspiciens ramos incurvatos onere Autumni. Ulmus erat in conspectu vastis racemis turgidis; quam postquam laudavit unà cum vite conjunctâ, At, inquit, si esset stipes sine vite, nihil haberet quamobrem desideraretur præter folia. Hæc etiam vitis socia, quæ composita est super ulmo, si non esset juncta, jaceret humi prostrata. Tu tamen non moveris exemplo hujus arboris, atque vitas connubium, neque cupis te viro conjungere. Atque utinam cuperes! Helena non esset quæsita à pluribus procis; nec quæ caussa fuit certaminum Lapithæiorum; nec uxor Ulyssi qui contra timidos audax erat. Nunc etiam, cùm vites atque odio habeas ambientes, mille proci optant, & semidei, Deique & omnia numina quæ colunt colles Albanos. Verùm tu, si sapias, si velis feliciter nubere, atque auscultare huic vetulæ (quæ diligo te plùs quàm illi omnes, plùs quàm tu existimas) spernes vulgares nuptias, atque selige tibi Vertumnum socium lecti: pro quo accipias me etiam in pignus. Neque enim ille est sibi magis perspectus quàm mihi. Nec ille tanquam erro exspatiatur passim per universum mundum. Frequentat hæc sola loca. Nec, sicut magna pars procorum, diligit quam vidit ultimam: tu eris illi primus atque novissimus amor; & devovet tibi soli suam vitam. His addet etiam, quod juvenis sit, & pulcher dono quodam peculiari naturæ atque eleganter se fingit in omnes figuras, & fiat quod erit jussus, quamvis omnia jubeas. Quid quòd diligitis idem? quòd habet primus poma, quæ coluntur à te, & tractat manu hilari tua dona?

Vera dedisset anus: glebâque incurva resedit.
Suspiciens pandos Autumni pondere ramos.
Ulmus erat contrà spatiosa tumentibus uvis:
Quam sociâ postquam pariter cum vite probavit;
At si staret, ait, cœlebs sine palmite truncus,
Nil præter frondes, quare peteretur, haberet.
Hæc quoque, quæ junctâ vitis requiescit in ulmo,
Si non nupta foret, terræ acclinata jaceret.
Tu tamen exemplo non tangeris arboris hujus;
Concubitusque fugis; nec te conjungere curas.
Atque utinam velles! Helene non pluribus esset
Sollicitata procis: nec quæ Lapitheïa movit
Prælia, nec conjux timidis audacis Ulyssei.
Nunc quoque, cùm fugias averseriscque petentes,
Mille proci cupiunt; & semideique, Deique,
Et quæcunque tenent Albanos numina montes.
Sed tu, si sapies, si te benè jungere, anumque
Hanc audire voles (quæ te plùs omnibus illis,
Plùs quàm credis, amo,) vulgares rejice tædas;
Vertumnumque tori socium tibi selige: pro quo
Me quoq; pignus habe. Neq; enim sibi notior ille est,
Quàm mihi. Nec toto passim vagus errat in orbe.
Hæc loca sola colit. Nec utì pars magna procorum,
Quam modò videt, amat. Tu primus & ultimus illi
Ardor eris; solique suos tibi devovet annos.
Adde, quòd est juvenis; quòd naturale decoris
Munus habet; formasq; aptè fingetur in omnes;
Et, quod erit jussus (jubeas licèt omnia) fiet.
Quid, quòd amatis idem? quòd, quæ tibi poma coluntur,
Primus habet; lætâque tenet tua munera dextrâ?

NOTÆ.

660. *Autumni*] *Pomorum*, quæ per autumni tempus maturescunt.

663. *Cœlebs*] Sine conjuge, *sc.* vite. Vites enim sic ulmos amplectuntur, ut uxores viros. Hinc *nupta vitis* & *marita ulmis* non poëtis tantùm, sed & Columellæ ac aliis rei rusticæ scriptoribus passim dicta.

670. *Quæ*] *Hippodamia.*

671. *Timidis audacis*] (i. e.) *in timidos.* Talis constructio occurrit lib. 10. v. 543.—— *Fortisque fugacibus esto.* Ita & Ammian. Mar. de Crocodilo; *audax monstrum fugacibus.*

676. *Hanc*] Seipsum indicat Vertumnus in vetulam mutatus.

688. *Primus*] Vertumno dicabantur fructuum primitiæ.

Sed

Sed neque jam fœtus desiderat arbore demptos,
Nec quas hortus alit, cum succis mitibus herbas;
Nec quicquam, nisi te. Miserere ardentis: & ipsum
Qui petit, ore meo præsentem crede precari.
Ultoresque Deos, & pectora dura perosam
Idalien, memoremque time Rhamnusidis iram.
Quòq; magìs timeas (etiam mihi multa vetustas
Scire dedit) referam totâ notissima Cypro
Facta; quibus flecti facilè & mitescere possis.
Viderat à veteris generosam sanguine Teucri
Iphis Anaxareten humili de stirpe creatus.
Viderat; & totis perceperat ossibus æstum.
Luctatusque diu, postquam ratione furorem
Vincere non potuit, supplex ad limina venit.
Et modò nutrici miserum confessus amorem,
Ne sibi dura foret, per spes oravit alumnæ.
Et modò de multis blanditus cuique ministris,
Sollicitâ petiît propensum voce favorem.
Sæpe ferenda dedit blandis sua verba tabellis:
Interdum madidas lachrymarum rore coronas
Postibus intendit: posuitque in limine duro
Molle latus, tristique feræ convicia fecit.
Surdior illa freto surgente cadentibus Hœdis,
Durior & ferro, quod Noricus excoquit ignis,
Et saxo, quòd adhuc vivum radice tenetur;

Sed neque nunc cupit fructus ereptos arboribus, neque herbas quas hortus nutrit cum succis mitibus, nec quicquam præter te, Miserere amore *flagrantis; atque puta ipsum, qui petit, præsentem orare verbis meis, & reverere Deos vindices, & Idalien aversantem corda sæva, & iram memorem Rhamnusidis. Et quò magìs timeas (namque ætas dedit mihi multa cognoscere) narrabo facta maximè nota per totam Cyprum, quibus possis facile duci atque deliriri. Iphis natus ex parentibus plebeiis conspexerat nobilem Anaxareten* ortam *ex sanguine veteris Teucri. Conspexerat, atque conceperat amorem totis ossibus; & diu repugnans, postquam non potuit superare æstum ratione, supplex venit ad januam; & nunc confessus infelicem amorem nutrici* Anaxaretæ *precatus est per spem alumnæ, ne sibi esset crudelis: nunc adulans singulis famulis, imploravit favorem benevolum voce anxiâ. Plerùmque credidit sua verba ferenda lenibus tabellis: nonnunquam affixit januæ serta humida rore lachrymarum suarum; atque deposuit tenerum latus super rigidum limen; & jecit probra in duram seram. Illa surdior mari turbato Hœdis occidentibus & rigidior ferro, quod ignis Noricus excoquit, & silice vivo, qui adhuc adhæret locis nativis:*

NOTÆ.

693. *Dura*] *Amori minùs obsequentia.*

694. *Idalien*] Venerem dicit, ab Idalio Cypri nemore sic dictam.

Ib. *Rhamnusidis*] Nemesis est Jove & Necessitate, vel Oceano & Nocte genita, scelerum, superbiæ præsertim ultrix, & virtutum remuneratrix, quid quemque facere deceatque ostendens: quæ à Rhamnunte Atticæ oppido, ubi templum habuit, *Rhamnusia* seu *Rhamnusis* dicta est.

696. *Cypro*] Quæ maris Mediterrani insula, Veneri sacra.

698. *Teucri*] Telamonis fuit filius, qui à patre domo pulsus propter Ajacis fratris inultam necem, profugus in Cyprum, ibidem novam Salamina condidit.

703. *Missum*] Siquidem eam, à quâ non amaretur, perditè amaret.

710. *Tristi*] *Quæ tristem amatorem faciebat.*

711. *Hœdis*] Stellis duabus infra capram sub humero Erichthonii, seu Aurigæ, quæ ortu atque occasu suo tempestates circe dicuntur.

712. *Noricus*] Qui apud Noricos, qui Austriæ vel Bavariæ (ut vocant hodie) populi fuerunt, optima ferri vena, & temperatura. Plin. lib. 3. c. 14.

713. *Quòd adhuc*] Hoc est: quod nondum, è terrâ est effossum. Saxa enim nondum à suâ radice avulsâ, & *viva* dicuntur, & duriora sunt, *Saxi radices* dixit Lucretius: & *viva saxa* noster Metam. lib. 7.

Spernit

contemnit atque irridet, & immitis adjicit factis crudelibus voces feroces, atque subtrahit etiam spem omnem amanti. Iphis impatiens longi doloris non sustinuit cruciatus: atque protulit has ultimas voces ad januam: Vincis, Anaxarete; neque tandem ulla molestia tibi mei causâ ferenda erit: adorna festivos triumphos, & cita Pæanem, & coronare splendidâ lauro. Namque tu victoriâ potiris, atque ego ultro morior: age, dura, lætare. Certè cogeris probare aliquid quod ad me pertinet; atque erit quo tibi sim acceptus, & agnosces nostrum meritum. Scias tamen me non priùs amisisse tui amorem quàm vitam: atque sum privandus simul duplici lumine. Neque rumor meæ mortis accedet tibi nuncius: ipse ego, ne dubites præsens ero, atque videbor tibi adstare, ut oblectes tuos sævos oculos corpore exsangui. Si tamen, ô Dii, aspicitis sortes hominum, este mei memores: lingua nihil potest amplius proferre, atque præstate ut vivat nostri memoria per longum ævum, & indulgete famæ annos quos sustulistis vitæ. Abjolvit; & tollens oculos madidos & lacertos pallentes ad postes crebrò decoratos sertis, cùm januæ affigerit extremitatem funis. Hæ coronæ, inquit, tibi sunt gratæ, sæva atque scelesta, Atque immisit caput, sed tum etiam conversus ad illam: & pondus luctuosum pependit compresso jugulo. Porta percussa ictu pedum tremebundum visa est strepitum fecisse similem gementi multa: & cùm esset reserata, exhibuit facinus. Ministri vociferantur, & reportant eum nequiquam sublatum ad ostium genetricis; nam pater Iphidis erat mortuus. Illa accipit in gremium, & amplexa artus gelidos sui filii, postquam locuta & fecisset ea

Spernit, & irridet; factisque immitibus addit
Verba superba ferox: & spe quoque fraudat amantem.
Non tulit impatiens longi tormenta doloris
Iphis; & ante fores hæc verba novissima dixit:
Vincis, Anaxarete: neque erunt tibi tædia tandem
Ulla ferenda mei. Lætos molire triumphos,
Et Pæana voca, nitidâque incingere lauro.
Vincis enim, moriorque libens: age, ferrea, gaude.
Certè aliquid laudare mei cogeris, eritque
Quo tibi sim gratus; meritumque fatebere nostrum.
Non tamen antè tui curam cessisse memento,
Quàm vitam: geminâque simul mihi luce carendum.
Nec tibi fama mei ventura est nuncia leti;
Ipse ego, ne dubites, adero: præsensque videbor,
Corpore ut exanimi crudelia lumina pascas.
Si tamen, ô Superi, mortalia fata videtis,
Este mei memores; nihil ultra lingua precari
Sustinet; & longo facite ut memoremur in ævo;
Et quæ demsistis vitæ, date tempora famæ.
Dixit: & ad postes ornatos sæpe coronis
Humentes oculos & pallida brachia tendens,
Cùm foribus laquei religaret vincula summi;
Hæc tibi serta placent, crudelis & impia, dixit.
Inseruitque caput; sed tum quoque versus ad illam:
Atque onus infelix elisâ fauce pependit.
Icta pedum motu trepidantûm, ut multa gementem
Visa dedisse sonum est, adapertaq; janua factum
Prodidit; exclamant famuli; frustràque levatum
(Nam pater occiderat) referunt ad limina matris.
Accipit illa sinu, complexaque frigida nati
Membra sui, postquam miserarum verba parentum

NOTÆ.

720. *Pæana*] Hoc est, *Hymnis lætitiæ, cujusmodi à triumphantibus canuntur, utere.* Ab Apolline autem *Pæanes* initium sumpserunt, in cujus honorem, post occisum Pythona serpentem, hymnus hujus generis cantatus est.

Ib. *Incingere*] Coronare viridi lauro; id quod triumphantes solent.

722. *Cogeris*] Quia illam superbam denique deserebat.

725. *Geminâ*] *Vitâ meâ, & te, qui mihi altera luce es.*

736. *Hæc*] *Corpora amantium ad fores, coronarum loco, suspensa.*

739. *Trepidantûm*] Ut mos est eorum, qui suspendio vitam finiunt.

Edidit

Edidit, & matrum miserarum facta peregit;
Funera ducebat mediam lachrymosa per urbem,
Luridaque arsuro portabat membra feretro.
Fortè viæ vicina domus, quâ flebilis ibat
Pompa, fuit: duræque sonus plangoris ad aures
Venit Anaxaretes: quam jam Deus ultor agebat.
Mota tamen, Videamus, aït, miserabile funus:
Ex patulis iniît tectum sublime fenestris.
Vixque bene impositum lecto prospexerat Iphin;
Diriguêre oculi: caliduſque è corpore sanguis
Inducto pallore fugit. Conataque retro
Ferre pedes, hæsit: conata avertere vultus,
Hoc quoque non potuit: paulatimque occupat artus,
Quod fuit in duro jam pridem pectore, saxum.
Neve ea ficta putes, dominæ sub imagine signum
Servat adhuc Salamis: Veneris quoque nomine templum
Prospicientis habet. Quorum memor, ô mea, lentos
Pone, precor, fastus, & amanti jungere, Nymphe.
Sic tibi nec vernum nascentia frigus adurat
Poma; nec excutiant rapidi florentia venti.
Hæc ubi nequicquam formas Deus aptus in omnes
Edidit; in juvenem rediît; & anilia demit
Instrumenta sibi. Talisque apparuit illi,
Qualis ubi oppositas nitidissima Solis imago
Evicit nubes, nullâque obstante reluxit:
Vimque parat: sed vi non est opus, inque figurâ
Capta Dei Nymphe est, & mutua vulnera sentit.

XVII. Proximus Ausonias injusti miles Amulî

quæ matres infelices solent; præibat exequias flebilibus per mediam urbem, atque ferebat artus cæruleos lecto flagraturo. Fortè domus fuit proxima vico, quâ pompa procedebat; atque sonitus planctûs permeavit ad aures Anaxaretes, quam jam Deus vindex persequebatur. Tacta tamen, Aspiciamus, inquit, lamentabiles exequias: atque ascendit in excelsum cubiculum *fenestris apertis. Vixque bene prospexerat Iphin impositum feretro, cùm oculi indurati sunt; & sanguis calidus excessit ex corpore, pallore ingruente, atque conata retro ferre pedes correpta est: conata dimovere oculos, neque id potuit: atque paulatim filicis duritiei, quæ fuit jam diu in rigido corde, invadit membra. Neve credas ea esse falsa; Salamis servat adhuc statuam sub figurâ dominæ: habet etiam templum dicatum Veneri prospicienti. Quorum recordans, ô mea, ora omitte diuturnam superbiam, & ô Nympha nube amanti. Sic neque frigus vernum tibi adurat poma nascentia; neque impetuosi venti dejiciant florentia. Postquam Deus, qui sibi omnes figuras adaptare poterat, frustrà hæc protulit, redîit in juvenilem formam atque exuit cultus, quibus anum simulaverat, & talis visus est illi, qualis ubi sol splendidissimus superavit nubes objectas, atque relpenduit nullâ prohibente, vimque parat: sed nihil est opus violentiâ: & Nympha correpta est formâ Dei, & sentit vulnera* amoris *reciproca.*

XVII. *Miles iniqui Amulii proximus occupavit*

NOTÆ.

746. *Funere ducebat*] Mater ducit funera quia prima in pompâ funeris.

747. *Lurida*] *Livido colore*, qualia solent esse corpora, quæ ex præcluso spiritu violentâ morte pereunt.

750. *Ultor*] *Nemesis.*

758 *Jam pridem*] Hoc dicit, quia *Amori non cesserat Anaxarete.*

760. *Salamis*] Cypri urbs Teucro, Telamonis filio, condita.

761. *Prospicientis*] Venus ita dicta est, quòd Anaxareten de fenestrâ funera Iphidis *prospicientem* in saxum mutaverit.

766. *Anilia*] *Baculum* puta, *canos*, &c. Vide suprà 655.

771. *Nymphe*] *Pomona.*

Ib. *Mutua vulnera*] Nam & ipsa Vertumni amore cœpit ardere.

772. *Proximus*] *Qui à Procâ regnum Albanorum obtinuit.* Amulius enim, pulso fratre Numitore, ejusdemque filio Lauso perempto, illud invasit. Is tamen à Remo & Romulo Rheæ ex Marte filiis, quam Numitor genuerat, denique fuit interfectus: atque idem avum suum solio reddiderunt.

Ib. *Injusti*] Quippe qui fratrem exturbaverit

Rexit

regnum Italiæ: & Numitor senex imperio, à quo depulsus erat ab Amulio, iterum, *potitur, beneficio nepotum: & muri urbis ponuntur festis Palilibus. Et Tatius & patres Sabini bella movent, & post viam arcis apertam* virgo *Tarpeia efflavit animam digno supplicio, armis* scilicet in eam *injectis. Inde orti Curibus more luporum silentium ore retinent vocem, atque aggrediuntur Romanos somno superatos, & eunt ad portas, quos* Romulus *Iliæ filius observaverat forti repagulo. Attamen ipsa Juno aperuit unam, neque sonum reddidit cardine moto. Sola Venus advertit retinacula valvarum dimota esse; atque fuit obturatura, nisi quòd nunquam fas est Diis evertere facta* aliorum *deorum. Naïdes Italicæ obtinebant loca finitima Jani* lacello *irrigua fonte gelido, petit ab his suppetias. Neque Nymphæ restiterunt Deæ poscenti*

Rexit opes: Numitorque senex amissa nepotum
Munere regna capit: festisque Palilibus urbis
Mœnia conduntur. Tatiusq; patresque Sabini
Bella gerunt: arcisque viâ Tarpeia reclusâ
Digna animam pœna congestis exuit armis.
Inde sati Curibus, tacitorum more luporum,
Ore premunt voces; & corpora victa sopore
Invadunt: portasque petunt: quas obice firmâ
Clauserat Iliades. Unam tamen ipsa recludit,
Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit.
Sola Venus portæ cecidisse repagula sensit;
Et clausura fuit; nisi quòd rescindere nunquam
Diis licet acta Deûm. Janoloca juncta tenebant
Naïdes Ausoniæ gelido rorantia fonte:
Has rogat auxilium, nec Nymphæ justa petentem
Sustinuêre Deam: venasque & flumina fontis
Elicuêre sui. Nondum tamen invia Jani
Ora patentis erant, neque iter præcluserat unda.
Lurida supponunt fœcundo sulfura fonti,
Incenduntque cavas fumante bitumine venas.
Viribus his aliisque vapor penetravit ad ima
Fontis: & Alpino modò quæ certare rigori
Audebatis aquæ, non ceditis ignibus ipsis.
Flammiferâ gemini fumant aspergines postes:

æqua: atque eduxerunt venas & rivos suæ scaturiginis. Nondum tamen aditus Jani aperti erant præclusi, neque aqua impediverat viam. Submittunt igitur pallida sulfura scatenti fonti atque accendunt venas illius *sinuosas bitumine ardenti, & calor penetravit ad intimos recessus scaturigenis his viribus atque aliis; & aquæ, quæ modò poteratis contendere cum frigiditate Alpinâ, non ceditis ipsis flammis. Utrique postis fumat rore calido:*

NOTÆ.

773. *Nepotum*] *Remi & Romuli.*

774. *Palilibus*] Quæ *Pali Pastorum Deæ* 12 *Calend. Maias* erant dicata: quo die urbis Romæ fundamenta à Remo atque Romulo jacta sunt. Dicuntur etiam et *Parilia* à partu pecorum.

775. *Tatius*] Sabinorum dux acerrimus, qui propter Sabinarum raptum, gravissimum bellum Romanis intulit; atque pace factâ in regni partem acceptus est.

776. *Tarpeia*] Sp. Tarpeii, arcis Romanæ præfecti, fuit filia, quæ hostibus arcem prodidit, ornamentis capta quæ illi in sinistris gestabant: Cùm verò ambiguis verbis ea promisissent, ut & fidem datam servarent, atque infidam ulciscerentur, scuta pro armillis in illam conjecerunt.

778. *Sati Curibus*] *Sabini*, quorum *Cures* urbs fuit princeps: à quâ Romani post initam societatem *Quirites* dicti.

781. *Unam*] Janualem tamen Tarpeia virgo recluſit.

787. *Rogat*] *Venus.* Describit poëta mutationem aquarum frigidarum in calidas. Nam in ipso prælio cùm fugerent Romani, precidus Veneris (aut ut alii scribunt, Romuli,) aquæ calidæ scaturire cœperunt, quibus Sabini prohibiti sunt ulterius Romanos persequi.

789. *Patentis*] Quod signum belli: ut clausum Jani templum signum pacis.

791. *Lurida*] Quæ vapore *luridum colorem* atque *pallidum* efficiunt.

792. *Incendunt*] Quanquam Jano ista tribuit ipse Naso Fast. 1.

Ib. *Fumante bitumine*] Hoc idem describit primo Fastorum: nisi quòd illîc non Nymphis, sed Jano calefactionem aquarum istam tribuit.

794. *Alpino*] Frigidissimæ verò ex Alpibus undiquaque scatent aquæ.

796. *Gemini*] *Postes*, pro templi *portis geminis bifrontis Jani.*

Portaque

Portaque, nequicquam rigidis permissa Sabinis,
Fonte fuit præstructa novo; dum Martius arma
Indueret miles. Quæ postquam Romulus ultro
Obtulit; & strata est tellus Romana Sabinis
Corporibus, strata estque suis; generique cruorem
Sanguine cum soceri permiscuit impius ensis:
Pace tamen sisti bellum, nec in ultima ferro
Decertare, placet: Tatiumque accedere regno.

XVIII. Occiderat Tatius, populisque æquata duobus,
Romule, jura dabas: positâ cùm casside Mavors
Talibus affatur Divûmque hominumque parentem:
Tempus adest, genitor (quoniam fundamine magno
Res Romana valet, nec præside pendet ab uno)
Præmia, quæ promissa mihi, dignoque nepoti,
Solvere, & ablatum terris imponere cœlo.
Tu mihi concilio quondam præsente Deorum,
(Nam memoro, memoriq; animo pia verba notavi)
Unus erit, quem tu tolles in cœrula cœli;
Dixisti. Rata sit verborum summa tuorum.
Annuit Omnipotens, & nubibus aëra cæcis
Occuluit, tonitruque & fulgure terruit Urbem.

& valvæ, frustrà apertæ sævis Sabinis, fuerunt obstratæ novo fonte, donec miles Martius capesseret arma. Quæ postquam Romulus sponte induxit; & tellus Romana fuit coöperta corporibus & Sabinorum, & indigenarum, atque gladius scelestus confundit sanguinem generi cum cruore soceri; decernunt tamen bellum pace componere, neque ad internecionem pugnare; & Tatium recipi in societatem regni.

XVIII. *Tatius obierat, & tu Romule, ponebas leges communes duobus populis: cùm Mars, omissâ galeâ, talibus alloquitur patrem Deorum atque hominum; Tempus adest, pater, (siquidem imperium Romanum floret amplo fundamento, neque unum tantummodo Deûm tutelarem habet, quo protegi & defendi possit) pendi mercedem quam mihi & dignissimo nepoti meo pollicitus es, atque recipere in cœlum sublatum ex terris, Tu dixisti mihi olim in cœtu Deorum (nam in memoriâ habeo, & pia illa, quæ tu protulisti, dicta menti meæ tenaciter inhærent.) Unus erit, quem tu, ô Mars, evehes in cœlum cæruleum. Promissa tua jam absolvè. Omnipotens assensus est: atque obduxit cœlum opacis nebulis, & tremefecit urbem tonitru & fulgure.*

NOTÆ.

797. *Rigidis*] Illis verò tristem atque tetricam disciplinam tribuit Livius, fueruntque morum gravitate atque sanctitate laudatissimi. Cicero illos fortissimos, florem Italiæ, atque adeò, reipublicæ robur appellat.

798. *Martius*] *Romanus:* cui à Romulo *Marte* fato illud nomen.

801. *Tatium*] Nam inter reliquas pacis conditiones hoc etiam placuit, ut Tatius unà cùm Romulo æquâ potestate paribusque legibus regnaret.

803. *Pace*] Quæ Sabinorum interventu his denique conditionibus constituta est, ut relictis suis sedibus novam in urbem hostes demigrarent: Tatius unà cùm Romulo æquâ potestate, paribusque honoribus regnaret.

805. *Occiderat*] Lavinius, cùm ad solenne sacrum eò venisset, concursu facto, interfectus est postquam annos quatuor pari cùm Romulo potestate imperâsset. Liv. 1. *Duobus* Romanis, & Sabinis.

Ib. *Tatius*] A proximis legatorum Laurentium (qui, ad res repetendas missi, pulsati fuerant) Lavinius fuit interfectus, cùm illuc ad solenne sacrificium profectus esset, postquam 4 annos cùm Romulo regnâsset.

Ib. *Æquata*] *Inter Romanos & Sabinos.*

807. *Parentem*] *Jovem.*

810. *Nepotis*] Romulo filio meo, tuo nepotis Recensetur hæc, ἀποθέωσις, 2 Fast.

813. *Memoro*] *Memini.* Sæpius enim idem significat ac *narro.*

816. *Nubibus*] *Repentè cùm concionem haberet,* &c. Florus.

817. *Terruit*] Istud ex historiæ fide: ut intelligi potest ex loco L. Flori jam citato. l. g. *orbem* pro *urbem* sed perperam. Ita enim Horat. de Jove, Lib. 1. Od. 2.

——— *Rubente*
Dexterâ sacras jaculatus arces
Terruit urbem.

Quæ Gradivus cognovit esse indicia sibi exhibita, quibus sibi nunc liceret filium suum Romulum rapere è terris; atque innixus hastæ confidenter conscendit equos onustos temone cruento, & agitavit eos ictu scuticæ, & vectus per declivem aërem, substitit in extremo cacumine frondosi Palatini: & sustulit Iliaden dicentem jura regia Quiriti jam suo. Corpus morti obnoxium disjectum per subtilem aërem, ut pila plumbea impulsa latâ fundâ consuevit liquescere in medio cœlo. Vultus exoritur splendidior, atque forma dignior excelsis pulvinaribus, & qualis solebat esse Quirini cùm trabeam induceret. Uxor illum lugebat tanquam perditum; cùm Juno regia jubet Irin descendere per sinuatum callem ad Hersiliam, atque sic illi vacanti narrare sua jussa.

XIX. *O matrona, honor primarius gentis Latinæ atque Sabinæ, antea dignissima fuisse uxor tanti viri, nunc esse Quirini, compesce tuas lachrymas; & si cupis cernere maritum, veni, me ducente, in lucum, qui viresçit in monte Quirinali atque umbrâ suâ obtegit templum regis Romani. Iris obsequitur; atque delapsa in terram per arcus variis coloribus distinctos, affatur Hersiliam verbis jussis. Illa vix erigens oculos facie pudibundâ, O Dea, inquit, (nam neque possum dicere quænam sis, & constat esse Deam,) duc, ô duc, & mihi ostende faciem mei mariti, quæ si fata concessêrint*

Quæ sibi promissæ sensit data signa rapinæ,
Innixusque hastæ, pressos temone cruento
Impavidus conscendit equos Gradivus, et ictu
Verberis increpuit: pronumque per aëra lapsus
Constitit in summo nemorosi colle Palati:
Reddentemque suo jam regia jura Quiriti
Abstulit Iliaden. Corpus mortale per auras
Dilapsum tenues: ceu latâ plumbea fundâ
Missa solet medio glans intabescere cœlo.
Pulchra subit facies, & pulvinaribus altis
Dignior, & qualis trabeati forma Quirini.
Flebat ut amissum, conjux; cùm regia Juno
Irin ad Hersiliam descendere limite curvo
Imperat: & vacuæ sua sic mandata referre.
XIX. O et de Latiâ, ô et de gente Sabinâ
Præcipuum matrona decus; dignissima tanti
Antè fuisse viri, conjux nunc esse Quirini;
Siste tuos fletus: & si tibi cura videndi
Conjugis est, duce me lucum pete, colle Quirino
Qui viret, & templum Romani regis obumbrat.
Paret: & in terram pictos delapsa per arcus,
Hersiliam jussis compellat vocibus Iris.
Illa verecundo vix tollens lumina vultu,
O Dea (namque mihi, nec quæ sis dicere promptum est;
Et liquet esse Deam,) duc, ô duc, inquit: et offer
Conjugis ora mihi. Quæ si modò posse videre

NOTÆ.

818. *Rapinæ*] *Romuli ex terris in cœlum auferendi.*

819. *Cruento*] *Ut belli potentis Dei esse decet.*

820. *Gravidus*] *Mars*, qui ita à *Gradiendo*, vel à *Vibrando* quod κραδαινειν est Græcis, dicitur.

821. *Increpuit*] *Insonuitque flagello* (quo equi verberantur dixit Virgil.

822. *Palati*] Jam suprà, hunc unum esse ex collibus Romanis, diximus, imperatorum sede olim clarissimum.

826. *Intabescere*] *Liquescere atque consumi.*

827. *Pulvinaribus*] *Lectos* dicit, qui Diis in templis sternebantur.

828. *Trabeati*] *Trabeâ induti*: quæ toga fuit multis, instar *trabium* transversarum, purpueris auroque intextis fasciis decorata.

830. *Hersiliam*] Hæc Romuli conjux in Diis recensita *Ora* vel *Hora* dicta est, quæ apud Romanos qualis *Hebe* apud Græcos fuit. *Hortam* insuper appellatam fuisse scripsit Plutarchus, utpote quæ juvenes ad virtutem & res bene gerendas hortaretur.

Ib. *Curvo*] *Qualis est arcus cœlestis.*

834. *Quirini*] Qui *Romulus* est, nomine mutato postquam in Deorum numerum relatus esset.

836. *Quirino*] Ubi ipse *Quirinus* seu *Romulus* templum habuit; qui & ipsi colli *Quirinali* nomen dedit.

Fata

Fata semel dederint: cœlum aspectâsse fatebor.
Nec mora; Romuleos cum virgine Thaumanteâ
Ingreditur colles. Ibi fidus ab æthere lapsum
Decidit in terras: à cujus lumine flagrans
Herfiliæ crinis cum sidere cessit in auras.
Hanc manibus notis Romanæ conditor urbis
Excipit: & priscum pariter cum corpore nomen
Mutat; Oramque vocat: Quæ nunc Dea juncta Quirino est.

aspicere tantùm semel, agnoscam vidisse cœlum. Et sine cunctatione proficiscitur in montem Romuleum cum virgine Thaumanteâ. Ibi stella ex cœlo demissa cecidit in terram, à cujus igne coma Herfiliæ incensa recessit in cœlum cum stellâ. Ædificator urbis Romæ hanc excipit manibus notis, atque simul mutat antiquum nomen cum corpore, & appellat Oram, quæ Dea uxor est nunc Quirini.

NOTÆ.

845. *Romuleos*] Quos dixit *Quirinos* suprà 836.

Ib. *Thaumanteâ*] *Iris* est *Thaumantis* filia. Junonis addicta ministeriis.

846. *Colles*] Collem Quirinalem.

847. *A cujus lumine*] Cujus hoc fidus fuit? Certè non solùm Herfiliæ crinem incendit, verùm etiam secum totum in cœlum rapuit. Non igitur in terris Romulum sed in cœlo vidit, ubi & corpus adeptum est immortalitatem, & nomen ejus mutatum.

851. *Mutat*] Aliam mortalium linguam à linguâ Deorum voluerunt poëtæ. Ut Hom. Il. *a*.

Ον Βριάρεων καλέουσι Θεοὶ, ανδρες δέ τε παντες
Αἰγαίων, &c.

Noster lib. 11. *Hunc Icelon superi, mortale Phobetora vulgus Nominat.*

Ib. *Juncta Quirini*] Nam *Ora* in templo Romuli colebatur.

P. Ovidii Nasonis METAMORPHOSEON.

LIBER XV.

ARGUMENTUM.

SECUTUS est Numa: qui cùm de originibus Crotonis inquireret, nigros calculos quondam in albos fuisse commutatos comperit: et Pythagoram de perpetuis rerum transformationibus disputantem audivit. Mortuum deinde Numam deflens Ægeria, nec Hippolyti, qui suas ipsi conversiones proponebat, consolatium admittens, in fontem liquescit. Id quod non minùs fuit mirandum, quàm quòd Romuli lancea arbor, aut Cippus factus est cornutus. Julius Cæsar denique in stellam post mortem commutatus fuit.

INTERPRETATIO.

I. *Quæritur interea, quis ferat onus tanti imperii, & possit succedere tanto regi. Fama prænuncia veri addicit Numam* justitiâ & integritate *nobilem imperio. Ille non est contentus scire ceremonias gentis Sabinæ: mens illius perspicax ad altiora aspirat, atque exquirit, quæ sit natura rerum. Cupiditas hujus studii fecit, ut patriâ & Curibus desertis,*

I. QUæritur interea, qui tantæ pondera molis
Sustineat, tantoque queat succedere regi.
Destinat imperio clarum prænuncia veri
Fama Numam. Non ille satìs cognôsse Sabinæ
Gentis habet ritus: animo majora capaci
Concipit; & quæ sit rerum natura requirit.
Hujus amor curæ, patriâ, Curibusque relictis,

NOTÆ.

4. *Numam*] Fuit Numa Pompilius ultro à Romanis petitus ob inclytam regionem, qui eò denique ferocem populum redegit, ut, quod ei & injuriâ occupaverat imperium, religione atque justitiâ gubernaret.

5. *Ritus*] *Sacra, ceremonias*, omnemque *Deorum cultum* docuit.

7. *Curibus*] Vid. lib. 14. 778.

Fecit

Fecit ut Herculei penetraret ad hoſpitis urbem.
Graia quis Italicis auctor poſuiſſet in oris
Mænia quærenti, ſic è ſenioribus unus
Rettulit indigenis, veteris non inſcius ævi:
Dives ab Oceano bobus Jove natus Iberis
Littora felici tenuiſſe Lacinia curſu
Fertur: &, armento teneras errante per herbas,
Ipſe domum magni nec inhoſpita tecta Crotonis
Intrâſſe; & requie longum relevâſſe laborem;
Atque ita diſcedens, Ævo, dixiſſe, nepotum
Hic locus urbis erit; promiſſaque vera fuerunt.
Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam
Myſcelos, illius Dîs acceptiſſimus ævi.
Hunc ſuper incumbens preſſum gravitate ſoporis
Claviger alloquitur: Patrias, age, deſere ſedes:
I, pete diverſi lapidoſas Æſaris undas.
Et, niſi paruerit, multa ac metuenda minatur.
Poſt ea, diſcedunt pariter ſomnuſque Deuſque.
Surgit Alemonides; tacitâque recentia mente
Viſa refert; pugnatque diu ſententia ſecum.
Numen abire jubet; prohibent diſcedere leges:
Pœnaque mors poſita eſt patriam mutare volenti.
Candidus Oceano nitidum caput abdiderat Sol,
Et caput extulerat denſiſſima ſidereum nox;
Viſus adeſſe idem Deus eſt, eademque monere:
Et, niſi paruerit, plura & graviora minari.
Pertimuit: patriumque ſimul transferre parabat

proficiſceretur ad urbem hoſpitis Herculei. Atque unus ex ſenioribus indigenis non ignarus hiſtoriam *præteritæ ætatis, ſic edocuit* eum *ſciſcitantem quiſnam conditor ſtatuiſſet urbem Græcam in littoribus Italis. Filius Jovis opulentus Tauris Hiſpanis, dicitur perveniſſe ad littora Lacinia felici curſu ab Oceano; atque, armento vagante per tenera gramina, ipſe ſubiiſſe domum hoſpitalem magni Crotonis; & reſpirâſſe à longi* itineris *fatigatione per quietem, & abiens ſic dixiſſe, Hic erit locus urbis ætate nepotum: atque* ejus *promiſſa fuerunt certa. Nam fuit quidam Myſcelus filius Alemonis Argivi, qui ex ſuæ ætatis* hominibus *Diîs erat gratiſſimus. Hercules ſuperſtratus,* ita *hunc affatur oppreſſum alto ſomno; Agedum, relinque domum patriam, proficiſere, concede ad undas ſaxeas Æſaris* hinc longè *remoti: atque niſi obſequutus ſit, minitatur plurima atque reformidanda. Poſt ea ſopor atque Deus ſimul abeunt. Alemonides ſurgit, atque apud ſe revolvit nova ſomnia, & conſilium diu incertum eſt. Deus hortatur diſcedere, leges non ſinunt proficiſci; atque mors eſt dictum ſupplicium ei, qui cupit migrare è ſolo nativo. Sol ſplendidus condiderat caput lucidum Oceano, & nox obſcuriſſima evexerat caput ſtellarum, cùm idem Deus viſus eſt aſſiſtere, atque eadem monere, &, niſi obſequutus ſit, minari plura & duriora. Pertimuit: atque ſtatuebat pariter tranſvehere rem patriam*

NOTÆ.

8. *Hoſpitis*] *Crotonem* dicit, qui non Herculem tantùm ex Hiſpaniâ redeuntem hoſpitio excepit, ſed inſuper *Crotoni* urbi nomen dedit, in quâ Pythagoras philoſophus, maximus docuit. Illius audiendi causâ Numam Crotonem conceſſiſſe finxit poëta, ut fabulas ſuas conſueret: cùm tamen Pythogoram, Servio Tullio regnante, 100 amplius poſt annos vixiſſe ſatìs conſtat.

12. *Iberis*] *Hiſpanis:* quos inde, Geryone interfecto, abegerat *Jove natus* Hercules.

13. *Lacinia*] Quæ à *Lacinio* promontorio Italiæ, non longè à *Crotone*, inter Tarentinum & Scyllacium ſinum, nomen habuerunt; ſicut & ipſum promontorium à *Lacinio* latrone ibi ab Hercule mactato ſuum deſumpſit.

22. *Claviger*] *Herculem* dicit, qui ſine *clavâ & leonis pelle* vix uſpiam invenitur.

23. *Diverſi*] Longè hinc ab Argis diſtantis.

Ib. *Æſaris*] Qui fluvius eſt parvus admodum magnæ Græciæ in Calabriâ ulteriore, Crotone in Ionium mare defluens.

26. *Alemonides*] *Myſcelus*, filius Alemonis.

27. *Refert*] *Volutat, agitat, cogitatione & animo revolvit.* Alibi etiam in eodem ſenſu verbum *referre* uſurpat Ovidius.

30. *Oceano*] Ut videtur oculis.

31. *Sidereum*] Quia noctu ſidera apparent.

in novam habitationem. Rumor spargitur per urbem, & arcessitur reus legum contemptarum. Cùmque causa primò esset dicta, & crimen compertum est probatum sine teste, reus squalore obductus erigens manus atque faciem ad Deos, O, ait, tu *cui duodecim labores aperuerunt viam ad cœlum, ades in auxilium, nam tu es mihi causa* hujus *facinoris. Mos erat priscus albis atque nigris calculis, his damnare reos, illis liberare à crimine. Nunc etiam sententia luctuosa sic lata est; & omnes lapilli nigri deponuntur in tristem urnam. Quæ inversa statim atque reddidit calculos recensendos, color omnium est versus ex atro in candidum: & sententia facta alba beneficio Herculis liberavit Alemoniden. Ille agit gratias patri Amphitryoniadæ, & ventis*

In sedes penetrale novas; fit murmur in urbe:
Spretarumque agitur legum reus. Utque peracta est
Causa prior, crimenque patet sine teste probatum,
Squallidus ad Superos tollens reus ora, manusque,
O cui jus cœli bis sex fecêre labores,
Fer, precor, inquit, opem: nam tu mihi criminis
auctor.
Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpâ.
Nunc quoque sic lata est sententia tristis: & omnis
Calculus immitem demittitur ater in urnam.
Quæ simul effudit numerandos versa lapillos;
Omnibus è nigro color est mutatus in album:
Candidaque Herculeo sententia munere facta
Solvit Alemoniden. Grates agit ille parenti
Amphitryoniadæ: ventisque faventibus æquor
Navigat Ionium; Lacedæmoniumque Tarentum
Præterit, & Sybarin, Salentinumque Neæthum,
Thurinosque sinus, Temesenque, & Iapygis arva.
Vixque pererratis quæ spectant littora terris,
Invenit Æsarei fatalia fluminis ora:
Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis

secundis trajicit mare Ionium, & præternavigat Tarentum Lacedæmonium, & Sybarin, & Neæthum Salentinum, & sinus Thurinos, & Temesen, & agros Iapygis: atque terris ægrè præteritis quæ sunt versus littus, reperit ostia fatalia fluvii Æsaris; neque hinc longe sepulchrum sub quo sacra Crotonis

NOTÆ.

36. *Penetrale*] Hoc est. *Deos Penates, & quicquid interioribus domus partibus charissimum habetur.* Metonymia est.

37. *Causa prior*] i. e. *Accusatio*; ut *defensio* fuerit *causa posterior*

Ib. *Sine teste*] Quâ vir bonus ultro confessus est se commigrare decrevisse.

38. *Squallidus*] Munditiarum negligentes sunt qui lugent.

39. *Bis sex*] Duodecim illos Herculis decantatissimos labores in superioribus vidimus. Lib. 9. 183.

40. *Nam tu*] Nam tu mihi persuasisti ut commigrarem.

47. *Candida*] *Ex Candidis calculis.*

49. *Amphitryoniadæ*] *Herculi*; qui quidem Jovis filius, sed ex Alcmenâ, quæ Amphitryonem Thebanum maritum legitimum habuit.

50. *Ionium*] Quod ex Græciâ in Italiam tendenti transfretandum fuit.

Ib. *Tarentum*] Urbs est antiquissima Salentinorum in Calabriâ citeriore, à Tarâ Neptuni filio ædificata à Partheniis verò, Lacedæmoniorum duce Phalanto, amplificata: unde vocat Lacedemonium.

51. *Sybarin*] Hæc olim potentissima fuit in sinu Tarentino civitas, incolarum deliciis etiam famosa, quam Crotoniatæ deleverunt. Restituta ab indigenis *Thurium* dicta est, quæ denique excisa hodie in ruinis jacet; nisi fortè vicus quidem quem vulgò dicunt, *La terre Brodogneto* est ejus ruderibus.

Ib. *Neæthum*] Fluvius est Salentinorum, non longè à Crotone.

52. *Thurinos*] *Thurii* urbs est Calabriæ, quæ & *Thuria* & *Thurion* dicta est, à Thuriâ fonte.

Ib. *Temesen*] Urbs etiam Calabriæ ab Ausonibus condita mox ab Ætolis, qui cum Theante ad eam Italiæ partem appulsi fuerunt, occupata, atque inde iterum à Brutiis.

Ib. *Iapygis*] Fuit *Iapyx* Dædali filius qui *Iapygiæ* Calabriæ urbi. *Iapygio* promontorio, immo & Calabriæ ipsi *Iapygiæ* nomen dedit.

55. *Fatalia*] *Herculis admonitu tanquam fato præstituta.*

Ib. *Ora*] *Ostia* dicit, quibus maria subit.

Ossa

Ossa tegebat humus. Jussâque ibi mœnia terrâ
Condidit; & nomen tumulati traxit in urbem.
Talia constabat certâ primordia famâ
Esse loci, positæque Italis in finibus urbis.
II. Vir fuit hîc ortu Samius; sed fugerat unâ
Et Samon & dominos; odioque tyrannidis exul
Sponte erat. Isque, licèt cœli regione remotos,
Mente Deos adiît: & quæ natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.
Cùmque animo, & vigili perspexerat omnia curâ;
In medium discenda dabat: cœtumque silentûm,
Dictaque mirantûm, magni primordia mundi,
Et rerum causas, & quid natura, docebat:
Quis Deus: unde nives: quæ fulminis esset origo:
Jupiter, an venti, discussâ nube tonarent:
Quid quateret terras, quâ sidera lege mearent;
Et quodcunque latet. Primusque animalia mensis
Arcuit imponi: primus quoque talibus ora
Docta quidem solvit, sed non & credita verbis.
Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis
Corpora. Sunt fruges: sunt deducentia ramos

ossa terra servabat: & ibi posuit urbem in solo ab Hercule præfinito: & nomen sepulti addixit urbi. Certum erat indubitatâ famâ talia esse initia loci, atque urbis conditæ in finibus Italis.

II. Illic vir fuit Samius origine; sed pariter vitaverat & Samon & tyrannos: atque odio injustæ dominationis ultro erat profugus: & ingenio accessit ad Deos dissitos à mortalibus spatio cœli: atque investigavit contemplatione mentis, quæ natura occultabat ab intelligentia humanâ. Et postquam penitus cognoverat omnia mente, & curâ assiduâ, proferebat cognoscenda palam, & indicabat turbæ tacitæ atque miranti dicta principia vasti orbis, & causas rerum, & quid natura, quid Deus esset: unde nives generarentur; quæ esset causa fulminis, an Jupiter, an venti tonitrua cierent nube disruptâ, quid concuteret solum; quâ lege astra moverentur; & quicquid cæteris hominibus est incognitum. Atque is primus prohibuit admovere animantia mensis, primus insuper aperuit os hujusmodi vocibus eruditis quidem, sed non etiam fide receptis: Nolite, homines, inquinare corpora epulis scelestis. Sunt fruges: sunt Poma curvantia ramos

NOTÆ.

57. *Tumulati*] *Crotonis* à quo Urbs *Croto* dicta est.

60. *Hîc*] *Crotoni*, quò se contulit Numa Pompilius, ut Pythagoram audiret.

Ib. *Samius*] *Samo* Icarii maris insulâ contra Ephesum oriundus: namque ea fuit Pythagoræ patria. Quanquam alii aliter.

61. *Dominos*] Qualis erat Polycrates ille Samius.

66. *Silentûm*] Quinquennale fuisse silentium à Pythagorâ discipulis suis præscriptum voluerunt: quamquam aliud aliis, æstimata cujusque solertia, non minùs tamen bienni fuisse scripsit Gellius.

67. *Primordia*] Unde *ortus*, quænam insuper ejus elementa. De quibus physici.

70. *Jupiter an venti*] Alii enim *Tonitru* esse aiunt aëris vehementem strepitum: alii autem eruptionem ventorum effractâ nube cum maximo impetu coëuntium.

71. *Quateret*] Terræ motus ex subterraneis flatibus, qui illius latera pulsant, voluerunt equidem: cæterùm plurima sunt adhuc in hoc argumento, quæ prolixiori disquisitione indigent.

Ib. *Mearent*] Id est, Quia & *qualis esset cursus astrorum*: quorum omnium cognitio spectat ad mathematicos.

72. *Quodcunque latet*] Ne ita accipias, quasi omnia cognoscere se Pythagoras professus sit, Illa tantùm intelligenda sunt per istud *Quodcunque*, quæ ipse docebat alioqui hominibus incognita.

Ib. *Latet*] Ex eo quòd abdita naturæ in lucem proferret Pythagoras, in tanto fuit honore, ut Dei vocem audire discipuli ejus existimarent. Atque etiamsi nullam dictorum rationem reddisset, maximam adhiberent fidem; rogatique alicujus dicti rationem, respondere nt, Αὐτὸς ἔφη, *ipse dixit*.

75. *Parcite*] Hæc oratio ex Empedocle qui Pythagoræ dogmata carminibus complexus est, videtur esse desumpta. Vid. orationes duas Περὶ Σαρκοφαγίας, quæ Plutarcho ascribuntur.

Pondere pomâ suo, tumidæque in vitibus uvæ;
Sunt herbæ dulces; sunt, quæ miteſcere flammâ,
Mollirique queant. Nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia florem.
Prodiga divitias alimentaque mitia tellus
Suggerit: atque epulas ſine cæde & ſanguine præbet.
Carne feræ ſedant jejunia; nec tamen omnes:
Quippe equus, & pecudes, armentaq; gramine vivunt.
At quibus ingenium eſt immanſuetumq; ferumque,
Armeniæ tigres, iracundique leones,
Cumque lupis urſi, dapibus cum ſanguine gaudent.
Heu! quantum ſcelus eſt, in viſcera viſcera condi,
Congeſtoque avidum pinguescere corpore corpus;
Alteriuſque animantem animantis vivere leto!
Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum
Terra parit, nîl te niſi triſtia mandere ſævo
Vulnera dente juvat, rituſque referre Cyclopum?
Nec, niſi perdideris alium, placare voracis
Et malè moratî poteris jejunia ventris?
At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat, herbis
Fortunata fuit: nec polluit ora cruore.

III. Tunc & aves tutas movêre per aëra pennas;
Et lepus impavidus mediis erravit in agris:
Nec ſua credulitas piſcem ſuſpenderat hamo.
Cuncta ſine inſidiis, nullamque timentia fraudem,
Plenaque pacis erant. Poſtquam non utilis auctor
Victibus invidit (quiſquis fuit ille virorum)
Corporeaſque dapes avidam demerſit in alvum;
Fecit iter ſceleri: primâque è cæde ferarum
Incaluiſſe putem maculatum ſanguine ferrum:

ſuâ gravitate; atque racemi jucco pleni in vitibus: ſunt olera mitia; ſunt quæ poſſint fieri dulciora igne, atque emolliri: neque hæc vobis tollitur, neque mel fragrans flore thymi. Terra benigniſſima præbet opes ſuas & cibos dulces; & ſubminiſtrat delicias ſine nece & cruore. Feræ leniunt famem carnibus; neque tamen omnes. Namque equi & greges & armenta vejcuntur herbis. At tigres Armeniæ, & truculenti leones, & urſi cum lupis, quibus indoles eſt crudelis & ſæva, amant epulas cum ſanguine. Heu! quantum eſt nefas præcordia devolvi in præcordia & corpus famelicum pinguescere corpore devorato, & animantem vitam ducere morte alterius animantis! Nimirum in tantâ copiâ, quam terra benigniſſima matrum profert, nihil tibi placet, præterquam conterere crudeli dente cæſorum alimalium carnes, atque imitari mores Cyclopum? neque poteris ſedare famem rapacis & ingentis abdominis, niſi pernicie alterius? At illa priſca ætas, quam Auream appellavimus, beata fuit fructibus arborum, & gramineis quæ terra alit; neque inficit ora ſanguine.

III. Tunc & aves agitaverunt alas ſine periculo per aërem; & lepus intrepidus vagatus eſt per campos medios; neque ſua credulitas corripuerat piſcem hamo; omnia erant ſine dolis, & pace abundantia, nullam fraudem metuentia. Poſtquam pravus auctor (quiſquis ille fuit hominum) invidit facilitati vivendi, atque devolvit in abdomen voraginoſum epulas ex corpore & carne confectas, operuit viam crimini; atque credam ferrum infectum ſanguine tetigiſſe ex primâ nece ferarum.

NOTÆ.

86. *Armeniæ*] Hæc ampla Aſiæ regio, ubi ſævissimi leones naſcebantur.

93. *Cyclopum*] Ἀνθρωποφάγων: Quos lib. 14. 205. vidimus.

102. *Piſcem*] Quin & piſcium eſum interdixit ſibi Pythagoras: vel quod ſilentii cultores ſibi, quod ipſe divinum exiſtimabat, ut habet Athenæus 5, 16) vel à Pherecyde Syro habuit. Piſces enim inter numina venerantur Syri.

105. *Corporeas*] Omnes dapes ſunt corporeæ, ſed per corporeas hîc σαρκικὰς intelligit, *i. e. carneas dapes.*

Idque

Idque satìs fuerat: noſtrumque petentia letum
Corpora miſſa neci ſalvâ pietate fatemur:
Sed quàm danda neci, tam non epulanda fuerunt.
Longiùs inde nefas abiit: & prima putatur
Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia femina pando
Eruerit roſtro, ſpemque interceperit anni.
Vite caper morsâ Bacchi mactandus ad aras
Ducitur ultoris. Nocuit ſua culpa duobus.
Quid meruiſtis, oves, placidum pecus, inq; tuendos
Natum homines, pleno quæ fertis in ubere nectar?
Mollia quæ nobis veſtras velamina lanas
Præbetis; vitâque magìs, quam morte juvatis.
Quid meruêre boves, animal ſine fraude, doliſq;
Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?
Immemor eſt demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit, curvi dempto modò pondere aratri,
Ruricolam mactare ſuum: qui trita labore
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat meſſes, percuſſit colla ſecuri.
Nec satìs eſt, quòd tale nefas committitur: ipſos
Inſcripsêre Deos ſceleri; numenque ſupernum
Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci.
Victima labe carens, & præſtantiſſima formâ,
(Nam placuiſſe nocet) vittis præfignis & auro,
Siſtitur ante aras: auditque ignara precantem:
Imponique ſuæ videt inter cornua fronti,
Quas coluit fruges: percuſſaque ſanguine cultros
Inficit in liquidâ prævifos forſitan undâ.

Idque satìs fuerat; & agnoſcimus animalia inſidiantia noſtræ vitæ interfecta eſſe illibatâ pietate. Verùm licet interficienda fuerint, comedenda tamen non item. Inde ſcelus latiùs graſſatum eſt: & porcus creditur dignus fuiſſe qui mactaretur prima victima, quòd evelleret ſegetem curvo roſtro, atque ſubverteret ſpem anni. Caper agitur jugulandus ad altaria Bacchi vindicis, vitecorrosâ. Et ſuum facinus meritò obſuit illis ambobus. Quid verò admiſiſtis, oves, mite pecus, atque creatum ad homines à frigore ſervandos, quæ portatis lac ſuaviſſimum in uberè diſtento? quæ nobis offertis lanas veſtras in molles veſtes, atque plùs prodeſtis vitâ quàm morte. Quid admiſerunt boves, animal ſine fraude atque inſidiis, innoxium, ſimplex, natum ad ferendos labores? Ille denique eſt ingratus, neque dignus dono frugum, qui potuit jugulare ſuum agricolam, detracto modò onere curvi aratri; qui afflixit bipenni illam cervicem tritam labore, quâ toties proſciderat durum agrum, atque collegerat tot meſſes. Neque ſatis eſt, quòd ejuſmodi ſcelus patratur: ipſos Deos auctores fecerunt facinoris; atque arbitrantur potentiam cæleſtem delectari nece tauri laborioſi: Hoſtia ſine vitio & morbo & excellentiſſimâ ſpecie (nam obeſt gratum fuiſſe) decora vittis aureis ſiſtitur ad altaria; atque neſcia audit orantem, & videt farra, quæ coluit, ſpargi in ſuam frontem inter cornua, & vulnere efficta tingit cruore cultros fortè ante conſpectos in aquâ liquidâ.

NOTÆ.

109. *Corpora*] *Feras* intelligit hominibus infeſtas.

111. *Et prima*] *Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine porcæ*, &c. 1 Faſt.

Ib. *Longiùs*] Quia à feris ad ſecurum animalium cædem, deinde & hominum ſtrages deventum eſt.

113. *Spem*] Namque erutis ſeminibus nulla *ſperanda* meſſis.

116. *Quid*] De hâc Pythagoræ abſtinentiâ vid. Jamblicum cap. 24. Laërtium in vitâ Pythagoræ lib. 8. Luciani ſomnium, &c.

124. *Ruricolam*] *Bovem.*

125. *Renovaverat*] *Renovari* verò videtur ager qui per culturam atque aratrum ad recipienda nova ſemina apparatur.

128. *Inſcripsêre*] Quin & Diis invidam fecêre; eos in partem prædæ, nidorem victimarum adſciſcentes.

131. *Placuiſſe*] Non enim niſi eximiæ lectæque aris admoventur hoſtiæ.

Ib. *Vittis*] Victimæ ornabantur vittis aureis, cornua etiam deaurata habuerunt.

134. *Fruges*] Salſas fruges, molam, farinam ſale miſtam, quâ frons victimæ, focus, & cultri aſpergebantur.

135. *Undâ*] Aquâ in ſacris adhibitâ, & per pelves diſpoſitâ. *An quia prævifos in aquâ timet hoſtia cultros?* 1 lib. Faſt.

Protinus

Continuò inſpiciunt fibras extractas ex pectore viventi, & quærunt voluntatem Deorum in illis. Unde homini tantùm deſiderium epularum prohibitarum? Non veremini carnibus *veſci, ô gens morti obnoxia? quod precor ne facite, & attentas præbete mentes noſtris præceptis. Et cum faucibus admovebitis artus taurorum mactatorum, cognoſcite & ſentite vos comedere veſtros agricolas. Et quandoquidem Deus os meum agitat, ſequar ſedulò Deum os agitantem, & edicam mea oracula, atque aperiam ipſum cœlum, & recludam ſententiam mentis divinæ. Cantabo magna, neque perſpecta animo priorum, & quæ diu incognita fuerunt. Placet ferri per excelſa ſidera; placet, terris & pigrâ habitatione deſtitutâ nubes aſcendere atque inniti humeris fortis Atlantis; & procul a cœlo deorsùm ſpectare mentes paſſim errantes & expertes rationis, & ſic admonere timidos, & metuentes mortem, & aperire ordinem fati.*

Protinus ereptas viventi pectore fibras
Inſpiciunt; menteſque Deûm ſcrutantur in illis.
Unde fames homini vetitorum tanta ciborum?
Audetis veſci, genus ô mortale? quod, oro,
Ne facite; & monitis animos advertite noſtris.
Cumque boum dabitis cæſorum membra palato;
Mandere vos veſtros ſcite & ſentite colonos.
Et quoniam Deus ora movet; ſequar ora moventem
Ritè Deum: Delphoſque meos, ipſumque recludam
Æthera; & auguſtæ referabo oracula mentis.
Magna, nec ingeniis eveſtigata priorum,
Quæque diu latuêre, canam. Juvat ire per alta
Aſtra; juvat, terris & inerti ſede relictis,
Nube vehi; validique humeris inſiſtere Atlantis:
Palanteſque animos paſſim, ac rationis egentes
Deſpectare procul, trepidoſque obitumque timentes
Sic exhortari; ſeriemque evolvere fati.

IV. O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis,
Materiem vatum, falſique piacula mundi?
Corpora ſive rogus flammâ, ſeu tabe vetuſtas
Abſtulerit, mala poſſe pati non ulla putetis.
Morte carent animæ: ſemperque, priore relictâ
Sede, novis domibus habitant, vivuntque receptæ.

IV. *O gens ſtupefacta pavore leti frigidi, quamobrem metuitis Stygem, quamobrem caliginem, quamobrem nomina inania, argumentum poëtarum & piacula mundi ficti? Ne exiſtimetis corpora poſſe pati ulla mala, ſeu pyri diripuerint ea ignes, ſeu vetuſtas corruptione. Animæ non moriuntur, & ſemper priore habitatione omiſſâ recipiuntur novis corporibus, & receptæ vitâ fruuntur.*

NOTÆ.

136. *Fibras*] *Cordis & jecoris* præſertim *extrema* eo nomine appellantur, quæ aruſpices ad exquirendam Deorum volantatem inſpicere conſueverant.

137. *Inſpiciunt*] Inda *Haruſpices* dicti ſunt ab *Harugis* (i. e.) victimis inſpiciendis.

139. *Veſci*] Pro *carnibus veſci* ſimpliciter *veſci* poſuit.

143. *Deus*] Apollo me hortatur, ut loquar.

144. *Delphos*] Delphi urbs Phocidis in Achaiâ, Apollinis *oraculis* clariſſima, quæ hic pro iis ponitur.

149. *Atlantis*] Qui Mauritaniæ rex, ideo dictus *cœlum ſuſtinere humeris*, quòd *aſtrologus* fuerit eximius.

154. *Styga*] Pro *Inferis* poſuit eam paludem, de quâ jam toties.

155. *Vatum*] Id eſt, *poëtarum, quibus quidlibet mentiri conceſſum.*

Ib. *Piacula*] Apud manes *expiari* crimina in ſuperis commiſſa credebant.

Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.
Virgil.

156. *Tabe*] Paulatim enim *diſſolvuntur* & quodammodo *liqueſcunt* inanimata corpora.

157. *Non ulla*] Namque anima eſt quæ ſenſûs & cognitionis eſt capax.

159. *Domibus*] Intelligitur commigratio animarum de corpore in corpus, ſeu μετεμψυχωσις quam ab Ægyptiis mutuatus erat Pythagoras.

Ipſe

Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoïdes Euphorbus eram; cui pectore quondam
Sedit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ.
Cognovi clypeum lævæ geſtamina noſtræ
Nuper Abanteïs templo Junonis in Argis.
Omnia mutantur: nihil interit. Errat, & illinc
Huc venit, hinc illùc, & quoſlibet occupat artus
Spiritus; êque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter; nec tempore deperit ullo.
Utque novis fragilis ſignatur cera figuris,
Nec manet ut fuerat, nec formas ſervat eaſdem;
Sed tamen ipſa eadem eſt: animam ſic ſemper eandem
Eſſe, ſed in varias doceo migrare figuras.
Ergo, ne pietas ſit victa cupidine ventris,
Parcite (vaticinor) cognatas cæde nefandâ
Exturbare animas: nec ſanguine ſanguis alatur.
Et quoniam magno feror æquore, plenaque ventis
Vela dedi; nihil eſt toto quod perſtet in orbe.
Cuncta fluunt; omniſque vagans formatur imago.
Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu
Non ſecùs ac fluvius. Neque enim conſiſtere flumen,
Nec levis hora poteſt: ſed ut unda impellitur undâ,

Ego ipſe, nam recordor, eram Euphorbus Panthi filius tempore belli Trojani, in cujus pectore adverſo valida haſta minoris Atridæ olim infixa eſt. Agnovi nuper clypeum, quem noſtra ſiniſtra geſtabat, apud Argos Abanteos in fano Junonis. Cuncta mutantur: nihil perit. Anima vagatur, & illinc huc fertur, hinc illùc, & ingreditur quælibet membra, atque tranſit ex feris in corpora humana, & noſtra viciſſim in feras; neque unquam moritur. Atque ut cera mollis fingitur novis figuris, neque perſtat ut fuerat, neque retinet eaſdem ſpecies, verùm tamen ipſa eſt eadem; ita doceo animam eſſe ſemper eandem ſed tranſire in diverſas figuras. Adeòque ne pietas ſit ſuperata deſiderio alvi, nolite, prædico, ejicere animas cognatorum veſtrorum, cæde horrendâ; neque ſanguis nutriatur ſanguine. Et quandoquidem verſor in profundiſſimo mari, atque pandi lintea plena ventis, nihil eſt in toto mundo, quod ſtabile permaneat. Omnia labuntur atque omnis ſpecies fluxa & mutabilis, de novo fingitur. Ipſa etiam tempora fluunt motu continuo perinde ac flumen; neque enim flumen, nec levis hora poteſt ſtare; ſed quemadmodum fluctus pulſatur fluctu,

NOTÆ.

160. *Ipſe ego*] Primùm ſe Æthaliden fuiſſe memorabat; ſecundò Euphorbum, quod teſtatus eſt, agnito ſcuto ſuo ſuſpenſo inter alia ſpolia, in Junonis Argivæ templo; tertiò, Hermotimum: quartò, Pyrrhum; quintò, Pythagoram. Hoc habuit ex munere Mercurii, tum ut vivens, tum mortuus, omnium quæ contingeret, memoriam teneret. Laërt. in vitâ Pythag.

162. *Minoris*] *Menelaï*, cujus major frater fuit *Agamemnon*: atque ille Menelaüs Euphorbum Iliad, 16. peremiſſe dicitur.

164. *Abanteïs*] Ab *Abante* rege, qui Argis clariſſimâ Peloponneſi urbe imperavit. Populi inſuper *Abantes* ab Herodoto Iones inter & Achivos memorantur.

Ib. *Templo*] Stadia quindecim Mycenis diſtare hoc Junonis templum affirmat Pauſanias in Corinthiacis, cujus inter alia donaria hunc etiam clypeum Argis celebratiſſimum ut ex Hygini 273. tabulâ patet, nominatim recenſes.

165. *Interit*] Ex ſententiâ veterum omnium philoſophorum, qui cenſuerunt omnia quidem reſolvi poſſe in quatuor *elementa* vel *materiam primam*; in *nihilum* verò redigi non poſſe.

171. *Eadem*] *Quoad ad ſubſtantiam*; quæ quanquam varias *qualitates* & formas ſuſcipiat, ipſa non mutatur.

Ib. *Sic*] De terrâ, aut communioribus elementis iſtud dici poteſt: fueritque comparatio elegans. Ad ſpiritus ſeu animas, quæ individuam ſuam formam habent, aut formæ ſunt, ſi tranſferas, ridicula eſt.

173. *Ergo*] Abſtinendum ab animatis ſuaſit propter tranſmigrationem animarum.

176. *Æquore*] Id eſt, *De maximis atque abditiſſimis naturæ myſteriis ſermo incidit.*

177. *Quod perſtat*] Quod permaneat, & à mutatione ſit alienum.

179. *Tempora*] Nihil aliud ſunt, quàm res ipſæ, aut earum inter ſe durandi ſpatium.

Urgeturque

& prior premitur sequenti atque premit antecedentem, sic etiam tempora dilabuntur, sic etiam sequuntur, & semper sunt nova. Nam quod fuit antea, est emissum; & oritur quod non fuerat: & omnia momenta renovantur. Vides etiam noctes ex tenebris eductas in diem erumpere, & hanc puram solis lucem caliginosâ nocte obscurari. Neque color est idem cœlo, cùm omnia defessa strata sunt nocte mediâ, & cùm Lucifer splendidus prodit equis candidis: rursumque alius, cum Pallantias antecedens diem colore rubicundo tingit mundum committendum Soli. Ipse orbis Dei, cùm tollitur à terrâ infirmâ, rubet mane, atque rubet cùm conditur terrâ infimâ. In cœli summitate est albus; quia illic natura ætheris est melior, & procul fugit commercia telluris. Neque figura lunæ nocturna potest unquam esse eadem aut æqualis: & hodierna est semper minor sequenti, si crescit; major, si decrescit. Quid? annon vides annum, præbentem imaginem nostræ vitæ, divisi in quatuor partes? Nam vere novo est mollis & lactens, atque simillimus ætati pueri. Tunc herba florens, & destituta viribus est tumida succorum copiâ & infirma, & spe recreat colonum. Tunc omnia florent, & dulcis campus ridet coloribus florum; neque adhuc ulla est potentia in foliis. Annus firmior concedit in æstatem à vere;

Urgeturque prior venienti, urgetque priorem,
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur:
Et nova sunt semper. Nam quod fuit antè, relictum est:
Fitque, quod haud fuerat: momentaque cuncta novantur.
Cernis & emersas in lucem tendere noctes:
Et jubar hoc nitidum nigræ succedere nocti.
Nec color est idem cœlo, cùm lassa quiete
Cuncta jacent mediâ, cùmque albo Lucifer exit
Clarus equo: rursumque alius, cum prævia luci
Tradendum Phœbo Pallantias inficit orbem.
Ipse Dei clypeus, terrâ cùm tollitur imâ,
Manè rubet: terrâque, rubet, cùm conditur imâ.
Candidus in summo est; melior natura quòd illìc
Ætheris est, terræque procul contagia vitat.
Nec par aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest unquam: semperque hodierna sequente,
Si crescit, minor est: major, si contrahit orbem.
Quid? non in species succedere quatuor annum
Aspicis ætatis peragentem imitamina nostræ?
Nam tener, & lactens, puerique simillimus ævo
Vere novo est. Tunc herba nitens, & roboris expers
Turget, & insolida est; & spe delectat agrestem.
Omnia tum florent: florumque coloribus almus
Ridet ager: neque adhuc virtus in frondibus ulla est.
Transit in Æstatem, pòst Ver, robustior annus:

NOTÆ.

189. *Lucifer*] Stella est Veneris, quæ etiam *Phosphorus* dicitur, ideo *albis equis* vecta, quòd solis orium præcedat. Cùm autem ejus occasum subsequatur, *Hesperus* appellatur.

191. *Tradendum*] *Ut radius suis illum collustret.*

Ib. *Pallantias*] *Aurora* est *Pallantis* Gigantis filia.

192. *Dei clypeus*] *Solis orbis*, qui *clypei* instar nobis *rotundus* videtur. Sed vox hæc non satis competit solis magnitudini.

194. *Quòd*] Veram hujus rei causam pete ex physicis.

196. *Dianæ*] *Lunæ*, quæ nunquam eadem permanet vultu, crescit semper aut decrescit.

198. *Contrahit*] *Minuit*: quod ex oppositâ voce *crescit* intelligitur.

200. *Ætatis*] *Annum ætatis hominis referre* scribit; nam ut quatuor sunt anni partes, ita ex Pythagoræ sententiâ, quatuor sunt hominis ætates. *Pueritia* quæ 20 annos implet: *Adolescentia*, 20. *Juventus*, 20. *Senectus*, 20.

206. *Annus*] Pro *anni parte, æstate* scilicet: quomodo & loquutus est Horatius.

Fitque

Fitque valens juvenis. Neque enim robustior ætas
Ulla, nec uberior; nec, quæ magìs æstuet, ulla est.
Excipit Autumnus, posito fervore juventæ
Maturus, mitisque inter juvenemque, senemq;
Temperie medius, sparsis per tempora canis.
Inde senilis Hyems tremulo venit horrida passu;
Aut spoliata suos, aut, quos habet, alba capillos.
Nostra quoque ipsorum semper, requieq; sine ullâ,
Corpora vertuntur: nec quod fuimusve, sumusve,
Cras erimus. Fuit illa dies, quo semina tantùm,
Spesq; hominum primæ maternâ habitavimus alvo:
Artifices Natura manus admovit: & angi
Corpora visceribus distentæ condita matris
Noluit; éque domo vacuas emisit in auras.
Editus in lucem jacuit sine viribus infans:
Mox quadrupes, rituq; tulit sua membra ferarum:
Paulatimque tremens, & nondum poplite firmo
Constitit, adjutis aliquo conamine nervis.
Inde valens veloxque fuit; spatiumque juventæ
Transit: & emeritis medii quoque temporis annis,
Labitur occiduæ per iter declive senectæ.
Subruit hæc ævi, demoliturque prioris
Robora: fletque Milon senior, cùm spectat inanes
Illos, qui fuerant solidorum mole tororum
Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.
Flet quoque, ut in speculo rugas aspexit aniles,

atque fit forti & robusto juveni similis: neque enim ulla ætas firmior, nec fertilior; neque ulla est, quæ magìs ferveat. Autumnus maturus, omisso ardore juventutis, atque inter juvenem & senem lenitatem quandam servans, medius temperie, canis sparsis per tempora hunc sequitur. Tum Hyems senilis & aspera, vel destituta suis comis, vel albas habens quas gerit, succedit gressu tremulo. Nostrûm etiam ipsorum corpora mutantur semper sine ullâ intermissione; neque erimus cras, quod fuimus, aut nunc sumus: fuit illud tempus, quo semina duntaxat aut spes prima hominum mansimus in utero materno. Natura abdidit manus doctas; neque passa est corpora abdita in utero gravidæ matris torqueri: atque eduxit domo in spatiosum aërem; infans eductus in lucem jacuit sine viribus: mox quadrupedis instar *processit, & promovit suos artus more brutorum; atque paulatim tremens & nondum certo poplite constitit, nervis sustentatis aliquo adminiculo, postea fortis & celer fuit, & pervadit spatium juventutis; atque annis etiam medii temporis præteritis, labitur per devexum collem caducæ senectutis. Hæc frangit atque evertit vires ætatis præcedentis: atque Milon senex lachrymatur, cùm videt illos lacertos, qui fuerunt pares Herculis soliditate firmorum tororum, pendere exhaustos & flaccidos. Lachrymatur etiam Tyndaris, simul ac videt rugas aniles in speculo;*

NOTÆ.

208. *Æstuet*] Ex diversis cupiditatibus, itemque sanguinis calore & copiâ maximè *fervent* juvenes.

211. *Canis*] Quid ad senectutem vergentes occupant: Hinc autem plurimos loquendi modus derivaverunt, qui *nives in caput, glaciem in sanguinem*, atque alia ejus generis induxerunt.

217. *Alvo*] Pro *utero* posuit, qui *loci matrix* ab imperitis dicitur, cùm potiùs *fœminam* fœtûs gratiâ comparatam significet, quo sensu Columella de gallinis; *Optimè anno pullos educat, si est bona matrix.*

220. *Domo*] *Utero.*

222. *Quadrupes*] *Reptans:* videturque allusum ad Sphyngis ænigma.

Qui quadrupes foret, & bipes, & tripes unus & idem.

224. *Conamine*] *Serperastro* puta, aut ejusmodi adminiculo.

227. *Declive*] Deorsum vergens sc. ad mortem, perinde ut sol, cùm ad occasum tendit; proinde & *senectam occiduam* dixit; quòd ea ultima sit ætatum hominis, perinde ut occidens, ultima meta cursûs solaris.

229. *Milon*] Athleta fuit Crotoniata tantis viribus ut nudæ dextræ uno ictu taurum interfeciſſe tradatur, humeriſque per ſtadium ſine fatigatione portâſſe. Dicitur inſuper totum ſolus devo[illegible]ſſe.

Tyndaris:

& ſecum perpendit quamobrem ſit bis rapta. Tempus edax rerum, tuque vetuſtas odioſa cuncta ſubveritis: atque paulatim abſumitis omnia morte tardè venienti vitiata multitudine annorum. Hæc etiam quæ nos appellamus elementa, non permanent: atque attendite, dicam, quas vices ſubeant. Mundus æternus habet quatuor corpora genitalia. Ex illis duo ſunt gravia; & terra & aqua tendunt deorſum ſuâ gravitate: atque totidem carent ponderе, & aër, & ignis purior aëre ſurſum feruntur nullo pondere eos *inhibente. Quæ tametſi diſſita ſunt loco, tamen omnia generantur ex ipſis, atque in ipſa reſolvuntur. Atque terra tenuata diſſolvitur in aquas fluidas, atque reſoluta mutatur in ventos atque aërem; ſublatâ etiam gravitate aër ſubtiliſſimus exſilit in ignes ætheris ſupremos. Inde retro feruntur; atque idem ordo reſolvitur. Namque ignis concretus concidit in ſpiſſum aërem, hic in aquas; terra concreſcit ex aquâ condenſatâ, Nequa forma ſua perſtat cuique; & Natura novatrix reſtituit formas rerum aliis ex aliis. Neque quicquam funditus periit in tante orbe, mihi fidem habete: ſed diversè mutatur, & renovat ſpeciem: & incipere eſſe aliud quàm quod fuit priùs, dicitur naſci: atque ceſſare eſſe illud idem, interire. Quanquam forte illa ſint tranſlata in hoc corpus, atque hæc in illud, omnia tamen quoad ſubſtantiam conſtant. Arbitratus equidem ſuero nihil perſtare diu ſub eadem formâ. Sic ab aureis veniſtis ad ferrea ſæcula; ſic toties mutata es, ſors locorum.*

Tyndaris: & ſecum, cur ſit bis rapta, requirit.
Tempus edax rerum, tuque, invidioſa vetuſtas,
Omnia deſtruitis: vitiataque dentibus ævi
Paulatim lentâ conſumitis omnia morte.
Hæc quoque non perſtant, quæ nos elementa vocamus:
Quaſque vices peragant (animos adhibete) docebo.
Quatuor æternus genitalia corpora mundus
Continet. Ex illis duo ſunt oneroſa, ſuoque
Pondere in inferius, tellus atque unda, feruntur:
Et totidem gravitate carent; nulloque premente
Alta petunt, aër, atque aëre purior ignis.
Quæ quanquam ſpatio diſtant; tamen omnia fiunt
Ex ipſis, & in ipſa cadunt. Reſolutaque tellus
In liquidas roreſcit aquas: tenuatus in auras
Aëraque humor abit: dempto quoque pondere rurſus
Inſuperos aër tenuiſſimus emicat ignes.
Inde retro redeunt: idemque retexitur ordo.
Ignis enim denſum ſpiſſatus in aëra tranſit:
Hic in aquas: tellus glomeratâ cogitur undâ:
Nec ſpecies ſua cuique manet. Rerumque novatrix
Ex aliis alias reparat Natura figuras.
Nec perit in tanto quicquam (mihi credite) mundo,
Sed variat, faciemque novat: naſcique vocatur,
Incipere eſſe aliud, quàm quod fuit antè; morique,
Deſinere illud idem. Cùm ſint huc forſitan illa,
Hæc tranſlata illuc; ſummâ tamen omnia conſtant.
Nîl equidem durare diu ſub imagine eâdem
Crediderim. Sic ad ferrum veniſtis ab auro,
Sæcula. Sic toties verſa es, Fortuna locorum.

NOTÆ.

233. *Tyndaris*] *Helena* Jovis, ſed *Tyndari* credita & Ledæ filia, à Theſeo novennis rapta, quæ à fratribus Dioſcuris Caſtore & Polluce recuperata, tum Menelao in matrimonium data mox à Paride rapta, belli atque excidii Trojani cauſa fuit.

235. *Dentibus*] Anni *dentes ævi* dicuntur, quibus omnia *rodi* dicuntur.

236. *Morte*] Al. legunt *morſu*. Fortaſſe meliùs ut pergat in Metaphorâ a *dentibus & edacitate* temporis.

239. *Æternus*] Ex falſâ Ariſtotelis opinione.

Ib. *Genitalia*] *Elementa* dicit, ex quibus omnia *generantur*.

245. *Caduni*] *In elementa reſolvuntur*.

Ib. *Reſolutaque tellus*] Elementum alterum in aliud tranſire poteſt.

248. *Superos ignes*] Ætherem, qui omnium elementorum ſupremus eſt.

252. *Species*] *Figuras*, quæ mox ſequuntur, quas ſuprà *vagantes* dixit *imagines*, ea *ſpecies* intelligitur.

260. *Ferrum*] *Ad ferream ætatem*, de quâ libro primo.

Vidi

Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum. Vidi factas ex æquore terras:
Et procul à pelago conchæ jacuêre marinæ;
Et vetus inventa est in montibus anchora summis.
Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum
Fecit: & eluvie mons est deductus in æquor:
Eque paludosâ siccis humus aret arenis;
Quæque sitim tulerant, stagnata paludibus hument.
Hîc fontes Natura novos emîsit, at illîc
Clausit: & antiquis concussa tremoribus orbis
Flumina prosiliunt; aut excœcata resident.
Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu,
Exsistit procul hinc, alioque renascitur ore.
Sic modò combibitur: tecto modò gurgite lapsus
Redditur Argolicis ingens Erasinus in arvis.
Et Mysum capitisque sui, ripæque prioris
Pœnituisse ferunt, aliâ nunc ire, Caïcum.
Nec non Sicanias volvens Amenanus arenas
Nunc fluit; interdum suppressis fontibus aret.
Ante bibebatur; nunc quas contingere nolis
Fundit Anigros aquas: postquam (nisi vatibus omnis
Eripienda fides) illîc lavêre bimembres
Vulnera, clavigeri quæ fecerat Herculis arcus.

Ego vidi esse mare, quod fuerat olim terra firmissima. Vidi terras natas ex mari: atque conchæ marinæ sparsæ sunt longè à mari; & antiqua anchora reperta est in supremis montibus. Fluxus aquarum effecit vallem, quod fuit planities; & mons est mutatus in planitiem diluvio: atque terra riget siccis glareis ex paludosâ; & quæ loca *sicca erant stagna facta sunt, & ab humidis paludibus occupata. Hîc natura patefecit novos fontes, & illîc repressit; & fluvii excitati antiquis terræ motibus erumpunt, aut obturati residunt. Ita postquam Lycus est absorptus hiatu terreno, erumpit hinc procul, & exundat alio ostio. Ita magnus Erasinus modò absorbatur, modò fluens operto gurgite renascitur in campis Argolicis. Dicunt etiam Mysum piguisse & scaturiginis suæ & prioris ripæ, nunc* mutato *nomine & cursu Caïcum* dici. *Amenanus quoque trahens arenas Siculas nunc currit, nonnunquam est siccus fontibus retentis. Anigros antea potabatur, nunc emittit aquas quas fugias tangere, ex quo (nisi omnis fides est tollenda pœtis)* Centauri *bimembres illîc lavarunt plagas, quas arcus Herculis clavigeri infixerat.*

NOTÆ.

263. *Fretum*] Nam ubi nunc est fretum Siculum, ibi fuit terra solidissima.

Ibid. *Factas*] Plurimas insulas apud historicos, imò & alias terras invenias, quæ suo tempore emerserunt. Quin & conchæ in altissimis montibus reperiuntur, unde ibi etiam aliquando mare fuisse nonnulli colligunt.

273. *Lycus*] Plures eo nomine fuerunt fluvii; hîc verò de eo agitur, qui & *Marsus* à Livio dictus, Laodiceam Lydiæ urbem præterfluit.

274. *Procul*] Post quinque stadia circiter.

276. *Erasinus*] Fluvius est Arcadiæ, qui à Stymphalide palude ortus, unde & *Stymphalus* dictus, postquam terras subiit, rursus in Argolico agro erumpit, atque *Erasinus* dicitur.

277. *Mysum*] Mysiæ fluvius terrâ haustus fontem, alveum, & nomen mutavit, nunc *Caicus* dictus.

279. *Amenanus*] Exiguus fluvius Siciliæ, ex Ætnâ monte per agrum Catenensem fluens.

282. *Anigros*] Hic fluvius est Peloponnesi in Elide, de quo aliter fabulantur.

Ibid. *Vatibus*] Optimè hoc interserit poëta. Pythagoras enim suprà v. 155. *materiem vatum & nomina vana* jussierat contemnere.

283. *Bimembres*] *Centauros* dicit ab Hercule vulneratos atque profligatos.

Quid?

Quid? annon Hypanis fluens ex montibus Scythicis, qui erat dulcis, corrumpitur salibus amaris? Antissa, & Pharus, & Tyrus Phœnissa fuerant circumdatæ fluctibus, ex quibus nulla nunc est insula. Antiqui incolæ habuêrunt Leucadem cohærentem, nunc maria circumfluunt. Zancle etiam dicitur fuisse connexa Italiæ, donec mare abripuit confinia, atque removit terram interjectâ aquâ. Si quæras Helicen & Burin, oppida Achaiæ, reperies sub aquis; & nautæ solent adhuc ædificare urbes depressas cum muris submersis. Est collis excelsus sine ullis arboribus prope Troezenen Pittheam, olim area campi planissima nunc collis: nam, res admiranda relatu, sæva violentia ventorum repressa obscuris speluncis, nitens aliquâ via exspirare atque conata incassum frui cœlo ampliore; cùm nullus esset hiatus in totâ cavernâ, neque esset pervia fluminibus distendit terram tumefactam; sicut spiritus oris solet inflare vesicam, vel pellem detractam capro bicorni. Ille tumor permansit loco, & habet figuram excelsi tumuli; atque solidatus est longo tempore. Cùm plurima in mentem veniant vobis audita & cognita,

Quid? non & Scythicis Hypanis de montibus ortus,
Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris?
Fluctibus ambitæ fuerant Antissa, Pharosque,
Et Phœnissa Tyros; quarum nunc insula nulla est.
Leucada continuam veteres habuêre coloni;
Nunc freta circueunt. Zancle quoque juncta fuisse
Dicitur Italiæ; donec confinia pontus
Abstulit, & mediâ tellurem reppulit undâ.
Si quæras Helicen & Burin Achaidas urbes,
Invenies sub aquis: & adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.
Est prope Pittheam tumulus Trœzena, sine ullis
Arduus arboribus, quondam planissima campi
Area, nunc tumulus: nam (res horrenda relatu)
Vis fera ventorum, cœcis inclusa cavernis,
Exspirare aliquâ cupiens, luctataque frustrà
Liberiore frui cœlo, cùm carcere rima
Nulla foret toto, nec pervia flatibus esset:
Extentam tumefecit humum: ceu spiritus oris
Tendere vesicam solet, aut derepta bicorni
Terga capro. Tumor ille loco permansit, & alti
Collis habet speciem; longoque induruit ævo.
Plurima cùm subeant, audita aut cognita vobis,

NOTÆ.

285. *Hypanis*] Sarmatiæ est Europeæ, qui in Borysthenem deinde in Pontum Euxinum defluit.

287. *Antissa*] Insula fuerat, quæ Lesbo, Ægæi maris insulæ, contra Troadem fuit adjecta.

1b. *Pharos*] Hæc quoque olim insula Ægypto annexa fuit: ubi celeberrima illa turris plurimis tabulatis excelsa, eodem nomine, quam quidem Sostratius Gyndius pro navigantium salute extruxit.

288. *Tyros*] Urbs fuit Phœnicæ opulentissima, quæ Alexandri magni tempore insula fuit, ut ex Curtio aliisque liquet.

289. *Leucada*] Nunc est insula maris Ionii, quam à continenti avulsit accolarum opera.

290. *Zancle*] Messana est, urbs Siciliæ quam simul & totam insulam pontus ab Italia divisit. 2 Æn. Virg.

292. *Reppulit*] Uti quidem videtur oculis; cæterùm non *repulsa* insula, sed pars ea terræ albata, quæ Siciliam Italiæ committebat.

293. *Helicen & Burin*] Urbes Achaiæ in orâ sinûs Corinthiaci, quas terræ motu absorptas scribunt Oros. lib. 3. cap. 3 Strabo, lib. 1. Diod. lib. 25.

296. *Pittheam*] *Pitthei* Æthræ patris patria fuit *Trœzen*, urbs Peloponnesi in orâ meridionali sinûs Saronici.

299. *Ventorum*] Atque ignis subterranei.

305. *Terga*] *Utres* dicit, quibus vinum atque oleum continentur. Vel *folles* ludendi gratiâ inflatos.

Pauca

Pauca supèr referam. Quid? non & lympha figuras
Datque capitque novas? medio tua, corniger Ammon,
Unda die gelida est; ortuque obituque calescit.
Admotis Athamanis aquis accendere lignum
Narratur; minimos cùm Luna recessit in orbes.
Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera; quod tactis inducit marmora rebus.
Crathis, & huic Sybaris nostris conterminus arvis,
Electro similes faciunt auroque capillos.
Quodq; magìs mirum, sunt qui non corpora tantum,
Verùm animos etiam valeant mutare, liquores.
Cui non audita est obscœnæ Salmacis undæ?
Æthiopesque lacus? quos si quis faucibus hausit,
Aut furit, aut mirum patitur gravitate soporem.
Clitorio quicumque sitim de fonte levârit,
Vina fugit; gaudetque meris abstemius undis:
Seu vis est in aquâ calido contraria vino:
Sive, quod indigenæ memorant, Amithaone natus,

pauca insuper narrabo. Quid? Annon aqua dat atque accipit novas figuras? Tua aqua, Ammon cornute, gelida est de die; accedente & recedente eo calescit. Athamanis aquis admotis dicitur accendere lignum, cùm Luna abiit in minimos orbes. Cicones habent fluvium, qui potus reddit præcordia lapidea: qui inducit saxeam duritiem rebus tactis. Crathis & Sybaris huic conterminus in nostris campis, reddunt crines similes electro, atque auro. Et quod magìs stupendum est sunt aquæ quæ possint vertere non tantùm corpora, sed etiam mentes. Cui non cognita est Salmacis, quæ aquas habet turpes? & lacus Æthiopes? quos si quis gustavit, vel furit, vel patitur somnum stupidum & gravem. Quisquis sedaverit sitim ex fonte Clitorio, odit vinum, atque sobrius amat puras lymphas; seu virtus est in aquâ contraria vino calido, sive quod indigenæ referunt, filius Amithaonis,

NOTÆ.

309. *Ammon*] De hoc cognomine vid. lib. 4. 670.

310. *Unda*] De eo fonte Plin. lib. 2. cap. 103. Curtius lib. 4. Eleganter etiam Lucret. lib. 6.

Esse apud Hammonis fanum fons, luce diurnâ
Frigidus, &c.

311. *Athamanis*] Fuerunt *Athamanes* populi Epiri, apud ques fons Dodonæus, qui accensas faces extingueret, extinctas accenderet. De eo Solinus, Plinius, Lucretius, alii.

312. *Minimos*] *Cùm decrescit.*

313. *Cicones*] Thraciæ esse populos jam sæpe diximus. Fluminis autem de quo hic agitur nomen nusquam apparet quòd sciam, nisi fortè Hebrus est. Sic de eo Plinius, *In Ciconum flumine & in Piceno lacu Velino lignum dejectum lapideo cortice obducitur.*

315. *Crathis*] Hic & Sybaris, fluvii sunt Calabriæ Crotonem juxta in extremâ Italiâ ortum versus. *Crathis*] Ὁ δὲ Κραθὶς τὰς λιθο-μένας ξανθὴν τρίχειν καὶ λευκοτριχεῖν ποιεῖ, Strabo.

319. *Salmacis*] De eo Cariæ fonte supra lib. 5. v. 285.

320. *Æthiopèsque lacus*] Porphyrius, de Styge, memorabile quid memorat de aquâ probationis apud Indos: ubi reus ad examen istius aquæ adductus eo vel absolvitur vel damnatur; λίμνη λεγομένη δοκιμαστηρίου.

321. *Mirum gravitate soporem*] Periphrasis est Lethargi.

322. *Clitorio*] Vinum tædio venire his, qui ex Clitorio lacu biberint, scribit, Plin. lib. 3. cap. 2. Est autem lacus ille Arcadiæ in Peloponneso, non longè à sinu Corinthiaco.

325. *Amithaone natus*] *Melampus* medicus, qui Prœti Argivorum regis filias quatuor, sc. Meram, Euryalen, Lysippen, & Iphianassam, putantes se vaccas esse eo furore liberavit, quem ipsis Juno, ut scribit Pherecydes: ut alii Venus, immiserat quòd illâ se pulchriores jactarent, Iphianassam duxit Melampus, restitutis valetudini sororibus.

postquam liberavit furiis per carmen & gramina Prœtidas insanas, abjecit in illas aquas medicamenta mentis: & odium vini permansit in aquis. Fluvius Lyncestius est dissimilis effectu huic, quem quisquis hausit faucibus avidis, non secùs vacillat, quàm si potâsset vinum purum. Est locus Arcadiæ (veteres appellaverunt Pheneon) non tutus propter aquas ambiguas; quas nocte reformida; hauste de nocte lædunt. Securè potantur de die. Ita lacus & amnes habent alias atque alias virtutes. Tempus fuit quo Ortygia fluitavit in undis, nunc stat. Argo reformidavit Symplegadas divisas concursibus undarum à duobus scopulis fractarum; quæ nunc consistunt immotæ; & resistunt ventis. Neque Ætna, quæ flagrat fornacibus sulfureis, semper ardebit; neque verò fuit semper incensa. Nam seu terra est animal, & vivit, & habet æstuaria exspirantia ignem multis locis, potest mutare vias expirandi, &, quot ies movetur, obstruere has speluncas, aperire illas: Seu subtiles venti coërcentur infimis cavernis, atque jactant silices cum silicibus, & materiem continentem semina flammæ, ea rapit ignem conflictu; cavernæ destituentur sine igne ventis compositis.

Prœtidas attonitas postquam per carmen & herbas
Eripuit furiis; purgamina mentis in illas
Misit aquas: odiumque meri permansit in undis.
Huic fluit effectu dispar Lyncestius amnis,
Quem quicunq; parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset.
Est locus Arcadiæ (Pheneon dixêre priores)
Ambiguis suspectus aquis: quas nocte timeto;
Nocte nocent potæ. Sine noxâ luce bibuntur.
Sic alias aliasque lacus & flumina vires
Concipiunt. Tempusque fuit, quo navit in undis,
Nunc sedet Ortygie. Timuit concursibus Argo
Undarum sparsas Symplegadas elisarum;
Quæ nunc immotæ perstant, ventisque resistunt.
Nec, quæ sulfureis ardet fornacibus, Ætne
Ignea semper erit: neque enim fuit ignea semper.
Nam sive est animal tellus, & vivit, habetque
Spiramenta locis flammam exhalantia multis;
Spirandi mutare vias, quotiesque movetur,
Has finire potest, illas aperire cavernas:
Sive leves imis venti cohibentur in antris;
Saxaque cum saxis, & habentem semina flammæ
Materiem jactant, ea concipit ictibus ignem;
Antra relinquentur sedatis frigida ventis:

NOTÆ.

326. *Prœtidas*] Filiæ fuerunt Prœti Argivorum regis, quæ, immissâ à Junone aut Venere vetaniâ, sese vaccas esse credidérunt.

329. *Lyncestius*] *Lyncestis aqua in Macedoniâ, vini modo, tremulentos facit.* Plin. Lib. 2. cap. 103.

332. *Pheneon*] In Arcadiâ, quæ Achaiæ regio est maximè à mari remota, oppidum est eo nomine, è cujus paludibus Laston profluere, scripsit Plinius. Aquam autem, de quâ hic Ovidius videtur intelligere, Pausanias *Stygem* vocari ait ab Arcadibus: quanquam de lucis atque noctis discrimine nihil meminit.

337. *Ortygie*] *Delos* est, maris Ægæi: Cycladum insula clarissima, à *coturnicum* copiâ Græcè sic dicta, quæ olim fluitans aut mari obruta, Latonæ locum ad pariendum, quærenti ut commodaret, repentè constitit.

Ib. *Argo*] Nomen est navis, quâ Argonautæ Colchos ad vellus aureum surripiendum profecti sunt.

338. *Symplegadas*] *Symplegades*, à *συμπλησσω Collido*) quæ & *Cyantæ* dicuntur, insulæ sunt contra Bosphorum Thracium, quæ, ut inquit Plinius, à poëtis olim concurrisse finguntur, quoniam parvo discretæ intervallo, ex adverso intrantibus geminæ esse videntur paululùmque deflexâ acie coëuntium speciem præbebunt.

340. *Ætne*] Mons Siciliæ notissimus, de quo jam toties, qui flammas eructat.

348. *Materiem*] *Sulphur* scilicet & *bitumen* ex saxorum collisione, excusso igne incendi possunt.

Sive

Sive bitumineæ rapiunt incendia vires,
Luteave exiguis arescunt sulfura fumis;
Nempe ubi terra cibos alimentaque pinguia flammæ
Non dabit, absumtis per longum viribus ævum,
Naturæque suum nutrimen deerit edaci:
Non feret illa famem; desertaq; deseret ignes.
Esse viros fama est in Hyperboreâ Pallene:
Qui soleant levibus velari corpora plumis;
Cùm Tritoniacam novies subiêre paludem.
Haud equidem credo: sparsæ quoque membra veneno
Exercere artes Scythides memorantur eadem.
Si qua fides rebus tamen est abhibenda probatis;
Nonne vides, quæcunque morâ fluidove calore
Corpora tabuerint, in parva animalia verti?
I quoque, delectos mactatos obrue tauros;
Cognita res usu; de putri viscere passim
Florilegæ nascuntur apes. Quæ more parentum
Rura colunt; operique favent, in spemq; laborant.
Pressus humo bellator equus crabronis origo est.
Concava littoreo si demas brachia cancro,
Cætera supponas terræ; de parte sepultâ
Scorpius exibit, caudâque minabitur uncâ.
Quæque solent canis frondes intexere filis

Sive vires bitumineæ concipiunt flammam, vel flava sulfura exsiccantur fumis exiguis; scilicet postquam & terra non præbebit escam & fomenta pinguia igni, viribus exhaustis per longum tempus; atque suum alimentum destituet naturam voracem, illa non tolerabit famem, & destituta destituet ignes. Dicunt esse homines in Pallene Hyperboreâ, qui soleant habere corpus tectum levibus plumis, postquam ingressi sint novies paludem Tritoniacam. Non equidem fidem adhibeo. Cæterùm *Scythicæ mulieres habentes artus delibutos medicamine dicuntur exercere eosdem artes. Attamen si qua fides adhibenda est rebus exploratis, nonne cernis quæcunque corpora corrupta fuerint tempore, vel calore fluido, mutari in exigua animalia? Ita etiam, defodito tauros delectos jugulatos (res est comperta experientiâ) apes florem colligentes nascuntur passim de corruptâ carne, quæ versantur in agris more parentum, atque urgent opus, & laborant in spem. Equus bello aptus terrâ obrutus producit crabronem. Si auferas brachia curva cancro littoreo, & submittas reliquuum* ejus *in terram, scorpius prodibit ex parte defossâ, & minabitur caudâ recurvâ. Tineæ etiam agrestes, quæ solent involvere folia* arborum *candidis filis,*

NOTÆ.

350. *Bitumineæ*] *Est bitumen limus quidam piceæ & sulphureæ naturæ.*

351. *Exiguis*] Melius legitur, *irriguis*, aut *assiduis.*

354. *Naturæque*] *Nempe bitumineæ & sulphureæ.*

356. *Pallene*] Est quidam mons Thraciæ, seu Macedoniæ, verùm de hâc Hyperboreâ, neque de Tritoniacâ palude alibi quicquam extat, quòd sciam. Herodotus in Melpomene *pennas* has interpretatur Hyperboreorum *nives*; quas *pennarum* similitudine illis assiduè cadere testatur Plinius. Namque Hyperborei, quanquam alibi ab aliis in Scythiâ, Sarmatiâ, Asiaticâ, Moscoviâ, &c. ad Septentrionem ab omnibus constituuntur, à quibus & ultra quos incipit stare Boreas.

360. *Scythides*] *Scythicæ mulieres*, quæ se in aves mutare dicebantur: atque etiam hodie veneficæ insignes existimantur.

Ibid. *Eadem*] *Ut sese in aves convertant.*

361. *Si qua fides*] Μέλισσαι βυγενεῖς Aristæi inventum Varro l. 3. R. R. c. 16 cit. illud Archelai; βοὸς φθειμένης πεπονημένα τέκνα. Vide Plin. lib. 11. cap. 20.

362. *Fluido*] Ab effecto; quòd calor *fluida*, i. e. *mollia* reddat corpora.

363. *Animalia*] *Vermes scilicet*, & ejus generis *insecta.*

364. *I quoque*] Hunc versum melius scribendum censet Heinsius:

I scrobe dilecto mactatos obrue tauros.

Ib. *Tauros*] Idem testatur Plinius, simoque dicit obruenda viscera. Virg. idem Georg. 4.

367. *Spem*] Tum melius, tum futuri examinis.

368. *Crabronis*] *Vespas* atque *crabrones* ex equorum cadavere nasci testatur etiam Varro.

371. *Caudâ*] In quâ aculeum habet & venenum.

(*res est notata ab agricolis*) *mutant formam cum papilione venenoso. Cænum habet semina, quæ generant virides ranas, & gignit eas pedibus carentes: mox præbet pedes idoneos natando: atque ut ii sint habiles ad longos saltus capiendos, mensura posterior superat partes priores. Neque est catulus, quem ursa emisit recenti partu, sed caro vix adhuc viva. Mater fingit eam in membra lambendo atque reducit in formam, qualem ipsa habet. Nonne cernis fœtus apium mel reducentium, quos cera sexangula obvolvit, exoriri corpora sine membris, atque serò capere pedes, & alas; Quis, nisi sciret fieri, crederet apem Junonis, quæ ferret stellas in caudâ, & armigerum Jovis, & columbas Cytherëiadas, & omne genus avium posse nasci ex mediis partibus ovi? Sunt qui arbitrentur medullas humanas verti in serpentem, cùm spina est putrefacta in clauso sepulchro. Hæc tamen sumunt originem ex aliis rebus; una est avis quæ sola se restituat, & regeneret: Assyrii vppellant Phœnicem. Non vescitur farre, neque graminibus,*

Agrestes tineæ (res observata colonis)
Ferali mutant cum papilione figuram.
Semina limus habet virides generantia ranas;
Et gignerat truncas pedibus: mox apta natando
Crura dat; utque eadem sint longis saltibus apta,
Posterior partes superat mensura priores.
Nec catulus, partu quem reddidit ursa recenti,
Sed malè viva caro est. Lambendo mater in artus
Fingit; & in formam, quantam capit ipsa, reducit.
Nonne vides, quos cera tegit sexangula, fœtus
Melliferarum apium sine membris corpora nasci,
Et seroſque pedes, seraſque assumere pennas?
Junonis volucrem, quæ caudâ sidera portat,
Armigerumque Jovis, Cythereïadasque columbas,
Et genus omne avium, mediis è partibus ovi,
Ni sciret fieri, fieri quis posse putaret?
Sunt qui, cùm clauso putrefacta est spina sepulchro,
Mutari credant humanas angue medullas.
Hæc tamen ex aliis ducunt primordia rebus;
Una est quæ reparet, seque ipsa reseminet, ales:
Assyrii Phœnica vocant. Non fruge, neque herbis,

NOTÆ.

373. *Tineæ*] Bene *agrestes* dixit; namque domesticæ vestes præsertim aut etiam alvum infestant, quanquam *lumbrici* magis appellantur posteriores vermiculi. Illas quod attinet, passim conspiciuntur, quæ semen suum filis areneatum haud absimilibus involvunt, atque in foliis arborum ponunt, unde innumeri suo tempore erumpunt vermes.

374. *Ferali*] *Papilio*, inquit Plinius, lucernarum luminibus advolans, inter maia medicamenta numeratur. Cui contrarium jecur caprinum, sicut vel veneficiis ex mustelâ rusticâ factis.

375. *Semina*] Quæ ova esse videntur conglobata, piscorum magnitudine.

376. *Truncas*] Ita quidem videntur cæterùm pedes simul cum iis natos, at contractos & quasi in cæteris partibus delitescentes crediderim.

378. *Posterior*] Istud etiam in leporibus conspicitur.

379. *Nec catulus*] Sic plurimi auctores haudquaquam spernendi scribunt, quanquam aliter compertum est.

384. *Pennas*] Avium pennæ seu alæ nemo nescit quales sint, ex quâdam quasi *telâ*.

385. *Junonem*] *Favonem* dicit, cujus cauda, ex Argi oculis *stellata*; ut in superioribus vidimus.

386. *Armigerum*] *Aquilam*.

Ib. *Cythereïadasque*] Veneri, quæ à Cytherâ insulâ contra Cretam *Cytherea* dicitur, dicatæ columbæ, propter libidinem.

387. *Mediis*] Ex ovi *vitello* foveri primò pulli germen oculorum testimonio constat.

389. *Sunt qui*] *Anguem ex medulla hominis spinæ gigni accepimus à multis.* Plin. lib. 10. cap. 66. *circa sepulchra itaque visuntur.*

393. *Phœnica*] A colore *purpureo Phœnix* videtur appellatus. De hâc ave vide. Plin. lib. 10. cap. 2. Tacit. Annal. lib. 5. Ælian. lib. 5. cap. 58, &c.

Sed thuris lachrymis, & ſucco vivit amomi.
Hæc ubi quinque ſuæ complevit ſecula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæve cacumine palmæ,
Unguibus & pando nidum ſibi conſtruit ore.
Quo ſimul ac caſias, & nardi lenis ariſtas,
Quaſſaque cum fulvâ ſubſtravit cinnama myrrhâ;
Se ſuper imponit, finitque in odoribus ævum.
Inde ferunt, totidem qui vivere debeat annos,
Corpore de patrio parvum Phœnica renaſci.
Cùm dedit huic ætas vires, onerique ferendo eſt;
Ponderibus nidi ramos levat arboris altæ:
Fertque pius cunaſque ſuas, patriumque ſepulchrum:
Perque leves auras Hyperionis urbe potitus,
Ante fores ſacras Hyperionis æde reponit.
Si tamen eſt aliquid miræ novitatis in iſtis;
Alternare vices, & quæ modò fœmina tergo
Paſſa marem eſt, nunc eſſe marem miremur hyænam
Id quoque, quod ventis animal nutritur & aurâ,
Protinus aſſimulat tactu quoſcunque colores.
Victa racemifero lyncas dedit India Baccho:
E quibus, ut memorant, quicquid veſica remiſit,

ſed guttis thuris & ſucco amomi. Poſtquam hæc implevit quinque ſecula ſuæ vitæ, ſtruit ſibi nidum unguibus & curvo roſtro in ramis ilicis, vel in vertice palmæ tremulæ. Quo ſtatim atque ſuppoſuit caſias, & ariſtas ſuavolentis nardi, & cinnamona fracta cum nigrâ myrrhâ, ſe ſuper immittit, atque abſolvit vitam in odoribus. Inde dicunt parvum Phœnicem renaſci de corpore patrio, qui debeat vivere totidem annos. Poſtquam ætas præbuit huic vires, atque ſufficit ponderi portando, levat ramos excelſæ arboris onere nidi, atque pius portat eum qui erat & ſua incunabula & ſepulchrum paternum & cum devenit in urbem Solis per levem aërem, deponit ante ſacras januas in templo Solis. Si tamen eſt aliquid ſtupendæ novitatis in iſtis, miremur hyænam alternis annis vices mutare: & quæ modo fœmina tulit marem tergo, nunc eſſe marem. Illud etiam animal quod alitur vento & aëre, ſtatim imitatur tactu omnes colores. India ſubacta à Baccho racemos uvarum ferente obtulit lynces, ex quibus quicquid veſica emiſit,

NOTÆ.

394. *Amomi*] *Frutex* eſt inter aromata laudatiſſimus, in Aſſyria, Armeniâ, Ponto atque Mediâ naſcens: cujus à diverſis diverſæ exhibentur deſcriptiones; ut vix hodie, tamet ſi fortè in Phormacis proſtet, notum eſſe crediderim.

395. *Quinque*] *Sexcentis ſexaginta* annis vivere, ſcribit Plinius.

398. *Caſias*] *Caſia* frutex eſt, qui, docente Plinio, juxta Cinnami campos naſcitur, in Arabiâ. Ille verò ſpecie exteriori eſt ſimilis, ut ſuo ævo eſſe qui pro cinnamono venderent teſtetur Galenus: atque ejuſdem quidem ſed minoris eſſe virtutis aſſerit.

Ibid. *Nardi*] Frutex eſt etiam qui ex Aſſyriâ aut India affertur; cujus cacumen in ariſtas ſparſum ad unguenta præſertim fuit olim pretioſiſſimum.

406. *Hyperionis*] Fuit *Hyperion* Cœli filius, *Solis* pater, qui ſæpius pro ipſo *Sole* ſumitur. Illius urbem (*Heliopolin* dict.) quod attinet, de qua hìc agitur, Plinius lib. 5. cap. 9. prope Panchaiam, quæ Arabiæ pars eſt, ad ſinum cognominem eſſe ſcribit.

410. *Hyænam*] Aliud figmentum quòd tamen vulgi eſſe ſcripſit Plinius, cùm ſine mare parere Hyænam dixit, jam diu confutavit Ariſtoteles. Animal autem illud ex genere eſt luporum, ſed magìs hirtum, jubamque habet toto tergo perpetuam. Flecti non poteſt, niſi circumactu totius corporis.

411. *Id*] *Chamæleontem* dicit, qui colorem ſubinde mutat, eumque quem proximè attingit reddit ſemper, rubro tamen atque candido excepto. In India naſcitur, figura & magnitudine lacertæ, de quo mira Plinius, quæ Agellius exſibilavit: quem vide.

413. *Lyncas*] *Lynx* animal eſt maculis diſtincta terga habens, ut *Pardus*; quod in luporum genere eſſe ſcripſit Iſiodorus; falſum verò eſſe in Europam advectæ Lynces prodiderunt.

414. *Quicquid veſica remiſit*] Omnis urina lyncum.

mutatur in saxa, & in duritiem concrescit aëre tacto. Ita etiam corallium riget statim atque venit in aërem: fuit tenerum gramen sub aquis. Dies priùs desceret, & Sol mergeret equos fessos in profundum mare, quàm explicare possim verbis omnia mutata in species novas. Ita videmus nationes mutari, atque illas confirmari tempore, has interire. Ita Troja fuit magna opibus & incolis, & potuit impendere tantum cruoris per decem annos; nunc protrita ostendit tantùm antiqua rudera, atque sepulchra pro opibus majorum. Sparta fuit inclyta; magnæ Mycenæ floruerunt; itemque arces Cecropiæ, nec non Thebæ *ab Amphione* conditæ. *Sparta est contemnendus ager: excelsæ Mycenæ* humi *jacent. Thebæ Oedipodioniæ quid sunt nisi fabula? Quid sunt Athenæ Pandioniæ nisi nomen? Nunc etiam perhibent Romam Dardaniam in excelsum strui, quæ proxima aquis Tibridis Apenninigenæ jacit fundamenta rerum sub immenso pondere. Hæc igitur mutat formam crescendo; atque aliquando*

Vertitur in lapides, & congelat aëre tacto.
Sic & coralium, quo primùm contigit auras
Tempore, durescit; mollis fuit herba sub undis.
Deferet antè dies, & in alto Phœbus anhelos
Æquore tinget equos; quàm consequar omnia dictis
In species translata novas. Sic tempore verti
Cernimus, atque illas assumere robora gentes;
Concidere has. Sic magna fuit censuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
[Clara fuit Sparte: magnæ viguêre Mycenæ:
Nec non Cecropiæ, nec non Amphionis arces.
Vile solum Sparte est: altæ cecidêre Mycenæ:
Oedipodioniæ quid sunt nisi fabula Thebæ?
Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?]
Nunc quoque Dardaniam fama est consurgere Romam;
Apenninigenæ quæ proxima Tibridis undis
Mole sub ingenti rerum fundamina ponit.
Hæc igitur formam crescendo mutat; & olim

NOTÆ.

415. *Congelat*] In gemmas carbunculis similes & igneo colore fulgentes *glaciari* Lyncum humorem scripsit Plinius, atque: verùm figmenta esse hæc omnia comprobavit experientia. *Lyncurium* autem dicitur ab illis Lyncis *urinæ in gemmam coactæ*.

416. *Sic*] Ita Plin. lib. 32. cap 2. Corallio forma est fruticis, color viridis; Baccæ ejus sub aquâ molles exemptæ durantur.

418. *Phœbus*] *Sol antè occiderit*.

423. *Decem*] *Decem annos* durâsse bellum Trojanum nemo nescit.

426. *Clara fuit*] Hi versus expungendi. In eo enim artificium poëtæ consistit, ut perpetuo orationis filo mutationem rerum omnium tanquam concatenatam pertexat: & nunc in eo occupatur, ut ex ruinis Trojæ Romam prodiisse demonstret. Inopportuna igitur, ut quæ maximè, Spartes, Mycenarum, Athenarum, & Thebes hic incultatur mentio.

Ib. *Sparte*] Quæ celeberrima fuit Peloponnesi civitas, Lycurgi legibus optimè olim instituta.

Ibid. *Mycenæ*] Alia urbs Peloponnesi, Agamemnonis regia.

427. *Cecropiæ*] *Athenas* dicit, à *Cecrope* ædificatore sic dictas.

Ib. *Amphionis arces*] *Thebæ* ab Amphione conditæ.

428. *Altæ*] Propter *ædificiorum celsitudinem*; vel *famam & gloriam*, sicut *altæ mœnia Trojæ*, 1 Æneid.

429. *Oedipodioniæ*] Ab *Oedipo* rege Thebæ etiam ita denominatæ.

430. *Pandioniæ*] Ubi etiam *Pandion* regnavit, *Athenæ*.

Ib. *Nomen*] Falsissimum verò est Pythagoræ tempore nihil nisi *nomen* fuisse *Athenas*, quæ tunc ut cùm maximè floruerunt.

431. *Dardaniam*] A *Trojanis* ædificatoribus, qui à *Dardano*, *Trojano* rege, sic dicti, illud nomen consecuta est Roma.

432. *Apenninigenæ*] Ex *Apennino* monte in urbem decurrere *Tibrim* notum est omnibus.

Immensi

Immenſi caput orbis erit. Sic dicere vates,
Faticinaſque ferunt ſortes: quantumque recordor,
Priamides Helenus flenti, dubioque ſalutis,
Dixerat Æneæ, cùm res Trojana labaret:
Nate Deâ, ſi nota ſatîs præſagia noſtræ
Mentis habes; non tota cadet, te ſoſpite, Troja.
Flamma tibi ferrumque dabunt iter. Ibis, & unà
Pergama rapta feres: donec Trojæque tibique.
Externum patrio contingat amicius arvum.
Urbem & jam cerno Phrygios debere nepotes;
Quanta nec eſt, nec erit, nec viſa prioribus annis.
Hanc alii proceres per ſæcula longa potentem,
Sed dominam rerum de ſanguine natus Iüli
Efficiet: quo, cùm tellus erit uſa, fruentur
Æthereæ ſedes; cœlumque erit exitus illi.
Hæc Helenum ceciniſſe Penatigero Æneæ,
Mente memor refero: cognataque mœnia lætor
Creſcere, & utiliter Phrygibus viciſſe Pelaſgos.
Ne tamen oblitis ad metam tendere longè
Exſpatiemur equis; cœlum, & quodcumque ſub illo eſt,
Immutat formas, telluſque, & quicquid in illâ eſt.

erit domina immenſi mundi. Ita aiunt augures & oracula prædixere; & quantum memini Helenus Priamides dixerat Æneæ lacbrymanti, atque ſalutis ancipiti, cùm Trojanum imperium rueret: Fili Deæ, ſiquidem fatis intelligis auguria noſtræ mentis, Troja non tota jacebit, dum tu incolumis es: Ignis & ferrum tibi præbebunt viam: Ibis, & tecum unà feres Ilium dirutum, donec ager externus amicior patrio tibi & Trojæ obveniat. Video & nunc poſteros Phrygiorum debere urbem condere, *quanta nec eſt, nec erit, nec viſa ævo antecacto. Alii optimates reddent hanc validam per longa ſæcula; ſed filius de ſanguine Iuli* faciet *dominam orbis terrarum: quo cùm terra uſa fuerit, arces cæleſtes illo hoſpite gaudebunt & cœlum erit illi meta. Memor recordor Helenum prædixiſſe hæc Æneæ, qui penatis ſuos geſſit; atque gaudeo muros affines augeri, atque Græcos viciſſe in commodum Trojanorum. Ne tamen excurramus equis, qui immemores ſunt feſtinandi ad metam, cœlum & quicquid ſub illis eſt, terra, & quicquid in eâ eſt, immutat formas.*

NOTÆ.

436. *Recordor*] Facile verò eſt eo modò vates eſſe, ut eos inducere ex præteritis. Appoſitè autem à poëta *Pythagoræ*, qui ſe *temporibus Trojanis Euphorbum fuiſſe prædicabat*, hujuſce prædictionis fictio attributa.

437. *Helenus*] *Priami fuit filius vates inſignis*, ut ex Æn. 1 Virgil. conſtat.

438. *Rex Trojana*] Sic. Enn. *Res Romana:* imperium & opes. Virg. 3. Æn. *Res Aſiæ.*

442. *Pergama*] Arces fuerunt Trojanæ, quas reſtitutum iri per Æneam prædicit Helenus.

444. *Debere*] Ex fatorum ordine ſcilicet.

446. *Alii*] Reges, Conſules, aliique togâ & ſago clari, per quos antè Cæſares Res Romana crevit.

Ib. *Longa*] Septingentos annos.

447. *Natus*] Octavius Auguſtus Julii Cæſaris adoptione filius, qui, docente Suetonio, maternum genus ad Aſcanium ſeu Iulum Æneæ filium referebat; in cujus gratiam hæc omnia a poëta referuntur.

448. *Uſa*] Vide quàm appoſitè voces deligat Naſo, ut peculiari quodam Deorum favore terris ad tempus conceſſum Auguſtum innuat, quo ipſi denique *fruantur*.

450. *Penatigero*] Qui *Deos penates* ſecum cum patre è Troja *ferebat*.

451. *Cognataque*] Euphorbum enim Trojanum fuiſſe etiam Pythagoram ſuprà vidimus.

452. *Utiliter Phrygibus*] Jacturâ utique Phrygibus utili, utpote in bonum cedente: quippe ex Trojæ cineribus Roma, urbium princeps & orbis caput, renata eſt. *Trojæ renaſcens fortuna*, Horat. lib. 3. Od. 3.

454. *Exſpatiemur*] Id eſt, *A ſcopo aliena proferamus.* Omnia in fluxu eſſe concludit, atque adeò carnibus abſtinendum.

Nos etiam pars mundi (quandoquidem non sumus tantùm corpora verùm etiam animæ leves, atque possumus transmitti in sedes ferinas, & abdi in pectora brutorum) patiamur esse secura atque decora corpora, quæ possint habuisse animas parentum, aut fratrum, aut conjunctorum nobis aliquo fœdere, aut certè hominum: nec certè repleamus præcordia epulis Thyesteïs. Quàm pravè ille consuescit, quàm impiè parat se ad effundendum sanguinem humanum, qui aperit fauces vituli cultro, atque habet aures surdas ad mugitus! vel qui potest jugulare hœdum tollentem vagitus pares puerilibus; vel pascere se avibus quibus ipse præbuit escam! in his omnibus quid deest, quò minùs ad summum flagitium perveniant, ad quod ab hisce rebus facilis est transitus! Taurus vertat terram, aut (quando moritur) *adscribat mortem ætati provectæ: Ovis præbeat arma adversus sævos Aquilones: Capræ plenæ exhibeant ubera siccanda manibus. Abjicite plagas cum pedicis, & laqueos, & artes insidiosas: neque decipite avem viminibus visco illitis: neque fallite cervos pennis formidatis: nec tegite curvos hamos escis dolosis. Perimite illa quæ officiunt: verùm hæc perimite tantùm. Ora abstineant dapibus, & sumant cibos idoneos. Vulgo aiunt Numam rediisse in patriam animo exculto talibus atque aliis dictis; atque spontè arcessitum*

Nos quoque pars mundi (quoniam non corpora solum,
Verùm etiam volucres animæ sumus, inque ferinas
Possumus ire domos, pecudumque in pectora condi)
Corpora, quæ possint animas habuisse parentum,
Aut fratrum, aut aliquo junctorum fœdere nobis,
Aut hominum certè, tuta esse & honesta sinamus:
Neve Thyesteïs cumulemur viscera mensis.
Quàm malè consuescit, quàm se parat ille cruori
Impius humano; vituli qui guttura cultro
Rumpit, & immotas præbet mugitibus aures!
Aut qui vagitus similes puerilibus hœdum
Edentem jugulare potest; aut alite vesci,
Cui dedit ipse cibos! quantum est, quod desit in istis
Ad plenum facinus! quo transitus inde paratur!
Bos aret; aut mortem senioribus imputet annis:
Horriferum contra Borean ovis arma ministret.
Ubera dent saturæ manibus pressanda capellæ.
Retia cum pedicis, laqueosque, artesque dolosas
Tollite; nec volucrem viscatâ fallite virgâ:
Nec formidatis cervos eludite pinnis;
Nec celate cibis uncos fallacibus hamos,
Perdite, siqua nocent: Verùm hæc quoque perdite tantùm.
Ora vacent epulis, alimentaque congrua carpant.
Talibus atque aliis instructo pectore dictis
In patriam remeâsse ferunt: ultroque petitum

NOTÆ.

457. *Volucres*] Id est, *Naturæ subtilissimæ atque velocissimæ.*

458. *Domos*] Ferarum dicit corpora.

462. *Thyesteïs*] *Illis similibus quas Atreo fratri Thyestes opposuit*, qui filios decoctis ita illis epulandos cotulit, ut sanguinem quoque poculis immiscuerit.

463. *Quàm malè*] Hic verò fuit scopus Philosophi, gentem impiam à cæde retrahere.

465. *Immotas*] Nullâ misericordiâ motas, i. e. surdas.

469. *Plenum*] Quando à brutis ad homines cædes transfertur.

Ibid. *Inde*] *A brutorum cæde.*

470. *Bos aret*] Hoc est, *Ad laborem cogere bovem equidem liceat: cæterùm nullo alio malo prematur.*

471. *Arma*] Lanam scilicet & vestes.

475. *Pinnis*] Pro sagittis positas scripsit Commentator, verùm falsus est. Pennas ipsas intelligit poëta, quibus plerùmque puniceis aut versicoloribus, pustulatis etiam, funiculo intertextis, feras, visu aut odore territas, in plagas impellere soliti erant. Quod pinnatum instrumentum *formidinem* vocitabant.

478. *Vacent*] Ne ab illis ad alias cædes grassetur.

Ibid. *Congrua*] Quæ sine cæde mitia, ut homines decet, comparara queunt.

Accepisse

Accepisse Numam populi Latialis habenas.
Conjuge qui felix Nymphâ, ducibusque Camœnis,
Sacrificos docuit ritus; gentemque feroci
Assuetam bello pacis traduxit ad artes.
Quem, postquam senior regnumque ævumque peregit
Extinctum Latiæque nurus, populusq; patresque
Deflevêre Numam. Nam conjux urbe relictâ
Vallis Aricinæ densis latet abdita silvis:
Sacraque Oresteæ gemitu questuque Dianæ
Impedit. Ah quoties Nymphæ nemorisque lacûsque
Ne faceret, monuêre; & consolantia verba
Dixêre! ah quoties flenti Theseius heros,
Siste modum, dixit! neque enim fortuna querenda
Sola tua est; similes aliorum respice casus:
Mitius ista feres. Utinamq; exempla dolentem
Non mea te possent relevare: sed & mea possunt.
Fando aliquem Hippolytum vestras (puto) contigit aures,
Credulitate patris, sceleratæ fraude novercæ

susc episse administrationem reipublicæ Romanæ. Qui beatus Nymphâ uxore & Musis ducibus docuit ritus sacrificandi & audivit artibus pacis nationem assuetam sævo bello. Quem Numam, postquam senior peregit regnum & annos, & fœminæ Romanæ, & populus, & patres luxerunt mortuum. Uxor enim, urbe desertâ, latet abscondita in opacis silvis vallis Aricinæ: atque obstat sacris Dianæ Oresteæ fletibus & querimoniis, quoties Nymphæ silvæ & lacus hortatæ sunt, ne id faceret, & verbis consolatæ sunt! Ah quoties heros Theseius admonuit lachrymantem, ut modum dolori *poneret: neque enim aiebat, sors tua sola est dolenda: vide damna aliorum non minora: tolerabis ista leniùs. Atque utinam exempla non mea possent tibi solatio esse, verùm mea etiam possunt. Credo, dum narratur, audivisti quendam Hippolytum leto datum, credulitate patris, dolo nefariæ novercæ.*

NOTÆ.

481. *Habenas*] *Illum Curibus Sabinis degentem ultro petivêre, ob inclytam viri religionem.*

482. *Nymphâ*] *Egeriâ*, scilicet quâcum congressus se habere Numa fingebat, ut omnia quasi monitu illius Deæ barbari libentiùs acciperent.

Ibid. *Camœnis*] *Musis*; quibus, ut Livius narrat, lucum, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aquâ, consecravit; quòd Dearum sibi consilia cùm conjuge suâ Ægeriâ essent.

Ibid. *Ducibusque Camœnis*] *Autoribus Musis.* Nam omnia quæcunque Numa statuebat, ad Egeriæ Nymphæ & Camœnarum autoritatem referebat.

484. *Ad artes*] Ad Deorum religionem, & jura, & leges, & mores colendos.

485. *Senior*] Quadraginta enim annos postquam regnâsset, obiit.

488. *Vallis*] Distabat Româ quinque leucis in ortum: circa illam nemus fuit ingens Dianæ vel Egeriæ.

469. *Sacra*] Ea in Tauricâ Chersoneso sanguine exterorum quotquot illic appellebant absolvebantur: verùm tantâ apud Aricinos non fuerunt immanitate, ut in superioribus vidimus. *Hic nemorensis regis* titulo fugitivus aliquis servus tamdiu sacerdotio fungebatur, donec ab alio provocatus ab eodem occideretur.

Ibid. *Oresteæ*] Eo nomine appellatur Diana, quòd ab Oreste Agamemnonis filio Ariciam, ut placet quibusquam, ejus simulachrum translatum fuerit. Namque ille cùm ex materna cæde esset furiis agitatus, atque expiandi sceleris causâ, jussus esset inter cætera Dianæ simulachrum ex Chersoneso afferre, illùc cum Pylade amico profectus, atque à sorore Iphigeniâ Sacerdote agnitus, tantùm non immolatus clam cum eâ, sublato simulachro, sese recepit. Quidam Mycenas, alii Athenas transportatum illud volunt.

491. *Faceret*] *Effusè in fletus se daret.*

492. *Theseus*] *Hippolytus* Thesei filius, quem supra novercæ insidiis, a Phocis territis equis, discerptum vidimus.

498. *Credulitate patris*] *Thesei:* qui facilè nimis Phædræ uxori de stupro ab Hippolyto oblato querenti auscultavit, siquidem ipsa ad nefas adolescentem frustrà perducere conata esset; ut mox patebit.

Occubuisse

Miraberis, & vix tibi hoc persuadebo: sed tamen ille ego sum. Pasiphœia olim accusavit me quasi tentâssem, sed frustrâ violare lectum paternum; & crimine conversō, (an timore criminationis, an dolore repulsæ) simulavit me *id cupivisse quod* ipsa *optavit ut* cuperem; *atque genitor expulit urbe* me *immeritum, & devovit prece infensâ caput proficiscentis. Ibam Trœzenen Pittheam curru exule; atque jam tenebam littora maris Corinthiaci, cùm mare intumuit, & horrendus cumulus aquarum visus sinuari in modum collis, atque augeri; & hoare, nec non dividi supremo fastigio. Hinc vitulus marinus cornutus prorumpit fractis fluctibus, atque sublatus in tenuem aërem pectore tenus emittit partem æquoris naribus & ore aperto. Corda comitum tremunt, animus mihi permansit impavidus, in exilii sui contemplatione totus occupatus, cùm equi frementes torquent colla versus mare, & expaveſcunt auribus arrectis; turbanturque formidine monstri, atque trahunt currum per subtimes scopulos. Ego frustrâ contendo flectere manu fræna obducta spumis candidis; & resupinus retro*

Occubuisse neci. Mirabere, vixque probabo:
Sed tamen ille ego sum. Me Pasiphaëia quondam
Tentatum frustrâ, patrium temerâsse cubile,
Quod voluit, finxit voluisse: & crimine verso,
(Indiciine metu magìs, offensâne repulsæ)
Arguit. Immeritumque pater projecit ab urbe;
Hostilique caput prece detestatur euntis.
Pitthean profugo curru Trœzena petebam:
Jamque Corinthiaci carpebam littora ponti;
Cùm mare surrexit; cumulusque immanis aquarum
In montis speciem curvari, & crescere visus,
Et dare mugitus, summoque cacumine findi.
Corniger hinc taurus ruptis expellitur undis;
Pectoribusque tenus moles erectus in auras,
Naribus & patulo partem maris evomit ore.
Corda pavent comitum. Mihi mens interrita mansit,
Exiliis contenta suis. Cùm colla feroces
Ad freta convertunt, arrectisque auribus horrent
Quadrupedes; monstrique metu turbantur, & altis
Præcipitant currum scopulis. Ego ducere vanâ
Fræna manu, spumis albentibus oblita, luctor;
Et retro lentas tendo resupinus habenas.
Nec vires tamen has rabies superasset equorum;
Ni rota, perpetuum quà circum vertitur axem,
Stipitis occursu fracta ac disjecta fuisset.
Excutior curru; lorisque tenentibus artus,
Viscera viva trahi, nervos in stirpe teneri,
Membra rapi partim, partim reprehensa reliqui,
Ossa gravem dare fracta sonum, fessamque videres
Exhalari animam: nullasque in corpore partes,
Noscere quas posses: unumque erat omnia vulnus.

trahō lora flexilia. Neque tamen furor equorum vicisset has vires, nisi rota objectu trunci fracta atque excussa fuisset, eâ parte quâ volvitur circum axem continuum. Dejicior curru: atque habenis implicantibus membra, cerneres præcordia viva rapi, nervos retineri stipitibus, artus partim rapi, partim impedita omitti, ossa quassata reddere gravem sonum, atque animam lassam expirari; neque ullas partes in corpore quas posses cognoscere; atque omnia erat unum vulnus.

NOTÆ.

500. *Pasiphaëia*] *Phædra*, Pasiphaës & Minois Cretensium regis filia, uxor Thesei, Hippolyti noverca.

502. *Quod voluit*] Ut Hippolytus patrium cubile temeraret.

503. *Indicii*] Ne Hippolytus prior novercæ crimen patri proderet.

Ib. *Offensâne*] Dolet Phædra, quòd scelus pariter atq; amorem suum privignus contempsisset.

505. *Hostili prece*] Imprecatione hosti conveniente, non patri: Theseus enim Neptunum patrem precatus est, ut Hippolytus filius discerperetur.

506. *Pittheam*] Pittheum Pelopis filium Æthræ, Thesei matris, patrem, suprâ in hâc Peloponnesi urbe regnâsse vidimus: apud quam educatus Hippolytus.

511. *Taurus*] *Phocc.*

518. *Varâ*] *Infirmâ, inutili.*

526. *Rapi*] Equorum impetu.

Ib. *Reprehensa*] Retenta à radicibus & stirpibus arborum.

Num

Num potes, aut audes cladi componere noſtræ,
Nympha, tuam? vidi quoque luce carentia regna,
Et lacerum fovi Phlegethontide corpus in undâ.
Nec, niſi Apollineæ valido medicamine prolis,
Reddita vita foret. Quam poſtquam fortibus herbis
Atque ope Pæoniâ, Dite indignante, recepi;
Tum mihi, ne præſens augerem muneris hujus
Invidiam, denſas objecit Cynthia nubes;
Utque forem tutus poſſemque impunè videri;
Addidit ætatem, nec cognoſcenda reliquit
Ora mihi. Cretenque diu dubitavit habendam
Traderet, an Delon. Delo Cretâque relictis
Hîc poſuit: nomenque ſimul, quod poſſit equorum
Admonuiſſe, jubet deponere: Quique fuiſti
Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius eſto.
Hoc nemus inde colo. De Dîſque minoribus unus
Numine ſub dominæ lateo, atque accenſeor illi.
Non tamen Egeriæ luctus aliena levare
Damna valent, montiſque jacens radicibus imis
Liquitur in lachrymas; donec pietate dolentis
Mota, ſoror Phœbi gelidum de corpore fontem
Fecit, & æternas artus tenuavit in undas.

Anne potes vel audes conferre tuos caſus cum noſtris, ô Nympha? Aſpexi etiam regna carentia luce, & lavi corpus mutilum in aquâ Phlegethonteâ. Neque vita eſſet reddita niſi potenti medicamento filii Apollinis. Cui vitæ poſtquam reſtitutus fui efficacibus graminibus, atque auxilio Pæonio, Plutone invito, tum Cynthia velavit me opacis nubibus, ne præſens augerem invidiam hujus doni; & ut eſſem ſecurus, & poſſem tutò conſpici; adjecit ſenectutem, neque reliquit mihi vultus, qui poſſint agnoſci. Atque incerta fuit diu præberetne mihi Cretam colendam, an Delon. Delo & Cretâ omiſſis, hîc ſedem dedit, & juſſit ſimul abjicere nomen quod poſſit in memoriam revocare equos, quibus decerptus eram: *quique fuiſti Hippolytus, ait, nunc idem eſto Virbius. Inde frequento hanc ſilvam; & unus ex Dîis minoribus lateo ſub numine dominæ, atque illi adſcribor* comes. *Attamen clades alienæ non poſſunt lenire mœrorem Egeriæ; quæ proſtrata ad radices ultimas collis abit in fletus, donec ſoror Apollinis tacta pietate mœrentis fecit fontem frigidum de* ejus *corpore, atque liquefecit membra in aquas æternas.*

NOTÆ.

531. *Regna*] Plutonis ſcilicet.

532. *Phlegethontide*] Phlegethontis fluvii qui ex infernis eſt unus, undis igneis & ſulphureis ardens.

533. *Apollineæ*] *Æſculapii Apollinis filii.*

535. *Pæonia*] *Medicâ.* Fuit enim Pæon medicus peritiſſimus, qui Plutonem graviſſime ab Hercule vulneratum ſanâſſe dicitur Iliad. 5. Ab illo medicæ herbæ communiter *Pæoniæ* Virgilio, itemque illa quæ in ſpecie *Pæoniâ* dicitur ab omnibus medicis.

Ibid. *Dite*] *Plutone*, divitiarum Deo, qui ægrè vitæ reſtituti homines ſibi ſubditos videt. Ex eo autem orta fabula, quòd contra ſpem omnium miſerè diſcerptus Hippolytus convaluerit.

536. *Ne præſens*] Hoc eſt; *Ne ſi in Græciâ viverem, Athenienſium in me invidiam concitarem, à Diana fui occultatus.*

537. *Cynthia*] *Diana*, in Cyntho Deli monte nata, cujus favore Hippolytus caſtus venator fruebatur.

539. *Addidit ætatem*] Me natu majorem effecit, quàm cùm ab equis dilaceratus fui; ſcilicet, ut natu major cùm viderer, minùs cognoſcerer.

542. *Hic*] In Latio juxta Ariciam.

543. *Admonuiſſe*] Videtur ſentire poëta inde appellatum Hippolytum, quòd ab *equis ſolutus* aut *diſcerptus* eſſet.

544. *Virbius*] Quaſi *Virbius:* quamquam alii *Virum bonum*, alii Deum, qui *viribus* præſit, interpretantur.

545. *Nemus*] *Arcinium*, de quo ſuprà: quo allegatum deceptorem quendam voluntà Dianæ ſacerdotibus, Hippolyti nomine, ut loco famam, atque adeò ſibi lucrum majus aucuparentur.

554. *Accenſeo*] Ut Veneri Adonis, Minervæ Erichthonius, Matri Deum Atys.

550. *Soror*] *Diana.*

At

At res nova movit Nymphas; & filius Amazonis non aliter stupuit, quàm cùm agricola Tyrrhenus vidit glebam fatalem in mediis agris primò ultro agitari, nullo pulsante; deinde induere formam viri, & exuere formam terræ, atque aperire os recens fatis venturis. Indigenæ vocaverunt Tagen; qui primus instituit, nationem Tyrrhenam declarare sortes venturas. Vel ut Romulus cùm advertit olim jaculum impactum monti Palatino repentè frondere, quod stabat novâ radice, non ferro immisso impactum; & jam non jaculum, sed arbor flexilis virgulti præbebat umbras non expectatas stupentibus. Vel cùm Cippus assexit cornua in aquâ fluvii (namque aspexit) & putans nullam esse fidem in imagine, tetigit quæ aspexit, digitis sæpius fronti admotis: neque jam arguens suos oculos restitit, cùm victor rediret ab hoste subacto: neque erigens oculos & lacertos ad cœlum. Quicquid, inquit, ô Dii prædicitur isto prodigio, sive fausum est, sit fausum patriæ & populo Quirini, seu ominosum, sit mihi: atque placat ignibus odoratis altaria graminea parata ex cespite viridi, infunditque vina pateris; & exquirit ex extis trementibus ovium jugulatarum quid sibi portendant. Quæ statim atque aruspex generis Etrusci inspexit,

At Nymphas tetigit nova res: & Amazone natus
Haud aliter stupuit, quàm cùm Tyrrhenus arator
Fatalem glebam mediis aspexit in arvis,
Sponte suâ primùm, nulloq; agitante, moveri;
Sumere mox hominis, terræque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixêre Tagen, qui primus Etruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.
Utve Palatinis hærentem collibus olim
Cùm subitò vidit frondescere Romulus hastam,
Quæ radice novâ, non ferro stabat adacto;
Et jam non telum, sed lenti viminis arbor,
Non exspectatas dabat admirantibus umbras.
At sua flumineâ cùm vidit Cippus in undâ
Cornua (vidit enim) falsamque in imagine credens
Esse fidem, digitis ad frontem sæpe relatis,
Quæ vidit, tetigit. Nec jam sua lumina damnans
Restitit, ut victor domito remeabat ab hoste.
Ad cœlumque oculos, & eòdem brachia tollens,
Quicquid, ait, Superi, monstro portenditur isto,
Seu lætum est, patriæ lætum, populoque Quirini;
Sive minax, mihi sit. Viridique è cespite factas
Placat odoratis herbosas ignibus aras,
Vinaque dat pateris; mactatarumq; bidentum,
Quid sibi significent, trepidantia consulit exta.
Quæ simul inspexit Tyrrhenæ gentis haruspex,

NOTÆ.

552. *Amazone*] *Hippolytus* est, Hippolites Amazonis atque Thesei filius.

553. *Tyrrhenus*] Thusco cuidam aranti, emersit subitò è terrâ sub vomere pressâ puer, cui inde nomen inditum Tages: Is Etruscos Aruspicinam docuit. Cic. lib. 2. de Div.

554. *Fatalem glebam*] In quâ Fata & futurorum præscientia continebantur.

557. *Ora recentia*] Nupèr ex terræ gleba formata.

561. *Hastam*] Romulum scribit Plutarchus in Palatino colle, sui experiundi gratiâ, corneam lanceam fuisse jaculatum, illamque in terrâ defixam annitentibus multis convelli nunquam potuisse, sed amissis ramis in eximiæ altitudinis cornum increvisse. Hinc, sicut ex prodigio, imperii Romani statum armis florentem fore voluerunt.

574. *Odoratis*] *Incenso thure.*

Ibid. *Aras*] Pro Diis, quibus aræ consecratæ.

575. *Vina*] In pateras vina fundit sacrificiis adhibenda.

577. *Tyrrhenæ*] Nefario idolorum cultui addictissima fuit ea gens: ideoque ex Etruriâ acciti ad lustrationes & prodigia procuranda aruspices. Quin ex Romanorum principium filiis tradi sex in disciplinam singulis Etruriæ populis notum ex Cicerone 1. lib. de Divinatione.

Magna

Magna quidem rerum molimina vidit in illis;
Non manifesta tamen. Cùm verò sustulit acre
A pecudis fibris ad Cippi cornua lumen;
Rex, ait, ô salve: tibi enim, tibi, Cippe, tuisque
Hic locus & Latiæ parebunt cornibus arces.
Tu modò rumpe moram, portasq; intrare patentes
Appropera: sic fata jubent. Namque urbe receptus
Rex eris, & sceptro tutus potiere perenni.
Rettulit ille pedem; torvamque à mœnibus Urbis
Advertens faciem, Procul, ah procul omina, dixit,
Talia Dî pellant: multòque ego justiùs ævum
Exul agam, quàm me videant Capitolia regem.
Dixit: & extemplò populumque gravemque Senatum
Convocat. Antè tamen pacali cornua lauro
Velat, & aggeribus factis à milite forti
Insistit: priscoque Deos è more precatus,
En, ait, hìc unus, quem vos ni pellitis urbe,
Rex erit. Is qui sit, signo, non nomine dicam.
Cornua fronte gerit. Quem vobis indicat augur,
Si Romam intrârit, famularia jura daturum.
Ille quidem potuit portas irrumpere apertas,
Sed nos obstitimus; quamvis conjunctior illo
Nemo mihi est. Vos Urbe virum prohibete, Quirites;
Vel, si dignus erit, gravibus vincite catenis,
Aut finite metum fatalis morte tyranni.
Qualia succinctis, ubi trux insibilat Eurus,
Murmura pinetis fiunt; aut qualia fluctus
Æquorei faciunt, si quis procul audiat illos;
Tale sonat populus. Sed per confusa frementis
Verba tamen vulgi vox eminet una, Quis ille?
Et spectant frontes: prædictaque cornua quærunt.
Rursus ad hos Cippus, Quem poscitis, inquit, habetis:
Et demptâ capiti populo prohibente coronâ

vidit quidem magna molimina in illis, non tamen aperta: cùm verò sustulit perspicaces oculos, à fibris ovis ad cornua Cippi, O rex, inquit, salve, tibi namque & tuis cornibus hic locus & arces Latinæ objequentur. Tu tantùm pelle moras, atque festinâ subire portas apertas: ita fata ferunt. Namque Urbe potitus eris rex, & securus tractabis sceptrum æternum. Ille repressit gradum; atque detorquens vultus sævos à muris Urbis, Longè, ab longè, inquit, Dî avertant ejusmodi præsagia: atque profugus exigam ætatem multò æquius, quàm Capitolia aspiciant me regem. Dixit, & confestim cogit populum & gravem Senatum. Priùs tamen tegit cornua lauro pacifera, & stat super aggere excitato à strenuis militibus; atque precatus Deos è more antiquo, Ecce, inquit, hic est unus, quem nisi vos ejicitis urbe, erit rex. Aperiam indicio, non nomine, quis ille sit. Habet cornua in fronte. Quem aruspex vobis prædicit dicturum jura servilia, si Romam subierit. Ille quidem potuit inire portas patentes, sed nos prohibuimus, quanquam nullus est mihi propior illo. Vos Romani arcete virum aditu Urbis; vel si erit meritus, coërcete gravibus vinculis; aut solvite vos timore nece fatalis tyranni.

Qualia murmura excitantur in proceris pinetis, cum sævus Eurus insibilat; vel qualia undæ marinæ cient, si quis audiat illas ex remoto loco, talia reddit populus. Verùm tamen unus sonus, viz. Quis ille? extollitur super cæteras *voces confusas populi trepidantis. Atque intuentur frontes, & lustrant cornua prædicta. Cippus ad hos denuo, Videtis, ait, quem quæritis; atque sublatâ coronâ ex capite populo obstante*

NOTÆ.

586. *Torvam*] Utpote omen atque tyrannidem adversantis.

589. *Capitolia*] In illud Jovis templum curru triumphante deducebantur, qui lauream suam Deo consecrarent.

596. *Augur*] Qui hìc pro *Aruspice* positus, de quo suprà.

597. *Famularia*] *Leges, quibus* vos *omnes oporteat servorum more obedire.*

603. *Succinctis*] Quia, ut alibi noster *hirsuto vertice pinus*, minùsque ramosa stipite à terrâ surgit.

Exhibuit

ostendit tempora conspicua duplici cornu. Omnes depresserunt oculos, atque ingemuerunt; & (quis possit fidem habere?) nolentes aspexerunt caput viri de ipsis bene meriti; neque passi illud diutius sine honore, imposuerunt festam coronam. At Optimates, quandoquidem prohibearis subire mœnia, Cippe, præbuerunt tibi tantum agri in meritorum tuarum honorem dati, quantum posses comprehendere bobus submissis aratro impacto ab ortu solis ad occasum. Atque insculpunt postibus æratis cornua imitantia stupendam figuram, duraturam per longa sæcula. Nunc Musæ, numina juventa poëtis, aperite (namque vobis compertum est, neque remota antiquitas vos latet) unde insula circumdata fessâ Tibridis addixerit Coroniden Diis urbis Romuleæ. Sæva pestis olim corruperat aërem Latium, & corpora exsanguia diffluebant sanie.

Exhibuit gemino præsignia tempora cornu.
Demisêre oculos omnes, gemitumque dedere:
Atque illud meritis clarum (quis credere possit?)
Inviti vidêre caput: nec honore carere
Ulterius passi, festam imposuêre coronam. 615
At proceres, quoniam muros intrare vetaris,
Ruris honorati tantum tibi, Cippe, dedêre,
Quantum depresso subjectis bobus aratro
Complecti posses ad finem Solis ab ortu.
Cornuaque æratis miram referentia formam 620
Postibus insculpunt, longum mansura per ævum.
Pandite nunc, Musæ, presentia numina vatum,
(Scitis enim, nec vos fallit spatiosa vetustas)
Unde Coroniden circumflua Tibridis alveo
Insula Romuleæ sacris adsciverit urbis. 625
Dirâ lues quondam Latias vitiaverat auras,
Pallidaque exsangui squallebant corpora tabo.
Funeribus fessi postquam mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum,
Auxilium cœleste petunt: mediamque tenentes 630
Orbis humum, Delphos adeunt oracula Phœbi;
Utque salutiferâ miseris succurrere rebus
Sorte velit, tantæque urbis mala finiat, orant.
Et locus, & laurus, & quas habet illa, pharetræ,

Postquam exhausti funeribus vident neque humanos conatus, neque curas medicorum quicquam prodesse, se conferunt ad opem cœlestem, atque potiti Delphis in medio positis, consulunt sortes Apollinis, atque precantur velit subvenire rebus afflictis oraculo salutifero, & finem imponat cladi tantæ urbis. Et locus, & laurus, & pharetræ quas illa decorat,

NOTÆ.

612. *Demisêre*] Tum ne boni civis dedecus aspicerent, tum ut animum à regiâ dignitate aversum patefacerent.

618. *Quantum*] *Jugerum* illud dicitur, quantum par boum uno die exarare possit: sed hîc fortè intelligit tantum agri, quantum duo boves diei spatio circumire possunt, aratro limitem & quasi fossam describentes.

620. *Æratis*] Non *auratis:* quippe fides historiæ postulat; Valerius Maximus, lib. 5. cap. 6. Cujus testandæ rei gratiâ capitis (Cip.) effigies æreæ portæ, quâ excesserat, inclusa est, dictaque *Rauduscularia*, quòd olim *Rauda* æra dicebantur. *Festus & Varro.*

624. *Coroniden*] *Æsculapium* dicit Coronei nepotem, Apollinis ex Coronide filium, Medicum, & medicorum Deum.

625. *Insula*] Quia Æsculapius Romanis Deus non *Indiges* vel *Indigena* sed *Adscitius*, in Tibridis insulâ Draconis specie sibi sedes aptas delegit, ut postmodum patebit; ideo ea Romæ illum Deum ejusque sacra *adsciviisse* dicitur.

626. *Lues*] Æsculapium Epidauro accitum Romam, amoliendæ pestilentiæ causâ, refert Livius.

630. *Mediam*] Parnassum montem, sub quo Delphi Apollinis oraculo clarum oppidum orbis umbilicum statuunt Strabo, Lucan. & alii. Quàm verè aut appositè nullus non videt.

633. *Sorte*] *Responso* seu *Oraculo* salutem afferenti: namque vaticinia quædam sorte etiam & conjectis in mensam talis agebantur.

634. *Quas habet*] Phœbus ipse ad laurum suprà Metam. 1.

——— *Semper habebunt*
Te coma, te citharæ, te nostræ, laure, pharetræ.

Intremuêre

Intremuêre ſimul: Cortinaque reddidit imo
Hanc adyto vocem, pavefactaque pectora movit:
Quod petis hinc, propiore loco, Romane, petîſſes:
Et pete nunc propiore loco, Nec Apolline vobis,
Qui minuat luctus, opus eſt: ſed Apolline nato.
Ite bonis avibus, prolemque arceſſite noſtram.
Juſſa Dei prudens poſtquam accepère Senatus;
Quam colat, explorant, juvenis Phœbeïus urbem:
Quique petant ventis Epidauria littora mittunt.
Quæ ſimul incurvâ miſſi tetigêre carinâ;
Concilium Graioſque patres adiêre: darentque
Oravêre Deum, qui præſens funera gentis
Finiat Auſoniæ. Certas ita dicere ſortes.
Diſſidet, & variat ſententia: parſque negandum
Non putat auxilium; multi renuêre, ſuamque
Non emittere opem, nec numina tradere ſuadent.
Dum dubitant; ſeram pepulêre crepuſcula lucem,
Umbraque telluris tenebras induxerat orbi:
Cùm Deus in ſomnis opifer conſiſtere viſus
Ante tuum, Romane, torum; ſed qualis in æde
Eſſe ſolet; baculumque tenens agreſte ſiniſtrâ,
Cæſariem longæ dextrâ deducere barbæ:

ſimul concuſſa ſunt, atque cortina edidit hunc ſonum ex ultimo adyto, & percuſſit corda trementia; Potuiſſes petere loco propiore, quod hinc petis; atque nunc pete loco propiore, ô Romane; neque habetis opus Apolline, qui minuat luctus; ſed filio Apollinis. Ite lætis auſpiciis, atque advocate noſtrum filium. Poſtquam gravis Senatus audiit Dei monita, exquirunt in quâ urbe juvenis Phœbeïus habitet, & mittant qui petant littora Epidauria ventis. Quæſtatim atque miſſi tetigerunt cavâ navi, acceſſerunt ad concilium & patres Græcos atque precati ſunt, ut traderent. Deum, qui præſens abſolvat nationem Italiam funeribus: ſic monere certa oracula. Sententia eſt diſſimilis atque varia; parſque non cenſet opem abnuendam; multi recuſant, atque admonent non dimittêre ſuum præſidium, neque dare ſuos Deos. Dum incerti hærent, crepuſcula fugaverunt ſerum diem, atque umbra terræ adduxerat caliginem mundo: cùm Deus propitius viſus adeſſe in ſomnis ante tuum lectum, Romane, ſed qualis ſolet eſſe in templo, & tractans baculum nodoſum ſiniſtrâ, mulcere crines prolixæ barbæ dextrâ;

NOTÆ.

635. *Cortina*] Occiſo Pythone tripodis cuſtode inquit Jul. Scaliger, oraculum ſuum fecit: cujus corio obductus tripus, inde etiam *Cortina* fuit appellatus. Illum vero poëtæ pro tripode uſurpant, unde oracula dabantur, ſive ea menſa fuit, ut quibuſdam videtur; ſive alia quædam machina, tribus pedibus innixa, quâ conſcensâ numine afflata Pythias vaticinari ſolebat.

637. *Propiore*] Epidaurus nempe propior Romæ, quàm Delphi.

639. *Nato*] *Æſculapio.*

640. *Bonis*] Ex avium volatu atque garritu quia futurorum aucupari ſcientiam nitebantur, ideo *bonæ* quæ læta, dicebantur, *malæ*, quæ adverſa portendebant.

642. *Juvenis*] *Æſculapius.*

643. *Epidauria*] Plures fuerant Epidauri, ſed de Argiâ hîc agitur Peloponneſi, ad ſinum Saronicum, Æſculapii fano olim celebri.

647. *Auſoniæ*] *Italiæ:* fuerunt namque Auſones antiquiſſimi populi, qui Italiam tenuerunt.

Ib. *Sortes*] *Apollinis oracula*, ut ſuprà.

648. *Sententia*] Epidauri concilii, ſeu Græcorum patrum.

650. *Numina*] *Æſculapii.*

653. *Deus*] *Æſculapius.*

654. *Romane*] Plures fuiſſe legatos Epidaurum miſſos ſupra vidimus: ſed unus princeps fuit.

655. *Agreſte*] Non ſine causâ. Æſculapii geſtamen baculus agreſtis, iſque angue involutus: ſiquidem enim medici ſanitatis fulcrum videri volunt, prudentiâ maximè uti debere, utpote in maximis difficultatibus per illud geſtamen intelligitur; neque aliter ad novam vitam, qualem, exuviis poſitis ſerpentes videntur recipere, ægros poſſunt perducere.

Et

& proferre hujusmodi verba ex amico pectore: Define expavescere; proficiscar, atque deserum nostras imagines. Intuêre tantùm hunc anguem qui implicat spiris hunc baculum, atque accuratè animadverte oculis, ut possis cognoscere. Mutabor in hunc, sed major ero, & tantus videbor, in quantum corpora cœlestia debent mutari. Continuò Deus recedit unà cum voce, sopor cum voce & Deo; & dies amabilis secutus est discessum soporis: Sequens Aurora dispulerat ignes sidereos; optimates dubii quid faciant, cœunt in templum magnificis operibus exstructum Dei expetiti, atque precantur, ut demonstret indiciis cœlestibus, quo loco ipse cupiat manere. Vix satis absolverant, cùm Deus splendidus in formâ *anguis erectas cristas habentis emisit sibila præmuntia, & concussit adventu suo & statuam, & altaria, & volvas, & stratum marmoreum, & cacumina aurea; atque constitit excelsus in medio templo pectore tenus, & circumspexit oculos igne radiantibus. Turba pavida timet. Sacerdos habens comam castam religatam vittâ albâ cognovit Deum; atque inquit, Ecce Deus, ecce Deus, & favete animis atque linguis, quisquis ades. Sis conspectus utiliter, ô formosissime; atque opem feras populis venerantibus tua sacra. Quicunque adest adorant Deum jussum, atque omnes iterant voces expetitas Sacerdotis; & Æneadæ favorem pium animo atque verbis dant: Deus annuit his; & cristis agitatis emisit sibila ter iterata linguâ vibratâ, quæ essent iis certa pignora. Tum descendit per gradus nitentes, & retorquet caput, atque digressurus respicit altaria antiqua, & salutat domos assuetas & templa possessa.*

Et placido tales emittere pectore voces:
Pone metus; veniam, simulachraq; nostra relinquam.
Hunc modò serpentem, baculum qui nexibus ambit,
Perspice: & usque nota visu, ut cognoscere possis
Vertar in hunc: sed major ero; tantusque videbor,
In quantum verti cœlestia corpora debent.
Extemplo cum voce Deus, cum voce Deoque
Somnus abit; somnique fugam lux alma secuta est.
Postera fidereos Aurora fugaverat ignes:
Incerti quid agant proceres ad templa petiti
Conveniunt operosa Dei: quâque ipse morari
Sede velit, signis cœlestibus indicet, orant.
Vix bene desiêrant, cùm cristis aureus altis
In serpente Deus prænuntia sibila misit;
Adventuque suo signumque, arasque, foresque,
Marmoreumque solum, fastigiaque aurea movit:
Pectoribusque tenus mediâ sublimis in æde
Constitit; atque oculos circumtulit igne micantes.
Territa turba pavet. Cognovit numina castos
Evinctus vittâ crines albente sacerdos:
Et, Deus en, Deus en; linguisq; animisq; favete,
Quisquis ades, dixit. Sis, ô pulcherrime, visus
Utiliter; populosque juves tua sacra colentes.
Quisquis adest, jussum venerantur numen; & omnes
Verba sacerdotis referunt geminata: piumque
Æneadæ præstant & mente & voce favorem.
Annuit hic: motisque Deus rata pignora cristis,
Ter repetita dedit vibratâ sibila linguâ.
Tum gradibus nitidis delabitur; oraque retro
Flectit, & antiquas abiturus respicit aras:
Assuetasque domos habitataque templa salutat.

NOTÆ.

666. *Petiti*] Æsculapii à Romanis postulati.

667. *Operosa*] Magnificis operibus extructa & instructa, ut mox vers. 672. *fastigio aureo, solo marmoreo*, &c.

Ibid. *Quâque*] Epidauri an Romæ?

669. *Aureus*] Non tam, quia ejus simulachrum aureum, crediderim, quàm ut splendidum fuisse serpentem, qualemque sese pollicitus erat Æsculapius, intelligamus.

671. *Signum*] Æsculapii statuam.

674. *Micantes*] Acutissimi visûs & vividæ naturæ est serpens, ex quo optima parantur remedia. Quibus de causis Æsculapio sacer.

680. *Jussum*] Quod venerari Sacerdos jusserat.

Inde

Inde per injectis adopertam floribus ingens
Serpit humum, flectitque sinus: mediamq; per urbem
Tendit ad incurvo munitos aggere portus.
Restitit hîc: agmenque suum, turbæque sequentis
Officium placido visus dimittere vultu;
Corpus in Ausoniâ posuit rate. Numinis illa
Sensit onus: pressâque Dei gravitate carinâ
Æneadæ gaudent: cæsoque in littore tauro
Torta coronatæ solvunt retinacula navis.
Impulerat levis aura ratem. Deus eminet altè:
Impositâque premens puppim cervice recurvam,
Cæruleas despectat aquas: modicisque per æquor
Ionium Zephyris sexto Pallantidos ortu
Italiam tenuit; præterque Lacinia templo
Nobilitata Deæ, Scylaceaque littora fertur.
Linquit Iapygiam, lævisque Amphissia remis
Saxa fugit: dextrâ prærupta Ceraunia parte,
Romechiumque legit, Caulonaque, Nariciamque,
Evincitque fretum, Siculique angusta Pelori,
Hippotadæque domos regis, Themesesque metalla;
Leucosiamque petit, tepidique rosaria Pæsti.

Hinc magnus ebrepit per terram tectam floribus sparsis; atque agitat spiras; & petit portus vallatos incurvo aggere per mediam urbem. Hîc substitit; & visus dimittere turbam suam & officium agminis prosequentis cum leni facie, demisit corpus in navem Italam. Illa sensit pondus Dei, & Æneadæ lætantur navem esse onustam pondere numinis; & bove mactato in littore solvunt vincula torta navis coronatæ. Levis ventus agitârat navim. Deus sublimis extat, & innixus pandæ puppi capite demisso, despicit aquas cæruleas; & Zephyris modicis per mare Ionium sexto exortu Pallantidos pervenit in Italiam, & vehitur præter littora Laciniæ inclytæ templo Deæ, atque Scylacea. Præterit Iapygiam & vitat petras Amphissias expolitis remis: præterit à parte dextrâ Ceraunia, & Romechium, & Caulonem, & Naryciam, atque superat fretum, & angustias Pelori Siculi, & domus regis Hippotadæ & ærifodinas Themeses; tum tendit ad Leucosiam, & rosaria calidi Pæsti.

NOTÆ.

689. *Sinus*] Quippe in Spiras contorto tergo sese angues promovent.

696. *Coronatæ*] Ut decuit illam esse, quæ tam pretiosam mercem veheret.

700. *Ionium*] Illud namque, quod Siciliam inter & Græciam patet, Romanis Epidauro Romam redeuntibus, fuit enavigandum.

Ib. *Pallantidos*] *Auroræ*, quam Pallantis filiam nonnulli scripserunt. Per illam autem *sex dies* hîc intelliguntur.

701. *Lacinia*] In Lacinio promontorio fuisse Junonis templum ex Virgilio intelligitur: sanctumque fuisse omnibus circà populis testatur Livius.

702. *Scylacea*] Scylacei sinûs, aut oppidi in extremâ Calabriâ.

703. *Iapygiam*] *Calabriam*, ab Iapyge, Dædali filio, sic dictam.

Ib. *Amphissia*] Frustrà, ut videtur, in his detegendis viri magni defudârunt, atque adeò in illis non hærebimus.

704. *Ceraunia*] Neque hæc in Italiâ quisquam alius scriptor indicavit.

705. *Romechium*] Nullum quoque hujus uspiam vestigium.

705. *Caulonaque*] Fuit *Caulon* seu *Colonia* urbs magnæ Græciæ in Brutiis, vel, quod idem est, oppidulum Calabriæ ulterioris in monte cognomine.

Ib. *Nariciam*] *Narycia, Naricia, aut Naritium* Calabriæ est etiam, quam in extremo ejus angulo *Locri Narytii* ædificaverunt.

706. *Evincitque fretum*] Cum difficultate transit per Siculum fretum, quod quidem est maximè vorticosum; inter Scylleum Italiæ promontorium, & Pelorum Siciliæ.

707. *Hippotadæ*] *Æolias* dicit insulas, in quibus regnavit *Æolus* Jovis filius ex Acestâ *Hippotæ* Trojani filiâ: de quo jam sæpius.

Ib. *Themeses*] *Themese* seu *Tempsum*, Brutiorum oppidum, ærifodinis nobile, quas suo tempore defecisse narrat Strabo.

708. *Leucosiam*] Lucaniæ est parva insula in sinu Præstano.

Ib. *Rosaria*] Pæstum Lucaniæ oppidum semper vernans, cujus etiam rosaria Virgilius commendat his verbis,

——*Biferique rosaria Pæsti.*

Hinc provehitur ad Capreas & promontorium Minervæ, & montes nobiles vitæ Surrentinâ, & urbem Heracleam, & Stabias, & Parthenopen factam ad otia, & post hanc templa Sibyllæ Cumææ. Inde tepidi fontes, & Linternum lentisco abundans superantur, atque Vulturnus ducens sub aquis multam glaream, & Sinuessa abundans albis columbis & Minturnæ insaluores, & urbs ab eâ dicta quam alumnus S. putavit, & sedes Antiphatæ, & Trachas circumdata palude, & terra Circææ, & Antium firmum habens littus.

Inde legit Capreas, promontoriumque Minervæ,
Et Surrentino generosos palmite colles,
Herculeamque urbem, Stabiasque & in otia natam
Parthenopen, & ab hâc Cumææ templa Sibyllæ.
Hinc calidi fontes, lentiscoferumque tenentur
Linternum, multamque trahens sub gurgite arenam
Vulturnus, niveisq; frequens Sinuessa columbis:
Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphatæque domus, Trachasque obsessa palude,
Et tellus Circææ, & spissi littoris Antium.
Huc ubi veliferam nautæ advertêre carinam;

Postquam nautæ huc direxerunt navem velis instructam;

NOTÆ.

709. *Capreas*] Insula est regni Neapolitani contra promontorium Minervæ, Tiberii secessu nota.

Ib. *Promontoriumque*] In illis extremo est *Athenæum*, seu *Minervæ sacellum* quod Ulysses dicitur ædificâsse.

710. *Surrentino*] *Surrentum* urbs est Campaniæ, vino maximè nobilis.

711. *Herculeam*] *Heracleæ* etiam, *Heracleopolis Herculanum* insuper hic vocatur vicus, Cluverio *la Torre del Greco*: estque regni Neapolitani, ad radices montis Vesuvii.

Ib. *Stabias*] Oppidum Campaniæ bello sociali à Syllâ deletum, dein restauratum: hodie *Castella mare di Stabia*.

712. *Parthenopen*] *Neapolim* dicit à *Parthenope* unâ Syrenarum ibi sepultâ cognominatam; quò se Romani otiaturi, propter locorum amœnitatem, conferre solebat. Hor. Epod. 5.

Ib. *Cumææ*] *Cumas* Campaniæ urbem à Sibyllâ nobilitatam suprà vidimus. Funditus fuit excisa, diciturque hodie *Cuma dirutta*.

713. *Calidi*] *Baias* innuit *fontibus calidis* maximè celebres. Hodie ibi exiguum castrum tantùm superest nomine *Baiæ* cum balneis.

Ib. *Lentiscoferumque*] *Lentiscus* arbor est in Chio præcipuè nascens, mastichen exudans in modum gummi.

714. *Linternum*] Campaniæ fuit oppidum, Scipionis majoris secessu & sepulchro nobile, quod hodie in ruinis jacet.

715. *Vulturnus*] Fluvius Campaniæ, qui ex Apennino Capuam præterlabitur, atque in mare Tyrrhenum ad *Vulturni* exciſæ urbis ruinas devolvitur.

Ib. *Sinuessa*] Hæc etiam fuit urbs Campaniæ, quæ hodie prorsus excisa jacet.

Ib. *Columbis*] Legitur quam plurimis *Columbris*. Nugas autem de Sinuessanis hisce columbris opinor. Neminem certè ex antiquis Scriptoribus evolvi, qui harum meminisset. Campanas *Columbas* Plinius commendat, Lib. X. cap. 37.

716. *Minturnæ*] Urbs fuit Latii, quæ hodie nulla est, in Campaniæ confinio, paludibus adjacens, in quibus septies consul Marius delituit. Ex illis autem aër gravis atque noxius.

Ib. *Quam*] *Cajetam* dicit Æneæ nutricem, à quâ *Cajetam* urbem Latii denominatam volunt. Quanquam ex eo quidam dictam putant à Laconibus, quòd in littore *curvo* sit posita: illi namque *curva* omnia *Cajetas* vocabant.

Ib. *Alumnus*] *Æneas*.

717. *Antiphatæ*] *Formias* dicit, quas tenuisse Antiphaten Læstrygonum crudelem tyrannum suprà vidimus.

Ib. *Trachas*] *Terracina* seu *Tarricina*, quæ *& Anxur* prius dicta, itemque *Trachina*, hoc est *aspera*, utpote in colle sita, urbs Volscorum in Latio. Deficit indies propter adjacentium Promptinarum paludum exhalationes, aëriſque intemperiem.

718. *Circæa*] Mons est Latii mari ac paludibus ita cinctus, ut insula videatur, à *Circe*, quæ illum tenuit, cognominatus: In quo olim, urbs *Circæa* aut *Circæum*, hodie in ruinis.

Ib. *Antium*] Hæc olim Volscorum caput fuit 25 mill. pass. ab Urbe in hortum hybernum.

(Asper

(Aſper enim jam pontus erat) Deus explicat orbes:
Perque ſinus crebros & magna volumina labens,
Templa parentis init, flavum tangentia littus.
Æquore pacato patrias Epidaurius aras
Linquit: & hoſpitio juncti ſibi numinis uſus
Littoream tractu ſquamæ crepitantis arenam
Sulcat: &, innixus moderamine navis, in altâ
Puppe caput poſuit: donec Caſtrumque, ſacraſque
Lavini ſedes, Tiberinaque ad oſtia venit.
Huc omnes populi paſſim, matrumque patrumque,
Obvia turba ruit: quæq; ignes, Troïca, ſervant,
Veſta, tuos; lætoque Deum clamore ſalutant.
Quàque per adverſas navis cita ducitur undas,
Thura ſuper ripas, aris ex ordine factis,
Parte ab utrâque ſonant: & odorant aëra fumis:
Ictaque conjectos incalfacit hoſtia cultros.
Jamque caput rerum Romanam intraverat urbem;
Erigitur ſerpens; ſummoque acclinia malo
Colla movet: ſedeſque ſibi circumſpicit aptas.
Scinditur in geminas partes circumfluus amnis:
Inſula nomen habet: laterumque à parte duorum
Porrigit æquales mediâ tellure lacertos.
Huc ſe de Latiâ pinu Phœbeïus anguis
Contulit: & finem, ſpecie cœleſte reſumtâ,
Luctibus impoſuit; venitque ſalutifer Urbi.
Hic tamen acceſſit delubris advena noſtris:

(namque jam mare erat turbidum) Deus revolvit ſpiras; atque obrepens per frequentes flexus & ingentes orbes ſubit templa patris tangentia fulvum littus. Epidaurius deſerit altaria paterna mari compoſito, & uſus hoſpitio Dei ſibi conjuncti, ſcindit arenam littoream tractu ſquamæ ſtridentis; & inſiſtens gubernaculo navis demiſit caput in excelſâ puppe, donec appulit ad Caſtrum & ſacras domos Lavinii ad oſt a Tiberina. Omnes populi paſſim, & cœtus occurrens fœminarum atque virorum, & quæ cuſtodiunt tuos ignes, Veſta Troïca huc ruunt, & ſalutant Deum feſtivâ vociferatione. Et quâ velox navis ducitur per undas adverſas, thura crepitant ab utrâque parte, altaribus ſtructis ex ordine ad ripas, atque perfundunt aërem fumis odoriferis, & victima percuſſa calefacit cultros immiſſos. Jamque ſubierat urbem Romam caput orbis: anguis tollitur, & movet colla quæ ſupremo malo adnitebantur: & ſibi circumſpicit domum congruam. Fluvius circumlabens dividitur in duas partes: Inſula habet nomen; & mittit brachia æqualia à parte duorum laterum, inter quæ terra media eſt. Serpens Phœbeius huc conceſſit ex navi Latiâ: & finivit luctus formâ cœleſti rcepta; atque acceſſit opifer Urbi.

Hic tamen peregrinus adſcriptus eſt noſtris templis:

NOTÆ.

720. *Explicat*] *Diſceſſurus* ſcilicet: namque *quieſcentes* ſolent angues in multos urbes ſeſe convolvere.

722. *Parentis*] *Apollinis.*

723. *Epidaurius*] *Serpens* aut Æſculapius Epidauro avectus.

727. *Caſtrum*] *Caſtrum* dicit Inui ſeu Panos, Rutulorum oppidulum in Latio; inter Lavinum & Oſtiam ſitum.

728. *Lavini*] Urbs fuit Latii ab Æneâ condita, in quâ Veneris templum nomini Latino commune.

Ib. *Oſtia*] Ubi *Oſtia* civitas ab Anco Martio conſtituta.

730. *Quæque*] *Veſtales virgines* Æſculapio etiam obviam proceſſiſſe ait.

Ib. *Troïca*] Veſtam namque, atq; Ignem æternum Imperii cuſtodem, Æneas Troja evexerat.

739. *Amnis*] *Tiberis*, qui Romam alluit.

742. *Huc*] In inſulam Tiberis, quæ erat extra urbem, quia, ſcilicet, ibi aër ſalubrior; neque aliud præſentius remedium adverſus luem, quàm receſſus.

Ib. *Phœbeïus*] Quia Æſculapium *Phœbi*, ſeu Apollinis filium exhibebat.

743. *Cæleſte*] Pro *cæleſti*: quæ tamen ſpecies humana eſt barbati ſenis! aurea redimit, nodoſo in manu baculo.

Cæsar in urbe suâ Deus est: quem Marte togâque
Præcipuum, non bella magìs finita triumphis,
Resque domi gestæ, properataque gloria rerum
In sidus vertêre novum, stellamque comantem;
Quàm sua progenies. Neque enim de Cæsaris actis
Ullum majus opus, quàm quòd pater exstitit hujus.
Scilicet æquoreos plùs est domuisse Britannos,
Perque papyriferi septemflua flumina Nili
Victrices egisse rates: Numidasque rebelles,
Cinyphiumque Jubam, Mithridateïsque tumentem
Nominibus Pontum, populo adjecisse Quirini;

Cæsar est Deus in urbe suâ; quem pace & bello principem, non magìs bella absoluta triumphis, & res peractæ tempore pacis, & gloria accelerata rerum mutaverunt in novam stellam & cometam crinitum, quàm sua soboles. Neque verò de factis Cæsaris ullum est majus opus, quàm quòd parens fuit hujus. Nempè illustrius est vicisse Britannos æquoreos, & duxisse naves victrices per septemfluos alveos Nili papyrum ferentis; atque addidisse populo Quirini Numidas ab officio desciscentes, & Jubam Cinyphium, & Pontum superbum Mithridatis gloriâ;

NOTÆ

746. *Cæsar*] *Julius Cæsar* primus Imperator. Lege argumentum.

Ib. *Marte togâque*] *Pace & bello:* tamque certè ille in utrumque fuit ita paratus, ut ex quibus virtutibus majorem laudem consecutus sit, difficile sit dicere.

748. *Properata*] *Properanter & brevi tempore comparata.*

749. *Comantem*] Cometæ *crinitæ* etiam *stellæ* dicuntur.

750. *Progenies*] *Octavium Augustum* dicit, Julii Cæsaris adoptione filium & hæredem, Juliæ, Julii Cæsaris sororis, nepotem, quem C. Octavio peperit Attia Juliæ ex M. Attio Balbo filia.

751. *Majus*] *Gratulandum,* inquit Florus, *in tantâ perturbatione est, quòd potissimùm ad Octav. Cæsarem Augustum summa rerum rediit; qui sapientiâ suâ atque solertiâ, perculsum undique, & perturbatum ordinavit Imperii corpus: quod ita haud dubiè nunquam coire & consentire potuisset, nisi unius præsidis nutu, quasi animâ & mente regeretur.*

Ib. *Pater*] Namque ita illum rerum summæ præfecit, & causa fuit eorum omnium, quæ sapienter Augustus administravit.

752. *Scilicet*] Præstantissima quæque Cæsaris gesta cum quâdam Ironiâ enumerat poëta, ut Augusti adoptionem, illis anteferendam esse ostendat: atque ita hujus laudem callidè inculcet.

Ib. *Britannos*] Illos verè victos, quibus ante Cæsarem ne nomen quidem Romanorum cognitum erat, stipendiarios fecit.

753. *Papyriferi*] *Papyrus planta est* nascens in palustribus Ægypti, ex qua fiebant chartæ tunicis papyri acu seu scalpello diductis atque separatis.

Ib. *Nili*] Fluvium esse Ægypti maximum per septem ostia aut alveos in mare Mediterraneum se exonerantem jam sæpe diximus.

754. *Victrices*] Devicto Ptolemæo rege, qui & Cæsari sicuti antea Pompeïo insidias paraverat. Ille namque victus in Nilo periit.

Ib. *Numidas*] Numidæ Africæ populi admodum feroces, qui, cum Jubâ Mauritaniæ rege, Pompejanarum partium duces Catonem, Scipionem, Petreium, aliosque secuti adversus Cæsarem in Africâ dimicaverunt, ibidemque victi sunt. De industriâ autem neque Pompeii neque cæterorum mentio ulla, quia execrandum atque lachrymabile bellum Romanis.

755. *Cinyphium*] Juba rex Mauritaniæ. Cinyphius à Cinypho seu Cinype Lybiæ fluvio, in Mediterraneum prope Lebedam defluente, dicitur.

Ib. *Mithridateïsque*] Namque Mithridates rex Ponti, cùm quatuor Pyrrho, decem & septem anni Annibali suffecerint, ille per quadraginta annos restitit: donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Syllæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeii consumeretur. Pharnacem filium ejus bella ferociùs moventem Cæsar ex Alexandriâ advolans unâ acie profligavit. Unde, ut ait Suet, inter pompæ fercula trium verborum titulum prætulit, *VENI, VIDI, VICI.*

756. *Pontum*] Regio est minoris Asiæ ad Septentrionem à Pontico mari cognominata, ubi regnavit Mithridates, & postea ipsius filius Pharnaces à Cæsare victus.

Ib. *Quirini*] Eo nomine appellatum Romulum suprà diximus.

Et multos meruisse, aliquos egisse triumphos,
Quàm tantum genuisse virum, quo præside rerum
Humano generi, Superi, cavistis abunde.
Ne foret hic igitur mortali semine crêtus;
Ille Deus faciendus erat. Quod ut aurea vidit
Æneæ genitrix; vidit quoque triste parari
Pontifici letum; & conjurata arma moveri;
Palluit; & cunctis, ut cuique erat obvia, Divis,
Aspice, dicebat, quantâ mihi mole parentur
Insidiæ: quantâque caput cum fraude petatur,
Quod de Dardanio solum mihi restat Iülo.
Solane semper ero justis exercita curis?
Quam modò Tydidæ Calydonia vulneret hasta,
Nunc malè defensæ confundant mœnia Trojæ.
Quæ videam natum longis erroribus actum,
Jactarique freto, sedesque intrare silentûm;
Bellaque cum Turno gerere; aut, si vera fatemur,
Cum Junone magìs. Quid nunc antiqua recordor
Damna mei generis? timor hic meminisse priorum
Non sinit. In me acui sceleratos cernitis enses.
Quos prohibete, precor; facinusq; repellite: neve
Cæde sacerdotis flammas extinguite Vestæ.

& dignum fuisse multis triumphis, et agitâsse quosdam quàm genuisse tantum virum, quo arbitro rerum satis consuluistis humano generi ô Dii. Ne ergo hic Augustus *videretur genitus semine mortali, ille* Julius Cæsar *erat faciendus Deus. Quod cùm splendida mater Æneæ cognovit, advertit etiam lugubrem necem parari Pontifici, & arma conjurata concuti: Palluit; atque dicebat omnibus Diis, ut in quemque incidebat. Vide quanto conatu insidiæ mihi struantur; & quantâ cum perfidiâ caput quod solum mihi superest de Iülo Dardanio, appetatur. An ego sola semper ero vexata justis solicitudinibus? Quam nunc hasta Calydonia Tydidæ vulneret, modò muri Trojæ malè protecti turbent. Quæ cernam filium* Ænean *jactatum longis erroribus, & agitari mari, & subire habitationes mortuorum, et bello congredi cum Turno, vel potiùs cum Junone, si vera agnoscimus. Quamobrem nunc refero præteritas clades meæ sobolis? Hic metus non patitur recordari antiquorum. Videtis nefarios gladios parari in me. Quos oro arcete, atque avertite nefas; neve supprimite ignes Vestæ nece sacerdotis.*

NOTÆ.

757. *Aliquos*] Quatuor superbo apparatu à Floro designatis, *quantò*, inquit, *majora erant, de quibus non triumphabat?*

762. *Æneæ genitrix*] *Venus.*

763. *Pontifici*] *Cæsari*, qui Pontifex erat, quo tempore jugulatus est.

Ib. *Conjurata*] Bruti duo, Cassius, aliique Patricii, atque equites in Cæsarem; quòd insolentiùs agere inciperet, conjuraverunt; qui tribus & viginti vulneribus in curiâ illum confoderunt.

765. *Mihi*] Quia Cæsari, qui ultimus futurus erat ex gente Juliâ, à Venere per Iülum atque Ænean derivatâ.

769. *Tydidæ*] *Diomedis, Tydei filii*, qui Venerem Æneæ suo faventem, ipsumque nube operientem vulneravit.

Ib. *Calydonia*] Quia Calydon Ætolorum civitas, quibus imperavit Diomedes.

772. *Sedes*] Duce Sibyllâ ad inferos descendisse suprà vidimus.

773. *Turno*] Hunc Rutulorum regem habuimus etiam in precedentibus.

774. *Junone*] Quæ usque Turno favit.

775. *Hic*] *Quo Cæsaris causâ percellebatur.*

776. *Me*] Quia in Julium Cæsarem.

778. *Sacerdotis*] Pontificem maximum fuisse Cæsarem morò diximus.

Ib. *Extinguit*] Id est, *Ne religionem atque Deorum cultum omnem ex terris tollite.* Ad illud verò alludit poëta, quòd *in primis focum Vestæ virginibus Numa colendum dedit, ut ob similitudinem cœlestium syderum custos imperii flamma vigilaret:* ut loquitur Florus,

Venus sollicita frustrà profundit sermones toto cœlo, & tangit Deos. Qui tametsi nequeunt frangere fata ferrea antiquorum sororum, tamen præbens indicia haud dubia cladis venturæ. Perhibent arma sonantia inter atras nubes, atque tubas horrendas, & cornua audita in cœlo portendisse scelus. Solis etiam lugubris species mittebat lumina pallida terris anxiis: Sæpe faces visæ flagrare sub mediis sideribus: Sæpe guttæ sanguineæ ceciderunt inter imbres. Lucifer cærulus infectam habebat faciem nigro colore: currus Lunares tincti cruore. Bubo feralis fecit præsagia luctuosa mille locis; mille locis ebur flevit; atque cantus & voces minantes dicuntur auditæ in sacris lucis. Nulla hostia Deos placidos significat, & fibræ testantur ingentes tumultus imminere; atque ea ut inventur recisum in extis. Dicunt canes noctu ululâsse circum domos & templa Deorum, atque animas mortuorum vagatas esse, & Urbem concussam fuisse terræ motibus. Attamen præsagia Deorum non potuerunt superare fata futura & insidias; & enses evaginati feruntur in ædem: neque enim ullus locus in Urbe præter Curiam placet ad scelus & crudelem necem. Tum verò Cytherea planxit pectus utrâque manu, atque præparat ut abscondat Æneaden nube;

Talia nequicquam toto Venus anxia cœlo
Verba jacit, Superosque movet: Qui rumpere quanquam
Ferrea non possunt veterum decreta sororum;
Signa tamen luctûs dant haud incerta futuri.
Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribilesque tubas, auditaque cornua cœlo
Præmonuisse nefas. Phœbi quoq; tristis imago
Lurida sollicitis præbebat lumina terris.
Sæpe faces visæ mediis ardere sub astris:
Sæpe inter nimbos guttæ cecidêre cruentæ.
Cærulus & vultum ferrugine Lucifer atrâ
Sparsus erat: sparsi Lunares sanguine currus.
Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo;
Mille locis lachrymavit ebur: cantusque feruntur
Auditi, sanctis & verba minacia lucis.
Victima nulla litat: magnosque instare tumultus
Fibra monet; cæsumq; caput reperitur in extis.
Inque foro, circumque domos, & templa Deorum
Nocturnos ululâsse canes; umbrasque silentûm
Erravisse ferunt; motamque tremoribus urbem.
Non tamen insidias venturaque vincere fata
Præmonitus potuêre Deûm: strictiq; feruntur
In templum gladii. Neque enim locus ullus in Urbe
Ad facinus, diramque placet, nisi Curia, cædem.
Tum verò Cytherea manu percussit utrâque
Pectus: & Æneaden molitur condere nube;

NOTÆ.

779. *Nequiequam*] Namque truci datus Julius Cæsar.

781. *Veterum*] Parcas dicit Nocte & Erebo satas.

785. *Præmonuisse*] Hæc quoque prodigia Tranquillus atque Plutarchus Cæsaris necem dicunt denunciâsse.

790. *Currus*] Pro ipsâ Lunâ.

791. *Stygius*] *Feralis*, atque *pessimi ominis*: Styx namque inferorum palus.

792. *Ebur*] *Simulachra Deorum eburnea.* Ita Virg. Georg. 408. De Julii morte,

Et mœstam illacbrymat templis ebur——

794. *Nulla*] Id verò Cæsari evenisse, quo die fuit trucidatus, Scribit Tranquillus. Introiit tamen Curiam spretâ religione.

795. *Fibra*] *Victimarum exta.* Virgilius quem noster imitatus est, hæc prodigia eleganter recenset, Georg. I. 464.

Ib. *Caput*] Pessimi erat ominis, si jecur, quod à corde inspiciebant, *sine capite*, aut eo imminuto esset.

801. *Templum*] Quod fuit curia Pompeii, ubi Senatus habitus. *Curiæ* enim loca erant, ubi res publicæ seu divina, ut sacrificia: seu humanæ, ut Consilia curabantur; quas singulis Curiis, in quas populi Romanii tribus divisæ, Romulus primus assignavit.

803. *Cytherea*] *Venus.*

804. *Æneaden*] Hanc vocem, ex quibusdam Manusc. excudendam curavi pro *æthereâ*, ut sensus absolveretur. *Cæsarem* autem designavit ab *Æneâ* ortum, quem percussoribus adimere cuperet Venus.

Qua

Quâ priùs infesto Paris est ereptus Atridæ:
Et Diomedeos Æneas fugerat enses.
Talibus hanc genitor: Sola insuperabile fatum,
Nata, movere paras? intres licet ipsa sororum
Tecta trium; cernes illîc molimine vasto
Ex ære, & solido rerum tabularia ferro:
Quæ neque concursum cœli, neque fulminis iram,
Nec metuunt ullas tuta atque æterna ruinas.
Invenies illîc incisa adamante perenni
Fata tui generis. Legi ipse; animoque notavi:
Et referam: ne sis etiamnum ignara futuri.
Hic sua complevit (pro quo, Cytherea, laboras)
Tempora, perfectis, quos terræ debuit, annis.
Ut Deus accedat cœlo, templisque colatur,
Tu facies; natusque suus, qui nominis hæres,
Impositum feret Urbis onus: cæsique parentis
Nos in bella suos fortissimus ultor habebit.
Illius auspiciis obsessæ mœnia pacem
Victa petent Mutinæ: Pharsalia sentiet illum,

quâ antea Paris est ademptus terribili Atridæ; quâque Æneas vitaverat gladium Diomedis. Pater affatur *eam ejusmodi verbis: Filia cupisne sola mutare fatum invictum? Pètes ipsa subire domos trium sororum: ibi videbis tabulas rerum* fato decretarum *ex ære & rigido ferro vastæ magnitudinis; quæ tutæ atque æternæ, neque reformidant collisionem cœli, neque impetum fulminis, neque ullas ruinas. Illic reperies sortes tuæ sobolis insculptas adamante inviolabili. Ipse legi, atque signavi mente* ea omnia quæ generi tuo eventura sunt, *& narrabo, ne sis adhuc nescia futuri. Hic, cujus causâ solicita es, Cytherea, absolvit suam ætatem, exactis annis quos debuit terræ. Tu unà cum ipsius filio; qui hæres nominis feret imperii administrationem sibi commissam, curabis, ut Deus ascribatur cœlo, & honoretur in templis: et* ille *vindex generosissimus patris interfecti habebit nos sibi in bellis* faventes. *Muri superati Mutinæ obsidione pressæ ejus auspiciis petent pacem: Pharsalia sentiet illum,*

NOTÆ.

805. *Atridæ*] *Menelao, Atrei filio*, cum quo congressus Paris occubuisset, nisi auxilio Veneris, quæ nube ipsum operuit, mortem effugisset: ut narrat Homerus, Iliad. 3.

806. *Diomedeos*] Æneæ etiam suo nisi succurrisset Venus, Diomedes illum facilè peremisset, referente eodem Homero Iliad. 5. namque ille inter Græcos fuit fortissimus, Ulyssi præsertim amicitiâ conjunctus.

807. *Genitor*] *Jupiter.*

808. *Sororum*] Parcarum: de quibus supra.

810. *Tabularia*] *Tabulas ipsas æneas* intelligit, in quas immutabilia fatorum decreta Parcæ. Jovis scribæ, (ut nominat eas Capella) referunt.

811. *Concursum*] *Tonitrua* intelligit, quibus aër non *concutitur* modò, sed quasi *concurrere* videtur. Sic sæpe Lucretius.

816. *Sua*] *Sibi à fatis assignata*, 56 annos scilicet.

818. *Templis*] *Non modò Sen. Cons. ei divina simul atque humana omnia decreta, aut in Deorum numerum, decernentium ore elatus est, sed & persuasione vulgi: creditumque est stellam crinitam, quæ per septem dies fulsit, ludis, quos primo consecratos ei Cæsar Augustus edebat, Cæsaris esse animam in cœlum recepti*; ut refert Suet. Atque hâc de causâ simulachro ejus in vertice additur *stella.*

819. *Natus*] *Augustus*, per Adoptionem.

820. *Cæsique*] Belli initium & causa, prætextus saltem, Avunculi necem ulciscì. Suet. 10 Cap. August.

823 *Mutinæ*] In eâ Galliæ Cisalpinæ urbe Antonius, Cæsaris testamento prælatum sibi Octavium furens, Decimum Brutum suis motibus resistentem obsidebat: illum Octavius liberavit, atque Antonium castris exuit.

Ib. *Pharsalia*] Postquam animum in partes omnes versavi, nihil aliud videre me hoc in loco fateor, quàm errorem eòrum auctorum, qui Pharsalum Thessaliæ urbem, ubi Cæsarem inter & Pompeium depugnatum est, cum Philippis Thraciæ ubi victi Brutus & Cassius ab Octavio, & Antonio, confuderunt; nisi, ut poëtarum mos est, vicina, vel ejusdem

itemque Philippi iterum irrigati strage Æmathiâ: et magnum Pompeii *nomen vincetur in mari Siculo: et uxor Ægyptia ducis Romani male fisa conjugio occidet: atque illa erit frustrà minata nostra Capitolia obtemperatura esse suo Canopo. Quamobrem tibi recenseam Barbaros & nationes sitas ab utroque Oceano? Quicquid terra habet habitabile, erit sub hujus imperio. Mare etiam illi obsequetur. Pace præbitâ terris, conferet ingenium suum ad jura civilia, & æquissimus auctor statuet leges; et componet mores suo exemplo, et consulens seculo futuri temporis et venturorum nepotum, curabis progeniem ortam de sanctâ uxore sumere*

Æmathiâque iterum madefacti cæde Philippi:
Et magnum Siculis nomen superabitur undis:
Romanique ducis conjux Ægyptia tædæ
Non bene fisa cadet: fruströque erit illa minata
Servitura suo Capitolia nostra Canopo.
Quid tibi Barbariem, gentes ab utroque jacentes
Oceano numerem? quodcumque habitabile tellus
Sustinet, hujus erit. Pontus quoque serviet illi.
Pace datâ terris, animum ad civilia vertet
Jura suum, legesque feret justissimus auctor:
Exemploque suo mores reget: inque futuri
Temporis ætatem venturorumque nepotum
Prospiciens, prolem sanctâ de conjuge natam

NOTÆ.

ditionis loca pro iisdem usurpare, hic promiscuè Pharsalum atque Philippos, quæ urbes eidem Macedonum regi olim parebant, pro unâ atque eâdem belli arenâ Naso noster cum aliis sumserit. Certè Florus Brutum & Cassium illam, quæ Cneo Pompeio fatalis fuerat, Pharsalum scilicet insedisse testatur, cum tamen ex constanti historiæ fide apud Philippos Thracios illi devicti sunt.

824. *Æmathiâ*] Eo nomine *Macedonia* locaque proxima ab *Æmathione* vel *Æmathione* rege dicta sunt. Macedoniæ autem fuerunt Philippi, in confinio Thraciæ, ubi Brutus & Cassius cum partibus fuit devicti.

825. *Magnum*] *Magnum nomen* de quo hîc agitur est *Pompeii*, cujus alter filius Sextus secum piratas navales agitans, ita in Siculo freto oppressus est, ut modo trecentarum quinquaginta navium dominus, cum sex septemve Mitylenam fugere coactus fuerit.

826. *Romani*] *Antonii*, Qui Cleopatræ libidinis pretium Romanum imperium cum stultissimè prohibuisset, ab Augusto ad Actium, Epiri promontorium, navali prælio victus est.

Ib. *Conjux*] *Cleopatra*, quæ se triumpho ubi ab Augusto servari sensit, cautionem nacta custodiam, in Mausoleo, juxta suum Antonium, admotis advenas serpentibus, quasi somno soluta est.

Ib. *Tædæ*] Pro *conjugio*; ut sæpe alibi.

828. *Nostra*] *Jovi* namque dicatum *Capitolium*, qui & inde *Capitolinus* dictus.

Ib. *Canopo*] Urbs est Ægypti, ad ostium Nili occidentale, quod ab eâ *Canopicum* dictum.

829. *Barbariem*] Pro *barbaris*, quos Augustus domuit, inter quos Mysos ipsorum etiam barbarorum *barbaros* vocat Florus; quem vide cap. 12.

Ib. *Utroque*] *Orientali & Occidentali*. Imò, at ait florus, *Omnibus ad occasum et meridiem pacatis gentibus, ad Septentrionem quoque duntaxat intra Rhenum atque Danubium, item ad Orientem intra Taurum & Euphraten; illi quoque reliqui, immunes imperii qui erant, sentiebant tamen magnitudinem, et victorem gentium Populum Romanum reverebantur.*

831. *Hujus*] *Ubi cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pacto, ausus tandem Cæsar Augustus septingentesimo ab Urbe conditâ anno Janum Geminum claudere.* Florus.

832. *Civilia*] *Conversus ad pacem, pronum in omnia mala, et in luxuriam fluens seculum gravibus severisque legibus multis coercuit. Oh hæc tot factâ ingentia* Dictator perpetuus & Pater patriæ *dictus.*

836. *Prolem*] *Tiberium* dicit ex Liviâ Drusillâ uxore, quam Augustus matrimonio Tiberii Neronis, & quidem prægnantem, abduxit, dilexitque & probavit unicè, ac perseveranter: ut refert Suetonius. Illum autem, *Tiberium*, dico, adoptione filium suum fecit, cui successori beatissimam rempublicam reliquit.

Ferra

Ferre simul nomenque suum curasque jubebit.
Nec, nisi cùm senior similes æquaverit annos,
Æthereas sedes cognataque sidera tanget.
Hanc animam interea cæso de corpore raptam
